24

Digitized by Google

6
9 NM
16

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

62.5.13

62
B
13
10-9-F-26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA SERAPHICA

A

F. HENRICO SEDVLIO

CONCINNATA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google







HISTORIA SERAPHICA VITÆ B. P. FRANCISCI ASSISIATIS, ILLVSTRIVMQ. VIRORVM ET FEMINARVM, QVI EX TRIBVS EIVS ORDINIBVS RELATI SVNT INTER SANCTOS.

ex legato Item Ant.? Corcini?

Illuſtria Martyria F F. Minorum Prouinciæ inferioris Germaniæ, ab hæreticis, Chriſtianæ religionis ergo, crudeliter interfectorum.

F. HENRICVS SEDVLIVS, *eiusdem Ordinis ac Prouinciæ,* Bibliothecæ *concinnauit,* Secr.? *Commentarijs et Notis illuſtrauit.*

Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ
Sumptibus Hæredum Martini Nutij.
M. DC. XIII.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

HEROI

D. ANTONIO DE LALAING,

COMITI DE HOOCHSTRATEN, DE HOORNE ET RENNENBVRG, BARONI DE LEVZE, BORZELE, DOMINO DE EECKEREN, ALDENHOREN, PIREVVES, BRECHT, &c.

AVREI VELLERIS EQVITI,

F. Henricus Sedulius

D.D.

LIBRVM meum, Heros Illuſtriſſime, Religionis Seraphicæ florem, Excellentiæ tuæ offero: qui ante complures annos conceptus à me, demum in nobili tuo municipio Hoochſtrati formatus, nunc etiam nominis tui & tutelæ clypeo munitus, ſecurus & tutus audet in publicum prodire. Conduxi in vnum volumen incomparabilium Virorum Feminarumque Vitas, trium Ordinum B. Franciſci, quibus ab Eccleſiâ decreti ſunt cæleſtes honores; in quibus admirandum in modum præluxit vera Sapientia, perfectum bonum mentis humanæ. Feliciſſimè res noſtræ promouerent, ſi cuncti mortales adplicarent animum ad Sapientiæ ſtudium, vt ad illius normam ſe mores exigerent: & præ ceteris, qui portant orbem Reges atque Principes. Senſu præualens eſt Platonis ſententia; qui tum demum beatum terrarum orbem futurum prædicauit, cùm aut Sapientes regnare, aut Reges ſapere cœpiſſent. Illa viuendi magiſtra eſt, moderandi populos & regna. Duas in hoc vniuer-

ſo reſpublicas contemplamur: alteram magnam & verè publicam, quâ cuncta, quæ in rerum naturâ ſunt continentur, in quâ non ad hunc aut ad illum angulum reſpicimus, ſed terminos noſtros cum ſole metimur: alteram, cui nos adſcripſit naſcendi conditio, vt Athenienſium, aut Carthaginenſium, aut alicuius vrbis & regionis. ad vtramq; prouenient ingentia commoda, cùm rerum moderatrix gubernauerit Sapientia. Si bellum ſumendum, ſi prælia feliciter committenda, ſi diſciplina militaris, reuerentia legum ſeruanda, ceteraque cuncta publico bono neceſſaria, adepta docebit Sapientia; quâ quiſquis deſtitutus eſt, is velut ſine remige nauis, & auicula ſine pennis. Verùm deplorandum eſt, quòd homines, cùm maximum eſſe bonum Sapientiam prædicant, pauci tamen ad eam adſurgant, malè affecti pro verâ Sapientiâ ſtultitiàm deligentes. Acerrimus eſt in nobis ſenſus oculorum, quibus tamen Sapientiam non cernimus: quàm illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur! Priſcis temporibus magnum eius nomen, magnum fuit deſiderium: ſed neque principes eius, qui habebantur, quam maximopere perquirebant, humanâ induſtriâ potuerunt inuenire. ſupra hominem eſt, ſupra res omnes humanas. Quapropter veteres illi nomine tenus Sapientes, poſtquam vera Sapientia ſublata fuit, tum demum ſibi Sapientum nomen vendicare cœperunt: ſed dicentes ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt, pro veritate mendacium, pro verâ virtute, vmbram eius perſequentes. In quo errore diu, cùm pæne totus terrarum orbis volutaretur; non eſt paſſus Deus hominem, Sapientiæ lumen requirentem diutiùs oberrare, atque vagari per tenebras inextricabiles; aperuit oculos eius aliquando, & Sapientiæ veræ notionem munus ſuum fecit: vt & humanam ſapientiam vanam eſſe monſtraret, & erranti ac vago viam conſequendæ ſalutis oſtenderet. Venit itaque præfinito tempore Filius Dei, Æterni Sapientia Patris, de cælo; & conuerſatus nobiſcum, cœpit facere & docere Ieſus Chriſtus, doctor noſter pariter & Saluator.

pri-

Digitized by Google

primum diſcipulos orbis ſaluti deſtinatos, veræ Sapientiæ munere imbuit, in vnicâ verâ Religione. Enimuerò, in Sapientiâ religio, & in religione Sapientia eſt. Hæc eſt regalis via, quæ ducit ad regnum, non temporali faſtigio nutabundum, ſed æternitatis firmitate ſecurum. præter hanc nemo liberatus eſt, nemo liberatur, nemo liberabitur: quam præſens in carne Mediator ipſe Chriſtus, & beati eius Apoſtoli, iam Teſtamenti noui gratiam reuelantes, apertiùs indicarunt. Ab his, eorumque poſteris noſtri maiores, velut per manus traditam, vnicam illam & veram acceperunt Religionem, in quâ ſolâ omnis vitæ bonæ ac beatæ via eſt conſtituta, quâ vnus Deus colitur, & purgatiſſimâ pietate cognoſcitur. Igitur qui vult ſapiens ac beatus eſſe, audiat Deum & ſequatur, diſcat Scripturam veram, humanam contemnat; vt ſummum illud bonum, ad quod natus eſt, queat adipiſci, quæ Religionis eſt alba meta. Ceterùm, longum eſt iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Quàm illuſtria documenta Sapientiæ Sancti iſti nobis præbent! Proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum dictumque reſpiciat: veluti nauigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus. Vita ſine propoſito vaga eſt. Componamus nos ad exempla virorum incomparabilium. Aliquem habeat animus quem imitetur, & ad eius memoriam ſe moreſq; ſuos ordinet. prodeſt impoſuiſſe ſibi cuſtodem, & habere quem reſpicias. Facta Sanctorum oſtendunt, quæ facienda ſuadentur. Viam præiuerunt, in quâ tutò veſtigia ponamus. Sicut qui nauigandi parum peritus eſt, vbi nauis præit, curſum temperat & ſequitur: ita vada vitat & ſcopulos, portum cum prioribus petens & tenens; ſic quoq; in imitatione Sanctorum. Sed vt ad epulum inuitatis fercula ciborum ſumere ius eſt, non pateras, vrceos & aurum tollere: ſic in Diuis iſtis multa miranda videmus, cetera trahenda ad mores, quà fieri poteſt. Enimuerò numquam par fit imitator auctori. Vertamus igitur animum ad hæc fulgida lumina, poſita ſuper candelabrum

præcelſum in Eccleſiâ: priùs vt glorificemus Deum Patrem qui in cęlis eſt; deinde vt Deum quoq; portemus in corpore noſtro. Religioſi fuere è pallido palliatoq; monachorum contubernio. In vnicâ illâ veraq; Religione, diuerſę conſpiciuntur Religiones, quomodo in exercitu vno multiuariæ cohortes & legiones. Sunt ſingulis ſui duces, diſtincta ſigna, arma varia: ſed tamen vnico parent imperatori. Ad hunc modum iſta diuerſa religioſorum Ordinum inſtituta in vnâ Eccleſiâ, vt in arboribus rami variant, in vnâ tamen verâ religione, velut in radice, & conſonâ pietate concordant. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate, inquit regius Pſaltes. Varię ſunt Eccleſię Religiones, non inter ſe contrariæ; ſectæ, non tamen diſſectæ. Nihil refert, quo ſchemate moreque viuendi, Religionem ex his aliquam approbatam, quâ peruenitur ad Deum, ſibi deligat, modò perueniat. Anguſta eſt portæ diuinæ via, ceterùm multæ ſemitæ ad eam vnam ducunt. Eſt publica & regia via, quam omnes communiter inimus: ſunt etiam ſemitæ ac compendia, quæ citiùs ad metam ducant: ſic vniuerſalis Religionis via compendiarias ad beatitatem habet ſemitas, ſacratiorum inſtituta Religionum. Harum candidatos, quod diuinus ſcribit Dionyſius; Apoſtoli ſancti præceptores noſtri diuinis appellationibus ſunt proſecuti; partim Therapeutas, id eſt, Cultores, à ſincero Dei famulatu atq; cultu; partim Monachos, ab indiuiduâ & ſingulari vitâ appellantes: vt quæ illos ſanctis diuiſibilium complicationibus in diuinam & Deo gratam monadem perfectionemq; promoueat. quo vitæ genere (fidenter id cum melioribus dico) nullum neque ſplendidius, neque acceptius, neque ſublimius inter homines reperiri poteſt; licet ſint qui riſui habent ac ludibrio, prauiter adfecti: ſiue hoc eorum ſtultitiæ tribuendum ſit, ſiue tribuendum illis, qui minimè parem muneri conſentaneamque vitam ducunt. At iſti, Apoſtolo docente edocti, Si quis vult inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat vt ſit ſapiens: in ſinu

gau-

gaudentes cum Paullo gloriantur, Nos ſtulti propter Chriſtum. Et verò ſic eſt: ſi quis vult eſſe ſapiens, oportet vt bonus ſit: quia nemo verè ſapiens, niſi verè bonus. Iſti porrò contrà malarum mentium vitio, & reprobo ſenſu, bonitatem pro ſtultitiâ repudiantes, & nequitiam pro ſapientiâ diligentes, tanto quotidie prudentiores eſſe ſe credunt, quanto peiores ſunt. Sed vnde defluxit oratio, redeat. Sacratiorem inſtituti ſiue alterius ſiue noſtri Religionem, à qua religioſus pro caſto, obſeruante, cohibenteque ſe certis legibus, habetur; non omnibus ſuademus. qui poteſt capere, capiat: ſed ad illam vniuerſalem, quâ hominem ſibi Deus religauit & pietate conſtrinxit; in quâ ſolâ vitæ beatæ via eſt; cuius eſt ſumma, imitari quem colis; non ſolùm adhortor, ſed etiam incito, & quà poſſum impello. A nuperis iſtis, nouiter inductis, deformatiſque religionibus, quæ ranarum more exſiliunt Ægypti fluuio, reſiliuntque, velut à barathro cauendum moneo. fallaces ſunt, & ſceleribus prætenduntur velamento recuratæ religionis. Sentiet propediem (metuo) Imperium, & regna, non eſſe maius periculum, quàm ab inſidioſè ſimulatâ religione. Vnica igitur & vera illa candidaque Religio, quibus ſua ſalus curæ & cordi eſt, anchora tenaciùs figenda, ne fluctuemur & pereamus; quam in Diuis noſtris Sole ſplendidiùs præfulſiſſe videmus: quam præter, alia ſunt cuiuſque conditionis hominibus ſalutariter imitanda. Habent Eccleſiæ purpurati Patres, S. Bonauenturam S. R. E. Cardinalem, omnium primùm ex illo procerum Senatu, albo Diuorum inſcriptum, quem reſpiciant: eius imitaturi pietatem, eruditionem, orbis totius curam, qualem Seraphicus Eccleſiæ Doctor Concilio Lugdunenſi præſidens, cum laude præſtitit, Græcis cum Imperatore ad Eccleſiæ ſinum reductis. Habent Præſules & Antiſtites in S. Ludouico Caroli Secundi Siciliæ Regis filio, virtutum omnium admirabilem coronam. Paſtores & Sacerdotes ſanctum æmulentur Iuonem, quibuſq;

ius & æquum propugnare propoſitum eſt, Religioſi, noſtri præſertim Ordinis, deligent aliquem ex horum Sanctorum numero,ad cuius formulam ſe componant. Virgines & viduæ pulcherrima ſument virtutum exempla, S. Claram & Elizabetham Regis Hungarorum filiam Si quem Regum ac Principum ſpeculum principale delectat, bellica gloria, iuſtitiæ vigor, adminiſtrandi regendiq; ratio populos & regna; cuſtodem ſibi conſtituant & normam, S. Ludouicum IX. Francorum Regem ſanctiſſimum,laudatiſſimumque in omni actione. plebes parentem, leges cuſtodem, Religio vindicem ſtrenuum ſentiebant. Ceterùm, Heros Illuſtriſſ^me pace tuâ, S. Elzearium Comitem Ariani in exemplum tibi propono,ad quem ſe vita & mores exigent, magno tuo familiæque commodo ac ſalute. Longum eſt iter per prçcepta,breue & efficax per exempla,quæ hoc boni habent, quòd euincant rectè facta fieri potuiſſe. Igitur vt qui ad ſpeculum ſe comunt,faciem & cultum rectè diſponunt: ſic aliena vita ſpeculum eſt & imago,in quâ te videas, & ad eam pulchrè componas. Hic vir (ſepoſito mirando potiùs quàm imitando exemplo,quòd ne quidem ſecubans ſeruauerit vxorem intactam virginem) bonis principibus vitæ rationem optimam præformabit. Catholicę religionis adeò ſtudioſus erat & ardens,vt puer etiam, pro illâ non ſemel poſtulauerit, cum ſanguine profundere vitam. Diuinæ pietatis ſummus erat cultor: atque his ſubſtratis fundamentis, in pectus demiſit, debere ſacris etiam imperia ſeruire: cunctaq; cetera feliciùs proceſſura,cùm diuinæ pietati fuerint conſtanter famulata. Aleas, conuiuia, delicias, certiſſima patrimoniorum exitia longiſſimè à domo proſcripſit, familiæ leges veræ nobilitati conuenientes præſcripſit, obæratorum patrimoniorum nomina diſſoluit benignitate, fide, clementiâ virtutibus Principum proprijs, miſericordiâ in egenos & pauperes, famam, ſanctitatem, bonam ſibi mortem quæſiuit. Mortem excipit æternitas, aut felix aut miſera.

Nul-

Nullius rei tam eſt meditatio ſalutaris, quàm naturam ſe cogitare morti, & eſſe mortale, mortalium, omnium bonum. Quid enim eſt vita noſtra, niſi procurſus ad mortem? alios in aditu vitæ, alios in medio deſerit: ſed tamen æquâ falce metit Regum turres, tuguria pauperum. Vrbes & arces ętas longa conſtituit, hora diſſoluit, magnâ tutelâ ſtant, aut vigent omnia, citò diſſiliunt. nihil eſt quod pectus noſtrum magis diuinum, ſecretumque faciat ſanctius, quàm inopinam ſed deſtinatam meditari mortem, omniaq; noſtra mortalitate damnata. Sed horum deſino, paucis redditurus rationem, Excelliæ tuæ huius operis noſtri dedicati. ANTONIVS DE LALAING, huius nominis Comes Hoochſtrati primus, atauus tuus, Carolo V. Imp. in delitijs, prudens ac laudatus Hollandiæ, Zelandiæ & vltraiectenſis Gubernator, Financiarum præfectus, poſt ingentes arces & palatia, regijs ſumptibus vix exædificanda, Hoochſtrati Collegia, Canonicis, pupillorumq; ſexui vtriq; fundauit, nec non templum operoſiſſimum cum ſpecioſiſſimâ turri. Denique cum Elizabethâ Culenburgi-Dominâ lectiſſimâ nobiliſſimaque coniuge, S. Claræ virginibus ſacram exſtruxit ædem, totâ noſtrâ prouinciâ ſpectatiſſimam: beneficia multa dans Deum eſt imitatus: eratque plura vt conferret, niſi properatâ morte diſceſſiſſet. Quapropter nos veterrimæ nobiliſſimique ſanguinis genti veſtræ largiter debere fatemur. Hæc nomina vt in parte expediam, hunc librum Excelliæ tuæ dedico, velut teſſeram gratitudinis & affectus noſtri, quem illa ſi memor ſacrarum virginum, noctu diuque pro te, illuſtriſſimaque gente tuâ ſupremum Numen precantium, tam benignè ſuſcipiat, quàm ego lubens do, beneficium retulit. Hoochſtrati, anno Chriſtianæ ſalutis CIↃ.IↃ.CXIII. Kal. Auguſti.

CEN-

CENSVRA.

Ego infraſcriptus S. Theologiæ Licent. Canonicus Antuerp. & librorum Cenſor, Seraphicam hanc hiſtoriam, quæ S. Patris Franciſci, Ordinis Seraphici primi Inſtitutoris, eorumque qui illius ſectati veſtigia, Ordinemque amplexi, Sanctorum Catalogo adſcribi meruerunt, vitam graphicè repræſentat; vnà quoque vitam, & inaudita quæque paſſim in Germaniâ, ac Morauiâ alijſque locis, & contra Turcam in Hungaria à Beato Ioanne Capiſtrano mirabiliter geſta, neque ante vnquam excuſa, quæ per R. P. Henricum Sedulium, ex eodem Ordine ſedulò concinnata, digeſta, commentarijs illuſtrata ſunt, digniſſima cenſeo, quæ luce donata omnium manibus terantur, vt in quibus nihil reperi, quod non ad Triumphantis Ieruſalem gloriam in terris propagandam, Deumque in Sanctis ſuis admirabilem prædicandum plurimùm conferat. Idem de Martyrijs Fratrum dicti Ordinis diuerſis Belgicæ locis, naſcentibus primùm turbis, pro fidei confeſſione, Geuziorum (quod nomen infami iſti & perfidæ colluuiei indiderat ominosâ compellatione Princeps Barlaimontius) crudelitate impiè necatorum, iudico. Quæ, quod fidem Catholicam multam corroborent, Dominici agri ſemen ſegetemq; vberrimam oculis obijciant, & Chriſtianæ fortitudinis imitandum omnibus exemplum proponant, admodum vtiliter ſuperiori narrationi adiungentur, & euulgabuntur. In quorum fidem hæc ſubſignaui Antuerpiæ in Seminario Epiſcopali, X. Kal. Octob. ∞. IↃ. C. XII.

Laurentius Beyerlinck.

F. Andreas à Soto, Ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ, Sereniſsimæ Infanti Elizabeth Claræ Eugeniæ à ſacris confeſsionibus, ac ſuper prouincias Belgicas, Coloniæ, Argentinæ & Hiberniæ, pro tempore Commiſſarius generalis, admodum Reuerendo ac Religioſo Patri Fratri Henrico Sedulio, eiuſdem ordinis, ſalutem & pacem in Domino: Cùm Dei honori, animarum ſaluti, vniuerſique cœtus Catholici vtilitati, nec non Seraphicæ noſtræ Religionis ſplendori plurimos vberrimoſque fructus inde expectemus: hinc eſt, quòd præſentium tenore, non ſolùm concedamus Reuerentiæ Veſtræ facultatem & licentiam prælo mandandi librum à ſe elaboratum, cui titulus eſt; Hiſtoria Seraphica, ſiue, S. P. Franciſci Aſſiſiatis Vita, eiuſque ſodalium qui ex tribus eius Ordinibus relati ſunt inter Sanctos; item illuſtria Martyria Fratrum Minorum Inferioris Germaniæ Prouinciæ: *ſed & authoritate noſtra eis præcipiamus, & mandemus: vt quem etiam eruditiſsimorum virorum ſententiâ nouimus comprobatum. Valeat, datum Bruxellis, 17. Octobris, anno 1612.*

F. Andreas à Soto qui ſuprà,
manu propria.

·ANTE-

ANTELOQVIVM

Ad beniuolum Lectorem.

DAMVS tibi, *Lector candide, Vitas, S. Franciſci Aſiſiatis, ſanctorumq́; ſodalium eius, qui ex tribus* illius Ordinibus *publicè ſunt Albo Diuorum inſcripti.* in quibus nihil *ornatum, nihil ſplendidum præter ipſos. Pietate* viri præſtantes, *cùm Virtutis laus omnis in actione conſiſtat, in agendo* plus operæ quàm *in ſcribendo poſuerunt: quod optimus quiſque tenere* debet; bene facere *potiùs quàm eleganter dicere, piè viuere quàm purè ſcribere,* quod eſt *neceſſarium & vtile, præferre gratiæ placendi: cùm officium* ſit hominis *Chriſtiani, vitam potiùs æternam quærere, quàm ſui perennem* memoriam. *Quamobrem cùm propiùs hanc domum inſpexeris, eius incolas magis te volo mirari, quàm ſupellectilem noſtram.*

Virtus eſt in actione, non in verbis.

Vera Sapientia per ſe pulchra fuco non eget, nec lenocinio verborum: non *ambit ornatum: modeſta, grauis & virilis eſt. Nam & Sacri diuinique libri protrito ſunt ſermone conſcripti. Nimirum: Ornamenta negotij non ſunt, ſed otij. Vides optima quæque metalla abdita in viſcera terræ; & vt in intimo pectore Virtus habet domicilium, non in veſte aut vultu: ſic vera Sapientia in diuinis litteris non admodum cultis. Eſt verò, maior illa eſt, & ad maiora ducens, ſi adita illius ingredi tibi permittat; quàm vt te modò delectet verbis, quæ mulceant aures, cor non tangant.* Memineris, regnum Dei non in eloquentiâ, *ſed* in fide conſtare, ſalutem ſæculi non ab oratoribus, *ſed* à *piſcatoribus* prædicatam: cùm vtique ſi vtile fuiſſet, id quoque Dominus præſtare potuiſſet.

Sapientia in abdito latet, fuco non eget.

Sulp. Seu. præfat. in vitam S. Martini.

Adijce nunc, quòd quæ veritati operam dat oratio, incompoſita debet eſſe & ſimplex. *Igitur nos* Dis lacte tamquam ruſtici ſupplicamus: quomodo gentes multæ molâ tantùm ſalſâ litant, quæ non habent thura. *Non ſint compoſita verba: parum id facio, cùm ipſa virtus ſe per omnes numeros oſtendat. Et tu hic non quæres elegantiam orationis, ſed vitæ puræ ſplendorem ſodalitio noſtro, quà fieri poteſt, conſectandæ. Enimuerò cùm ad virtutem nihil animum magiſquè incendat, atque virtutis exempla videre: non potui mihi ipſi, vnà etiam fratribus meis, quidpiam vtilius offerre, quàm haſce Sanctorum Ordinis noſtri vitas: quorum fama & gloria, ſi non poteſt à nobis adæquari, poteſt tamen æmulatio non parua inſpicientibus excitari. Auſim adfirmare: Conſtantius ſe haberent res noſtræ, promouerent ſalubrius, ſimiliorum exemplo, diligenter nos adplicaremus ad*

Sen. ep. 40. Plin. Sec. ad Veſpaſ.

Liber hic virtutem docet, non orationis elegantiam.

San-

Sanctorum patrum hiſtorias aſsiduè perlegendas. At alter nunc. *vnde quod dicitur ; Plerique* ſaltamus extra chorum : *cùm veſtigia praeuntium non videmus , nec ſequimur. Quapropter aliquem elige , cuius tibi vita placet :* & ipſius animum ante te ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem vel exemplum. Opus eſt, inquam, aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, praua non corriges.

Exemplum aliquod proponendum ad quod te componas.

Sen. ep. 11.

Titulus & inſcriptio, Historia Seraphica. *Nam Hiſtorias Sanctorum complectitur, qui cæleſtibus incolis publicis cæremoniis ſunt accenſi, ex tribus Ordinibus ſancti Patris Franciſci. quem ſacris clauis arte diuinâ fabrefactis , in medijs vulneribus pedum manuumque fixis , etiam quinto eius lateri ad ſimilitudinem Saluatoris inflicto , verè glorioſis admirandiſque ſtigmatibus , ſanguine perenniter manantibus , incomparabili prodigio, quaſi ſigno Dei viui , mirantibus Angelis , ſtupente mundo, frementibus malis Genijs , inſignitum nobilitatumque ſcimus , ab ipſo Chriſto formâ crucifixi Seraph conſpecto , ob flagrantem in Deum amorem ; vt iure dicatur Seraphicus, eiuſque filij paternam pietatem conſectantes , Seraphici : adeòque liber hic , cum præcipuorum eius ſectatorum contineat vitas, rectè vocari queat Hiſtoria Seraphica.*

Ratio nominis & tituli libri.

Nota, nota.

Tres Ordines beatus Franciſcus inſtituit , ab Eccleſiâ comprobatos, velut tres manſiones in arcâ Noë , ad liberationem à periculo tempeſtuoſi magni maris huius mundi, in quo multi pereunt. Primus eſt Fratrum Minorum : alter Sororum ſanctæ Claræ Virginis Aſsiſiatis ; tertius , ſexus vtriuſque, ſcilicet omnium , qui ad meliorem frugem verſi , vitæ genus eligunt conſecratum pœnitentiæ, ſecundæ tabulæ poſt naufragium. Horum alij degunt in monaſterijs, nonnulli ſecum viuunt, Eccleſiaſtici , ſæculares, liberi , coniuges , cuiuſque ſtatus & conditionis admittens homines, vt omnes ſalui fiant. Ex ſingulis Ordinibus iſtis Seraphicis aliquot ſunt adſcripti Sanctorum catalogo : quorum nomina , quâ ſerie heic oculis tuis ſubijcimus , etiam Vitæ hiſtorias collocamus; Ordinum dignitate trium , & obitus ſeruato cuiuſque tempore , non quo recenſi ſunt , Eccleſiæ ſolemni ritu, inter Sanctos. Nempe hi,

Inſtituta tria B. Franciſci ab Eccleſiâ comprobata.

Gen. 6. 16.

Series & ordo ſingularum hiſtoriarum libri.

Primi ordinis.

Sanctus P. Franciſcus Aſsiſias. *pag. 16.*

Sanct.

SS. V. Martyres, Berardus, Petrus, Accurſius, Adiutus, Otho. 161.
SS. VII. Martyres, Daniel, Angelus, Samuel, Domnus, Leo, Hugolinus, Nicolaus. 173.
S. Antonius à Padua. 179.
S. Bonauentura, Epiſcopus, Cardinalis Albanenſis, Seraphicus Eccleſiæ Doctor. 209.
S. Ludouicus Caroli II. Siciliæ Regis filius, Epiſcopus Toloſatium. 295.
S. Bernardinus Senenſis. 331.
B. Ioannes à Capiſtrano. 385.
S. Didacus Complutenſis. 421.

SECVNDI ORDINIS.

S. Clara Virgo Aſſiſias. 521.

TERTII ORDINIS.

S. Elizabeth vidua, Regis Hungariæ filia. 557.
S. Ludouicus IX. Rex Francorum. 599.
S. Iuo Presbyter, Iuris vtriusque Doctor. 621.
S. Elzearius Comes Ariani. 631.

Adiunxi Martyria Fratrum Minorum Prouinciæ Inferioris Germaniæ, ALCMARIENSIVM, GORCOMIENSIVM, & aliorum, qui variè ab hæreticis in Belgicâ, propter conſtantiſſimam Catholicæ Fidei propugnationem, crudeliter interfecti ſunt. Horum Hiſtorias vnde conduxerim, quidque præſtiterim in ſingulis, prᴂloquuntur in omnium vitas noſtri Commentarij.

Martyria fratrũ prouinciæ Inferioris Germaniæ.

Neque verò quiſquam furti nos arguere poteſt, quòd pleraque ab alijs edita nobis vſurpamus: ne hoc non furtum appellari debet, ſed paterna hereditas. Meſſuerunt mihi patres: ego colligo in manipulos & repono. pretioſæ merces non ideò viliores, quia ſæpe dominum mutant: quin potiùs à pluribus expetuntur quo fuerint nobiliores: ita quoque de his arbitrare. Aduerti in illâ magnâ iacturâ, ſiue potiùs naufragio, turbulentiſſimi ſæculi noſtri, tot inſtructiſſimarum Bibliothecarum, merces iſtas litterarias noſtras cum alijs plurimis pæne ſubmerſas, magno Reipub. Chriſtianæ damno. Quare, quemadmodum vrinatores poſt iactum & naufragium merces è maris fundo trahunt, & ſupernatantes colligunt: ita has ego expiſcatus.

Theodoret ep. ante Cantica Cant. *Alienis publice conducere bonũ, paternam eſt hereditatem adire.*

piſcatus, vnâ cymbâ tuum in portum importaui. Eſt tanti, non modò vt adſpicias, ſed inſpicias.

Nam vehementer indolui, Sanctorum iſtorum incomparabilium Hiſtorias ac vitas hactenus ita ſparſas latuiſſe, vt pene nomina quoque ipſa ignorarentur: operæpretium fuit omnes vno complecti volumine, vti commodius haberi poſſint & videri. Quod cum hactenus nemo peregerit, quod equidem ſciam: mihi relictum exiſtimans, trepidè ſum adgreſſus, magis quia res omiſſa, quàm fretus ingenio. Erit igitur hic liber honori Sanctorum deſtinatus, profeſſione pietatis, aut laudatus, aut excuſatus. Et tibi benigne lector, ſi non laudatam, excuſatam operam meam peto; quam ambitio nulla, ſed in Ordinis Seraphici Sanctos ſola pietas expreſſit.

SANCTI
BONAVENTVRÆ
Ordinis Minorum,
S. R. E. CARDINALIS,
EPISCOPI ALBANENSIS,
Seraphici Doctoris Eccleſiæ,

DE VITA
S. P. FRANCISCI ASSISIATIS
LIBER.

BENIVOLO LECTORI.

HISTORIA *vitæ Sancti Patris Franciſci, benigne lector,*
auctore S. Bonauentura, frequenter mihi in manibus eſt: & , vt
ſentio, non ſine fructu. Siue enim doctrinā quæro pietatis; multa
inuenio, quæ ad Sapientiam illam paucis notam, me perducant.
ſiue operis auctorem conſidero; hic æquè animum meum ad virtutem inflam-
mat. ad mores, ad vitam ex Regulæ Seraphicæ præſcripto inſtituendam, ni-
hil vnquam ſcriptum præclarius. Sed cùm viderem omnia mendis vitiata;
rum etiam vix exſtare exemplaria, formâ commodiori, quæ in manibus ver-
ſentur: curæ meæ & cogitationes (tantiſper dum, benignitate Prælatorum,
quos Chriſti loco colimus, procul à munere, in otio bono, ſepoſito in hæc ſtu-
dia, apud me mihi licuit eſſe) in hoc euigilauerunt, vt diligenter priſſima hi-
ſtoria noſtri Patris repurgata, pura à vitiis, puram audeat adſpicere lu-
cem. Nam recenſui ad veteres pluſculos libros, etiam manuſcriptos. dein-
que ad exemplar Romanum, quod nuper cum vniuerſis operibus S. Bona-
uenturæ, iuſſo Sixti Quincti Pont. Max. operâ Cardinalis Sarnani, ele-
ganter in primis & adcuratè correctis, aptoq́; ordine ſingulis diſpoſitis, pro-
diit è Typographiâ Vaticanâ. Sordibus dilutis, & exutâ ſenectâ, feci no-
uiorem melioremque. Tui gratiâ & faſtidij vitandi, longiora capita ſub-
diſtinxi in paragraphos, additis ad oram locis Scriptorum quæ citantur,
& notulis inter ſe connexæ, in quibus ſemper breuiculum hiſtoriæ totius.
Notas vberiores ſubiunxi, in quibus multa non pœnitenda, & plera-
que hactenus vulgo non nota; quas iure Commentarium indigito: quod
multa variè conquiſita ab auctoribus bonis, in vnum conduxit, iucunda le-
ctu, vtilia factu. De ſtilo, pietatis ſtudioſo non valdè laborandum: id a-
uum auctoris ita ferebat, res magis Sapientiæ tractans, quàm verba. Nec
enim illi Beati comendæ gratiâ linguæ ſcripſerunt, ſed vitæ ornandæ. Tu
igitur (quod ſcribit temporis noſtri vnicus Phœnix) militis illius ruſti-
culi exemplo, qui in prædâ Perſicâ, cùm ſacculum purpureum
margaritis plenum repperiſſet, ipſas vt viles calculos abiecit; il-
lum, colore delectatus, ſeruauit; *nequaquam facies, verba ante facta*
poſiturus: ſciens magis reconditas virtutis gemmas excerpendas eſſe. De
ratione meæ ſcriptionis, dixi initio Commentarij mei, & in fine. Hoc tan-
tùm addo, conſcientiâ mei me ſubnixum, & contentum, iudicio & a-
more veri nonnulla me poſuiſſe, nullum tangere voluiſſe: quod tamen ſi quis
interpretari volet & ſuſpicari, is morbo laborat & prauâ opinione. Sed
mitto compluria magnorum virorum

EL O-

ELOGIA
IN SANCTVM PATREM
FRANCISCVM.

S. Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta.

Anno à Chriſto nato xcvii

1. VIDI alterum Angelum, aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, *Apocal. 7. 2.*

S. Bonauentura S. R. E. Cardinalis, Seraphicus Eccleſiæ Doctor.

A ∞ cc. lxxiv. viuit *S. Franciſcus à beato Ioanne Apoſtolo prænunciatus.*

2. Beatus Franciſcus, ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ vaticinatione veridicâ, ſub ſimilitudine Angeli aſcendentis ab ortu ſolis, ſignumque Dei viui habentis, adſtruitur non immeritò deſignatus. *Prolog. in Vitam ſancti Franciſci, §. 2. & cap. 13. §. 11.*

Bartholomæus Piſanus, Ordinis Minorum, S. Theologiæ Doctor.

∞ ccc. xcix. claruit. *Id diuinitus indicatum S. Bonauent.*

3. *Sanctus Bonauentura, dum eſſet Ordinis Seraphici Miniſter Generalis, & in conuentu S. Mariæ de Portiunculâ concionaturus de S. Franciſco, locum illum Apocalypſis, Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui; animo attento conſiderans, Deum ſupplex rogabat, vt indicaret ſibi, de quo intelligendum eſſet. Mox è cælo oraculum audiuit huiuſmodi;* Frater Bonauentura, figura illa litteraliter dicta eſt de beato Franciſco. *Conformitate fruct. 1. & 31.*

S. Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.

∞ cccc. xliii. obiit.

4. Meritò ergò Apocalypſis ſeptimo, in apertione ſexti ſigilli, à Ioanne Euangeliſtâ, beatus Franciſcus habere ſic ſacra ſtigmata deſcriptus eſt, cùm ait, Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui. *De Euangelio æterno, Serm. 60. de Stigmatibus S. Franc.*

Ibidem.

5. Huic ſententiæ atteſtatur aſſertio, quam fecit dominus Bonauentura in Capitulo Generali Pariſiis celebrato, cùm eſſet noſtri Ordinis Generalis Miniſter. Nam prædicans in ipſo Capitulo, cum maximo feruore aſſeruit, ſe certiſſime ſcire per reuelationes indubitabiles, & ſolemnes factas talibus perſonis, quæ de hoc non poterant dubitare, quòd beatus Franciſcus erat ſingulariter Angelus ſexti ſignaculi; & quòd ad litteram de ipſo, atque illius ſtatu, & Ordine intellexit Euangeliſta Ioannes, atque in ſpiritu eum vidit, quando protulit dicta verba, nec non & filiorum ſuorum perfecte imitantium Chriſtum, collegium, in omnibus ſenariis libri Apocalypſis, clariùs intellexit. *De Euang. ætern. Serm. 60. c. 1 §. 7.*

Apoſtolum etiam de illius inſtituto vaticinatum.

Bernardinus à Buſtis, Ordinis Minorum.

∞. cccc lxxx. floruit.

6 Eſt autem ſciendum, quòd B. Franciſcus fuit à Deo directus in mundum, ad inſtituendum tres Ordines, in apertione ſexti ſigilli, vt ait S. Bonauentura in * prologo maioris Legendæ ipſius B. Franciſci, quod demonſtrauit Ioannes Euangeliſta Apocalypſis ſexto & ſeptimo, vbi ait, quòd in apertione ſexti ſigilli, fuit à Deo miſſus Angelus, id eſt, angelicus vir Franciſcus, habẽs ſignum Dei viui, id eſt, ſtigmata IESV CHRISTI. Et ipſe Dominus IESVS reuelauit ſancto Bonauenturæ, quod B. Ioannes non intellexit in prædictâ prophetiâ de alio, quàm de Sancto Franciſco, & hoc affirmauit ipſe Sanctus Bonauentura legens Pariſiis, & iurauit ſic eſſe veritatem. *Roſarij par. 2. Serm. 27. par. 2. §. b.*

§ 2.

S. Bonauentura merito agnouit hoc ſibi indicatum.

Leo Papa X.

A ∞. D. xvij

7. Ad vineam ſuam excolendam, primo mane oriente iam ſole, miſit ipſe Paterfamilias Angelum illum aſcendentem ab ortu ſolis, habẽtem ſignum Dei viui, B. Franciſcum; qui comitantibus miræ ſanctitatis viris, prima vitis huius iecère fundamenta. *Apud Gonzagam par. 1. de Origine Seraph. relig. in Bullâ venonis, cuius initium: Ite & vos in vineam meam.* Matth. 20. 1.

Iacobus à Voragine, Ordinis Sancti Dominici, Epiſcopus Ianuenſis.

∞ ccxc. floruit.

8. Chriſtus ante primum aduentum, qui erat miſericordiæ, præmiſit Angelum, ſcilicet B. Ioannem Baptiſtam: ante verò ſecundum aduentum ſuæ iuſtitiæ, præmiſit alterum Angelum, ſcilicet B. Franciſcum. *Serm. 2. de S. Franc.* Matth. 11. 10.

Alter Angelus S. Franciſcus.

S. Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.

9. Præceſſerat ante S. Franciſcum

angeli-

Digitized by Google

angelicus vir, glorioſus Dominicus, in angelica vitâ pariter & doctrinâ: beatus enim Franciſcus eſt alter angelus in regulâ & in perſonâ, ſed idem in caritate & fide, atque vitâ. qui propter facta angelus nuncupatur: tum propter eius angelicam vitam; tum quia Dei nuncius fuit, ad renouandum in mundo Euangelium Chriſti. *De Euangel. æterno, Serm. 60. in initio.*

Ibidem.

Aſcendens ab ortu ſolis

10. Aſcendit ab ortu ſolis: quia ſui aſcenſus initium, & fundamentum incepit à Romanâ ſede, quę inter quinque Patriarchales Eccleſias principalis eſt: Sedes & ciuitas veri Solis, ſcilicet Chriſti, & fidei eius. vel ſic; Ab ortu ſolis aſcendit: quoniam per diuinæ ſapientiæ exemplum, prædicationem, & ſenſum, cum ſuo Ordine, mundum irradiauit. Sicut enim Apocalypſis ſexto, obſcuratio ſolis, diuinę ſapientię ſubtractionem in mundo ſignificat, per quam generalis ruina ſtatuum, & perſonarum, & Eccleſiarum, ſurgit: ſic etiam ortus ſolis, diuinæ ſapientiæ illuſtrationem ſignificat. quæ in ſexto Eccleſiæ ſtatu in Mendicantibus ortum ſumpſit, & creuit. Proinde Bonauentura in Illuminationibus ſuis, vocat prædictum tempus, Tempus illuminationis Scripturarum: quòd hoc tẽpore mirabiliùs declaratæ ſunt à doctoribus Ordinum prædictorum.

Ser. 16 & 22. in Hexac. to. 1.

Iacobus à Voragine, Ordinis S. Dominici, Epiſcopus Ianuenſis.

11. Venit enim S. Franciſcus portans ſecum tres radios; ſcilicet, radium doctrinarum; per quem illuminauit obſcuros. radium exemplorum; per quem inflammauit tepidos. & radium miraculorum; per quem conuertit obſtinatos. Ipſe enim excuſſit ignorantiam in erroneis, radio doctrinarum; negligentiam in tepidis, radio exemplorum; & duritiam in obſtinatis, radio miraculorum. *Serm. 2. de S. Franciſco.*

Henricus ab Vrimariâ, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

12. Ipſe enim habuit tres radios, quibus totum mundum illuminauit: quia radio doctrinæ illuminauit obſcuros. radio beatorum exemplorum excitauit tepidos. & radio miraculorum illuſtrauit & conuertit obſtinatos. Et ideò de ipſo verificatur quod ſcribitur in Eccleſiaſtico, *Tripliciter Sol exurẽs montes, radios igneos exſufflans, & refulgens. Nam radio doctrinæ fugauit ignorantiam. radio exemplorum in tepidis fugauit negligentiam. & radio miraculorum fugauit obſtinationem & duriciam. *Ser. 3. de S. Franciſco.*

Cap. 43. 4.

Iacobus à Voragine, Ordinis S. Dominici, Epiſcopus Ianuenſis.

Habens ſignum Dei viui.

13. Habentem ſignum Dei viui. Illud ſignum portauit in corde, per amoris vulnerationem. in corpore, per macerationem. in parte, per ſtigmatum impreſſionem. *Serm. 2. de S. Franciſco.*

Henricus ab Vrimariâ, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

Stigmata nempe quinque.

14. Per hoc enim conformabatur Deo viuo, quòd ſtigmata Ieſu Chriſti per biennium in corpore proprio portauit, quæ benè erant ſignum Dei viui: quia per hæc Chriſtus oſtendit diſcipulis, ſe verè viuere poſt paſſionem ſuam, cùm diceret, *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum. quod quidem ſignum Dei, in hoc euidenter apparuit, quòd beatus Franciſcus fuit ſigillatus bullâ Summi Pontificis, & conſignatus vexillo, & charactere ſummi regis, per impreſſionem deifici ſtigmatis. *Serm. 3. de S. Franc.*

*Luc. 24. 34.

S. Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.

Ab ipſo Chriſto eadem inſcribente.

15. Nec tantùm in ſpecie Seraphicâ [*Chriſtus*] illi apparere debuit, ſed velut cruci affixus: vt aperte innueretur, quòd non cæleſtis ſpiritus illa ſtigmata imprimebat, ſed ille, qui pro noſtrâ ſalute crucifixus eſt, atque ex Seraphico ardore cordis eius, Chriſtum in crucifixi ſimilitudinem transformabat. *De Euang. æter. Ser. 60. art. 1. cap. 1.*

Ibidem.

16. Nec recolo me legiſſe, nec reperiſſe aliquid aliud immediate fabricatum à manibus Ieſu Chriſti, quod ab Eccleſiâ fuerit approbatum, niſi hos clauos, & ſtigmata hæc ſacra. *Art. 2. cap. 3.*

A. 2. 3.

Pelbartus à Themeſwar Ordinis Minorum.

Quia prodigioſorum ſtigmatum illorum, & clauorum fabricator

17. Signum magnum & ſingulare, omni veneratione dignum: vtpote digito Dei viui deſcripta imago crucifixi, non in tabulis lapideis, ſed carneis, hoc eſt, in corpore beati Franciſci. Si enim Iudæi venerabantur Moſen, & tabulas in quibus digito Dei, vel miniſterio angelico deſcripta erant præcepta Decalogi: quanto magis debemus nos venerari beatum Franciſcum, in cuius carne ipſe Chriſtus tam mirabiliter deſcripſit ſuorum vulnerum imaginem, ad ſalutarem vtilitatem totius Eccleſiæ? *Serm. 2. de S. Franciſco.*

*Exod. 34. 30. 2. Cor. 3. 1.

Alexan-

Alexander Papa IV.

A. ∞. cc lxi. diſceſſit.

18. Hæc igitur mira & decora nouæ demonſtrationis indicia, magnę debent eſſe deuotioni, diuitiæ Chriſtianis, & inæſtimabiles Religionis deliciæ, in ſpiritualibus conuiuiis Eccleſiæ Orthodoxæ. *In bullâ de Stigmatibus S. Franc. cui initium; Benigna diuina operatio voluntatis. in firmam. trium Ordin. par. 2.*

Dionyſius à Rikel, Ordinis Carthuſiani.

∞. ccclx.

* Galat. 6 17 Stigmata illa quinque, vulnera fuere.

19. Ego ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto. Hæc verba S. Paulus in propriâ dixit perſona ad litteram, quæ excellentiſsimo Confeſſori, beatiſsimo Patri Franciſco valde ſublimiter competunt: quoniã quinq; vulnerũ Chriſti impreſſuras, ſeu ſtigmata, quæ erant realiter vera vulnera, in ſuo corpore accepit ac tulit. *Ser. de S. Franc.*

I. Baptiſta Mantuanus Ordinis Carmelit.

20. Chriſti ante oculos patientis imago
Semper erat; plagas & verbera mente ferebat. (figuras
Et quas mente tulit, Deus apparere
Illius in membris voluit: nam vulnere pectus, (plantas.
Vulnere ſignauit palmas, & vulnere
Sicut ab Aſſyriâ veniens regione futurum (ne templi.
Angelus admonuit Laterani in limi-
Libro 10. faſtorum de S. Franciſco.

Robertus à Licio, Ordinis Minorum, Epiſcopus Aquinatenſis.

∞. cccclx.

Sanguine manantia ſemper.

21. Stigmata S. Franciſci fuerunt miraculoſa, ratione vitæ. Non enim potuiſſet per naturam viuere duobus annis, plagatus in quinque locis ſpaſmoſis, ex quibus continuò fluebat ſanguis, cum dolore vehementiſſimo, non ſolùm corporis, ſed & cordis, ex memoria paſsionis Dominicæ. Neq; vſus eſt pro toto tempore illo, aliquo vnguento vel medicina: ſed tantùm pannis reſtringebat ſanguinem emanantem, quem ſextà feria liberè prodire ſinebat. Et quod miraculum auget, erant illæ plagę odore fragrantiſſimæ; ex quibus nulla vmquam putredo, aut immunditia profluit. *Serm. de ſtigmatib. ſancti Franc. cap. 2.*

Ioachim Abbas Florenſis, Ordinis S. Benedicti.

∞. ∞. S. Franc. antè verâ formâ depictus, quà natus.

22. Prænunciauit beatum Franciſcum venturum, verbo non ſolùm, ſed etiam opere: quia eum depingi fecit in Eccleſia S. Marci Venetiis ſuper oſtium ſacriſtiæ, cum ſtigmatibus; ſicut cernentibus hodierna die apparet, & hoc, opere muſaico. *Teſtatur Bartolom. Piſan. Conform. fruct. 1. Robert. à Licio Serm. de Tribus excellentiis B. Franc. cap. 1. Gulielmus Pepin Ordinis S. Dominici atteſtatur, vnâ cum S. Franciſco, etiam S. Dominicum depictum ab eo eſſe. Et ſubiungit*, Nota quòd prædictus Abbas præceſſerit prædictos duos Sanctos, per annos centum, aut paulò plus. *Serm. de S. Franciſco.*

Iacobus à Voragine, Ordinis S. Dominici, Epiſcopus Ianuenſis.

23. Chriſtus dedit beato Franciſco ſtigmata, tamquam arma ſua, vexilla ſua, & teſtimonia ſua: ipſe namque erat miles Chriſti, ſignifer Chriſti, legatus Chriſti, & præco Chriſti. *Serm. 1 de Stigmatib. S. Franc ſiue 3. de S. Franc.*

S. Franc. miles Chriſti.

Alexander Papa IV.

24. Extremo iam inſtante ſæculi ſenectutis interitu; oſtendit exceſſus regis, militem, regis militaribus inſignitum: vt regis aciem iam labentem, iamque ab hoſtibus fugientem defenderet, & certamen victorioſum triumphatoris superni, verbis & actibus, hoſtibus aggredientibus prædicaret. *Apud S. Bernardinum à Senis, de Euang. ætern. Serm. 60. cap. 3. art. 1.*

Henricus ab Vrimariâ, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

25. Fuit enim miles & vexillifer ipſius Chriſti: & ideo præceſsit aciem expeditorum militum, fratrũ ſcilicet, ſuam vitam & Regulam ſequentium, portans vexillum ſummi Regis, quo poteſtates aëreæ fugantur, & Chriſti milites in actibus bellicis confirmantur. *Serm. 3. de ſancto Franciſco.*

Signifer Chriſti.

S. Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.

26. Tanto amore, tanto feruore, tantoque ardore transformatus in crucifixum IESVM, vt miraculo omnibus inaudito ſæculis, benignitas Saluatoris in carne illius imprimeret ſimilitudinem ſuæ ſanctiſsimæ paſsionis; conſtituens eum vexilliferum in noua remuneratione crucifixionis eius. *De Euang. ætern. ſerm. 60. initio.*

In Eccleſia militante.

Idem.

27. Sicut B. Franciſcus fuit vexillifer IESV CHRISTI in Eccleſia militante, ſic poſt reſurrectionem (ſecundùm Doctores) remanentibus in corpore ſuo prædictis ſignis, vexillifer erit in Eccleſia triumphante. *Art. 2. cap. 3.*

In Eccleſia triumphante.

Robertus à Licio, Ordinis Minorum, Epiſcopus Aquinatenſis.

28. Nam ſicut de martyribus refert

B. Au-

B. Auguſtinus, quòd reſurgent cum cicatricibus, quæ ad ornatum facient & decorem corporum, non ad aliquam deformitatem: ita piè tenere poſſumus, quòd S. Franciſcus cum illis ſignis, cum quibus ex hac vita diſceſſit, ad vitam immortalem reſurget. *Sermone de ſtigmatibus ſancti Franciſci, cap. 2.*

Aduerſum draconem fortiter pugnans.

Gregorius Papa IX.

29. Caput draconis vltimum
Vltorem ferens gladium
Aduerſus Dei populum
Excitat bellum ſeptimum:
Contra cælum erigitur,
Et nititur attrahere
Maximam partem ſiderum,
Ad damnatorum numerum.
Verùm de Chriſti latere
Nouus legatus mittitur:
In cuius ſacro corpore
Vexillum crucis cernitur.
Franciſcus princeps inclytus
Signum regale baiulat,
Et celebrat concilium
Per cuncta mundi climata,
Contra draconis ſchiſmata,
Acies trinas ordinat
Expeditorum militum:
Ad fugandum exercitum,
Et tres cateruas dæmonum,
Quas draco ſemper roborat.

Legatus Christi.

Apud Bartol. Piſanum Conformitate fructu 2.

Hartmannus Scheydel.

30. Nouerat antiquus hoſtis hunc ordinem in Eccleſiâ Dei admodũ profuturum: ideo obſtitit, vt ad nihilum redigeretur. *Sexta ætate mundi.*

Iacobus à Voragine, Ordinis S. Dominici, Epiſcopus Ianuenſis.

31. Quia erat præco Dei, dedit ei ſtigmata, tanquam ſigna, vel teſtimonia ſua: vt ab omnibus præco Dei cognoſceretur, & verba illius, quaſi ex ore Dei reciperentur. *Serm. 3. de S. Franciſco, qui primus eſt de Stigmatib. eius.*

Præco Dei & Christi.

Philippus Diez, Ordinis Minorum.

32. O ſi Deus nobis plurimos viros ſanctos, ſpiritualiſq; ac cæleſtis ſapientiæ gnaros concederet: quantam in animabus noſtris operationem facerent! Vnus olim concionator vniuerſum mundum conuertebat: nunc autem vix ... concionatorum prouentum experimur. Seraphicus Pater noſter Franciſcus tantâ ſpiritus efficaciâ dicitur prædicaſſe, vt aliquando contigerit, finitâ concione, ad eum triginta viros habitum eius petituros ſeſe contuliſſe; quibus omnibus ipſe conceſſit. Et in quodam Capitulo, quod in S. Mariâ de Portiunculâ celebrauit, tanto, tamque feruenti ſpiritu, de mundi cõtemptu concionatus eſt, vt illo ſermone, innumeri ad huius ſanctæ religionis habitum ſuſcipiendum fuerint conuerſi; peractaque concione, ex illis, quingentos nouitios recepit. *Conc. 4. de ſancto Franciſco.*

S. Antoninus, Ordinis S. Dominici, Archiepiſcopus Florentinus.

33. Quia videbatur extincta memoria paſsionis Christi in mentibus hominum, præ tepiditate eorum voluit Dominus excitare, & incaleſcere hanc recordationem; per impreſsionem manifeſtam cicatricum in corpore beati Franciſci. *Hiſtor. par. 3. tit. 24. cap. 1. §. 3. Gulielmus Pepin Serm. de ſancto Franciſco.*

Ad renouandam crucis Christi memoriam.

Franciſcus Bencius è Societate IESV.

34. Sancte patrum, ſpirans Chriſti exſpirantis imago,
Tempore quã nullo deleat vlla dies.
Quas etenim fers ipſe manus, fers ipſe pedeſque,
Has tulit ille manus, hos tulit ille pedes.
Nec minus & teli transfixum cuſpide pectus,
Quale tibi paruulo pectore vulnus hiat.
Cuncta eſtis ſimiles, illum qui forte referentur
Reddere, te ſaltẽ cur imitentur habẽt.

Apud Thom. Bozium, l. 15. de ſignis Eccl. ſigno 59.

Alexander Papa IV.

35. Grande ac ſingulare miraculum, quo beatum Franciſcum, omnium Sanctorum ſplendor & gloria, Dominus Ieſus Chriſtus mirabiliter decorauit. *In bullâ, cui hoc idem initium. Infirmans ... trium Ordin. tract. 1. par. 2.*

Grande miraculum.

Baptiſta Fulgoſius.

36. Quàm ingentem perfectæ virtutis prærogatiuam, atque minimè dubium argumentum, Franciſcus Aſſiſio vrbe natus, à Deo tulit! Nec verò id dico, quia in Sanctorum numerum relatus fuerit; id enim etiam ad alios pertinere videmus; ſed quòd præcipuo Dei munere dignus, & factus, & iudicatus eſt, qui viuens in corpore ſuo veram certamque vulnerum pertulerit formam, vnde humani generis abſterſâ labe vita prodiit mortalibus, quos primi parentis error in æternum peremerat. Ita autem fuiſſe, præterquàm

quàm quòd res ipſa inſpiciebatur, Alexander quoque quartus, Gregorius Nonus, Nicolaus Tertius, Apoſtolicâ auctoritate teſtati ſunt. O ſingulare munus, gratiaque diuinitus infuſa! O vnica rerum excellentiſsimarum excellentia! Ferre Franciſcum in corpore ſuo, ita vt inſpici tangique poſſent ſigna illa, quibus pretium conferri nullum poteſt: in quibus iuncta Diuinitati humanitas, dum per ea mortem accepit, ſalutem vitamque terrarum orbi peperit. *Lib. 8. Factorum dictorumque memorabil. cap. 10.*

Stigmata S. Franciſci munus ſingulare.

Robertus Bellarminus, Societatis I E S V.

A. [illegible] lxxv.

37. Hoc ſignum omnium maximum ac ſingulare, & quaſi prodigium omnium prodigiorum, ſacra illa ſtigmata fuerunt. *Concion. Lonanij habitâ, Dominici ſexageſima.*

Marcus Marulus Spalatenſis.

38. Sed quid nunc de te Pater Franciſce dicam? Quantum tibi quoque adhuc in terra degenti tua contulit contemplatio? Vidiſti fulgentem Saluatoris noſtri crucem; vidiſti ſanctum Seraph, à quo Seraphicus dici meruiſti. Inde tibi ſingulari quodam priuilegio, Dominicæ crucifixionis cicatrices corporaliter vindicaſti: vt cuius paupertaten, manſuetudinem, humilitatem fueras imitatus, eius etiam beatiſsimæ paſsionis ſigna in manibus, in latere, in pedibus referres, & cum Paulo gloriari poſſes, dicens; * Chriſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. * Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. O felicem ſeruum, cui Dominus tradidit quinque talenta! vt quibus ille perditum reparauit mundum, hic labentem repararet Eccleſiam! *Lib. 2. Dictorum factor. memorabiliũ, c. 4.*

* *Gal. 2. 20.*
* *Ind 6 14 17.*

Henricus ab Vrimaria, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini.

39. Et ideo bene congruit B. Franciſco, quod ſcribitur de Abraham; Non eſt inuentus ſimilis illi in gloria: quia inter omnes Sanctos nullus inuenitur, cui ſit ſic euidẽter impreſſa Bulla Summi Pontificis. & qui in corpore ſuo ſic ferret vexillum Summi Regis, ſicut fecit beatus Franciſcus. *Sermone 1. de ſancto Franciſco.*

Non data alius eiuſmodi ſtigmata.
* *Eccli. 44. 20.*

S. Antoninus, Ordinis ſancti Dominici, Archiepiſcopus Florentinus.

[illegible] cccc. lix. obiit.

40. Quoddam ſingulare conceſſum fuit beato Franciſco, quod nulli inter natos mulierum legitur fuiſſe donatum; & hoc eſt impreſſio ſtigmatum ſacrorum. Quamuis enim Paulus dicat de ſe ad Galatas; Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto: tamen nullus dicit, quòd habuerit corporaliter ſigna paſsionũ in manibus, & pedibus, & latere: ſed dicuntur ſtigmata paſsiones multæ & afflictiones. *Paulò poſt hæc addit:* Dicitur etiam de aliquibus deuotis hominibus, quòd ſenſerint magnum dolorem in manibus, & pedibus, & latere, ac ſi habuiſſent ibi vulnera: ſed tamen non ita impreſſa corporaliter, vt in B. Franciſco. *Hiſt. 3. tert. par. tit. 24. cap. 1. §. 3.*

Cap. 6. 17.

Guilielmus Pepin, Ordinis ſancti Dominici, Theologus Pariſienſis.

A. [illegible] lii. xxi. abiit è vitâ.
Non. S. Catharina à Senis.

41. Dicitur de aliquibus deuotis perſonis, quòd ſenſerunt interdum maximum dolorem in manibus, pedibus, & latere, tanquam ibi habuiſſent vulnera, & ſtigmata Chriſti: ſed tamen non ita impreſſa corporaliter, ſeu viſibiliter, ſicut factum eſt in corpore beati Franciſci. & huius generis fuit beata Catharina de Senis; quæ legitur rogaſſe Dominum, vt non apparerent exterius ſtigmata. *Serm. de ſancto Franciſco.*

Robertus à Licio, Ordinis Minorum, Epiſcopus Aquinatenſis.

[illegible] cccc lxi.

Hiſtoria [illegible], quæ de ſtigmatibus [illegible].

42. Sancta Catharina Senenſis, cùm eſſet in ciuitate Piſana, & quodam mane in Eccleſia S. Chriſtinæ communicaſſet; ac iuxta altare rapta maneret in ſpiritu: poſtquam diu ſic ſtetiſſet, vidit Chriſtum cruci affixum, magno ſuper ſe cum lumine deſcendentem, radioſque ſanguineos ex ſuis quinque ſacratiſsimis cicatricibus emittentem. Cumque tunc, videntibus pluribus vtriuſque ſexus ipſam exſpectantibus, virgo ſe erigeret, & ſuper genua ſua ſtans facie rutilante brachia eleuaſſet ac manus; oraretque ne cicatrices in corpore apparerent exteriùs: tunc ex radiis ſanguineis in ſolares immutatis à cicatricibus Crucifixi procedẽtibus, & ad manus, pedes, & cor illius peruenientibus, valde extrinſecus dolor ſenſibilis in dictis partibus corporis eſt relictus. Ex quo cùm corpus eius diu ſic

ſtaret

[c]ecidit, ac ſi fuiſſet letaliter vulneratum. Poſt modicum ad ſe reducta, tanto dolore concutiebatur, vt à cunctis putaretur in breui moritura. Dominicâ verò ſequente ibi communicans, à dolore extitit liberata. Ex viſione prætactâ, in pleriſque locis nonnulli S. Catharinam ſuſcipientē ſtigmata à Chriſto depingi fecerunt: qui ſi eâ intentione id egerint, vt per viſibilia, inuiſibilia cognoſcantur; & per picturam illam viſibilem, dolor eius inuiſibilis, licet ſenſibilis, deſignetur: fortè (non obſtante errore inde ſequēte, quo credi poſſet ſtigmata eam viſibilia ſuſcepiſſe) tolerari poſſent. Sed ſi hæc facta ſunt, vt ſic æquiparetur S. Franciſco, cui ſoli vſque in præſens, ſingulari modo ſtigmata diuinitus ſunt impreſſa: vtique reprehenſibile eſt. Nam vt dixi in Sermone de ſacris ſtigmatibus B. Franciſci, inter miracula grandia noſtræ fidei, Franciſci conſignatio ſupremum obtinet gradum. Fuerunt quippe ſtigmata & viſibiliter, & ſenſibiliter à Chriſto illi impreſſa: tulit illa duobus annis continuis; & in vitâ, & in morte, etiam à viris ſanctis & grauiſſimis viſa & tacta. Summi Pontifices, Gregorius Nonus, Alexander Quartus, Benedictus, Nicolaus, & alij illa approbantes, fatentur ſingulari miraculo in Franciſci pedibus, manibus, & latere fuiſſe depicta ab eo artifice ſapientiſſimo, qui creauit cælum & terram. Quid verò de cetero ſit facturus, cuius arcana perſcrutari nequimus, ipſe nouit. Vnum ſcio, & quidem abſque vllo errore, quòd B. Franciſcus electus fuit à Domino IESV CHRISTO, vt in proprio corpore vexillum crucis, biennio antequam ſpiritum redderet Deo, deferret. Non derogent iſta dignitati B. Catharinæ, nec alterius Sancti. Ego peccator, qui hunc ſermonem confeci, Sanctam ipſam, deuotione quâ poſſum colo & veneror; eramq; Romæ anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo primo, anno tertio Pij Pontificis Maximi; quando Pontifex præfatus, Spiritu ſancto vocante, S. Catharinam ſolemni celebritate canonizauit: nulla tunc à referentibus vitam & miracula Catharinæ, de ſtigmatibus facta eſt mentio, nulla pictura cum ſtigmatibus fuit delata, nulla inſuper in Bullâ, quam ſuperiùs frequenter allegauimus, de ſtigmatibus mentio habita eſt. Ego inſuper eâ die canonizationis, ſermonem ad populum habui poſt prandium, in eccleſia Mineruæ Ordinis Prædicatorum, in qua ſcripta erant de laudibus huius Sanctæ: nihil aliud inuenire potui, niſi quod ſuperiùs expreſſum eſt de illo dolore, quem tulit abſque ſignis, in ſuo exſtatico raptu. Et ſi nomine ſtigmatum dolorem illum intelligi volumus: non tamen in illo continentur & includuntur conditiones miraculoſæ ſtigmatum beati Franciſci. Igitur, cùm Deus non egeat noſtro mendacio: ea proferamus de Sanctis, quæ ſecundùm rei veritatem, non inuentionem hominum, illis poſſunt accommodari. *Serm. de S. Catharina a Senis cap. 3.*

Serm. 44. cap. 2.

S. Catharina Senenſis [illegible]

Sibylla Erythræa.

43. Erit autem beſtia horribilis ab Oriente veniens. Stellæ quoque duæ ſurgent contra ipſam; & non obtinebunt, donec veniat abominatio, & voluntas Altiſſimi conſummetur. *Apud Bartol. Piſan. Confor. fruct. 1. Robert. à Licio, Ser. 2. de S. Franc. Gulielm. Pepin Serm. de S. Franc. & interpretantur beſtiam, Mahumetem: Stellas duas, Sanctos Dominicum & Franciſcum.*

A. ab orbe condito [illegible] Sibylla S. Dominicū, & S. Franciſc. prædiminantes.

Humbertus, Generalis Ordinis Prædicatorum,

&

S. Bonauentura, Generalis Ordinis Minorum.

A. m. cc. lxxiv.

44. Hi ſunt (vt ad gloriam Dei loquamur, non noſtram) duo * magna luminaria, quæ lumine cæleſti, ſedentes in tenebris & vmbra mortis, vbiq; terrarum illuminant, & miniſtrant. Hi ſunt, * duæ tubæ veri Moſis Chriſti Dei noſtri, quorum miniſterio multitudinem populorum iam ad ſuum principium conuocauit. Hi ſunt * duo Cherubim, pleni ſcientiâ mutuò ſe reſpicientes, dum idem ſentiunt, & alas ſuas extendentes ad populū, dum ipſum verbis & exemplis protegunt, & diſcurrunt ſecundùm obedientiæ volatum, ſuper omnem populum diſſeminare ſcientiam ſalutarem. Hi ſunt * vbera ſponſæ, ex quibus paruuli in Chriſto lac ſugunt, quo nutriantur & augmenta recipiant in ſalutem. * Hi ſunt duo filij olei ſplendoris, qui aſsiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ; prompti ad eius imperium, quocumque voluntas eius eos duxerit ſuam legationem implere. * Hi ſunt duo teſtes Chriſti, qui ſaccis amicti iam prædicant, & teſtimonium perhibent veritati. Hi ſunt illæ duæ ſtellæ lucidæ, quæ ſecundùm Sibyllinum vaticinium, habent

* Gen. 1. 16.
* Num. 10. 2.
* Exod. 25. 18.
* Cant. 4. 5.
* Zach. 4. 14.
* Apocal. 11. 3.
Stellæ duæ iſtæ.

bent ſpecies quatuor animalium, in diebus nouiſſimis nomine Agni vociferantes, in directionem humilitatis, & voluntariæ paupertatis. *Epiſtolâ ad omnes Prædicatores & Minores, apud Reuerendiſſimum dominum Petrum Radulphium, lib. 2. hiſtoriar. Seraph. religion.*

Thomas Bozius, Congregationis Oratorij Presbyter.

45. Duo hi Dominicus & Franciſcus, Ordinum religioſorum inter ſuos primi auctores & inſtitutores, meritò vocari poſſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in cõſpectu Domini terræ ſtantia, de quibus in Apocalypſi. ab his enim vere dicta eſt Eccleſia Dei, domus ruinam quodammodo minans, inſtitutis ſuis & cæleſtis vitæ innocentiâ ſuſtentari. *Lib. 7. de ſignis Eccleſiæ Dei, cap. 1.*

Cap. 11. 4

Ioannes Garzon, Bononienſis Orator.

46. Romæ cùm Dominicus noctu ſanctis orationibus indulgeret, Christum intuitus eſt in peccatores irâ commotum: quòd eos de medio tollere inſtituiſſet. præter Mariam cæli reginam illi poſſe reſiſtere neminem. Hæc precibus obſecrabat, ne quos ſuo ſanguine redemerat, eos iret perditum; vnum eſſe Dominicum, cuius virtute & ſanctimoniâ, plerique ſe ab erratis reuocarent. Hæc quamquam ita ſint, nequaquam tamen, inquit Chriſtus, ſeiungendus eſt Franciſcus: cùm omnium ſit virtutum ſimulacrum: hic eam prouinciam minimè recuſabit. Iam nox in diem inclinabat, cùm Dominicus, quæ conſpexerat, cum animo ſuo conſiderans, ad templum iter ſuſcipiebat, fortè illi obuius fuit Franciſcus; confeſtim illum amplexus eſt, & deoſculatus: atque ita verba feciſſe fertur; Nos Chriſti optimi maximi munere ſocietatem inuenimus: illud oneris pro religione Chriſtianâ ſuſcipiamus oportet, nec vllum defugiamus laborẽ, vt qui à Chriſto deficient, hos proſternamus, deleamuſque. Reprimenda erit eorum qui præter rationem appetitui obtemperabunt, iniquitas atque inſolentia. Acceſſit Franciſcus Dominici ſententiæ, &c. *Apud Aloyſium Lipomanum, de Vitis Sanctorum par. 2. in vitâ ſancti Dominici.*

Et nobile par amicorum.

Theodoricus ab Apoldiâ, Ordinis S. Dominici.

47. Beatus Dominicus ſocium in hac viſione diligenter contemplans, ad id vſque tempus ignotum ſibi, poſterâ die in eccleſia inuẽtum agnouit; ruenſque in ſancta oſcula, & ſinceros amplexus, ait, Tu es ſocius meus: tu mecum pariter curres.

Fidâ ſocietate deuincti.

* STEMVS SIMVL.

& nullus aduerſariorum vincet nos. Viſionem quoque, quam iam diximus, enarrauit ei. atq; ab illo die * fuit illis cor vnum, & anima vna in Domino. quod etiam à ſucceſſoribus ſuis iuſſerũt perpetuò obſeruari. *Apud Suriũ to. 4. ad diem quintam Auguſti, lib. 2. de S. Dominico, cap. 1. S. Antonin. hiſtor. par. 3. tit. 23. cap. 3. Hieron. Plat. lib. 1. de bono ſtatus relig. cap. 34.*

* Iſaiæ 50. 8. Et inde.

* Act. 4. 32.

Cornelius Muſſus Ordinis Minorum, Epiſcopus Bitontinus.

Vide in 13. lxxxiij.

48. Initio annũciationis Euãgelicæ, cùm Verbũ Domini Iudæis & Ethnicis prædicaretur, duo electi ſunt Apoſtoli, Petrus & Paulus. Cùm mundus in tanta prolapſus eſſet vitia, & Dominus pietate motus illum voluit reformare, non elegit vnum tantùm, ſed duos: vnum Cherubicũ, alterum Seraphicum, Dominicum & Franciſcum; duo corpora, ſed vnam animam. *Tom. 2. con. in Dom. 2. poſt paſcha par. 1.*

S. Antoninus, Ordinis S. Dominici, Archiepiſcopus Florentinus.

49. * Hi vtique ſunt duæ Oliuæ, pinguedine dilectionis & deuotionis: & duo candelabra lucentia ante Dominum, orbem doctrinâ illuſtrantia. * Hi duo Cherubim ſapientiâ plena, obumbrantia Propitiatorium. nec non & * duo Seraphim, caritate ardentia, clamantia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, Deus Sabaoth; implentia omnem terram gloriâ eius, documentis & exemplis. Hi ſtatus Mendicantium, vtrumque ſtatum videntur comprehendere, Prælatorum Eccleſiæ, Epiſcoporum, & aliorum, quo ad actum doctrinæ, & prædicationis, ſpectãtis ad vitam Actiuam; & ſtatum Religioſorum, ſeu Monachorum, deſeruientium Contemplatiuæ, quo ad Cæremonias regulares, & officia. vnde dici poteſt vita mixta, quam vt perfectiſſimam tenuit Chriſtus. *Hiſt. par. 3. tit. 23. cap. 1.*

* Apoc. 11. 4.

* Exod. 37. 7.

* Iſa. 6. 2.

Mendicantium Ordinum encomium.

Item.

50. Primi patres & inſtitutores ſtatus Mendicantium, fuerunt beatiſſimi Dominicus & Franciſcus, contemporanei, ſe fratres ad hoc ſimul deputatos, in Eccleſiâ S. Petri in Vrbe primo recognoſcentes, & in oſculo ſancto mutuò amplexantes. Et Dominicus Patriarcha Prædicatorum, prior quidem tempore,

Quorum ſancti Dominicus & Franciſcus inſtitutores primi.

quoad

quoad mundi ingreſſum, & ex eo egreſſum, ac etiam ad conuerſationem Religionis, & actum prædicationis: nam per decem annos antequam confirmationem Ordinis procuraret, in Hiſpaniâ, & Tolozanâ regione, iam religioſus & pauper diſcurrebat. Patriarcha autem Minorum Frãciſcus, priùs confirmationem ſui ordinis procurauit, non ſollemnem tamen, ſed vt permiſſionem pro tunc talis ſtatus, vtpote vicinior Curiæ, ab Innocentio tertio. Dominicus verò, ab eodem promiſſionem confirmationis habuit: ſed exſecutionem à ſucceſſore eius Honorio, ad Curiam reuerſus accepit. *Hiſtor. par. 3. vbi ſuprà.*

Rurſus.

Vtriuſque inſtitutum primo [illegible].

51. Ex prædictis patet, quòd quantum ad quandam conceſſionem ſimplicem habitus, & modi illius viuendi, & quaſi permiſſionem, fuit priùs inſtitutus Ordo Minorum, quia per Innocentium Tertium, vt dictum eſt. Quantum verò ad ſollemnem approbationem per Bullas Apoſtolicas authenticè, fuit priùs Ordo Prædicatorum confirmatus: quia in principio Pontificatus Honorij, & poſt aliquod tempus Ordo Minorum ſollemniter approbatus per litteras Apoſtolicas, & Regula approbata. *S. Antoninus hiſtoriæ par. 3. titul. 24. cap. 7.*

Hieronymus Platus Societatis Ieſv.

A… xcuj.

Inſtitutum vtriuſque primo omnium à Pont. approbatum.

* Vide cap. 13. Extrau. c. Sancta Romana de relig. Domibus

52. Et quidem quod litteris exſtet, Franciſcus primùm & Dominicus, ſeparatim vterque, ſuâ magis ſponte quàm legis cuiuſpiam coactu, Innocentio Tertio, inſtituti quod meditabantur, rationem, Pontificia poteſtate ſanciendam obtulerunt. quod cùm in Lateranenſis Concilij tempus incidiſſet, in eodem Concilio cautum ac ſcitum eſt, vt id in poſterum ſolemne eſſet ac perpetuum. Idemque non multis poſt annis à Gregorio Decimo in Synodo Lugdunenſi renouatum, & deinde in vniuerſales Eccleſiæ mores receptum eſt. *Lib. 1. De bono ſtatus religioſi, cap. 2.*

M. Antonius Coccius Sabellicus.

A… tuij.

53. Duo Chriſtianæ pietatis lumina terris affulſere, quibus multo maximâ parte orthodoxa creuit fides. Auctores incrementi huius Dominicus Calaguritanus Hiſpani generis, & Franciſcus Aſſiſias, in Vmbriâ Italiæ regione ortus. æquales hi: vterque enim alterum vidit. & hic quidem ſanctitate clarus, & ille: ſed numeroſâ familiâ clarior Italus, quæ ex eo orta eſt. *Ennead. 9. lib. 6.*

S. Bernardinus à Senis, Ordinis Minorum.

54. *Species quarti ſimilis Filio Dei. Fuit quippe quartus inter principales Leuitas, Stephanum, Laurentium, Vincentium, beatus Franciſcus. Fuit etiam quartus inter Ordinum Patriarchas, videlicet Baſilium, Auguſtinum, Benedictum. *De Euangel. æterno. Sermone 60. art. 1. cap. 1.*

* Dan. 3. 92. *Comita quartus S. Franc. [illegible] regulam.*

Iacobus à Vitriaco, S. R. E. Cardinalis.

55. Tribus Eremitarum, Monachorum, & Canonicorũ religionibus, vt regulariter viuentium quadratura fundamẽti, in ſoliditate ſuâ firma ſubſiſteret, addidit Dominus in diebus illis quartam religionis inſtitutionẽ, ordinis decore, & regulæ ſanctitatem. Si tamen Eccleſiæ primitiuæ ſtatum & ordinem diligenter attendamus; non tam nouam addidit regulam, quàm veterem renouauit, releuauit iacentem, & penè mortuam ſuſcitauit religionem, in veſpere mundi tendentis ad occaſum, imminente tempore * filij perditionis: vt contra Antichriſti periculoſa tempora nouos athletas præpararet, & Eccleſiam præmuniendo fulciret. Hæc eſt religio verè pauperum crucifixi, & Ordo prædicatorum, quos Fratres Minores appellamus. Verè minores, & omnibus huius temporis Regularibus in habitu & nuditate, & mundi contemptu humiliores. Habent autem vnum ſummum Priorem, cuius mandatis & regularibus inſtitutis reuerenter obediunt minores Priores, ceteriq; eiuſdem Ordinis Fratres; quos per diuerſas mundi prouincias causâ prædicationis, & ſalutis animarum ipſe tranſmittit. Adeò autem primitiuæ Eccleſiæ religionem, paupertatem, & humilitatem in ſe reformare diligenter procurant, puras Euangelici fontis aquas cum ſiti & ardore ſpiritus haurientes; [illegible] non ſolùm Euangelica præcepta, [illegible] ſed & conſilia, vitam Apoſtolicam ex[illegible] imitantes, modis omnibus adi[illegible]plere laborant, omnibus quæ poſſi[illegible] renunciantes, ſeipſos abnegante[illegible] crucem ſibi tollendo nudi nudum ſe[illegible] relinquentes pallium cum Io[illegible] hydriam cum Samaritanâ, e[illegible] currunt, ambulantes [illegible]

* A… ce… xx.

Apoſtolicam vitam [illegible] redoxit

* 2. Theſſ. 2. 3.

Gen. 39. 12. Ioan. 4.

Ezech. 1.9. lant ante faciem ſuam, & non reuertuntur, &c. *Hiſtoria Occidentalis, cap.* 32.

Ceſar Baronius S. R. E. Cardinalis.

56. Ita planè Deus Eccleſiam ſuam in deterius declinantem, ac collabentem iam deprauatâ morum diſciplinâ, ad erigendam eam, in conſlatorio diuini ſpiritus Apoſtolicum hunc formauit hominem, qui mundi contemptum, ac paupertatem, non affectu tantùm (quod ad ſanctorum Patrum imitationem ſufficere potuiſſet) ſed effectu etiam proſecutus eſt. *Tom.* 11. *ad Ann. D.* 1181.

∞ ccc. lxx.

S. Brigitta, vidua.

57. Chriſtus inquit; Franciſcus amicus meus fuit, quaſi lapis ignitus, & igneus: quia habuit me in ſe, qui ſum Deut.4.24 ignis. *Reuelationum extrauagantium, cap.* 90.

Alibi eadem.

58. Ipſius Franciſci regula, quam ipſe incepit, non fuit dictata, & compoſita ab ipſius humano intellectu & prudentiâ, ſed à me ſecundùm voluntatem *Chriſto auctore inſtituta.* meam: quodlibet enim verbum quod in eâ ſcriptum eſt, à Spiritu meo ſibi fuit adſpiratum. & poſteà ipſe aliis regulam illam protulit & porrexit. Ità etiam omnes aliæ regulæ, quas amici mei inceperunt, non fuerunt dictatæ & compoſitæ ab ipſorum intellectu & humanâ ſapientiâ, ſed aſpiratione eiuſdem Spiritus ſancti. *Lib.* 7. *Reuelat. cap.* 20.

∞ cccc. xciiij.

Iacobus Bergomenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

59. Franciſcus ex Aſſiſio ortus nouum mox Ordinem inſtituit, & velut ſol in orbe radians, Chriſtianam religionem plurimùm illuminauit. *Supplement. Chronicor. lib.* 13.

Hartmannus Scheidel.

60. Abiectis omnibus tunicam incultam & contemptibilem fune præcinctam induens, nouum mox Ordinem inſtituit; cum quo velut Sol in orbe radians, Chriſtianam religionem plurimùm illuminauit. *Sexta ætate mũdi.*

Franciſcus Petrarcha.

61. An verò Franciſcũ, ſeu volucrum audientiâ, ſeu Seraphicum raptæ mẽtis ardorem, ſtupendumq; illud inſigne ſacrorũ Chriſti ſtigmatũ, & vulnus animi membra teſtantia, tantũq; tam breui de paupertatis coniugio genitæ ſobolis incremẽtum habiturũ credimus, ſi manſiſſet Aſſiſij? Qui licet, vt aiunt, diuinitate conſultâ, & reuelatione cælitus acceptâ pro ſalute multorum, inter vitæ hominum bella, periculoſas non tam ſibi, quàm militibus ſuis excubias elegiſſet: ipſe tamen magnus amator ſolitudinis eremique ſectator fuit. *De vitâ ſolitariâ lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 11.

Raphael Volaterranus.

∞ cccc. xciiij. *Ordinis S. Franc. incrementum & præſtantia.*

62. Auctus exinde paulatim Ordo, vt cunctis poſteà multitudine virorum præſtiterit, & Sacerdotio, & doctrinâ, & ſanctitate præcellentiũ. *Lib.* 21. *Anthropol.*

M. Antonius Coccius Sabellicus.

63. Raro, ac neſcio an vnquam veriùs dixerim, vllum humanæ pietatis inſtitutum maiora ſenſit incrementa: totum orbem terrarum vna hæc impleuit familia. *Ennea.* 9. *lib.* 6.

Ludouicus Granatenſis, Ordinis S. Dominici.

A ∞ D. lxxx.

64. Tantum abfuit vt à beato Franciſco inſtitutus Ordo inopiâ cogente defecerit, vt ob hoc ipſum ſupra omnes alios Ordines auctus ac dilatatus fuerit. Exiguis namque expenſis monaſteriũ humile extruitur: quo exſtructo, facilè monachi ſine vllis redditibus, quæ ſunt ad pauperem ac tenuem vitam neceſſaria, ſibi comparãt. Hinc factum eſt, vt vnicus beatiſſimi Patris Franciſci Ordo, plura fortaſſe intra ſe cœnobia, quàm reliqui omnes omnium aliorum *Nota.* Ordinum, contineat. *Conc.* 2. *de Franc.* 2.

Cornelius Muſſus Ordinis Minorum, Epiſcopus Bitontinus.

65. Religio hæc eſt planta in horto *Planta magna in Eccleſiæ horto.* Eccleſiæ magna; radices egit in omni regione; ramos ſuos extendit per vniuerſum terrarum orbem. non eſt contenta mundo veteri, ſed & per nouum propagata. O beata Religio, apud quas gentes chorda hæc non ſuſpicitur, non honoratur? quis populus cineres iſtos non veneratur? cinericium hunc dico veſtium noſtrarum colorem, quæ gens tam barbara vt non præferat regũ purpuræ? Quot reges depoſita purpura hoc ſacco induti ſunt? quot præſtãtes viri ab hoc ſacco ad mitras, ad coronas, ad ſceptra, ad Pontificias dignitates euecti ſunt? *Conc. in fer.* 2. *pentecoſt. par.* 3. *n.* 2.

Hieronymus Platus Societatis IESV.

66. Atque hæc, quamquam ita ſunt glorioſa & honorifica Religioſis, nihil tamen præclarius aut glorioſius, quàm totius noui orbis conuerſio: quæ quantacunque eſt, tota eſt Religioſorum. *Orbem nouum Franciſcani conuertunt ...*

ipſi

Ipſi enim primi Euangelium in oras illas intulerunt, ipſi iidem plantarunt, ipſi deinde rigarunt, iidemq; adhuc excolere, & propagare non deſiſtunt. Primos omnium, qui tantam hanc prouinciam aggreſſi ſunt, Franciſcanos fuiſſe legimus. atque eoſdem etiam in ijs regionibus inueniendis, cùm anteà ne de nomine quidem auditæ eſſent, magnopere cōtuliſſe. Cum enim Chriſtophorus Columbus de ea nauigatione inſtituenda apud Ferdinadum Hiſpaniæ regem ageret, nec ei, vt in re tam nouà atque incertà, multum fidei haberetur: Patres duo Franciſcani valde eum iuuiſſe dicuntur, tum ipſum animando, tum etiam Regem impellendo, vt eam occaſionem omnino tentaret. Itaque cum impetratà claſſe, Columbus Mexicana regna feliciter aperuiſſet, atque in Hiſpaniam tam lætæ rei nuncius reuertiſſet: ſtatim aliquot familiæ eius patres in ea loca nauigarunt, annum circiter à Chriſto nato milleſimum quadringenteſimum, nonageſimum tertium. Atque eodem pene tempore, ad*Occidentalem Indiam, Emanuelis Luſitani regis auſpicijs à Vaſco Gama patefactam, anno videlicet milleſimo quingēteſimo, miſſi ſunt Euangelij causà, ex eâdem familia viri octo, tum doctrinà, tum pietate præſtantes. Ab his initijs, hic Ordo per eas regiones diffuſus, multiplicatis breui tempore domicilijs, tredecim (vt ipſi vocant) Prouincias inſtituère, in quibus magnam Chriſtianæ rei operam nauarunt, & adhuc nauant. *Lib. 2. De bono ſtatus relig. cap. 30.*

Et ſic vt inuenirentur plurimum contulerunt.

**Orientalē.*

Anno 1500.

Franciſcus Gonzaga, Ordinis Minorum, Epiſcopus Mantuanus.

67. Anno à Chriſti natiuitate milleſimo quingenteſimo, religioſiſſimos octo Fratres Miniſter [*Portugalliæ Prouinciæ*] cum ſecunda inuictiſſimi Luſitanorum Regis Emanuelis claſſe, ad Orientales Indos tranſmiſit; quatenus eos, poſthpoſito quocunque vitæ diſcrimine, ſuis prædicationibus, atque exhortationibus Chriſto lucrifacerent. Quorum antelignanus atque pater, F. Henricus à Conimbria, cùm ſolus. Alijs ſeptem ſocijs diuerſimode ab illis barbaris, oppreſſis, atque glorioſo martyrio coronatis, ex tam famoſo certamine ſuperfuiſſet, plurimis exanclatis laboribus, S. Thomæ Cuſtodiam erigere, atq; plantare cœpit. quæ adeò excreuit, vt plurimis prouincijs æquiparari, imò potius præferri optimo iure poſſit. qua etiam de cauſa, in Generali Toletana congregatione anno Domini 1583. celebrata, à patribus decretum fuit, vt Prouinciæ dignitate honeſtaretur. *De orig. Seraph. Relig. par. 3. initio deſcriptionis Prouinciæ Portugalliæ. Item part. 4. initio deſcriptionis prouinciæ S. Thomæ apud Indos Orientales.*

Chriſtophorus à Capite Fontium, Ordinis Minorum, Archiepiſ. Cæſarienſis.

68. In Indias etiam Orientales, quæ hodie regi Portugalliæ parent, primi & ipſi Franciſcani prædicandæ fidei causâ, longiſſima & periculoſiſſima nauigatione traiecère: vbi multis ad fidem conuerſis populis, ædificatiſque Eccleſijs, & monaſterijs quamplurimis, multa regna, opida, prouincias, & vrbes Chriſti imperio ſubiugarunt: idque antequam Sodalium nominis Ieſu inſtituta religio foret. quibus ſi primam illarum gentium couerſionem quiſquam attribuere vellet, ſumma, noſtros, alioſque Mendicantes religioſos iniuria, debitam illis ſuffurando laudem, afficeret: iam enim per quadraginta ad minus annos, antequā quiſpiam illuc perueniſſet Ieſuita, gentes illas Chriſto noſtri verbi Dei falce metebant. qui, ſi quanta per eos Deus ad illarū gentium conuerſionem fecit, non ſcripſerunt, non minùs tamen vera ſunt quæ dico. *Epiſt. ante Compendium priuilegiorum Fratrum Minorum.*

Anno 1500. Orientales Aſiæ Indi ante alios religione imbuerunt.

Horatius Turſellinus Societatis IESV.

69. Erat tum Goanus Epiſcopus (idem autem, quia tum ſolus erat in Indiâ Epiſcopus, cunctæ Indiæ præſidebat.) Ioannes Alboquercius, vir è Franciſcanâ familiâ, pariter doctrinâ & religione inſignis. Is cum paucis ſuæ diſciplinæ hominibus, etſi maiorem, quàm pro numero, Chriſtianæ rei nauabat operam; tamen Sacerdotum penuriâ minus proficiebat quàm opus erat. Nulli totâ Indiâ tum erant religioſi, præter eos quos dixi Franciſcanos, quibus Luſitanorum inſtitutio, vix inſtituendi Ethnicos ſpatium dabat. *Lib. 2. de vitâ Franciſci Xauerij.*

Franciſcus Gonzaga, Ordinis Minorum, Epiſcopus Mantuanus.

80. Vt paucis multa perſtringam; quicquid in India Orientali, per quadraginta continuos annos, laboris fuit, ſiue in infirmis curandis, ſiue in infidelibus conuertendis, ſiue in Catechumenis inſtruendis, ſiue in conuerſis o ffi-

cio continendis, ſiue in Sacramentis adminiſtrandis, ſiue etiam in alijs operibus charitatis exercendis; id totum ex Franciſcanorum humeris pependit. *De Orig. Seraph. Relig. part. 4. in deſcriptione prouincia S. Thomæ apud Indos Orientales.*

Raphael Volaterranus.

S. Franc. typum Chriſti.

81. Franciſcus Aſſiſinas, tanquam nouum ſidus in terris apparuit, teſte Bonauenturâ, qui eius vitam exſequitur: Conſeruatoris noſtri ferè per omnia typum geſſit. *Lib. 21. Anthropol.*

Ioannes Oſorius, Societatis IESV.

A. 10. 18. xc. Nudus & pauper.

82. Solet pictoris ars in multis oſtendi, præcipuè verò in depingendo corpore nudo. Facile enim eſt pictori hominem veſtitum depingere: at difficillimè admodum nudum pingit. Tanta enim in corpore humano ſunt, & adeò diuerſa, vt perfectè effigiari non poſſint, niſi à ſupremo artifice. Ad hunc modum, gratiæ quidem munus eſt, depingere in hominum animis Chriſtum Dominum. Hinc Paulus; * Filioli quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis: quia * conformes nos fieri vult imagini Filij ſui. Sed in quibuſdam gratia diuina pingit Chriſtum indumentis ornatum; & id facile gratia præſtat. in alijs verò depingit Chriſtum nudum, vt in Franciſco; & id quidem difficile admodũ eſt, & niſi eximia gratia id non præſtat. vt enim homo omnibus ſe exſpoliet, maximâ indiget gratiâ. *Concion. de S. Franciſco.*

* Gal 4. 19.
* Ro 8. 29

Bartolomæus Piſanus Ordinis Minorum.

Amor paupertatis Euangelica.

83. Sanctus Franciſcus paupertatem diligenter, & ſummo affectu quæſiuit per vicos & plateas: id eſt, inter homines qui tunc viuebant. Et quia obliterata erat paupertatis ſemita & memoria, non inuenit. Per nobiles quæſiuit & potentes, nec inuenit: quia omnes à maiore vſq; ad minimum diuitijs inhiabant & auaritiæ. Hæc ſiquidem paupertas, etſi primo homini inhæſit cũ eſſet conditus, quia nudus: tamen peccando, & tunicâ pelliceâ induto, ac labori manuum tradito, ab ipſo receſſit. A Patribus veteris teſtamenti abijt: quia terram fluentem lac & mel in promiſſione acceperunt. Sed Domino Ieſu Chriſto deſcendente de monte ſuæ maieſtatis, per carnis aſſumptionem, hanc ſecum de cælo ad terram deuexit; & cum ipſo, naſcendo, viuendo, & moriendo eſt commorata fideliter & indiſſolubiliter.

Gen 3. 21.

Hanc commendauit ſuis diſcipulis, & grata illis fuit, & multis alijs fidelibus. B. Franciſcus montem Domini aſcendit, Patrem cæleſtem exorando, vt eam ſibi in ſponſam, ſociam, & dominam mittere dignaretur, &c. *Confor. fruct. 16.*

Iuſtus Lipſius.

84. Quot viri boni beatique paupertatem appetière vltro! Litteræ ipſæ diuinæ eam nobis conciliant, vt rectam ad cælos viam. *Centu. 1. epiſt. 19.* *A. 10. 19. lxxxij Quæ recta in cælũ via.*

Gulielmus Pepin, Ordinis S. Dominici.

85. Vt vitis in luxurioſo ſolo degenerat, fit verò in arente nobilior: ſic inſtituta monaſtica & Ordines proficiunt, & firmantur ab illâ rerum virtutumque ſeruatrice inopia. contrà, copia & opes pleraque talia euerterunt; & euertent tardè aut citò, vt occaſio aut ingenia ſedabunt. *Ex ſer. de S. Franciſco.*

Ioannes Trithemius, Ordinis S. Benedicti, Abbas Spanhemius.

85. Franciſcus Ordinis Minorum inſtitutor & princeps, natione Italus, ex Aſſiſio ciuitate Italiæ oriundus fuit, vir ſanctiſſimæ conuerſationis, & Euangelicę paupertatis ardentiſſimus ſectator: qui verbo & exemplo multos ab iniquitate conuertit, & in viam iuſtitię Catholicæ direxit. Tantus amator Chriſti exſtitit, vt in contemptu mundi, & conſolationis tranſitoriæ parem vix habuerit. In cuius Ordine multi iam deinceps doctiſſimi viri claruerunt, qui ad vtilitatem fidelium, innumera penè compoſuerunt opuſcula. Ipſe autem Franciſcus ſcripſit breuem *A. 10. cccc. xciiij. S. Franc. opuſcula.*

Regulam Minorum. Lib. 1. Regula & vita.

Teſtamentum breue. Lib. 1. Dominus dedit mihi.

Claruit ſub Frederico Imperatore II. Anno Dom. M. CCXX.

Præter iſta, alia quoque exſtant S. Franciſci monumenta, quæ apud nos habentur: vt ſunt

* Admonitiones eius. Lib. 1. Franciſcus in admonitionibus. * Orationes piæ ad diuerſos.

* Epiſtolæ variorum argumentorum. *quibus tum fratres ſui inſtituti, tum omnes Chriſtianos ad charitatem, virtutes, & ſummum honorem Sacroſanctæ Eucharistiæ habendum, efficaciſſimè adhortatur. Has in manibus noſtrorum. & opportunè tamen in noſtro ad vitam S. Franciſci Commentario, Forſitan audebunt aliquando videre lucem.*

* Apud Bartol. Piſa conform. fruc 12.
* Conf. fruc 12.
* Conf. fruc. 12.

Nicolaus

Nicolaus Oudartus I. C.

87. Quid demiſſi animi conſtans patientia poſſit,
Duraque paupertas, nudaq; ſimplicitas;
Quid mundum ſpreuiſſe, quid & viciſſe ſeipſum:
Exemplū Aſſiſij non leue ciuis erit.
Vulneribus Chriſti qui nobilis, & grege ſacro
Maximus euaſit, dū minor eſſe cupit.
Faſtis ſacris ad 4. Octob.

Elogia in S. Franciſcum

hæc quæ habui, exemplum tibi erit, latiora cùm inueneris, qui noſtra augeas, & magis ornes. Nunc etiam encomijs aliquot magnorum virorum illuſtrabo

Hiſtoriam vitæ S. Franciſci,

à Sancto Bonauenturâ S. R. E. Cardinale Epiſcopo pie & grauiter, totam etiam magnâ cum laude conſcriptam:

Octauianus à Martinis.

A. m. ccccl xxxij.

S. Bonauentura cùm intenſo affectu ſtuderet contemplando, & annotando vitam B. Franciſci, glorioſus S. Thomas de Aquino, qui eadem tempeſtate meritis claruit, & Bonauēturæ magnâ charitate coniunctus fuit; accedēs ad illius cubiculum, per foramen oſtij introſpexit, viditque illum in contemplatione raptum, & à terrâ mirificè ſubleuatum. Tunc retrocedens ad ſuos, Sinamus, inquit, Sanctum, qui laborat pro Sancto. *Orat. coram Sixto IV. Pontif. habita in Conſiſtorio.*

Dict. um S. Thomæ Aqui. de S. Bonau.

S. Antoninus, Ordinis S. Dominici, Archiepiſcopus Florentinus.

Vitam S. Franciſci S. Bonau. conſcripſit.

S. Bonauentura ſtilo mirabili vitam B. Franciſci compilauit: ipſamq; diffuſam ad compendioſiorem formam reduxit; in qua nihil poſuit niſi certum, & probatum teſtibus fide dignis. *Hiſtor. par. tertiâ, tit. 24. cap. 8.*

A. m. xx iij.

Iudocus Clichtouæus.

Vitam B. Franciſci S. Bonauentura cum magnâ pietate, & ſinceritate conſcripſit. *Conc. de S. Franc.*

Ludouicus Granatenſis, Ordinis S. Dominici.

88. Quiſquis beati Franciſci vitam, quam ſanctiſſimus Bonauentura conſcripſit, diligenter attenderit: inueniet certaplane pulcherrimum quoddam certamen inter Deum ipſumq; Franciſcum interceſſiſſe. Vir enim ſanctus, Dei voluntatem in omnibus exſequi nitebatur: Deus contrà, ſancti viri voluntati omnibus in rebus obſequebatur. Ille abiectione ſui, Dei gloriam fideliſſime quærebat: Deus contrà, ſerui honorem modis omnibus amplificabat. Ille totus diuinæ voluntatis obedientiæ traditus erat: contrà verò Deus creaturas omnes, atque adeò ſemetipſum, obedientem illi exhibebat. Ille omnia propter Deum reliquerat: at Deus omnia illi rurſus centuplum aucta rependebat, hoc ita eſſe deprehendet, quiſquis (vt modò dixi) eius vitam, & res ab eo geſtas perlegerit: Nihil enim in eâ non ſummum, nihil non nouum, & mirabile inueniet. *Conc. 4. de S. Franciſco.*

Thomas Bozius Congregationis Oratorij presbyter.

S. Franciſci vitam latè pietatis pleniſſimo ſtilo deſcripſit S. Bonauentura Cardinalis. *Lib. 7. de Signis Eccleſiæ cap. 1.*

Aloyſius Lipomanus, Epiſcopus Veronenſis.

Hanc diui Franciſci vitam, beatus ille Bonauentura S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis, Franciſcani inſtituti non ſolùm ſectator, verùm & inſtaurator & rector; vir in diuinis Scripturis erudítiſſimus, de quo præceptor eius Alexander ab Hales dicere ſolebat; In Bonauenturâ Adam peccaſſe nō videtur; puro ac ſimplici ſtilo deſcripſit, tantâ rerum copiâ, & ſentētiarum grauitate refertam; vt totus mundus eius lectione inſtrui poſſit, & ad amorē Dei, per beati Franciſci exemplum inſtaurari. Ego (vt verum fatear) cùm ſancti Franciſci vitam lego, nō ſolùm accendor, ſed in eius meditatione totus exardeſco: vtpote in quo tanta diuini amoris claritas effulſerit, vt Angelus potiùs, atque ex ſupremo ordine, qui ardor & incendium dicitur, magis quàm homo dici poſſe videatur. Semper enim beatiſſimus iſte, cogitatione in cælo verſabatur; ſemper felix eius anima ſummo Auctori puriſſimè & intentiſsime inhærebat: adeò, vt præ amoris magnitudine (quod hominibus plerumq; ardentiſsime amantibus contingere ſolet) alienatus à ſenſibus, atque extra ſe eſſe videretur.

A. m. 18. lviij. Apud Surium 5 Octob. 4

Quod totus mundus ad pietatem erudiri queat.

Accede & tu ... benigne Lector, accede ad Sanctum iſtu[m] ... ignem: certò ſcio, calefces plus ſatis ...

SANCTI
BONAVENTVRÆ
Ordinis Minorum,
S. R. E. CARDINALIS,
EPISCOPI ALBANENSIS,
Seraphici Doctoris Eccleſiæ,
IN VITAM
S. P. FRANCISCI ASSISIATIS
Prologus.

§. 1. [illegible] exemplo.

APPARVIT *gratia Dei Saluatoris noſtri, diebus iſtis nouiſſimis in ſeruo ſuo Franciſco, omnibus verè humilibus, & ſanctæ paupertatis amicis: qui ſuperadfluentem in eo Dei miſericordiam venerantes, ipſius erudiuntur exemplo, impietatem & ſæcularia deſideria funditus abnegare, Chriſto conformiter viuere, & ad beatam ſpem deſiderio indefeſſo ſitire. In ipſum namque vt verè* *pauperculum & contritum, *tantâ Deus excelſus benignitatis condeſcenſione reſpexit; quòd non ſolùm de mundialis conuerſationis* * *puluere ſuſcitauit egenum, verùm etiam Euangelicæ perfectionis profeſſorem, ducem, atque præconem effectum, in lucem dedit credentium: vt teſtimonium perhibendo de lumine, viam lucis & pacis* * *ad corda fidelium Domino præpararet. Hic etenim* quaſi * ſtella matutina in medio nebulæ, *claris vitæ micans & doctrinæ fulgoribus, ſedentes in tenebris & vmbrâ mortis, irradiatione præfulgidâ direxit in lucem; & tanquam* * arcus refulgens inter nebulas gloriæ, *ſignum in ſe Dominici fœderis repræſentans, pacem & ſalutem euangelizauit hominibus, exiſtens & ipſe Angelus veræ pacis. Secundùm imitatoriam quoque ſimilitudinem* * *Præcurſoris deſtinatus à Deo, vt viam parans in deſerto altiſſimæ paupertatis, tam exemplo quàm verbo pœnitentiam prædicaret; primùm ſupernæ gratiæ præuentus donis, dehinc virtutis inuictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus ſpiritu, nec non & Angelico deputatus officio, incendióque Seraphico totus ignitus, & vt vir Hierarchicus* * *curru igneo ſurſum vectus, ſicut ex ipſius vitæ decurſu luculenter apparet; rationabiliter comprobatur veniſſe in ſpiritu & virtute Eliæ.*

* Iſa. 66. 2.
* 1 Reg. 2. 8. Pſal. 112. 7. Dux ad lucem & pacem.
* Luc. 1. 79. Stella matutina.
* Eccl. 50. 6. Arcus inter nebulas.
* Ibidē. 8. Angelus pacis.
* Luc. 3. 9. Hortatur ad pœnitentiam.
* Inf. c. 4.

§. 4.

2. Eſt alter Angelus aſcendens ab ortu ſolis habens ſignum Dei viui.

Ideóque alterius amici ſponſi, Apoſtoli & Euangeliſtæ Ioannis *vaticinatione veridicâ, ſub ſimilitudine Angeli aſcendentis* ab ortu *ſolis, ſignumque Dei viui habentis, aſtruitur non immerito deſignatus.* Sub aper-

tionem namq; ſexti ſigilli; Vidi, ait, Ioannes in Apocalypſi, alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui. Hunc Dei nuncium amabilem Chriſto, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, ſeruum Dei fuiſſe Franciſcum indubitabili fide colligimus, ſi culmen in eo eximiæ ſanctitatis aduertimus; quia inter homines viuens, imitator fuit puritatis Angelicæ; quia & poſitus eſt perfectis Chriſti ſectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter ſentiendum & piè, non ſolùm inducit officium, quod habuit * vocandi ad fletum, & planctum, caluitium, & cingulum ſacci, * ſignandique Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium, ſigno pœnitentialis Crucis, & habitus cruci conformis: verum etiam irrefragabili veritatis teſtificatione, confirmat ſignaculum ſimilitudinis Dei viuentis, Chriſti videlicet Crucifixi, quod * in corpore ipſius fuit impreſſum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, ſed potius per admirandam potentiam ſpiritus Dei viui.

* Cap 7. 2.

Officium S. Franc.

* Iſa 22. 12.

* Ezech. 9. 4.

* Iuſ. c 13. §. 4.

3. Ad huius tam venerabilis viri vitam, omni imitatione digniſſimam deſcribendam, indignum & inſufficientem me ſentiens, id nullatenus attentaſſem, niſi me fratrum feruens incitaſſet affectus; Generalis quoque Capituli concors induxiſſet inſtantia, & ea quam ad ſanctum Patrem habere teneor, deuotio compuliſſet: vtpote qui per ipſius inuocationem & merita, in puerili ætate (ſicut recenti memoriâ teneo) à mortis faucibus erutus; ſi præconia laudis eius taceam, ſceleris timeo argui vt ingratus. Eſt & hæc penes me cauſſa præcipua hunc aſſumendi laborem: vt ego, qui vitam corporis & animæ à Deo mihi conſeruatam recognoſco per ipſum, & virtutem eius in meipſo expertus agnoui; vitæ illius virtutes, actus, & verba, quaſi fragmenta quædam partim neglecta, partimque diſperſa, quamquam plenè non poſſem, vtcunque colligerem: ne morientibus ijs qui cum famulo Dei conuixerant, deperirent. Vt igitur vitæ ipſius veritas ad poſteros tranſmittenda, certiùs mihi conſtaret & clariùs; adiens locum originis, conuerſationis, & tranſitus viri ſancti; cum familiaribus eius adhuc ſuperuiuentibus, collationem de ijs habui frequentem ac diligentem. & maximè cum quibuſdam qui ſanctitatis eius & conſcij fuerunt, & ſectatores præcipui, quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem, fides eſt indubitabilis adhibenda.

Cauſſa prima ſancti Bonau. huius operis. Altera.

Tertia.

Diligentia eius & ſtudium.

4. In deſcriptione autem eorum, quæ per ſeruum ſuum Deus dignanter effecit, curioſum ſtyli ornatum negligendum eſſe putaui: cum legentis deuotio plus ſimplici ſermone, quàm phalerato proficiat. Nec ſemper hiſtoriam ſecundum ordinem temporis texui, propter confuſionem vitandam: ſed potiùs ordinem ſeruare ſtudui magis aptæ iuncturæ, ſecundum quod eidem peracto tempore, diuerſis materijs, vel diuerſis patratæ temporibus, eidem materiæ congruere videbantur. Initium autem vitæ ipſius, progreſſus, & conſummatio, quindecim diſtincta capitulis deſcribuntur inferiùs adnotatis.

Forma huius libri.

Et partitio materiæ.

Agitur enim primo, de conuerſatione ipſius in habitu ſæculari.

Secundo, de perfectâ conuerſione eius ad Deum, & de reparatione trium Eccleſiarum.

Tertio, de inſtitutione religionis, & approbatione Regulæ.

Quarto, de profectu Ordinis ſub manu ipſius, & confirmatione Regulæ prius approbatæ.

Quinto, de auctoritate vitæ, & quomodo creaturæ præbebant ei ſolatium.

Sexto, de humilitate, & obedientiâ, & de condeſcenſionibus diuinis ſibi factis ad nutum.

Septimo, de amore paupertatis, & mirâ ſuppletione defectuum.

Octauo, de pietatis affectu, & quomodo ratione carentia affici videbantur ad ipſum.

Nono, de feruore caritatis, & deſiderio martyrij.

Decimo, de ſtudio & virtute orationis.

Vndecimo, de intelligentiâ Scripturarum, & ſpiritu Prophetiæ.

Duodecimo, de efficaciâ prædicandi, & gratiâ ſanitatum.

Decimo tertio, de Stigmatibus ſacris.

Decimo quarto, de patientiâ ipſius, & tranſitu mortis.

Decimo quinto, de canonizatione, & tranſlatione ipſius.

Poſtremo, de miraculis poſt tranſitum eius felicem oſtenſis aliqua ſubnectuntur.

Bulla Canonizationis Gregorij PP. IX.

Commentarius ad vitam S. Franciſci Aßiſiatis.

SANCTI BONAVENTVRÆ Ordinis Minorum, S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS, Seraphici Doctoris Eccleſiæ,

DE VITA S. P. FRANCISCI ASSISIATIS LIBER.

CAPVT PRIMVM.

De conuerſatione S. Franciſci in habitu ſeculari.

§. 1. *S. Franciſci iuuentus.* VIR erat in ciuitate Aſſiſij Franciſcus nomine, cuius memoria in benedictione eſt: pro eo quòd Deus ipſum in benedictionibus dulcedinis benignè præueniens, & de præſentis vitæ periculis clementer eripuit, & cæleſtis gratiæ donis affluenter impleuit. *Educatio.* Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios, iuuenili ætate nutritus in vanis; & poſt aliqualem litterarũ notitiam, lucratiuis mercationum deputatus negotijs: ſuperno tamen ſibi aſſiſtente præſidio, nec inter laſciuos iuuenes, quamuis effuſus ad gaudia, poſt carnis petulantiam abijt: nec inter cupidos mercatores, quanquam intentus ad lucra, ſperauit in pecuniâ & theſauris. *Affectus in pauperes.* Inerat namque iuuenis Franciſci præcordijs, diuinitus indita quædam ad pauperes miſeratio liberalis; quæ ſecum ab infantia creſcens, tantâ cor ipſius benignitate repleuerat: vt iam Euangelij non ſurdus auditor, *omni proponeret ſe petenti tribuere, maximè ſi diuinum allegaret amorem. *Luc. 6. 30*

2\. Cum autem ſemel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quendam pro amore Dei petentẽ eleemoſynam, præter morem ſolitum, vacuum repuliſſet: ſtatim ad cor reuerſus, cucurrit poſt ipſum: & eleemoſynâ illi clementer impenſâ, promiſit Domino Deo, *Promiſit ...* quòd nunquam ex tunc, dum adeſſet poſſibilitas, petentibus pro amore Domini ſe negaret; quod vſq; ad mortem indefeſſâ pietate obſeruans, copioſa in Deum dilectionis & gratiæ incrementa promeruit. *eleemoſynam, amore Domini interpellatus.* Aiebat enim poſt, cum iam perfectè *Chriſtum induerat, quòd etiam exiſtens in habitu ſeculari, vocem diuini expreſſiua amoris audire vix vnquam ſine cordis immutatione valebat. *Ro. 13. 14.* Porrò manſuetudinis lenitas, cum elegantiâ morum, patientia, & tractabilitas ſupra humanum modum, munificentiæ largitas vltra ſuppetentiam facultatum; quibus bonæ indolis adoleſcens certis florere conſpiciebatur indicijs; quædam videbantur eſſe præludia, quod copioſior ſuper eum foret in poſterum diuinæ benedictionis abundantia diffundenda.

3\. *Pallium ei [illegible] ſternit.* Quidam ſanè vir de Aſſiſio valde ſimplex (vt creditur, eruditus à Deo) cùm aliquando per ciuitatem eunti obuiaret Franciſco, deponebat pallium, ſternebat ipſius pedibus veſtimentum; aſſerens omni [illegible] Franciſcum reuerentiâ dignum: [illegible] pote qui eſſet in proximo magna fa[illegible]rus, & ob hoc ab vniuerſitate fidelium magnificè honorandus. Ignorabat [illegible] adhuc Franciſcu[illegible] circa ſe cõſiliu[illegible] Dei; pro eo quod tam iuſſione patris [illegible] exteriora diſtractus, quàm corrup[illegible] naturalis origine ad inferiora dep[illegible] nondum didicerat [illegible]

cora-

contemplari cęleſtia, nec aſſueuerat degustare diuina. Et quia ſpiritualis * auditui dat intellectum inflicta vexatio: facta eſt ſuper eum manus Domini & immutatio dexterę excelſi, diutinis languoribus ipſius corpus affligens, vt coaptaret animã ad ſancti Spiritus vnctionem. Cumque reſumtis corporis viribus, ſibi veſtimẽta decentia more ſolito præparaſſet, obuium habuit militem quendam generoſum quidẽ, ſed pauperem, & male veſtitum; cuius pauperiem pio miſeratus affectu, illũ protinus ſe exuto veſtiuit: vt ſimul in vno geminum impleret pietatis officium, quò & nobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis penuriam releuaret.

*Iſa 28.19.

Corpus eius affligitur, vt anima Dei gratiæ aptetur.

Suis veſtibus exutum, militem pauperem ornat.

4\.

Videt palatium, crucis ſignis adornatum.

Nocte verò ſequenti, cum ſe ſopori dediſſet: palatium ſpecioſum & magnum, cum militaribus armis crucis Chriſti ſignaculo inſignitis, clementia ſibi diuina monſtrauit: vt miſericordiam pro ſummi Regis amore pauperi exhibitam militi, præoſtẽderet incomparabili compenſandam eſſe mercede. Vnde & cùm quæreret, cuius eſſent illa omnia? ſua fore, militumque ſuorum, ſupernâ fuit affectione reſponſum. Euigilans itaque manè, cùm nondum haberet exercitatum animum ad diuina perſcrutanda myſteria, neſciretque per viſibilium ſpecies, tranſire ad contuendam inuiſibilium veritatem: magnæ fore proſperitatis indicium æſtimabat inſolitam viſionem. Diſpoſuit itaque, diuinæ adhuc diſpoſitionis ignarus, in Apuliam ad quẽdam liberalem Comitem ſe conferre: in ipſius ſperans obſequio decus adipiſci militiæ, vt oſtenſa ſibi viſio prætendebat. Cumque paulo poſt iter aggreſſus, iuiſſet vſque ad proximam ciuitatem, audiuit in nocte Dominum familiari ſibi allocutione dicẽtem: Franciſce, quis poteſt meliùs facere tibi, Dominus an ſeruus? diues an pauper? Cui cùm Franciſcus reſpondiſſet, quòd tam Dominus quàm diues facere melius poſſet, intulit ſtatim; Cur ergo relinquis pro ſeruo Dominum, & pro paupere homine diuitem Deum? Et Franciſcus, Quid me vis Domine facere? Et Dominus ad eum, Reuertere in terram tuam: quia viſio quam vidiſti, ſpiritualem præfigurat effectum, non humanâ, ſed diuinâ in te diſpoſitione cõplendum. Mane itaque facto, cum feſtinatione reuertitur Aſſiſium ſecurus & gaudens; & iam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem. Ex tunc, à publicæ negotiationis tumultu ſe ſubtrahens, supernã deuotè precabatur clementiam, vt quid ſibi foret agendum, oſtendere dignaretur. Cùm autem ex frequenti orationis vſu, flamma deſiderij cæleſtis in eo vehementer ſuccreſceret; & iam pro amore ſupernæ patriæ, terrena omnia deſpiceret quaſi nihil: *Theſaurũ ſentiebat ſe reperiſſe abſconditum; ac velut prudens negotiator margaritam inuentam, excogitabat venditis omnibus comparare. Adhuc tamen qualiter id ageret ignorabat: niſi quia ipſi ſuggerebatur ſpiritui, quod ſpiritualis mercatio à mundi contemptu ſumat initium, *Chriſtique militia ſit a ſui ipſius victoriâ inchoanda.*

A militia diuinitus auocatur terrena.

Ex orationis vſu & frequentia flamma deſiderij cæleſtis.

Matth. 13. 44. 45.

Chriſti militia à ſui victoria inchoanda.

5\.

Quadam itaque die, dum equitaret per planitiem, quæ ſubiacet ciuitati Aſſiſij, leproſum quendã habuit obuium, cuius inopinatus occurſus, ei non paruum incuſſit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente iam conceptæ propoſitum; & recolens quòd ſeipſum oporteret primum deuincere, ſi vellet effici Chriſti miles, ad deoſculandum eum, equo lapſus accurrit. Cui cum manum quaſi aliquid accepturus leproſus protenderet, pecuniam cum oſculo reportauit. Statim autem equum aſcendens, & ſe circumquaque conuertens; cum campus pateret vndique liber, leproſum illum minimè vidit. Admiratione itaq; repletus & gaudio, laudes cœpit Domino decantare deuotè; proponens ex hoc ſemper ad maiora conſcendere.

S. Franciſc. leproſum oſculatur, [illegible]

6\.

Solitaria proinde loca quærebat, amica mœroribus, in quibus dum gemitibus inenarrabilibus inceſſanter intenderet, poſt longam precum inſtantiam, à Domino meruit exaudiri. Dum enim vnà dierum ſic ſequeſtratus oraret, & præ nimietate feruoris, totus eſſet abſorptus in Deum; apparuit ei Chriſtus Ieſus, veluti cruci confixus: ad cuius conſpectum liquefacta eſt anima eius; & memoria paſſionis Chriſti, viſceribus cordis ipſius adeò impreſſa medullitus, vt ab illâ horâ, cùm Chriſti crucifixio veniret in mentem, vix poſſet à lachrymis & gemitibus exterius contineri, ſicut ipſe poſtmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei illud Euangelicum ſibi dici, *Si vis venire poſt me, abnega temetipſum, & tolle crucem tuam, & ſequere me.*

Chriſtus ei apparet crucifixus.

Matt. 16. 24.

Induit

7. Induit extunc ſpiritum paupertatis, humilitatis ſenſum, & affectum intimæ pietatis. Nam cùm priùs, leproſorum non ſolùm conſortium, verùm etiam longinquum contuitum vehementer horreret: iam propter Chriſtum crucifixum, qui iuxta verbum Propheticum, contemptibilis vt leproſus apparuit; vt ſemetipſum plene cõtemneret, humilitatis & humanitatis obſequia leproſis beneficâ pietate præſtabat. Viſitabat enim frequenter domos ipſorum, liberaliter eleemoſynas erogabat; & cum multo compaſsionis affectu, manus eorum oſculabatur & ora. Pauperibus etiam mendicantibus non ſolum ſua, verùm etiam ſeipſum cupiebat impendere; aliquando veſtimenta exuens, aliquando diſſuens, aliquando ſcindens, ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reuerenter ſubueniebat & pie, præcipue in ornamẽtis Altaris: quò & cultus diuini particeps fieret, & cultorum inopiæ ſupplementa præberet.

Isa. 53. 4. Chriſti amore leproſis obſequentium, & pauperibus.

** 2. Tim. 1. 7. Sacerdotes licet pauperes honorat.*

8. Cùm autem religioſâ deuotione, tũc temporis, limina viſitaret Apoſtoli Petri: conſpectâ multitudine pauperum ante fores Eccleſiæ, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, vni ex eis magis egenti proprias largitus eſt veſtes, & ſemicinctijs contectus illius, diem illum in medio pauperum cum inſolitâ ſpiritus iocunditate tranſegit: vt & ſecularẽ gloriam ſperneret, & ad perfectionem Euangelicam gradatim conſcendendo perueniret. Mortificationi carnis inuigilabat attentius: vt Chriſti crucem, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circũferret in corpore. Agebat autem hæc omnia vir Dei Franciſcus, nondum habitu, vel conuictu ſequeſtratus à mundo.

In medio pauperum ſedet, & mendicantium.

CAPVT II.

De perfectâ conuerſione eius ad Deum, & de reparatione trium eccleſiarum.

§1. QVONIAM autem ſeruus Altiſsimi, doctorẽ non habebat aliquem in huiuſmodi, niſi Chriſtum: addidit adhuc ipſius clementia eum in gratiæ viſitare dulcedine. Dum enim die quidam egreſſus ad meditandum in agro, deambularet iuxta eccleſiam S. Damiani, quæ minabatur præ nimiâ vetuſtate ruinam; & in eam, inſtigante ſe ſpiritu, causâ orationis intraſſet: proſtratus ante imaginem crucifixi, non modicâ in orando ſpiritus conſolatione repletus. Cumque lachrymoſis oculis intenderet in Dominicam crucem; vocem de ipsâ cruce dilapſam ad eum, corporeis audiuit auribus ter dicentem: *Franciſce, vade, & repara domum meam, quæ, vt cernis, tota deſtruitur.* Tremefactus Franciſcus, cũ eſſet in eccleſiâ ſolus, ſtupet ad tam mirandæ vocis auditum; cordeque percipiens diuini virtutem eloquij, mentis alienatur exceſſu. In ſe tandem reuerſus, ad obediendum ſe parat, & totum ſe recolligit ad perficiendum mandatum, de materiali eccleſiâ reparandâ: licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Chriſtus *ſuo Sanguine acquiſiuit, ſicut eum Spiritus ſanctus edocuit, & ipſe poſtmodum fratribus reuelauit. Surrexit proinde, ſigno crucis ſe muniens; & aſſumptis pannis venalibus, ad ciuitatem quæ Fulgineum dicitur, feſtinus acceſsit: ibiq; venditis quæ portauerat, equum cui tunc inſederat, felix mercator aſſumpto pretio dereliquit. Redienſque Aſsiſium, eccleſiam, de cuius reparatione mandatum acceperat, reuerenter intrauit: & inuento illic Sacerdoti pauperculo reuerentiam decentem exhibuit, & ad reparationem eccleſiæ, & pauperum vſum pecuniam obtulit; & vt ſecum ſe morari pateretur ad tempus, humiliter requiſiuit. Acquieuit Sacerdos de morâ ipſius: ſed timore parentum pecuniam non recepit. quam verus pecuniarum contemptor in quandam feneſtram projjciens, abiectam velut puluerem vilipendit.

Vox è cruce [illegible]

** Act. 20. 28.*

Vendit pannos & equum.

Pecuniam abiicit.

2. Moram autem faciente ſeruo Dei cum Sacerdote prædicto, cùm hoc intellexiſſet pater ipſius, perturbatus animo cucurrit ad locum. At ipſe, quia nouus Chriſti erat athleta, cùm audiret perſequentium minas, & eorum præſentiret aduẽtum, [illegible] dare locum *iræ volens, in quadã [illegible] occulti foueâ ſe abſcondit, in qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum incessanter, lachrymarum imbre [illegible] perfuſus, vt liberaret de manibus perſequentium animam ſuam; & pia quę inſpi[illegible] uerat vota benigno fauore compleret. [illegible] Igitur exceſsiuâ quadam completa [illegible] lętitiâ, cœpit de puſillanimitatis [illegible] ſeipſum arguere & relictâ [illegible]

Pater eum perſequitur.

** Rom. 12. 19.*

relictâque foueâ, & abiecto pauore, verſus ciuitatem Aſſiſij iter aggreſſus eſt. Quem cùm ciues cernerent facie ſqualidum, & mente mutatum; ac per hoc alienatum putarent à ſenſu: luto platearum, & lapidibus impetebant; & tanquam inſano & dementi, clamoſis vocibus inſultabant. Famulus autem Domini nullâ fractus aut mutatus iniuriâ, vt ſurdus in omnibus pertranſibat. Cũque clamorem huiuſmodi pater audiſſet, ſtatim accurrẽs, non ad liberandum eum, ſed potiùs ad perdendum; omni miſeratione ſubtractâ, pertractum, domi primò verbis, deinde verberibus &

Et in vincula coniicit. vinculis angit. Ipſe autem ad exequendum quod cœperat, promptior ex hoc & validior reddebatur; recolens illud

Matt. 5. 10 Euangelij verbum, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

3. *Mater à vinculis eum liberat.* Poſt modicum verò tempus, patre à patriâ diſcedente, mater eius factum mariti non approbans, & inflexibilem filij conſtantiam emolliri poſſe nõ ſperans; à vinculis abſolutum abire permiſit. At ipſe gratias omnipotenti Deo referens, ad locum in quo priùs fuerat, eſt reuerſus. Rediens autem pater, & eum non inueniens domi, conuitijs illatis vxori, fremens cucurrit ad locum: vt ſi eum reuocare nõ poſſet, ſaltem de prouinciâ effugaret. Franciſcus verò confortatus à Deo, obuium vltrò ſe obtulit

Obuiat se patri furenti. patri furenti, liberâ voce clamans, ſe pro nihilo ducere vincula & verbera eius; inſuper & conteſtans, ſe pro Chriſti nomine gaudenter mala omnia ſubiturum. Videns itaque pater quòd eum reuocare non poſſet, ad extorquendam pecuniam ſe conuertit; quâ tandem inuentâ in feneſtrenulâ quadam, aliquantulum ipſius mitigatus eſt furor, auaritiæ ſiti vtcunque per hauſtum pecuniæ temperatâ.

4. Tentabat deinde pater carnis, filium gratiæ, pecuniâ iam nudatum ducere coram Epiſcopo ciuitatis: vt in ipſius manibus, facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet quæ habebat; ad quod faciendum, ſe promtum exhibuit verus paupertatis amator. Perueniensque coram Epiſcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec

Cedit patri omnia, etiam vestes. verba expectat, nec facit: ſed continuò depoſitis omnibus veſtimentis, reſtituit ea patri. Inuentus eſt autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem, ſub veſtibus delicatis. Inſuper ex admirãdo feruore, ſpiritu ebrius, reiectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem: *Vſque nunc vocaui te patrem in terris, amodò autem ſecurè dicere poſſum, * Pater noſter qui es in cælis, apud quem omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpei fiduciam collocaui.* Hoc cernens Epiſcopus, *[illegible] filium Dei!* * Matt. 6. 9. & admirans tam excedentem in viro Dei feruorem, protinus exſurrexit; & inter brachia ſua illum cum fletu recolligẽs, vt erat vir pius & bonus, pallio quo erat amictus operuit; præcipiens ſuis, vt aliquid ſibi darent ad membra corporis contegenda. Oblatus eſt autem ei mantellus pauper & vilis, cuiuſdam agricolæ ſeruientis Epiſcopo: quem ipſe gratanter ſuſcipiens, cũ cæmento quod ſibi occurrit, ad modum crucis manu

Crucis signo ex calce se consignat. propriâ conſignauit, operimẽtum formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis ſeminudi. Sic igitur ſeruus Regis altiſſimi nudus relictus eſt, vt nudum ſequeretur crucifixum Dominum, quem amabat: ſic vtique cruce munitus, vt animam ſuam * ligno ſalutis committeret, per quod de mundi naufragio ſaluus exiret. * Sap. 10. 5.

5. Solutus exinde mundi contemtor à vinculis mundanarum cupidinum, ciuitate relictâ, ſecurus & liber ſecretum ſolitudinis petijt: vt ſolus & ſilens, supernæ audiret allocutionis arcanum. Dumque per ſiluam quandam iter faciens, laudes Domino linguâ Francorum, vir Dei Franciſcus decãtaret cum iubilo: latrones ſuper eum ex abditis

Latrones eum adoriuntur in siluâ. irruerunt. Quibus ferali animo, quis eſſet interrogantibus; vir Dei confidentiâ plenus, Propheticâ voce reſpondit; Præco ſum magni Regis. At illi percutientes eum, in defoſſum locũ plenum niuibus proiecerunt, dicentes: Iace ruſtice, præco Dei. Ipſe verò, recedentibus illis, exſiliuit de foueâ: magnoque exhilaratus gaudio, altiori cœpit voce per nemora laudes Creatori omnium perſonare. Et veniens ad quoddam vicinum cœnobium, eleemoſynam petijt vt mendicus, & recepit vt incognitus & deſpectus. Inde verò progrediens, deuenit Eugubium; vbi à quodam amico priſtino agnitus & ſuſceptus, paupere tuniculâ, vt Chriſti pauperculus, eſt cõtectus. Exinde, totius humilitatis amator ſe tranſtulit ad leproſos; eratq; cum

* Vide c. 2. §. 4. *Leprosis ministrat officiosè.* eis, * diligentiſſimè ſeruiens omnibus propter Deum. Lauabat ipſorum pedes, ligabat vlcera, educebat plagarum putredinem, & ſaniem abſtergebat. Oſcu-

labatur

labatur etiam ex mirandâ deuotione vlceroſas plagas ipſorum, Euangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam eſt à Domino conſequutus virtutem, vt in ſpiritualibus & corporalibus morbis mirabiliter expurgandis, mirabilem efficaciam obtineret.

6. Referam vnum de multis, quod accidit, viri Dei famâ poſtmodum latiùs clareſcente. Cùm enim cuiuſdam, de comitatu Spoletano, os pariter & maxillam morbus quidam horribilis depaſcendo corroderet; nec ſubueniri poſſet eidem aliquo medicinæ remedio: contigit vt propter ſanctorum expoſcenda merita, Apoſtolorum viſitatis liminibus, de peregrinatione rediens, ſeruo Dei occurreret. Cumque præ deuotione vellet ipſius oſculari veſtigia: vir humilis hoc non ferens, oſculari volenti pedes, oſculum oris dedit. Dum autem leproſorum ſeruus Franciſcus, mirabili pietate, illam plagam horribilem ore ſacro contingeret; omni fugato morbo, ſubitò æger ille ſanitatem recuperauit optatā. Neſcio quod horum magis ſit meritò admirandum: an humilitatis profunditas in oſculo tam benigno; an virtutis præclaritas, in miraculo tam ſtupendo.

Oſculo leproſum ſanat.

7. Fundatus iam in Chriſti humilitate Franciſcus ad memoriam reducit obedientiam ſibi è Cruce iniunctam, de S. Damiani eccleſiâ reparādâ; & tanquam verus obediens Aſſiſium redijt: vt ſaltem mendicando, voci diuinæ parêret. Depoſitaque omni verecundiâ, propter amorem pauperis crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare ſolebat; debile corpus, attritum ieiunijs, oneribus lapidum ſupponendo. Prædictâ igitur eccleſiâ, iuuante ſe Domino, & deuotione ciuium aſſiſtente, refectâ: ne poſt laborem corpus torperet ignauiâ, tranſtulit ſe ad reparandam Eccleſiam quondam B. Petri, longius à ciuitate diſtantem: ob deuotionem ſpecialem, quam ad Apoſtolorum principem, ſinceræ fidei puritate gerebat. Hac tandem eccleſiâ conſummatâ, peruenit ad locum qui Portiuncula dicitur: in quo eccleſia beatiſſimę virginis genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat, ſed deſerta tunc à nemine curabatur. Quam cùm vir Dei ſic derelictam cōſpiceret, ob deuotionem feruentem, quam habebat ad Dominam mundi; cœpit illic aſſiduè, pro ipſius reparatione morari. Sentiens autem, iuxta nomen ipſius Eccleſiæ, quo ab antiquo, S. Maria de Angelis vocabatur, Angelicarum viſitationum frequentiam: pedem ibi fixit ibidem, propter reuerētiam Angelorum, amoremq; præcipuum matris Chriſti.

Tres eccleſias inſtaurat.
Sup. §. 1.

Portiuncula in qua Eccleſia de Angelis [illegible]

8. Hunc locum vir ſanctus amauit præ cæteris mundi locis. Hîc etenim humiliter cœpit, hîc virtuoſe profecit, hîc feliciter conſummauit: hunc in morte fratribus, tanquam virgini cariſſimum cōmendauit. De hoc frater quidam Deo deuotus, ante conuerſionem ſuam, viſionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percuſſos, facie in cœlum directâ, & genibus flexis, in huius eccleſiæ ſtare circuitu: qui omnes protenſis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, miſericordiam poſtulantes, & lumen. Et ecce ingens de cælo ſplendor adueniens, ſe per omnes diffundens, qui lumen vnicuique tribuit, & ſalutem deſideratam cōceſſit. Hic eſt locus, in quo fratrum Minorum ordo à S. Franciſco, per diuinæ reuelationis inſtinctum inchoatus eſt. Diuinæ namque prouidentiæ nutu, quâ Chriſti ſeruus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit eccleſias, antequam Ordinem inchoans Euangelium prædicaret: vt non ſolum à ſenſibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora, ordinato progreſſu conſcenderet; verum etiam, vt quid eſſet facturus in poſterum, ſenſibili foris opere myſterialiter præſignaret. Nam inſtar reparatæ triplicis fabricæ, ipſius ſancti viri ducatu, ſecundum datam ab eo formam, regulam & doctrinam, *Chriſti triformiter renouanda erat Eccleſia, trinaque triumphatura militia ſaluandorum, ſicut & nunc cernimus eſſe completum.

Viſio mirabilis [illegible] fratris de [illegible]

Trium Eccleſiarum myſterium.

* Inf. ca. 4 § 5. & ſeq.

CAPVT III.

De inſtitutione Religionis, & approbatione Regulæ.

§. 1. IN Eccleſiâ igitur Virginis matris Dei, moram faciente ſeruo ipſius Franciſco; & apud eam, quæ concepit * Verbum plenum gratiæ & veritatis, continuis inſiſtente gemitibus, vt ſibi veri dignaretur A[illegible] [illegible] ipſius: meritis matris miſer[illegible] concepit atque peperit ſpiritum Euangelicæ veritatis. Dum enim die [illegible] Apoſtolis deuotè Miſſam audiret, perlectum eſt Euan-

* Ioan. 1. 14.

Euangelium illud, in quo Chriſtus diſcipulis ad prædicandum mittendis, formam tribuit Euangelicam in viuendo; *ne videlicet* **poßideant aurum, vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam.* quod audiens & intelligens, ac memoriæ commendans Apoſtolicæ paupertatis amicus, indicibili mox perfuſus lætitiâ; Hoc eſt, inquit, quod cupio; hoc quod totis præcordijs concupiſco. Soluit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram reijcit, & pecuniam execratur, vnaq; contẽtus tuniculâ, reiectâ corrigiâ, pro cingulo funem ſumit, omnem ſolicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, & Apoſtolicæ rectitudinis regulæ per omnia ſe coaptet. Cœpit ex hoc vir Dei, diuino inſtinctu, Euangelicæ perfectionis æmulator exiſtere, & ad pœnitẽtiam ceteros inuitare. Erant autem ipſius eloquia non inania, nec riſu digna, ſed virtute Spiritus ſancti plena, medullas cordis penetrantia: vt in vehementem ſtuporem audientes cõuerterent. In omni prædicatione ſuâ, pacem annuncians, dicendo; *Dominus det vobis pacem*; populum in ſermonis exordio ſalutabat. Hanc quippe ſalutationem Domino reuelante didicerat; ſicut ipſe poſtmodum teſtabatur. Vnde factum eſt, vt iuxta ſermonem Propheticum, & ipſe Prophetarum ſpiritu afflatus, *annunciaret pacem, prædicaret ſalutem, ac ſalutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui diſcordes à Chriſto priùs, extiterant à ſalute longinqui.

**Mat. 10.9. S. Franciſcus fit pauper Euangelicus.*

Sermo eius corda penetrans.

Pacem prædicat ſemper, Domino reuelante didicit.

**Iſa. 52. 7.*

2\. Innoteſcente itaque apud multos viri Dei tam doctrinæ ſimplicis veritate, quàm vitæ: cœperunt ipſius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem, reiectis omnibus, habitu vitaque cõiungi; quorum primus extitit vir venerabilis Bernardus, qui vocationis diuinæ particeps factus, Patris beati primogenitus eſſe promeruit, tam prioritate temporis quàm priuilegio ſanctitatis. Hic enim ſerui Chriſti ſanctitate cõpertâ: ipſius exemplo diſponens perfectè contemnere mundum, ab eodẽ qualiter id perficeret, conſilium requiſiuit. Quo audito, Dei famulus, pro primæ prolis conceptu, ſancti Spiritus conſolatione repletus, à Deo eſt, inquit, hoc conſilium requirendum. Intrauerunt proinde Eccleſiam ſancti Nicolai, mane iam facto: & oratione præmiſsâ, cultor Trinitatis Franciſcus, ter Euangeliorum librum aperuit, trino expoſcẽs à Deo teſtimonio, ſanctum Bernardi propoſitum confirmari. In primâ libri apertione illud occurrit; *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Mat. 19. 2 In ſecundâ; *Nihil tuleritis in viâ.* In Marc. 6. 8 tertiâ verò; *Qui vult venire poſt me, abneget* Mat. 16. 24 *ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hæc eſt (ait vir ſanctus) vita & Regula noſtra, omniumque qui noſtræ voluerint ſocietati coniungi. Vade igitur, ſi vis perfectus eſſe, & perfice quæ audiſti.

Bernardus S. Franc. primogenitus.

3\. Non multò poſt, vocatis eodem ſpiritu quinque viris; filiorum Franciſci ſenarius numerus completus eſt. inter quos tertium ſortitus eſt locum ſanctus pater Ægidius, vir vtique Deo plenus, & celebri memoriâ dignus. Hic etenim poſtmodum, virtutum ſublimium exercitatione præclarus, (ſicut famulus Domini de ipſo prædixit) quanquam eſſet idiota, & ſimplex, ad excelſæ contemplationis ſublimatus eſt verticem. Nam per multa curricula temporum, ſurſum actionibus inceſſanter intẽtus, adeò crebris in Deum rapiebatur exceſſibus: (quemadmodum & ego ipſe oculatâ fide conſpexi) vt magis cenſeretur inter homines vitam Angelicam agere quàm humanam.

Ægidius tertius S. Franc. filius.

4\. Illo quoque tempore, cuidam Sacerdoti ciuitatis Aſſiſij, nomine Siluestro, honeſtæ conuerſationis viro, quædam à Domino fuit oſtenſa viſio non tacenda. Cùm enim modum, & vitam Franciſci, fratrumq; ſuorum humano ſpiritu abhorreret: ne periclitaretur pro temeritate iudicij, reſpectu fuit ſupernæ gratiæ viſitatus. Videbat namq; in ſomnis, totam Aſſiſij ciuitatẽ à dracone magno circumdari; præ cuius magnitudine nimiâ, tota regio videbatur exterminio ſubiacere. Contuebatur poſt hæc, crucem quãdam auream ex ore procedentẽ Franciſci, cuius ſummitas cælos tangebat, cuiuſque brachia protenſa in latum, vſque ad mundi fines videbantur extendi; ad cuius etiam aſpectum præfulgidum, draco ille teter & horridus, penitus fugabatur. Hoc dum ſibi tertiò monſtraretur, diuinum æſtimans eſſe oraculum, viro Dei & fratribus ſuis per ordinem enarrauit; ac non multò pòſt tempore, mundum relinquens, veſtigijs Chriſti ſic perfectè adhæſit, quòd vita ipſius in ordine authenticá reddidit eam, quã in ſæculo habuerat viſionem.

Viſio Silueſtri Sacerdotis.

Crux ex ore S. Franc. fugat draconem.

Ex

Ex huius viſionis auditu, vir Dei non gloria eſt elatus humana: ſed bonitatem Dei in ſuis beneficiis recognoſcens, fortiùs animatus eſt ad hoſtis antiqui fugandam verſutiam, & Crucis Chriſti gloriam prædicandam.

Quadam autem die, dum in quodam ſolitario loco annos ſuos in amaritudine recogitans deploraret: ſancti Spiritus in eum ſuperueniente lætitiâ, certificatus eſt de remiſſione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde ſupra ſe, ac in quoddam mirandum lumen totus abſorptus; dilatato mentis ſinu, quæ circa ſe, & filios ſuos futura erant, luculenter aſpexit. Poſt hoc reuerſus ad fratres; Confortamini, ait, cariſſimi, & gaudete in Domino; nec quia pauci eſtis, efficiamini triſtes, neque vos terreat mea vel veſtra ſimplicitas: quoniam ſicut mihi à Domino in veritate oſtenſum eſt, in magnam multitudinem faciet nos Deus creſcere, ſuæque benedictionis gratiâ multipliciter dilatabit. Eodem quoque tempore, quodam alio bono viro religionem intrante, ad ſeptenarium numerum, viri Dei ſoboles benedicta peruênit.

Ordinis ſancti Franciſci magna incrementa.

6\. Tunc pius pater omnes ad ſe filios conuocauit; & plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporiſque caſtigatione pronuncians, propoſitum ſuum, de mittendo illos in quatuor partes orbis, aperuit. Iam enim ſterilis, & paupercula ſimplicitas ſancti Patris, pepererat ſeptem filios; & deſiderabat vniuerſitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Chriſto Domino parturire. Ite, inquit, dulcis pater ad filios, annunciantes hominibus pacem: prædicate pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Eſtote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus ſtrenui, in ſermonibus modeſti, in moribus graues, & in beneficiis grati: quia pro his omnibus regnum vobis præparatur æternum. At illi coram ſeruo Dei humiliter ſe proſternentes in terram, cum gaudio ſpiritus ſuſcipiebant obedientiæ ſanctæ mandatum. Ipſe verò dicebat vnicuique ſigillatim; *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Hoc verbum dicere ſolitus erat, quotieſcunque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc & ipſe ſciens ſe datum aliis in exemplū, vt priùs faceret, quam doceret; cum vno ſociorū verſus vnam orbis partem perrexit, reliquis ſex ad modum Crucis, tribus aliis mundi partibus deputatis. Modico autem elapſo poſt tempore benignus pater carè prolis exoptans præſentiam, cùm in vnum eos per ſe conuocare non poſſet, per eum orabat hoc fieri, qui * diſperſiones congregat Iſraelis. Sicque factum eſt, vt abſque humana vocatione, omnes ex inſperato, poſt modicum temporis, iuxta eius deſiderium, diuinâ operante clementia, non ſine ipſorum admiratione, pariter conuenirent. Illis quoque diebus, quatuor ſibi adhærentibus viris honeſtis, ad duodenarium numerum excreuerunt.

Mittit fratres, eſtem in quatuor orbis partes

*Mat 10 12.

*Luc 3 3.

*Pſal 54 23.

*Act. 1.

Ad certam formam.

Pſ. 146 2. Diſperſos Iſraelis congregabit.

7\. *Cernens autem famulus Chriſti paulatim accreſcere numerum fratrum, ſcripſit ſibi & fratribus ſuis, ſimplicibus verbis formulam vitæ; in qua ſancti* Euangelij obſeruantia pro fundamento indiſſolubili collocatâ, pauca quædam alia inſeruit, quæ ad vniformem viuendi modum neceſſaria videbantur. Deſiderans autem per ſummum Pontificem approbari quæ ſcripſerat: diſpoſuit cum illo ſimplicium cœtu, Apoſtolicæ Sedis adire præſentiam, de ſola confiſus directione diuina. Cuius deſiderium Deus ex alto reſpiciens, ſociorum animos ſimplicitatis ſuæ conſideratione perterritos, oſtensâ viro Dei viſione huiuſmodi, confortauit. Videbatur ſiquidem ei, quod per quandam viam incederet, iuxta quam ſtabat arbor celſitudinis magnæ: ad quam cum appropinquaſſet, & ſub ea ſtans ipſius altitudinem miraretur; ſubitò tantùm diuina virtute leuabatur in altum, vt cacumen contingeret arboris, eiuſque ſumma faciliimè curuaret ad ima. Huius viſionis præſagium vir Deo plenus intelligens referri ad condeſcenſionem Apoſtolicæ dignitatis, exhilaratus eſt ſpiritu, fratribuſque ſuis in Domino confortatis, iter cum eis aggreſſus eſt. Cùm autem ad Romanam Curiam perueniſſet, & adduceretur ante conſpectum ſummi Pontificis; eſſetque Chriſti Vicarius in Palatio Lateranenſi, in loco qui dicitur Speculum, deambulans, altiſsimis occupatus meditationibus; Chriſti famulum tanquam i[illegible]horū repulit indignanter. Quo hu[illegible]liter foras egreſſo, ſequenti nocte, [illegible] huiuſmodi reuelatio facta eſt à Deo, ipſi [illegible]mino Pontifici. Videbat [illegible] namque inte[illegible] pedes ſuos palmam paulatim ſuccre[illegible]ere, & in arborem pulcherrimam [illegible]uari. & eo mirante, quid hæc viſio vel[illegible] et oſtendere: diuina lux [illegible] impreſſit

Regulam ſcribit.

Viſio ſancti Franciſci de arbore alta procliuata.

impreſſit menti ipſius Chriſti Vicarij, quod hæc palma illum pauperē, quem in præcedenti die repulerat, deſignabat. Et manè ſequenti mandauit per ſuos famulos, per vrbem dictum pauperem quæri. quem inuentum iuxta Lateranum, in hoſpitali ſancti Antonij, ante conſpectum ſuum celeriter iuſſit adduci. Cumque introductus eſſet ante conſpectum ſummi Pontificis, expoſuit ſuum propoſitum; petens humiliter & inſtanter, ſupradictam ſibi viuendi Regulam approbari. Videns autem Chriſti Vicarius, Dominus Innocentius Tertius, vir vtique ſapientia clarus, admirandam in viro Dei, ſimplicis animi puritatem, propoſiti conſtantiam, ignitumque voluntatis ſanctæ feruorem; Chriſti pauperem mentis amore complectens, inclinatus eſt animo, vt pium ſupplicanti præberet aſſenſum. Diſtulit tamen perficere, quod Chriſti poſtulabat pauperculus: pro eo quòd aliquibus de Cardinalibus nouum aliquid, & ſupra vires humanas arduum videretur.

8. Aderat autem inter Cardinales vir venerandus, Dominus Ioannes de ſancto Paulo, Epiſcopus Sabinenſis, omnis ſanctitatis amator, & adiutor pauperum Chriſti: qui diuino ſpiritu inflammatus, ſummo Pontifici dixit, & fratribus ſuis; Si petitionem pauperis huius, tanquam nimis arduam nouamque refellimus, cùm petat confirmari ſibi formam Euangelicæ vitæ: cauendum eſt nobis, ne in Chriſti Euangeliū offendamus. Nam ſi quis intra Euangelicæ perfectionis obſeruantiam, & votum ipſius, dicat contineri aliquid nouum, aut irrationabile, vel impoſſibile ad ſeruandum; contra Chriſtum Euangelij auctorem blaſphemare cōuincitur. Quibus propoſitis, ſucceſſor Apoſtoli Petri conuerſus ad pauperem Chriſti, dixit; Ora fili ad Chriſtum, vt ſuam nobis per te voluntatem oſtendat; quā certiùs cognitā, tuis piis deſideriis, ſecurius annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus, totum ſe conferens ad orandum, precibus deuotis obtinuit, & quod exteriùs ipſe proferret, & quid interiùs Papa ſentiret. Nam cum parabolam de diuite Rege, cum muliere formoſa & paupere contrahente gratāter, & de prole ſuſcepta præferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de menſa ipſius, ſicut à Deo acceperat, retuliſſet: ex illius interpretatione ſubiunxit; Non eſt formidandum, quòd fame pereant

Euangelium Chriſti nihil continet impoſſibile.

Parabola inſignis.

æterni Regis filij & hæredes, qui ad imaginem Regis Chriſti, per Spiritus ſancti virtutem de paupere matre nati, & ipſi per ſpiritum paupertatis ſunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex cælorum *imitatoribus ſuis regnum promittit æternum: quantò magis illa ſubminiſtrabit, quæ communiter largitur bonis & malis? Hanc ergo parabolam, & intellectum ipſius, Chriſti Vicarius cùm diligenter audiſſet, miratus eſt valdè; & indubitanter Chriſtum loquutum in homine recognouit. Sed & viſionem, quam tunc temporis è cælo perceperat, in hoc viro fore complendam, Spiritu diuino ſuggerente firmauit. Videbat namque in ſomnis (vt retulit) Lateranenſem baſilicā fore proximam iam ruinæ; quam quidam homo pauperculus, modicus & deſpectus, proprio dorſo ſubmiſſo, ne caderet ſuſtentabat. *Vere, inquit, hic eſt ille, qui opere & doctrina Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam.* Inde præcipua deuotione repletus, petitioni eius ſe per omnia inclinauit; ac Chriſti famulum, ſpeciali ſemper amore dilexit. Proinde poſtulata conceſſit, & adhuc concedere plura promiſit: approbauit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum; & Laicis fratribus omnibus, qui ſeruum Dei fuerāt comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent.

** Matt. 25. 28.*

S. Franciſc. ſuſtentat Eccleſiam.

Regula eius prima approbatur à D. Innocentio Pontif. III.

CAPVT IV.

De profectu Ordinis ſub manu ipſius, & confirmatione Regulæ prius adprobatæ.

§. I. *Redit ad vallem Spoletanam.*

FRETVS exinde Franciſcus ſuperna gratia, & auctoritate Papali; cum fiducia multa verſus vallem Spoletanam iter arripuit: vt Euangelium Chriſti * faceret & doceret. Dum autem in via conferret cum ſociis, qualiter Regulam quam ſuſceperant, ſincerè ſeruarent; qualiter * in omni ſanctitate, & iuſtitia coram Deo incederent, qualiter in ſeipſis proficerent, & eſſent aliis in exemplum: diutiùs collatione protracta, hora pertranſiit. Et cùm iam laſſati eſſent ex diuturnitate laboris, eſurientes in quodam loco ſolitudinis ſubſtiterunt. Sanè cùm omnis via deeſſet, quā poſſent ſibi de victu neceſſario pro-

* Act. 1. 1.

* Luc. 1. 75.

uidere,

uidere; ſtatim adfuit prouidentia Dei. Nam ſubitò apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Chriſti dedit, ſubitoque diſparuit, incognitus vnde venerit, aut quò iret. Cognoſcentes autem per hoc pauperes fratres, ſupernum ſibi in comitatu viri Dei adeſſe præſidium; magis dono liberalitatis diuinæ, quam cibo carnis propriæ ſunt refecti. Inſuper diuina conſolatione repleti, ſtatuerunt firmiter, & irreuocabiliter confirmauerunt, nullius inediæ aut tribulationis impulſu, a ſanctæ paupertatis reſilire promiſſo.

2. Exinde in vallem Spoletanam cum ſancto propoſito redeuntes, tractare cœperunt; vtrum inter homines conuerſari deberent, an ad loca ſolitaria ſe conferre. Sed Chriſti ſeruus Franciſcus, non de ſua vel ſuorum confidens induſtria; per orationis inſtantiam, diuinæ ſuper hoc voluntatis beneplacitum requiſiuit. Supernæ igitur reuelationis illuſtratus oraculo; intellexit ſe ad hoc miſſum à Domino, vt Chriſto lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre: ideoque magis omnibus, quam ſibi ſoli viuere prælegit; illius prouocatus exemplo, qui * vnus pro omnibus mori dignatus eſt. Recollegit itaque ſe vir Dei cum ceteris ſociis, in quodam tugurio derelicto iuxta ciuitatem Aſſiſij; in quo ſecundum ſanctæ paupertatis formam, in labore multo, & inopia victitabant: magis lacrymarũ, quam deliciarum panibus refici ſatagentes. Vacabant enim ibidem diuinis precibus inceſſanter, mentaliter potiùs quàm vocaliter, ſtudio intendentes orationis deuotæ: pro eo quòd nondum Eccleſiaſticos libros habebant, in quibus poſſent horas Canonicas decantare * loco tamen illorum, librum Crucis Chriſti continuatis aſpectibus, diebus ac noctibus reuoluebant, exemplo Patris & eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de Cruce Chriſti ſermonem.

3. Rogantibus autem fratribus, vt eos doceret orare, dixit; Cùm orabitis, dicite, Pater noſter. &; Adoramus te Chriſte, ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi: quia per Crucem tuam ſanctam redemiſti mundum. Docuit inſuper eos, * Dominum laudare in omnibus, & ex omnibus creaturis: honorare præcipua reuerentia ſacerdotes; fidei quoque veritatem, ſecundum quod ſancta Romana tenet & docet Eccleſia, & firmiter credere, & ſimpliciter confiteri. Seruabant illi Patris ſancti documenta per omnia, & ad omnes Eccleſias & Cruces, quas è longinquo videre poterant, iuxta datam ſibi formam orantes, ſe humiliter proſternebant.

4. Contrahentibus autem fratribus moram in loco præfato, vir ſanctus, die quadam Sabbathi ciuitatem Aſſiſij intrauit prædicaturus mane diei Dominicæ, vt moris erat, in eccleſia cathedrali. Cumque in quodam tugurio, ſito in horto Canonicorum, vir Deo deuotus, in oratione Dei, more ſolito pernoctaret, corporaliter abſentatus à filiis; ecce fere media noctis hora, quibuſdam ex fratribus quieſcentibus, quibuſdam perſeuerantibus in orando; currus igneus mirandi ſplendoris per oſtium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio ſe conuertit; ſuper quem globus lucidus reſidebat, qui Solis habens aſpectum, noctem clarere fecit. Obſtupefacti ſunt vigilantes, excitati ſimul & exterriti dormientes; & non minus ſenſerunt cordis claritatem, quàm corporis: dum ex virtute mirandi luminis, alterius alteri conſcientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus inuicem vniuerſis in cordibus ſingulorum, ſanctum Patrem abſentem corpore, præſentem ſpiritu, tali transfiguratum effigie, ſupernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus inflammatum ſupernaturali virtute, in curru ſplendente ſimul & igneo, ſibi demonſtrari à Domino; vt tanquam veri Iſraelitæ poſt illum incederent, qui virorum ſpiritualium, vt alter * Elias, factus fuerat à Deo currus & auriga. Credendum ſane, quod ille horum ſimplicium aperuit oculos ad preces Franciſci, vt viderent magnalia Dei; qui oculos quondam * aperuerat pueri, ad videndum montem plenum equorum, & igneorum curruum in circuitu Eliſæi. Regreſſus autem vir ſanctus ad fratres, cœpit conſcientiarum ipſorum ſecreta rimari, confortare ipſos de viſione illa mirabili, & de profectu Ordinis multa futura prædicere. Cumque pateſaceret plurima, quæ tranſcendebant ſenſum humanum: vere cognouerunt fratres, ſuper ſeruum Dei Franciſcum, Spiritum Domini in tanta plenitudine quieuiſſe, quod poſt ipſius doctrinam & vitam, eſſet eis proficiſci tutiſſimum.

Panis aſſertur diuinitus in via.

S. Franciſcus ...

* 2. Cor. 5. 14.

Crux Chriſti liber fratrum.

S. Franciſcus docet fratres orare.

Ordo ...

Seruant & conſ...

S. Franciſcus apparet in curru igneo.

* 4. Reg. 2. 11.

Currus & auriga virorum ſpiritualium.

* 4. Reg. 6. 17.

5. *Ad Portiunculã venit.*

Poſt hæc, puſilli gregis paſtor Franciſcus, ad ſanctam Mariam de Portiuncula, duodenarium illum fratrum numerum, ſuperna gratia præeunte, deduxit: vt vbi meritis matris Dei Minorum ſumpſerat Ordo initium, ipſius illic ſuſciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus præco, ciuitates circuibat & caſtra: * *non in doctis humanæ ſapientiæ verbis*, ſed in virtute ſpiritus annuncians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius ſæculi: quippe qui mente ac facie in cælum ſemper intentus, omnes ſurſum trahere conaretur. Cœpit ex hoc Chriſti vinea germinare germen odoris Domini; & productis ex ſe floribus ſuauitatis, honoris, & honeſtatis, vberes fructus afferre. Nam prædicationis ipſius feruore ſuccenſi quamplurimi vtriuſque ſexus in coniugali pudicitia Domino famulantes ſecundùm formam à Dei viro acceptam, nouis ſe pœnitentiæ legibus vinciebant; quorum viuendi modum idem Chriſti famulus, Ordinem fratrum de pœnitentia nominari decreuit. Nimirum, ſicut in cælum tendentibus, pœnitentiæ viam omnibus conſtat eſſe communem: ſic & hic Status, Clericos & laicos, virgines & coniugatos in vtroque ſexu admittens, quanti ſit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipſorum patratis miraculis, innoteſcit.

1. Cor. 2. 4.

Videbatur homo alterius ſæculi.

Ordo fratrũ de pœnitentia incipit.

6. *S. Clara conuerſa.*

Conuertebantur etiam virgines ad perpetuum cœlibatum: inter quas virgo Deo cariſſima Clara, ipſarum plantula prima, tanquam flos vernis & candidus, odorem dedit, & tanquam ſtella præfulgida radiauit. Hæc nunc glorificata in cælis, ab Eccleſia dignè veneratur in terris, quæ filia fuit in Chriſto ſancti Patris Franciſci pauperculi, & mater pauperum dominarum. Multi etiam non ſolùm deuotione compuncti, ſed & perfectionis Chriſti deſiderio inflammati, omni mundanorum vanitate cõtemtâ, Franciſci veſtigia ſequebantur: qui quotidianis ſuccreſcentes profectibus, vſque ad fines orbis terræ celeriter peruenerunt. Faciebat namque ſancta paupertas, quam ſolam deferebant pro ſumtibus, ipſos ad omnem obedientiam promtos, robuſtos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant nihilque timebant amittere; ſecuri erant vbique, nullo pauore ſuſpenſi, nulla cura diſtracti; tanquam qui abſque mentis turbatione viuebant, & ſine ſollicitudine diem craſtinum, & ſerotinum hoſpitium exſpectabant.

Mater pauperum dominarum.

7.

Multa quidem eis in diuerſis partibus orbis, inferebantur conuitia, tanquam perſonis deſpicabilibus & ignotis: verum amor Euangelij Chriſti, adeò ipſos patientes effecerat, vt quærerent potius ibi eſſe, vbi perſecutionem paterentur in corpore, quàm vbi, cognita ſanctitate ipſorum, mundano poſſent gloriari fauore. Ipſa quoque rerum penuria ſuperabundans eis videbatur vbertas: dum iuxta conſilium *Sapientis, *pro magno ipſo minimum complacebat.* Sane cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus perueniſſent, contigit, vt quidam Saracenus pietate commotus, pecuniam eis offerret pro neceſſario victu: illis autem recuſantibus accipere, admiratus eſt homo, cernens quòd inopes eſſent. Intellecto tandem, quòd pauperes effecti amore Dei, pecuniam poſſidere nolebant; tanta eſt eis affectione coniunctus, vt offerret ſe ad miniſtrandum omnia neceſſaria, quàm diu facultatum ſibi aliquid supereſſet. O inæſtimabilis pretioſitas paupertatis! cuius miranda virtute mens feritatis barbaricæ, in tantam miſerationis eſt immutata dulcedinem! Horrendum eſt proinde ac nefarium ſcelus, vt hanc margaritam nobilem vir Chriſtianus conculcet, quàm tanta veneratione extulit Saracenus.

* *Eccl. 29. 30.*

Saraceni pietas erga fratres.

8. *Frat. Moricus à ſancto Franciſco curatur.*

Eo tempore religioſus quidam de ordine Cruciferorum, Moricus nomine, in hoſpitali quodam prope Aſſiſium, languore tam graui, tamque prolixo laborans, vt iam morti foret adiudicatus à medicis; viro Dei ſupplex factus, per nuncium poſtulabat inſtanter, vt pro ſe ad Dominũ intercedere dignaretur. cui beatus Pater benignè aſſentiens, oratione præmiſſa, panis micas accepit, & cum oleo accepto de lampade, quæ coram Virginis ardebat altari, commiſcens, quaſi quoddam electuarium, per manus fratrum infirmanti tranſmiſit, dicens: Medicinam hanc fratri noſtro deferte Morico: quia ipſum Chriſti virtus non ſolùm plenè ſanitati reſtituet, verum etiam robuſtum bellatorem effectum, aciei noſtræ perſeueranter adiunget. Statim autem vt antidotum illud, ſancti Spiritus adinuentione confectum, æger homo guſtauit; ſanus exſurgens, tantum mentis & corporis à Deo vigorem obtinuit, vt paulo poſt, viri ſancti Religionem ingreſſus, & vnica tantum ope-

Fit frater Minor.

riretur

fretur tunicula, ſub qua longo tempo-
re loricam portabat ad carnem; & cru-
dis duntaxat cibariis, herbis videlicet,
leguminibus, fructibuſque contentus.
per plura temporum luſtra, nec panem
guſtaret nec vinum, fortis tamen & in-
columis perſeuerans.

9. *1 Cor. 2. 15. Creſcentibus quoque virtutum me-
ritis in paruulis Chriſti, *odor opinio-
nis bonæ circumquaque diffuſus, ad
præſentiam ſancti Patris videndam, plu-
rimos e diuerſis mundi partibus attra-
hebat. Inter quos quidam ſæcularium
cantionum curioſus inuentor, qui ab
Imperatore propter hoc fuerat coro-
natus, & exinde Rex verſuum dictus;
virum Dei contemptorem mundia-
lium adire propoſuit. Cumque apud ca-
ſtrum ſancti Seuerini, eum prædican-
tem reperiſſet in monaſterio quodam:
facta manu Domini ſuper ſe, vidit eum-
dem Crucis Chriſti prædicatorē Fran-
ciſcum, duobus tranſuerſis entibus val-
de fulgentibus, in modum Crucis ſi-
gnatum; quorum vnus à capite ad pe-
des, alius à manu in manum per pectus
tranſuerſaliter tendebatur. Non noue-
rat facie ſeruum Chriſti: ſed tanto mon-
ſtratum miraculo mox agnouit. Subitò
ſtupefactus ad viſum, incipit meliora
proponere; tandemque verborum ip-
ſius compunctus virtute, tanquam ſi
eſſet gladio ſpiritus ex eius ore proce-
dente transfixus, ſæcularibus pompis
omnino contemtis, beato Patri profeſ-
ſione cohæſit. Propter quod, videns ip-
ſum vir ſanctus ab inquietudine ſæculi
ad Chriſti pacem perfecte conuerſum;
fratrem Pacificum appellauit. Hic poſt-
modum in omni ſanctitate proficiens,
antequam fieret miniſter in Francia
(ſiquidem primus ibidem Miniſterij
geſſit officium) meruit iteratò magnum
Thau in fronte Franciſci videre, quod
colorum varietate diſtinctum, faciem
ipſius miro venuſtabat ornatu. Hoc
quippe ſignum vir ſanctus magno ve-
nerabatur affectu, frequenti commen-
dabat eloquio; & in eis quas dirige-
bat litterulis, manu propria ſubſcri-
bebat: tanquam ſi omne ipſius ſtu-
dium foret ſignare Thau, iuxta di-
ctum propheticum, *ſuper frontes
virorum gementium & dolentium, ad
Chriſtum Ieſum veraciter conuerſo-
rum.

Rex verſuū conuertitur...

Fr. Pacificus nominatur.

Videt ipſe Thau in fronte ſancti Franciſci.

*Ezech. 9. 4.

10. Capitulum Gen. apud S. Mariā de Portiuncula.

Proceſſu quoque temporis, multipli-
catis iam fratribus, cœpit eos paſtor ſo-
licitus in loco ſanctæ Mariæ de Portiun-
cula, ad generale Capitulum conuo-
care: vt inibi ... pertatis diſtributionis diui-
næ, in terra ... obedientiæ eorum, vnicui-
que tribueret ... neceſſariorum portionem.
Vbi licet omni... conueniret multitudo eſſet
penuria, frat... opitulante aliquando vltra
quinque mil... entia ſuberat clementiâ,
diuinâ tamen... porea, & ſpiritualis iu-
& victus ſuffi... at. Capitulis vero pro-
comitabatur ... a corporalem præſen-
cunditas aſſu... non poterat, per ſollici-
uincialibus, ... nis, inſtantiam pre-
tiam exhibere ... benedictionis, ſpiritu
tam curam re... amus aliquando, miri-
cis, & efficacia ... tute, viſibiliter appa-
præſens erat: ... m egregius Prædica-
Dei faciente ... Chriſti Præclarus con-
reret. Dum er... de titulo crucis, Ieſus
tor, qui & nunc ... , in Arelatenſi
feſſor Antonius ... prædicaret; qui-
Nazarenus Rex Iudæorum
Capitulo fratribus ... virtutis Monaldus
dam frater probatæ ... Capituli, diuina
nomine, ad oſtium ... vidit corpo-
commonitione reſpiciens, ... in aëre
reis oculis beatum Franciſcum ... in Cruce
ſubleuatum, extenſis velut in Cruce
manibus benedicentem fratres. Tanti
vero, & tam inſolita fratres omnes
conſolatione ſpiritus repletos ſe fuiſſe
ſenſerunt, vt de vera ſancti Patris præ-
ſentia, certum eis intra ſe ſpiritus teſti-
monium perhiberet: licet poſtmodum
id non ſolum per euidentia ſigna, ve-
rum etiam per eiuſdem ſancti Patris
verba, exteriori fuerit atteſtatione
compertum. Credendum ſanè, quòd
omnipotentis Dei virtus, *quæ Ambro-
ſium pium & ſacrum Antiſtitem ... eſſe
mulationi glorioſi conceſſit inter... ...
Martini, vt pium Pontificem pio ... vt
raretur officio; etiam ſeruum ... & ...
Franciſcum, Prædicationi præ... vi-
uit veracis ſui præconis Antonij ...
approbaret veritatis eloquia, ...
pite Crucis Chriſti, cuius erat baiulus & ...
miniſter.

*1. Cor. 13. S. Franciſcus abſens videtur in aere benedicere fratribus.

Greg. Tur. lib. 1. de miracul. S. Martini, cap. 5.

11. Cum autem dilatato iam ordine ... no-
uendi formam per Dominum ... per-
centium approbatam, diſponere ... Inno-
ſucceſſorem ipſius Honorium, ... per-
petuum facere roborari; huius ... ictus
fuit à Deo reuelatione commonitus. ... mi-
Videbatur quidem ſibi, de terra ... ille-
cas panum ſubtiliſſimas colligere ... ipſum
multiſque famelicis fratribus ... Cum ni-
circunſtantibus debere tribuere ... ſubtilibus ... re
que micas tam tenues inter manus
formidaret, ne forte ... excide-

...tio de re... apparuit.

excidèrent, vox ei deſuper ait; Franciſce, vnam de micis omnibus hoſtiam facito,& manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicunque illud non deuotè recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox leprâ infecti, notabiles apparebant. Recitat mane vir ſanctus hæc omnia ſociis, dolens ſe non percipere myſterium viſionis. Sequenti verò die, cùm vigil in oratione perſiſteret, huiuſmodi vocem de cęlo delapſam audiuit; Franciſce, micæ præteritæ noctis verba Euangelica ſunt: hoſtia, regula; lepra, iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Euangelij aggregatione profuſiùs traditam, ad compendioſiorē formam, iuxta quod dictabat viſio monſtrata, redigere: in montem quendam cum duobus ſociis, Spiritu ſancto ducente, conſcendit; vbi pane tantum contentus & aquâ, ieiunans conſcribi eam fecit, ſecundùm quod oranti ſibi diuinus Spiritus ſuggerebat. Quam, cùm de monte deſcendens, ſeruandam ſuo Vicario commiſiſſet; & ille paucis elapſis diebus aſſereret per incuriam perditam: iteratò ſanctus vir ad locum ſolitudinis rediit, eamque inſtar prioris, ac ſi ex ore Dei verba ſuſciperet, illicò reparauit; & per ſupradictum Dominum Papam Honorium, octauo Pontificatus illius anno, ſicut optauerat, obtinuit confirmari. Ad cuius obſeruantiam fratres feruenter inducens, dicebat, ſe nihil ibi poſuiſſe ſecundùm induſtriam propriam: ſed omnia ſic ſcribi feciſſe, ſicut ſibi fuerant diuinitus reuelata. Quod vt certiùs conſtaret teſtimonio Dei, paucis admodum euolutis diebus, impreſſa ſunt ei Stigmata Domini Ieſu, digito Dei viui, tanquam Bulla ſummi Pontificis Chriſti; ad confirmationem omnimodam Regulæ, & commendationem auctoris, ſicut poſt ſuarum enarrationem virtutum, ſuo loco inferiùs deſcribetur.

Regulam ſecundam ſcribit ſuggerente Spiritu ſancto.

Regula iterũ ſcribitur, velut ex ore Dei.

Confirmatur à D. Honorio III. Pont.

CAPVT IV.

De auſteritate vitæ eius, & quomodo creaturæ præbebant ei ſolatium.

§. 1. CVm igitur cerneret vir Dei Franciſcus, ſuo exemplo ad Crucem Chriſti baiulandam, feruenti ſpiritu plurimos animari: animabatur & ipſe, tanquam bonus dux exercitus Chriſti, ad palmam victoriæ, per culmen inuictæ peruenire virtutis. Attendens enim illud Apoſtoli verbum; * *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*; vt Crucis armaturam ſuo ferret in corpore: tanta diſciplinæ rigiditate ſenſuales appetitus arcebat, vt vix neceſſaria ſumeret ſuſtentationi naturæ. *Difficile namque fore dicebat, neceſſitati corporis ſatisfacere, & pronitati ſenſuum non parère*: propter quod cocta cibaria ſanitatis tempore vix admittebat, & raro; admiſſa verò aut conficiebat cinere, aut condimenti ſaporem admixtione aquę, vt plurimùm, reddebat inſipidum. De potu vini quid dicam? cùm & de aqua frigida, dum ſitis æſtuaret ardore, vix ad ſufficientiam biberet. Modos adinueniebat abſtinentiæ potiores, & quotidie exercitatione creſcebat; licetque iam perfectionis culmen attingeret, tanquam incipiens ſemper aliquid innouabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exteriùs, propter verbum Euangelij; conformabat ſe ſuſcipientibus ipſum in qualitate ciborum: cùm tamen ad interiora regreſſus, diſtrictè ſeruaret rigidam abſtinentiæ parcitatem. Sicque ſeipſum auſterum ſibi, humanum proximo, ſubiectum Euangelio Chriſti, per omnia reddens; non ſolùm abſtinendo, verùm etiam manducando, præbebat ædificationis exemplum. Nuda humus, vt frequentiùs, lectus erat laſſato corpuſculo; & ſæpiùs ſedens, ligno vel lapide ad caput poſito, dormiebat: vnica paupere contentus tunicula, in nuditate Domino ſeruiebat, & frigore.

Rigor ſ. Franc.

**Gal. 5*

In cibo.

In potu.

In lecto.

Vnica ei tunica.

2\. Interrogatus aliquando quomodo veſtitu tam tenui, ſe poſſet ab hiemalis algoris auſteritate tueri: in ſpiritus feruore reſpondit; Si ſupernæ patriæ flamma, per deſiderium contingeremur interiùs; frigus iſtud exteriùs facilè portaremus. Veſtis horrebat mollitiem, aſperitatem amabat; aſſerens propter hoc *Ioannem Baptiſtā ore diuino fuiſſe laudatum. Si quando verò in data ſibi tunica lenitatem ſentiret, chordulis eam contexebat interiùs: quia non in caſulis pauperum, ſed in palatiis principum, iuxta veritatis verbum, veſtimentorum dicebat requirendam eſſe mollitiem. experientia enim certa didicerat, dæmones aſperitate terreri: delitioſis autem

*[illegible] *Matt. 11.*

...tem & mollibus, ad ter[r]andum fortius animari. Vnde cum nocte quadam, propter infirmitatem capitis & oculorum, præter solitum morem, ceruical de pluma positum haberet ad caput, dæmon in illud ingreſſus, ipſum vſque ad horam matutinalem, inquietatum multimode, à ſanctæ orationis ſtudio perturbauit, donec vocato ſocio, puluinar cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. Egreſſus autem cum puluinari frater de cella, membrorum omnium vires amiſit & vſum; quouſque ad vocem ſancti Patris hoc cognoſcentis in ſpiritu, vigor priſtinus cordis & corporis ſibi fuit plenarie reſtitutus.

3. *Pſal. [illegible] in cuſtodiam [illegible]

Rigidus in diſciplina *ſuper cuſtodiam ſuam ſtabat; curam permaximam gerens de vtriuſque hominis puritate ſeruanda. Quapropter circa conuerſionis ſuæ primordia, tempore hiemali, in foueam glacie plenam ſeipſum plerunque mergebat: vt & domeſticum ſibi hoſtem perfecte ſubigeret, & *candidum veſtimentum pudoris à voluptatis incendio præſeruaret. Tolerabilius viro ſpirituali fore incomparabiliter aſſerebat, magnum ſuſtinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum ſentire in mente.

*Eccli. 9. 8.

Vexatur à dæmone grauiter tentatus.

Cum autem apud eremum de Sarthiano, nocte quadam orationi vacaret in cellula; vocauit eum hoſtis antiquus tertiò, dicens; Franciſce, Franciſce, Franciſce. Cui cum quid quæreret, reſpondiſſet, fallaciter ille ſubiunxit; Nullus eſt in mundo peccator, cui ſi conuerſus fuerit, non indulgeat Deus: ſed quicunque ſemetipſum pœnitentia durà necauerit, miſericordiam non inueniet in æternum. Statim vir Dei per reuelationem cognouit hoſtis fallaciam, quo modo niſus fuerit eum ad tepida reuocare: nam hoc ſequens indicauit euentus. Continuo enim poſt hoc, ad inſufflationem illius, *cuius halatus prunas ardere facit; grauis ipſum carnis tentatio apprehendit. Quam vt præſenſit caſtitatis amator; depoſita veſte, chorda cœpit ſe verberare fortiſſime; Eia, inquiens, frater Aſine; ſic te decet manere, ſic ſubire flagellum. Tunica Religioni deſeruit, ſanctitatis ſignaculum præfert: furari eam libidinoſo non licet. Si quò vis pergere, perge. Inſuper & mirando feruore ſpiritus animatus, aperta cella foras exiuit in hortum; & in magnam demergens niuem corpuſculum iam nudatum, ſeptem ex ea plenis manibus cœpit compingere mallos; quos ſibi proponens, ſic exteriori homini loquebatur; Ecce, inquit, hæc maior, vxor tua eſt; quatuor iſtæ, duo filij & duæ filiæ; reliquæ duæ, ſeruus & ancilla, quos ad ſeruiendum habere oportet. Feſtina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si vero eorum multiplex ſollicitudo moleſtat: vni Domino ſollicitè ſerui. Illicò tentator victus abſceſſit, & vir ſanctus cum victoria in cellam rediit: quia dum exterius pœnaliter algoris, ardorem interius ſic extinxit libidinis, vt deinceps tale aliquid minime ſentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia, Luna clarius incedente, proſpexit. Comperto vir Dei, quod hæc ille nocte vidiſſet, referans ei tentationis proceſſum, præcepit, vt quamdiu ipſe viueret, nulli viuenti rem quam viderat, propalaret.

Iob 41. 12.

Septem mallos ex niue compingit.

Tentator à ſe abſceſſit.

4. [illegible]

Non ſolum autem carnis mortificari docebat vitia, & eius incentiua frænari: verum etiam exteriores ſenſus, per quos *mors intrat ad animam, ſummâ vigilantiâ cuſtodiri. Mulierum familiaritates, colloquia & aſpectus, quæ multis ſunt occaſio ruinæ, ſolicitè cuitari iubebat: aſſerens per huiuſmodi debilem frangi, & fortem ſæpe ſpiritum infirmari. Harum contagionem euadere conuerſantem cum eis, niſi probatiſſimum virum, tam facile dixit, quàm iuxta Scripturam, *in igne ambulare, & non comburere plantas. Siquidem ipſe adeo *auerterat oculos ſuos, ne vanitatem viderent; quòd (ſicut aliquando ſocio dixit) quaſi nullam recognoſcebat in facie. Non enim ſecurum eſſe putabat, earum formarum introrſus haurire imagines, quæ poſſent aut edomitæ carnis reſuſcitare incendium, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Aſſerebat etiam friuolum eſſe mulieris colloquium, excepta ſola confeſſione, vel inſtructione breuiſſima, iuxta quod & ſaluti expedit, & conuenit honeſtati. Quæ ſunt, inquit, religioſo cum muliere tractanda negotia? niſi cùm ſanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ conſilium, religioſè petit & depoſcit? Ex nimia ſecuritate, minus cauetur hoſtis. & diabolus, ſi de ſuo capillum poteſt habere in homine, ſtatim crescere facit in trabem.

*Iere. 9. 21.

*Prou. 6. 27.

*Pſal. 118. 37. Auerte oculos meos ne videant vanitatem.

Quæ ſit [illegible] cum mulieribus [illegible]

Otium autem, omnium malarum cogitationum ſentinam, docebat omnimode fugiendum: exemplo demonſtrans, rebellem carnem diſciplinis

5. Otium fugiendum docet.

diſciplinis continuis, & fructuoſis laboribus eſſe domandam. Vnde corpus ſuum, fratrem aſinum appellabat, tanquam laborioſis ſupponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. Si quem verò cernebat otioſum & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muſcam nominandum cenſebat: eò quòd talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem ſe omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando; Volo fratres meos laborare & exercitari: ne otio dediti, per illicita, corde aut lingua vagentur. Euangelicum ſiquidem volebat à fratribus obſeruari ſilentium: vt videlicet ab omni otioſo verbo, omni tempore, abſtinerent ſolicitè; tanquam *reddituri in die iudicij de huiuſmodi rationem. Sed & ſi quem inueniſſet fratrem verbis aſſuetum inanibus, acriter arguebat; taciturnitatem modeſtam, & puri cordis affirmans cuſtodiam, & non modicam eſſe virtutem: pro eo quòd * *mors & vita fore dicuntur in manibus linguæ*, non tam ratione guſtus, quàm ratione loquelæ.

Silentium Euangelicũ ſeruandum.

*Matt. 12. 36.

*Pro. 18. 21

6. Licet autem pro viribus, ad vitam auſteram fratres induceret: non tamen ei placebat diſtrictionis ſeueritas, quæ pietatis non induit viſcera, nec eſt diſcretionis ſale condita. Cùm enim quadam nocte, vnus ex fratribus, præ nimietate abſtinentiæ admodum fame cruciatus, nullam poſſet habere quietem; intelligeretque pius paſtor oui ſuæ imminere periculum: vocauit fratrem, appoſuit panem. & vt ruborem illi tolleret, cœpit ipſe prior comedere, eumque ad manducandum dulciter inuitare. Depoſuit frater verecundiam, ſumpſit cibum, gauiſus quamplurimum, quòd per circunſpectam condeſcenſionem paſtoris, & corporis euaſiſſet diſpendium, & non modicum accepiſſet ædificationis exemplum. Manè facto, fratribus conuocatis in vnum, vir Dei referens quod acciderat nocte, prouidâ commonitione ſubiunxit; Sit vobis fratres, non cibus, ſed caritas in exemplum. Docuit inſuper eos diſcretionem ſequi, vt aurigam virtutum; non eam quam caro ſuadet, ſed quam edocuit Chriſtus; cuius ſacratiſſimam vitam, expreſſum conſtat eſſe perfectionis exemplar.

Auſteritas ſine diſcretionis ſale ei nõ placebat.

Diſcretio virtutum auriga.

7. Et quoniam agnum ſine macula Chriſtum crucifixum, non eſt poſſibile homini carnis infirmitate circundato ſic perfecte ſectari, quin aliquas contrahat ſordes: ideo documento certo firmabat eos, qui perfectioni vitæ inuigilant & intendunt, quotidianis debere ſe lacrymarum emundare fluentis. Licet enim iam eſſet adeptus cordis & corporis puritatem mirabilem: non ceſſabat tamen lacrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando iacturam. Cùm enim ex continuo fletu, infirmitatem oculorum incurriſſet grauiſſimam; ſuadente ſibi medico, quòd abſtineret à lacrymis, ſi corporei viſus cæcitatem vellet effugere: vir ſanctus reſpondit; Non eſt frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muſcis, viſitatio lucis æternæ repellenda vel modicum: quia non ſpiritus propter carnem, ſed caro propter ſpiritum, beneficium lucis accepit. malebat ſiquidem corporalis viſus lumen amittere, quàm lacrymas (quibus oculus mundatur interior, vt Deum videre valeat) repreſſa deuotione ſpiritus impedire.

Lacrymis quotidie emundanda conſcientia.

8. Cùm autem ſemel daretur conſilium à medicis, & inſtanter ſuaderetur à fratribus, vt pateretur ſibi per remedium ſubuenire cocturæ, humiliter vir Dei aſſenſit: quia ſalutiferum hoc ſimul & aſperum eſſe cernebat. Vocatus itaque venit Chirurgus, inſtrumentum ferreum igni ſubmittens ad faciendam cocturam. At Chriſti ſeruus, corpus iam horrore concuſſum confortans, ſicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens; Mi frater ignis, præ ceteris rebus æmulandi decoris, virtuoſum, pulchrum & vtilem te creauit Altiſſimus; eſto mihi hac hora propitius, eſto curialis. Precor magnum Dominũ qui te creauit, vt tuum mihi calorem temperet: quo ſuauiter vrentem valeam ſuſtinere. Oratione finitâ, contra ignem candeſcens ferreum inſtrumentum ſignum crucis edidit, ac deinceps intrepidus perſiſtebat. Profundatum eſt crepitans ferrum in tenera carne, & ab aure vſq; ad ſupercilium coctura protracta. Quantum irrogauerit ignis ille dolorem, vir ille ſanctus expreſsit; Laudate, inquit ad fratres, Altiſsimum: quia verè dico vobis, nec ignis ardorem ſenſi, nec carnis vllum dolorem. Et conuerſus ad medicum; Si non eſt, inquit, caro bene decocta, imprime iterum. Expertus medicus in inualida carne virtutem ſpiritus

Medicari ſuos oculos permittit cauterio.

Cauterium non ſentit.

ſpiritus tam potentem, miratus eſt; & extulit, diuinum hoc miraculum dicens; Dico vobis fratres, vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam peruenerat puritatem, vt caro ſpiritui, & ſpiritus Deo, harmonia mirabili concordarent: diuina ordinatione fiebat, vt* creatura Creatori ſuo deſeruiens, voluntati & imperio eius mirabiliter ſubiaceret. Alio enim tempore, apud eremum S. Vrbani, Seruo Dei ægritudine grauiſſima laborante; cùm ipſe naturæ defectum ſentiens, vini poculum poſtulaſſet, reſponderetur, nihilque de vino, quod ſibi dari poſſet, adeſſe: iuſſit aquam adferri, & allatam ſigno crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimũ, quod fuerat aqua pura: & quod deſerti loci paupertas non potuit, viri ſancti puritas impetrauit. Ad eius guſtum tanta protinus facilitate conualuit: vt ſaporis nouitas, & innouatio ſanitatis, guſtabile ac guſtantem ſupernaturaliter innouantes, perfectam in ipſo * exſpoliationem veteris hominis, & indutionem noui, duplici atteſtatione firmarent.

Ipſi Creatori, etiam creatura obediunt.

* Sap. 16.

Aquam in vinum optimum commutat.

* Col. 3. 10.

9. Non ſolùm creatura Seruo Dei ſeruiebat ad nutum: ſed & Creatoris vbique prouidentia condeſcendebat ad placitum. Cùm enim tempore quodam, ex multarum infirmitatum concurſu aggrauato corpore, ad iucunditatem ſpiritus excitandam, alicuius audiendi ſoni harmoniaci deſiderium habuiſſet; nec id honeſtatis decentia per miniſterium fieri pateretur humanum: adfuit Angelorum obſequium, ad viri ſancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam, vigilante ipſo, & meditante de Domino; repente inſonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, & ſuauiſſimæ melodiæ. Non videbatur aliquis: ſed tranſitum & reditum citharœdi, ipſa hinc inde auditus volubilitas innuebat. ſpiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulciſono carmine ſuauitate perfruſus, vt aliud ſe putaret ſæculum commutaſſe. Hoc & fratres ſibi familiares non latuit; qui per certa frequenter indicia, eum tam exceſſiuis, & crebris conſolationibus à Domino viſitari conſpiciebant, vt nec ipſas omnino occultare valeret.

Cithara melodia recreatur.

10. Alio quoque tempore, viro Dei prædicationis cauſa inter Lombardiam, & Marchiam Teruiſinam iter agente cum fratre ſocio iuxta Padum; tenebroſa nox ſuperuenit obſcuritas. Cumque via eſſet expoſita periculis magnis & multis, propter tenebras, fluuium, & paludes, dixit ſocius ad virum ſanctum: Ora pater, vt de inſtantibus periculis liberemur. Cui vir Dei cum fiducia multa reſpondit; Potens eſt Deus, ſi placet ſuæ dulcedini, vt tenebrarum effugata caligine, beneficium nobis impendere lucis. Vix ſermonem compleuerat, & ecce tanta lux cœlitus cœpit circa eos ſuperna radiare virtute, vt nocte clara aliis exiſtente obſcura, ipſi luce plurima viderent non ſolum viam, verùm plurima circumquaque: cuius lucis ducatu corporaliter directi, & ſpiritualiter confortati, vſque ad locum hoſpitii per non modicum viæ ſpatium, cum hymnis & laudibus, incolumes peruenerunt. Perpende quàm mirandæ puritatis, & quantæ virtutis fuerit vir ille, ad cuius nutum, ſuum ignis ardorem cõtemperat, aqua ſaporem commutat, Angelica præbet melodia ſolatium; & lux diuina ducatum: vt ſic ſanctificatis viri ſancti ſenſibus, omnis probetur mundi machina deſeruire.

Noctu lux ei radiabat.

CAPVT VI.

De humilitate eius & obedientia. & de condeſcenſionibus diuinis ei factis ad nutum.

§. I. Humilitas in commendanda.

OMnium virtutum cuſtos, & decor humilitas, copioſa virũ Dei vbertate repleuerat. In propria quidem reputatione nihil erat, niſi peccator; cùm in veritate ſpeculum eſſet, & ſplendor omnimodæ ſanctitatis. Super hanc ſtuduit ædificare ſeipſum, vt ſapiens architectus fundamentum præiaciens, quod à Chriſto didicerat. Dicebat proinde, hoc, Filium Dei de altitudine ſinus Patris æterni ad noſtra deſpicabilia deſcendiſſe, vt tam exemplo quàm verbo, Dominus & magiſter humilitatem doceret. Propter quod ſtudebat, tanquam Chriſti diſcipulus, in oculis ſuis & aliorum vileſcere; à ſummo dictum eſſe magiſtro commemorans; * *Quod altum eſt apud homines, abominatio eſt apud Deum.* Sed & iſtud verbum hoc dicere ſolitus erat; *Quantum eſt homo in oculis Dei, tantum eſt,* & non plus. Stultum proinde iudicans mundanis extolli fauoribus, gaudebat de opprobriis, & de laudibus triſtabatur. Malebat

* Luc. 16. 15.

Sententiam ſæpe iterabat.

Malebat quidem de ſe vituperium audire, quam laudem: ſciens quòd hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum. Et ideo ſæpe cùm populi merita in eo ſanctitatis extollerēt, præcipiebat alicui fratri, vt in contrarium, verba ipſum vilificantia ſuis auribus inculcando proferret. Cumque frater ille licet inuitus, eum ruſticum, & mercenarium imperitum, & inutilem diceret: exhilaratus tam mente quàm facie reſpondebat; Benedicat tibi Dominus fili cariſſime: quia tu veriſſima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire.

2. *Prodigioſæ humilitatis exemplum.*

Vt autem ſe ceteris deſpicabilem redderet, non parcebat rubori: quin in prædicatione coram omni populo, proprios manifeſtaret defectus. Accidit ſemel vt infirmitate grauatus, rigorem abſtinentiæ pro recuperanda ſanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis vtcunque reſumptis; verus ſui contemptor, ad propriæ carnis animatus opprobrium; Non eſt, inquit, conueniens, vt populus abſtinentem me credat; & ego e contrariò carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea ſanctæ humilitatis ſpiritu inflammatus; & in platea ciuitatis Aſſiſij populo conuocato, ſolenniter cum fratribus multis, quos ſecum adduxerat, maiorem introiuit eccleſiam; funeque ad collum ligato, nudum cum femoribus ſolis, in oculis omnium ſe trahi præcepit vſque ad lapidem, in quo malefactores puniendi conſueuerant collocari. Super quem conſcendens, licet quartanarius eſſet & debilis, acerbi frigoris tempore, cum multo vigore animi prædicauit. Audientibuſque cunctis aſſeruit ſe, non tanquam ſpiritualem honorandum fore: quin imo tanquam carnalem & glutonem, ab omnibus contemnendum. Igitur qui conuenerant, tam ingenti viſo ſpectaculo admirati ſunt: & quia ipſius auſteritatem iam nouerant, deuotione compuncti, humilitatem huiuſmodi magis admirabilem, quàm imitabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur portentum fuiſſe, inſtar *propheticalis vaticinij, quàm exemplum: tamen verè documentum extitit humilitatis perfectæ, quo Christi ſectator inſtruitur, tranſitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque iactantiæ comprimere faſtum, & fraudulentæ ſimulationis mendacium confutare. Multa quidem in hunc modum ſæpiùs faciebat: vt exteriùs tanquam vas perditum fieret, & ſanctificationis ſpiritum interiùs poſſideret.

Nudū imitatur Iſaiā.

*Iſaiæ 20. 3

3. Studebat bona Domini ſui arcano pectoris condere: nolens patêre gloriæ, quod poſſet occaſio eſſe ruinæ. Nam ſæpe cum beatificaretur à pluribus, verbum huiuſmodi proferebat; Filios & filias adhuc habere poſſum; nolite laudare nondum ſecurum. **Nemo laudandus cuius incertus eſt exitus.* Iſta quidem laudantibus. Ad ſe autem ſic; Latroni ſi tanta contuliſſet Altiſsimus, gratior te foret Franciſce. Dicebat fratribus ſæpe; De omni eo, quod peccator poteſt, nemo ſibi debet iniquo applauſu blandiri. Peccator, ait, ieiunare poteſt, orare, plangere, carnemque propriam macerare: hoc ſolum non poteſt, Domino, ſcilicet, ſuo eſſe fidelis. In hoc itaque gloriandum, ſi ſuam Domino gloriam reddimus: ſi fideliter ſeruientes, ipſi, quicquid donat, fideliter adſcribimus.

*Eccli 11. 30 Nemo laudandus cuius exitus incertus. Nota, mor.

4. Vt autem pluribus modis negotiator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præſens tempus conflaret in meritum: non tam præeſſe voluit, quàm ſubeſſe, nec tam præcipere, quàm parêre. Idcirco Generali cedens officio, Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia ſubiaceret. Tam enim vberè aſſerebat ſanctæ Obedientiæ fructum, vt eis qui iugo ipſius colla ſubmitterent, nil temporis ſine lucro tranſiret. Vnde & fratri, cum quo erat ſolitus ire, ſemper obedientiam promittere conſueuerat, & ſeruare. Dixit aliquando ſociis; Inter alia, quæ dignanter pietas mihi diuina conceſsit, hanc gratiam contulit: quòd ita diligenter nouitio vnius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſsimo, & ſecretiſsimo fratri. Subditus, inquit, Prælatum ſuum non hominem conſiderare debet: ſed illum, pro cuius eſt amore ſubiectus. Quantò enim contemptibilior præſidet, tantò magis humilitas obedientis placet.

Mauult ſubeſſe quā præeſſe.

5. Cùm vero vice quadam quæreretur ab eo, quis eſſet verus obediens iudicandus; corporis mortui ſimilitudinem pro exemplo propoſuit. Tolle, inquit, corpus exanime, & vbi placuerit pone: non videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum. Quòd ſi ſtatuatur in cathedra, non alta, ſed ima reſpiciet: ſi collocetur in purpura, duplò palleſcet. Hic ait, verus obediens eſt, qui cur moueatur, non diiudicat; vbi locetur, non curat;

Obedientis veri deſcribitur ſub exemplo.

vt

vt tranſmutetur non inſtar. euectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus reputat ſe indignum. Dixit aliquando ſocio ſuo; Non mihi videor frater Minor, niſi fuero in ſtatu, quem tibi deſcripſero. Ecce Prælatus exiſtens fratrum, vado ad Capitulum; prædico & commoneo fratres, & in fine dicitur contra me; Non conuenis nobis, quia illitteratus es, elinguis, idiota & ſimplex. tandem eiicior cum opprobrio, vilipenſus ab omnibus. dico tibi, niſi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem ſanctitatis propoſito, hæc verba audiero; frater Minor nequaquam ſum. Et addebat: *In prælatione caſus, in laude præcipitium: in humilitate ſubditi, animæ lucrum eſt.* Cur ergo periculis plùs quàm lucris attendimus, cùm acceperimus tempus ad lucrum?

In humilitate lucrum animæ.

6. Miniſtri cur dicantur Miniſtri.

Hac igitur de cauſa, humilitatis forma Franciſcus, fratres ſuos voluit vocari Minores, & Prælatos ſui ordinis dici Miniſtros: vt & verbis vteretur Euangelij, quod obſeruare promiſerat; & ex ipſo nomine diſcerent diſcipuli eius, quòd ad diſcendam humilitatem, ad ſcholas humilis Chriſti veniſſent. Magiſter ſiquidem humilitatis Ieſus Chriſtus, vt informaret diſcipulos ad humilitatem perfectam, dixit; **Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Cùm autem requireret ab eo Dominus Hoſtienſis, Ordinis Minorum Protector & promotor præcipuus (qui poſtmodum, iuxta quod idem vir ſanctus prædixerat, ad ſummi Pontificatus ſublimatus honorem, Gregorius Nonus eſt dictus) Vtrùm ſibi placeret, quòd fratres ſui promouerentur ad Eccleſiaſticas dignitates, reſpondit; Domine, Minores ideo vocati ſunt fratres mei, vt maiores fieri non præſumant. Si vultis, ait, vt faciant fructum in Eccleſia Dei, tenete illos, & conſeruate in ſtatu vocationis eorum; & ad prælationes Eccleſiaſticas nullatenus aſcẽdere permittatis.

*Matt. 20. 27.

Ne fiant maiores.

7. Et quoniam humilitatem, tam in ſe quàm in ſubditis, cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus, altioribus ipſum dignum iudicabat faſtigiis, ſecundùm quod vni fratri viro virtutis & deuotionis præcipuæ, viſio cælitus oſtenſa monſtrauit. Cùm enim eſſet in comitatu viri Dei, & vnà cum ipſo in quadam eccleſia deſerta, feruenti oratione in ecſtaſi factus, vidit inter multas in cælo ſedes, vnam ceteris digniorem, pretioſis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem. Miratus intra ſe præcelſi throni fulgentiam, quis ad illum deberet aſſumi, cœpit cogitatione anxia perquirere; audiuit vocem dicentem ſibi: Sedes iſta vnius de ruentibus fuit, & nunc humili ſeruatur Franciſco. Reuerſus demum frater ille ab orationis exceſſu; virum beatum exteriùs prodeuntem, ſolito more ſecutus eſt. Cumque per viam incedentes de Deo inuicem loquerentur, frater ille viſionis ſuæ non immemor, ſolerter ab eo quæſiuit, quid de ſeipſo ſentiret. Cui humilis Chriſti ſeruus; Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cùm frater ex aduerſo diceret, quòd hoc non poſſet ſana cõſcientia dicere, nec ſentire, ſubiunxit; Si quantumcunque ſceleratum hominem tanta Chriſtus miſericordia proſecutus fuiſſet, arbitror ſanè, quòd multò quã ego Deo gratior eſſet. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu, de veritate viſionis oſtenſæ; *Euangelio ſacro teſtante cognoſcens, quòd ad excellentiam gloriæ, de qua ſuperbus eiicitur, vere humilis exaltetur.

Sedes fulgida S. Franciſco in cælo.

*Matt. 23. 12.

8. Alio quoque tempore, cùm in deſerta quadam oraret eccleſia, in Prouincia Maſſæ, apud montẽ Caſalem; intellexit per ſpiritum, ſacras ibidem remanſiſſe reliquias: quas cùm longo iam tẽpore defraudatas honorificentia debita, non ſine mœrore conſpiceret; præcepit fratribus, vt eas cum reuerentia deferrent ad locũ. Sed cum poſcente cauſa diſceſſiſſet ab eis; mandati patris immemores filij, obedientiæ meritum neglexerunt. Die verò quadam, cùm ſacra celebrare vellẽt myſteria, ſuperiori altaris operimento ſubmoto, oſſa pulcherrima redolentia nimis, non ſine admiratione reperiunt, intuentes reliquias, quas non hominis manus, ſed Dei virtus attulerat. Reuerſus paulo pòſt vir Deo deuotus, diligenter cœpit exquirere, ſi quod de reliquiis mãdauerat, eſſet impletum. Verũ neglectæ obedientiæ culpã fratres confitentes humiliter, cũ pœna veniam meruerunt. & ait vir ſanctus; Benedictus Dñs Deus meus, qui per ſeipſum impleuit, quod vos facere debuiſtis. Conſiderate diligenter diuinæ prouidentiæ curam circa puluerẽ noſtrum; & humilis Franciſci excellentem in oculis Dei perpendite virtutem. Nam cuius iuſſis non paruit homo, votis obediuit Deus. Quodam

Reliquiæ ſacræ reuelantur.

9. Quodam tempore deueniens Imolam, ciuitatis Epiſcopum adiit; humiliterque popoſcit, vt cum ipſius beneplacito poſſet populum ad prædicationem vocare: cui Epiſcopus dure reſpondens; Sufficit, inquit, frater, quòd ego prædicem populo meo. Inclinauit caput verus humilis; & foras egreſſus, poſt modicam horam regreditur intrò. A quo cùm Epiſcopus quaſi turbatus requireret, quid iteratò petere vellet: humili tam corde, quàm voce reſpondit; Domine, ſi pater filiũ vno pepulerit oſtio, alio ſibi reintrandum eſt. Humilitate victus Epiſcopus, alacri vultu eum amplexatus eſt, dicens; Tu, & omnes fratres tui deceтero, in Epiſcopatu meo, generali meâ licentiâ prædicetis: quia illud humilitas ſancta promeruit.

Humilitate vincit ac patientia.

10. Contigit ipſum aliquando Aretium deuenire, cùm tota ciuitas inteſtino bello quaſſata, propinquum ſui minabatur excidium. Hoſpitatus verò in ſuburbio, vidit ſupra ciuitatem exſultantes dæmones, ac perturbatos ciues, ad cædem mutuam ſuccendentes. Vt autem ſeditioſas illas effugaret aëreas poteſtates, fratrem Siluestrum columbinæ ſimplicitatis virum, quaſi præconem præmiſit, dicens; Vade ante portam ciuitatis, & ex parte Dei omnipotentis, dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, vt exeant feſtinanter. Accelerat verus obediens patris iuſſa perficere; & præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam ciuitatis cœpit clamare valenter; Ex parte omnipotentis Dei, & iuſſu ſerui eius Franciſci, procul hinc diſcedite dæmones vniuerſi. Redit ad pacem continuò ciuitas; & ciuilitatis iura ciues omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulſa quippe dæmonum furibunda ſuperbia, quæ ciuitatem illam velut obſidione vallauerat; ſuperueniens ſapientia pauperis, videlicet Franciſci humilitas, pacem reddidit, vrbemque ſaluauit. Humilis enim obedientiæ arduâ promerente virtute, ſuper ſpiritus illos rebelles atque proteruos, tam poteſtatiuum fuerat aſſecutus imperium; vt & ipſorũ feroces proteruias premeret, & importunas violentias propulſaret. Fugiunt quidem ſuperbi dæmones, excelſas virtutes humilium: niſi cùm interdum ad humilitatis cuſtodiam, diuina eos clementia colaphizari permittit, ſicut & Paulus Apoſtolus * de ſeipſo ſcribit, & Franciſcus experimento probauit. Rogatus enim à Domino Leone Cardinale ſanctæ Crucis, vt ſecum aliquantulum moraretur in Vrbe; acquieuit humiliter ob ipſius reuerentiam & amorem. Prima igitur nocte, cùm poſt orationem vellet quieſcere, superuenerũt dæmones in Chriſti militem atrociter inſurgentes. Quem cùm diu verberaſſent ac durè, ad vltimum quaſi ſeminecẽ reliquerunt. Diſcedentibus illis, ſocius vocatus aduẽnit. cui cum vir Dei rei narraſſet euentum, ſubiungens ait; Credo frater, quòd dæmones, * qui nihil poſſunt, niſi quantum prouidentia ſuperna diſponit; ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam ſpem * præfert manſio mea in Curia magnatum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cũ Cardinalibus eſſe; ſuſpicabuntur forſitan implicari mundanis, efferri honoribus, & deliciis abundare. Ideo meliùs iudico, eum qui ponitur in exemplum, fugere Curias, & humiliter inter humiles, in locis conuerſari humilibus: vt ſuſtinentes penuriam, fortes efficiat ſimilia ſuſtinẽdo. Veniunt ergo manè, & humili excuſatione propoſita, valefaciunt Cardinali.

Pax inter ciues conciliatur.

Profligat dæmones ab Aretio.

* 2. Cor. 12. 7.

Cardi. dæmo. in do. Cardi.

Aug. 1 Ciu. D. c. 18.

*al. ſpe. præfert ſe.

11. Abhorrebat nempe vir ſanctus ſuperbiam omnium malorum originem, & inobedientiam ipſius peſſimã prolem: ſed non minùs humilitatem pœnitentiæ acceptabat. Accidit ſemel, vt eidem præſentaretur quidam frater, qui contra legem obedientiæ aliquid fecerat, diſciplina iuſtitiæ corrigendus. Videns autem vir Dei, fratrem illum per ſigna euidentia veraciter eſſe compunctum; ad indulgendum ei, amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ incentiuum eſſet aliis delinquendi; iuſſit ablatum fratri capitium in medio flammarum proiici: vt omnes aduerterent, quantâ qualique vindicta, offenſa ſit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram capitium fuiſſet in medio ignis: præcepit ipſum flammis detrahi, reddique fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu. Extrahitur capitium de medio flammarum, nullum habens adustionis veſtigium: ſicque factum eſt, vt hoc vno Deus miraculo, & ſancti viri virtutem, & humilitatem pœnitentiæ commendaret. Digna itaque ſectanda eſt Franciſci humilitas, quæ tam mirandam in terris etiam dignitatem obtinuit, vt Deum inclinaret ad votum, & hominis immutaret affectũ; dæmonum proteruitatem ſuo iuſſu propelleret, & flamma-

Facilitas veniæ incentiuum delinquendi.

& flammarum voracitatem ſolo nutu refrænaret. Re vera hæc eſt, quæ poſſeſſores ſuos exaltans, dum omnibus reuerentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

Humilitas omnes honorans, ab omnibus honoratur.

CAPVT VII.

De amore paupertatis, & mirâ ſuppletione defectuum.

§. 1. Paupertatis Euangelicæ ſummus amator.

INTER cætera chariſmatum dona, quæ à largo datore Franciſcus obtinuit; prærogatiuâ quadam ſpeciali promeruit in diuitias ſimplicitatis excreſcere, per altiſſimæ paupertatis amorem. Hanc filio Dei, vir ſanctus familiarem attendens; & iam quaſi toto orbe repulſam, caritate ſic ſtuduit deſponſare perpetuâ; quòd non ſolum pro eâ patrem matremque reliquit, verùm etiam quæ habere potuit, vniuerſa diſperſit. Nemo tam auri, quàm ipſe cupidus paupertatis; nec theſauri cuſtodiendi ſolicitior vllus, quàm iſte huius * Euangelicæ margaritæ. In hoc præcipuè ſuus offendebatur aſpectus, ſi quicquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia conſonaret. Reverâ, ipſe à principio Religionis vſque ad mortem, tunicâ, chordulâ, & femoralibus diues, iis contentus fuit. Chriſti Ieſu paupertatem & matris frequenter cum lacrymis reuocabat ad mentem: inde, hanc virtutum aſſerens eſſe reginam, quia in Rege Regum, & in Reginâ matre ipſius, tam præſtanter effulſit. Nam & fratribus in conclaui quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Chriſto: quaſi ſecretum ſui cordis aperiens, reſpondebat: *Paupertatem noueritis fratres, ſpecialem viam eſſe ſalutis,* tanquam humilitatis fomentum, perfectioniſque radicem; cuius eſt fructus multiplex, ſed occultus. Hæc enim eſt * *Euangelici agri theſaurus abſconditus:* pro quo emendo, vendenda ſunt omnia; & quæ vendi nô poſſunt, illius côparatione ſpernenda. Ad huius, inquit, culmen qui cupit attingere, non ſolum mundanæ prudentiæ, verùm etiam litterarum peritiæ, renunciare quodammodo debet: vt tali expropriatus poſſeſſione, * introeat in potentias Domini, & nudum ſe offerat brachiis crucifixi. *Neque enim cum ſæculo perfecte renunciat,* qui *proprij ſenſus loculos intra cordis arcana reſeruat.*

** Mat. 13. 45. Hæc margarita Euangelica.*

Virtutum regina.

Via ſalutis.

** Mat. 13. 44.*

** Pſal. 70. 16. Nota, nota.*

Sæpe verò de paupertate ſermonem faciens, ingerebat fratribus Euangelicum illud; *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Propter quod docebat fratres, vt pauperum more, pauperculas caſulas erigerent; quas non inhabitarent vt proprias, ſed ſicut peregrini & aduenæ alienas. Leges namque peregrinorum eſſe dicebat, ſub alieno colligi tecto, ſitire ad patriam, pacifice pertranſire. Mandabat diruere aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoueri: ſi aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel ſumptuoſitatis, contrarium eſſet Euangelicæ paupertati. *Hanc ſui dicebat Ordinis fundamentum;* cui ſubſtrato primarie ſic omnis ſtructura religionis innititur, vt ipſius firmitate firmetur, & euerſione funditus euertatur.

** Mat. 8. 20.*

Ordinis fundamentum.

Docebat proinde, ſicut reuelatione didicerat, ſacræ Religionis ingreſſum ab illo fore inchoandum Euangelico verbo, * *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Ideoque non niſi expropriatos, & nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem: tum propter verbum ſancti Euangelij, tum etiam, ne forent in ſcandalum loculi reſeruati. Vnde in Marchiâ Anconitana cuidam petenti ad Ordinem recipi, verus pauperum Patriarcha reſpondit; Si vis Chriſti pauperibus iungi, pauperibus tua diſtribue. Quo audito perrexit homo, & ductus amore carnali, ſua ſuis reliquit, nilque pauperibus. Verùm cùm hæc illo referente, vir ſanctus audiſſet, durâ eum increpatione ſubſannans, dixit; Vade viam tuam frater muſca quoniam nondum * exiſti de domo & cognatione tuâ: conſanguineis tua dediſti, & defraudaſti pauperes, dignus non es pauperibus ſanctis ſociari. Incepiſti à carne; ruinoſum fundamentum ſpirituali fabricæ collocaſti. Rediit animalis homo ad ſuos, & repetiit ſua, quæ pauperibus relinquere nolens, virtutis propoſitum citius dereliquit.

** Mat. 19. 21.*

** Gen. 12. 1.*

Alio quoque tempore, cùm in loco ſanctæ Mariæ de Portiunculâ tanta eſſet inopia, quòd non poſſet hoſpitibus fratribus ſuperuenientibus ſecundùm neceſſitatis exigentiam prouideri; adiit virum Dei Vicarius ſuus, allegans penuriam fratrum, & petens, vt in-

4. Fratribus ...

intrantium nouitiorum res aliquas reſeruare liceret, ad quas expendendas recurrere poſſent fratres tẽpore opportuno. Ad quem vir ſanctus, superni conſilij non ignarus; Abſit, inquit, à nobis frater cariſſime, vt pro quouis homine impiè agamus in Regulam. Malo te altare Virginis glorioſæ nudare, cùm neceſſitas id requirit, quàm cõtrà paupertatis votum & obſeruantiam Euangelij, aliquid vel modicum attentare. Gratiùs enim habebit beata Virgo, ſancti Euangelij perfectè ſeruato conſilio, ſuum altare detegi, quàm altari ſuo ornato, filij ſui promiſſum conſilium prætermitti.

5. *Diaboli tentamentum in crumenâ.*

Tranſiens autem quodam tempore vir Dei, cum ſuo ſocio per Apuliam iuxta Barrum, inuenit in viâ burſam magnam, quaſi plena eſſet denariis, tumeſcentem, quam vſitato vocabulo, Fundam appellant. Monetur à ſocio pauper Chriſti, & inſtanter inducitur, vt burſa tollatur è terrâ, & pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum aſſirmans fore diaboli in burſâ inuentâ; & fratrem non ſuaderet rem meriti, ſed peccati, aliena ſcilicet ſurripere ac donare. Recedunt de loco, feſtinant iter perficere cœptum. Sed nondum quieſcit frater, vacua pietate deluſus, virum Dei moleſtans, quaſi qui de releuandâ pauperum penuriâ non curaret. Acquieuit tandem vir mitis, redire ad locum: non vt fratris voluntatem perficeret, ſed vt detegeret diabolicam fraudem. Reuerſus eſt ergo ad Fundam cum fratre, & iuuene quodam qui erat in viâ. Oratione præmiſſa, iubet ſocio illam leuare. tremefactus frater obſtupuit, diabolicum iam præſentiens monſtrum: propter obedientiæ tamen ſanctæ mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extẽdit ad burſam. Et ecce ſerpens non modicus de burſa exſiliens, ſimulque cum ipsâ ſubitò euaneſcens, diabolicam deceptionem fratri monſtrauit. Hoſtilis itaque verſutiæ deprehenſâ fallaciâ, dixit vir ſanctus ad ſocium; Pecunia ſeruis Dei, ô frater, nihil aliud eſt, quàm diabolus, & coluber venenoſus.

Pecunia ſeruis Dei diabolus.

6.

Tres pauperculæ mulieres ei occurrunt.

Accidit poſt hæc, quoddam mirabile viro ſancto, dum ſe ad ciuitatem Senenſem, cauſâ exigente, transferret. Tres quidem mulieres pauperculæ, ſtaturâ, ætate, ac facie per omnia ſimiles, in quadã ei magnâ planitie, inter Campilium & ſanctum Quirinum occurrerunt; nouum ſalutationis munuſculum ei offerentes; Bene veniat, inquiunt, domina paupertas. Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus eſt gaudio: vtpote qui nihil in ſe ſalutandum ab hominibus tam libenter haberet, quàm quod illæ decreuerant. Subitò diſparentibus illis, conſiderantes fratres ſocij tam admirabilem in eis ſimilitudinẽ, ſalutationis, occurſus, & diſparentiæ nouitatem; myſticum aliquid deſignari circa virum ſanctum non irrationabiliter perpenderunt. Sane per illas tres, vt videbatur, mulieres paupercculas, ſic vniformi facie occurrentes, ſic ſalutantes inſolitè, ſic ſubitò diſparentes, Euangelicę perfectionis formoſitas, quantum ad caſtitatem ſcilicet, obedientiam & paupertatem, ſatis conuenienter oſtenditur in viro Dei, pari formâ perfectè fulſiſſe: licet gloriari prælegerit in priuilegio paupertatis, quam modò matrem, modò ſponſam, modò dominam nominare ſolebat. In hac ceteros cupiebat excedere, qui ex ipsâ didicerat inferiorem ſe omnibus reputare. Si quando igitur pauperiorem ſe quempiam, ſecundùm exteriorem habitum cerneret, ſemetipſum protinus arguens excitabat ad ſimile: tanquam ſi æmulâ paupertate concertans, vinci ſe timeret in illo. Accidit enim, vt pauperculum quemdam obuium haberet in viâ; cuius cùm nuditatem aſpiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad ſocium; Magnam verecundiam intulit nobis huius inopiâ: quia nos pro magnis diuitiis paupertatem elegimus; & ecce magis relucet in iſto.

Tria vota ſignificantes.

S. Franciſcus pauper ipſe, non ferre ſe pauperiorem alium.

7.

Propter ſanctæ paupertatis amorem, omnipotentis Dei famulus, eleemoſynis oſtiatim quæſitis vtebatur multò libentiùs, quàm oblatis. Si quando enim inuitatus à magnis perſonis, menſis eſſet profuſioribus honorandus: prius per propinquas vicinorum domos, panum fragmenta petebat, ac deinde ſic ditatus inopiâ diſcumbebat. Et cùm aliquando id feciſſet, inuitatus à Domino Hoſtienſi, qui pauperem Chriſti præcipuo complexabatur affectu; conquerenti Epiſcopo, quòd ſuo derogaſſet honori: vtpote qui in eius comeſturus domo, pro eleemoſynis iſſet, ſeruus Dei reſpondit; Magnum vobis domine, maiorem Domino honorem exhibui, dum enim beneplacitum eſt Domino in paupertate, & cũ Dominum honoraui: ſiquidem

[illegible]

2. Cor.

maxime, quæ voluntaria pro Chriſto
mendicitas eſt. Hanc dignitatem rega-
lem, quam * pro nobis Dominus Ieſus
egenus factus, aſſumpſit, vt ſuâ nos di-
taret inopiâ, ac vere * pauperes ſpiri-
tu, regni cælorum reges inſtitueret,
& hæredes; nolo relinquere pro feudo
diuitiarum falſarum, nobis ad horam
conceſſo.

8\. Nonnumquam fratres ad petendum
eleemoſynam hortās, verbis vtebatur
huiuſmodi; Ite, inquit: quoniā hac no-
uiſſimâ horâ fratres Minores commo-
dati ſunt mūdo, vt electi in eis impleāt,
vnde à Iudice commendētur; illud au-
dientes ſuauiſſimum verbum; * *Quam diu*
feceſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fe-
ciſtis. Iucundū proinde dicebat, ſub fra-
trum Minorum titulo mēdicare, quem
in retributione iuſtorū, Euangelicæ ve-
ritatis magiſter, ore ſuo tam ſignanter
expreſſit. In feſtis quoque precipuis, vbi
opportunitas aderat, mendicare ſolitus
erat: dicens in ſanctis pauperibus Pro-
pheticum illud impleri; *Panem Angelorum*
manducauit homo. Illum ſane panem An-
gelicum eſſe dicebat, quem pro Dei pe-
titum amore, & beatis ſuggerentibus
Angelis, pro ipſius caritate largitū, ſan-
cta paupertas colligit oſtiatim. Vnde
cum ſemel die ſancto Paſchæ, moram
faceret in eremitorio quodam adeo ab
hominum habitatione remoto, quod
commode mendicare non poſſet; me-
mor illius, qui * diſcipulis euntibus in
Emaus ipſo die in ſpecie peregrini ap-
paruit: ab ipſis fratribus eleemoſynam
petiit, vt peregrinus & pauper. Quam
cùm accepiſſet humiliter, ſacris eos in-
formauit eloquiis: quòd tranſeuntes
per mundi deſertum, veriquè Hebræi, pa-
grini & aduenæ, hoc eſt *, tranſitum ex
hoc mundo ad Patrem, in paupertate
ſpiritus, continue celebrarent.

9\. Et quoniam in petendis eleemoſ[illegible]
nis, non quæſtus agebatur cupidine, ſed
ſpiritus libertate; pater pauperum
Deus ſpecialem de ipſo curam gerere
videbatur. Accidit enim, vt infirmita-
te grauatus Domini ſeruus in loco No-
cenæ, reduceretur Aſſiſium per ſolen-
nes nuncios, * ad hoc Aſſiſinatis populi
deuotione tranſmiſſos. Qui Chriſti
famulum deducentes, ad villam quan-
dam deuenerunt pauperculam, nom-
ine Sarthianum; vbi cum fames & hora
cibum expeterent, euntes & nihil in-
uenientes venale, vacui redierunt. Ad

Mendicatio per amorem Domini obtinuit quod pecunia nequiuit.

* 2. Cor. 8. 9.
* Matt. 5. 3.
* Matt. 25. 40.
* Luc. 24. 13.
* Ioan. 13. 1.

quos vir ſanctus [illegible] ideo nihil inuenitis,
quia plus in [illegible] ſcis veſtris quam in
Domino confi[illegible]. Muſcas nempe de-
narios vocauit [illegible] ed reuertimini, ait, per
domos quas [illegible] iiſtis, & amorem Dei
offerentes pro [illegible] retio, humiliter elee-
moſynam poſt[illegible] ate. Nec falsâ id æſti-
matione vere [illegible] undum putetis aut vi-
le: quoniam [illegible] iuerſa in eleeeris
poſt peccatum [illegible] dignis & indignis, elee-
moſynarius ille [illegible] magnus, largiflua pie-
tate conceſſit [illegible] Deponunt erubeſcen-
tiam milites; [illegible] Pro Dei amore ſponte
petentes, plura [illegible] liquidem diuino quam
denariis emunt [illegible] pauperes incolæ, non
corde compun[illegible] ipſos liberaliter ob-
ſolùm ſua, ſed [illegible] factum eſt, vt inopiam
tulerunt. ſicque [illegible] leuare non poterat,
quam pecunia [illegible] opulēta ſuppleret.
Franciſci pauper[illegible]
Tempore quo [illegible] infirmus iacebat in
eremitorio prope Reate; medicus qui-
dam opportuno eum frequentabat of-
ficio. Cùm autem Chriſti pauper im-
potens eſſet ad rependendam mercē-
dem labori condignam: liberaliſſ-
imus Deus, ne ipſum ſine præſenti re-
muneratione dimitteret, pium eius ob-
ſequium, hoc nouo beneficio, vice pau-
peris compenſauit. Huius enim medici
domus, quam tunc temporis ex omni
lucro ſuo de nouo conſtruxerat, pa-
rietum patula ſciſſione, à ſummo vſ-
que deorſum, adeò de proximo mina-
batur ruinam, quod non videbatur per
humanæ artis induſtriam poſſibile i-
ſius caſui obuiare. Ipſe verò de ſancti
viri meritis plene confidens; cum ma-
gnæ fidei deuotione petiit à ſociis eius
aliquid ſibi concedi, quod idem vir [illegible]
manibus contrectaſſet. Cum [illegible]
modicum de capillis ipſius, mul[illegible]
cum obtentum inſtantia, poſuit [illegible]
ſerò intrà muri ſciſſuram: mane [illegible]
gens tantâ inuēnit aperturam illam [illegible]
ſoliditate concluſam, vt nec reliqui[illegible]
polita poſſet extrahere, nec [illegible]
prioris veſtigium aliquod inuenir[illegible]
ctumque eſt, vt qui ruinoſo corp[illegible]
lo ſerui Dei ſedule miniſtrarat, [illegible]
domus propriæ periculo præcauer[illegible]

11\. Alio quoque tempore, vir [illegible] ad
quandam eremum transferre [illegible] vo-
lens, vt ibi liberiùs contemplationi
vacaret; quia debilis erat, cuiuſdam vi-
ri pauperis vectabatur aſello. Cum-
que diebus æſtiuis, famulum Chriſti ſe-
quendo, vir ille montana conſcendere-
ret, aſperioris & longioris viæ itinere
Fati-

10\. *Medici obſequium remunerat Franciſcus miraculose.*

fatigatus, nimioque ſitis ardore deficiens; inſtanter cœpit clamare poſt ſanctum; En morior, inquit, ſiti, niſi poculi alicuius beneficio continuò refociller. Abſque morâ vir Dei proſiliuit de aſino; & fixis in terrâ genibus, palmas tetendit in cælum, orare nõ ceſſans, donec ſe intellexit auditum. Oratione tandem finitâ; Feſtina, inquit viro, ad petram, & illic aquam viuam inuenies, quam tibi hac horâ, miſericorditer Chriſtus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ ſeruis ſuis tam facile ſe inclinat. Bibit ſitiens homo aquam de petrâ, orantis virtute productam, & poculum hauſit de ſaxo duriſſimo. Aquæ decurſus ibidem antè non fuit: nec, vt eſt diligenter quæſitum, deinceps potuit inueniri.

Oratione aquam è petrâ producit.

13\. Qualiter autem per merita ſui pauperis, Chriſtus multiplicauerit cibos in mari, cum ſuo ſit loco inferiùs adnotandum, hoc tantum cõmemoraſſe ſufficiat; quòd de eleemoſynâ modicâ ſibi collatâ, nautas à famis & mortis periculo, per dies plurimos liberauit: vt ex hoc liquidò poſſit aduerti, quòd omnipotẽtis Dei famulus, ſicut in eductione *aquæ de petrâ, cõformis exſtitit Moyſi; ſic in *multiplicatione victualium, Eliſæo. Procul igitur à pauperibus Chriſti diffidentia omnis abſcedat. Si enim paupertas Franciſci adeò copioſæ ſufficientiæ fuit, vt ſubuenientium ſibi, defectus tam mirâ virtute ſuppleret, quòd nec cibus, nec potus, nec domus deeſſet; cùm pecuniæ, & artis, & naturæ facultas defecerat; multò magis illa merebitur, quæ vſitato diuinæ prouidentiæ ordine, communiter conceduntur. Si, inquam, petræ ſiccitas ad pauperis vocem, abundans poculum ſitienti propinauit pauperculo: nil iam interomnia ſuũ denegabit obſequium his, qui pro auctore omnium omnia reliquerunt.

Similis Moyſi & Eliſæo. *Exod. 17. 6. *4. Reg. 4. 44.

CAPVT VIII.

De pietatis adfectu, & quomodo ratione carentia adfici videbantur ad ipſum.

§. 1. PIETAS *vera*, quæ ſecundùm *Apoſtolum, *ad omnia valet*, adeò cor Franciſci repleuerat, ac penetrauerat; vt totum videretur virum Dei, in ſuum dominium vendicaſſe. Hæc eſt, quæ ipſum per deuotionem ſurſum agebat in Deum, per compaſſionem transformabat in Chriſtum, per condeſcenſionem inclinabat ad proximum, & per vniuerſalem conciliationem ad ſingula, refigurabat ad innocentiæ ſtatum. Cumque per hanc piè moueretur ad omnia: ſpecialiter tamen animas Chriſti Ieſu ſanguine pretioſo redemptas, cùm cerneret inquinari aliquâ ſorde peccati, tantâ miſerationis teneritudine deplorabat, vt eas tanquam mater in Chriſto, quotidie parturiret. Et hæc penes ipſum cauſâ præcipua venerandi Verbi Dei miniſtros: quòd *ſemẽ fratri ſuo defuncto, Chriſto videlicet, pro peccatoribus crucifixo, per ipſorum conuerſionem, & ſolicita & pia ſolicitudine ſuſcitent, & ſolicita pietate gubernent. Huiuſmodi miſerationis officium *patri miſericordiarum, omni ſacrificio firmabat acceptius; maximè ſi ſtudio fuerit perfectæ caritatis impenſum: vt ad id laboretur magis exemplo, quàm verbo, magis lacrymoſâ prece, quàm loquaci ſermone. Plangendum proinde dicebat prædicatorem, tanquam vera pietate priuatum; ſiue qui in prædicatione, non animarum quærit ſalutem, ſed propriam laudem; ſiue qui prauitate deſtruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendum huic dicebat fratrem ſimplicem & elinguem, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum. Illud quoque verbum; *Donec ſterilis peperit plurimos*; taliter exponebat: Sterilis, inquit, eſt frater pauperculus, qui non habet generandi in Eccleſiâ filios officium. Hic pariet in iudicio plurimos: quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Chriſtum, ſuæ gloriæ tunc Iudex adſcribet. quæ multos habet filios, infirmabitur: quia prædicator vanus & loquax; qui multis nunc, quaſi ſua virtute genitis gaudet, cognoſcet tunc ſe nil proprij habere in eis.

*1. Tim. 4. 8. *Pietas S. Franciſci totum ſibi vendicat.*

Verbi Dei miniſtros venerabatur pie. *Deut. 25. 6. *2. Cor. 1. 3. *Non verbo & exemplo laudat.* *1. Reg. 2. 5.

9\. Cùm igitur animarum ſalutem viſceroſa pietate appeteret, & feruida æmulatione zelaret: ſuauiſſimis ſe dicebat repleri odoribus, & quaſi vnguento pretioſo liniri, cùm ſanctorum fratrum per orbẽ diſtantium odoriferâ fama, multos audiret ad viã veritatis induci. Ex taliũ auditu exſultabat in ſpiritu; benedictionibus omni acceptione digniſſimis fratres illos accumulãs, qui verbo vel opere ad Chriſti amorem

Bonis fratribus gaudet.

Sic etiam qui
inducerent peccatores. iniquis violaret
Religionem ſacram, maledictionis eius grauiſſi-
operibus, maledictionis ſententiam; A te
mam incurrebant ſententiam, ſanctiſſime, & à tota
Domine, inquit, ſanctiſſime, & à me paruulo tuo ſint
cæleſti curià, & à me paruulo exemplo con-
maledicti, qui ſuo malo exemplo per ſanctos
fundunt & deſtruunt, quod per ſanctos ædi-
fratres Ordinis huius ædificaſti, & ædi-
ficare non ceſſas. Tantà frequenter af-
ficiebatur mœſtitiâ ſuper ſcãdalo puſil-
lorum, vt deficere ſe putaret, niſi diui-
næ fuiſſet clementiæ conſolatione ſuf-
fultus. Cum autem ſemel malis turba-
tus exemplis, anxio ſpiritu miſericor-
dem patrem precaretur pro filiis; re-
ſponſum huiuſmodi reportauit à Do-
mino; Cur tu pauper homunclo con-
turbaris? An ego te ſuper Religionem
meam ſic paſtorem inſtitui, vt me prin-
cipalem neſcias eſſe patronum? Homi-
nem ſimplicem ad hoc te conſtitui: vt
quæ in te fecero, non humanæ indu-
ſtriæ, ſed ſupernæ gratiæ adſcribantur.
Ego vocaui, ſeruabo, & paſcam, & aliis
excidentibus alios ſubrogabo: ita vt ſi
nati non fuerint, faciam illos naſci. Et
quantiſcunque fuerit impulſibus pau-
percula hæc cõcuſſa Religio, ſalua ſem-
per meo munere permanebit.

Maledicit improbis.

3\. Detractionem abhorret ... Eccl. 10. 11.

Detractionis quoque vitium inimi-
cum fonti pietatis & gratiæ, tanquam
*ſerpentinum abhorrebat morſum, & pro eo
atrociſſimam peſtem & piiſſimo Deo
abominabile fore firmabat: pro eo
quod detractor animarum ſanguine
paſcitur, quos gladio linguæ necat.
Audiens ſemel fratrem quendam de-
nigrare famam alterius; conuerſus ad
Vicarium ſuum dixit; Surge, ſurge, diſ-
cute diligenter; & ſi accuſatum fra-
trem innocentem reperis, accuſan-
tem durâ correctione cunctis redde no-
tabilem. Nonnunquam verò eum, qui
fratrem ſuum famæ gloriâ ſpoliaret,
iudicabat habitu ſpoliandum; nec ad
Dominum oculos poſſe leuare, niſi
prius, quod abſtulerat, reddere pro
poſſe curaret. Tantò maior eſt (aiebat)
detractorum impietas, quàm latro-
num, quanto lex Christi, quæ in obſer-
uantia pietatis impletur, magis anima-
rum, quàm corporum nos aſtringit o-
pare ſalutem.

Detractorum maior impietas quam latronum.

Afflictis quoque qualicunque cor-
porali moleſtiâ, mirâ paſſionis teneri-
tudine condeſcendens; ſi quid penu-
riæ, ſi quid defectus in aliquo cerne-
ret, pij cordis dulcedine referebat in

4\. In aliorum afflictionibus Christum contemplatur.

Christum. Sa[illegible] clementiam habebat
ingenitam, qu[illegible] ſuperinfuſa Christi
pietas duplica[illegible] pauperes & infirmos; &
animus eius ad [illegible] rat manum, exhibebat
quibus non po[illegible] git ſemel, vt pauperi
affectum. Co[illegible] ynam importunè pe-
cuidam eleem[illegible] ibus durius reſponde-
tenti vnus e fra[illegible] s pauperum pius ama-
ret: quod audi[illegible] it, vt ad illius pauperis
tor, fratri præc[illegible] m proſterneret, pro-
pedes ſe nuda[illegible] lem, orationis ſuffra-
clamaret culpa[illegible] veniã. Quod cùm ille
giũ poſtularet [illegible] r, dulciter pater adie-
feciſſet humili[illegible] m vides, ô frater, ſpe-
cit. Dum paupe[illegible] nitur Domini, & pau-
culum tibi propo[illegible]. In infirmis ſimiliter
peris matris ei[illegible] aſſumpſit, conſide-
[illegible] infirmitates qu[illegible] pauperibus cunctis, &
ra. Cumque in [illegible] us pauper effigiem
ipſe Chriſti [illegible] qua etiam neceſ-
Chriſti proſpic[illegible] fuiſſent, eis occur-
ſaria vitæ ſibi col[illegible] liberaliter confe-
rentibus non ſol[illegible] ac ſi illorũ propria
rebat, verùm etiam eſſe reddenda. Acci-
eſſent, iudicabat eſſe reddenda. Acci-
dit ſemel, vt eidem redeunti de Senis,
pauper quidam occurreret; cùm occa-
ſione infirmitatis, ſuper habitum pal-
liolo quodam eſſet amictus. Cuius mi-
ſeriâ oculo clementi conſpectâ; Opor-
tet, inquit ad ſocium, vt reddamus man-
tellum pauperculo iſti, nam ipſius eſt:
mutuò enim ipſum accepimus, donec
pauperiorem inuenire contingeret. So-
cius autem, pij Patris neceſſitatem con-
ſiderãs, pertinaciter obſiſtebat, ne pro-
uideret alij, ſe neglecto. At ille; Pro
furto, ait, mihi reputo à magno eleē-
moſynario imputandum, ſi hoc quod
tero, nõ dedero magis egenti. Propter
ea, de omnibus quæ ſibi dabantur ſoli-
neceſſitatem corporis releuandam, ſolli-
citus erat à dantibus licentiam petere,
vt licitè poſſet, ſi magis egenus occur-
reret, erogare. Nulli prorſus rei parce-
bat, nec mantellis, nec tunicis, nec li-
bris, nec etiam paramentis altaris; ſed in
omnia hæc, dum poſſet, vt pietatis im-
pleret officium, indigentibus largieba-
tur. Pluries cùm oneratis obuiaret
vijs pauperibus, imbecilles humeros il-
lorum oneribus ſupponebat.

Pauper ſpeculum Domini Ieſu, & Virginis matris. * Iſaiæ 53. 4. Mat. 8. 17.

Palliolum ſuum dat pauperiori.

Conſideratione quoque primæ ori-
ginis omnium, abundantiori pietate re-
pletus, creaturas quantumlibet paruas,
fratris vel ſororis appellabat nomini-
bus: pro eo quòd ſciebat eas vnũ ſecum
habere principiũ. Illas tamen viſcero-
ſius cõplexabatur & dulciùs, quę Chriſti
man-

5\. Creaturas omnes ... fratres ... appellabat.

manſuetudinem piam, ſimilitudine naturali prætendunt, & Scripturæ ſignificatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem; illius memor * Agni mitiſſimi, qui ad occiſionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hoſpitato quadam vice ſeruo Dei apud monaſterium ſancti Verecundi, de Epiſcopatu Eugubij; ouicula quædam agniculum peperit illâ nocte. Aderat ſus ferociſſima, quæ vitæ innocentis non parcês, rapaci eum morſu necauit. Hoc audito, pius pater mirâ compaſſione commotus, & Agni ſine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens; Heu mē, frater agnicule, animal innocens, Chriſtum hominibus repræſentans! maledicta ſit impia, quæ te interfecit, nulluſque de eâ comedat homo, vel beſtia. Mirabile dictu. Statim infirmari cœpit porca malefica; & tribus diebus corpoream pœnam exſoluens, vltricem tandem pertulit necem. Proiecta autem in vallem monaſterij, ibique longo tempore iacens, in modum tabulæ deſiccata, nulli fuit eſca famelico. Aduertat, igitur humana impietas, quali pœnâ ſit ferienda finaliter; ſi tam horrenda morte percuſſa eſt ferocitas beſtialis. Perpendat & fidelis deuotio, quàm in ſeruo Dei pietas fuerit admirandæ virtutis, & copioſæ dulcedinis, vt ei applauderet ſuo modo etiam natura brutorum. Iter enim facientis iuxta ciuitatem Senenſem, inuenit in paſcuis magnū ouium gregem: Quas cùm benignè (vt erat ſolitus) ſalutaſſet, relicto paſtu, cucurrerunt omnes ad eum; leuanteſque capita ſua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applauſum, vt & paſtores mirarentur & fratres; cernentes circa ipſum tam ouium agnos quàm ipſos arietes ſic mirabiliter exſultantes.

* Iſaiæ 53. 7.

6\. Alio quoque tempore, apud ſanctam Mariam de Portiunculâ, quædam viro Dei fuit ouis oblata, quam propter innocentiæ & ſimplicitatis amorem, quas ouis natura prætendit, gratanter ſuſcepit. Monebat pius vir ouiculam, vt & laudibus diuinis intenderet, & ab omni fratrum offensâ caueret. Ouis autem, quaſi viri Dei pietatem aduerteret, informationem ipſius ſolicitè obſeruabat. Nam audiens fratres in choro cantare, & ipſa eccleſiam ingrediens, ſine alicuius informatione, flectebat genua; vocem balatus emittens, ante altare Virginis Matris Agni, ac ſi eam ſalutare geſtiret. Inſuper & cùm eleuaretur ſacratiſſimum Chriſti corpus, inter Miſſarum ſolennia, flexis curuabatur poplitibus: tanquam ſi reuerens pecus de irreuerentiâ indeuotos argueret; Chriſtoque deuotos ad Sacramenti reuerentiam inuitaret. Tempore quodam agniculum in Vrbe ſecum habuerat, ob reuerentiam illius mitiſsimi Agni; quem nobili matronæ, dominæ ſcilicet Iacobæ de Septem-ſoliis, in ſuo receſſu conſeruandum commiſit. Agnus verò quaſi in ſpiritualibus eruditus à Sancto, dominæ ad eccleſiam eunti, ſtanti & reuertenti, ſocietate inſeparabili cohærebat. Si matutinali horâ domina tardaret exſurgere; agnus impellebat eam corniculis, & balatibus excitabat, geſtibus adhortans & nutibus, vt ad Eccleſiam properaret. Propter quod, agnus Franciſci diſcipulus, deuotionis iam magiſter effectus, vt mirabilis & amabilis à dominâ ſeruabatur.

7\. Alio quoque tempore, apud Græcium, viuus viro Dei oblatus fuit lepuſculus; qui liber in terrâ poſitus, cùm poſſet quò vellet effugere, vocante ſe Patre benigno, in ſinum illius propero curſu ſaltauit: Quem ipſe pio cordis affectu circumfouens, videbatur eidem compati quaſi mater; dulcique allocutione commonitum, ne ſe iterum capi permitteret; liberum abire permiſit. Cumque pluries in terrâ poſitus vt abſcederet, ſemper in ſinum Patris rediret (tanquam ſi ſenſu quodam occulto, cordis ipſius perciperet pietatem) tandem iuſſu Patris à fratribus delatus eſt ad loca ſolitudinis tutiora. Modo quoque conſimili, in inſulâ lacus Peruſini, cuniculus quidam captus, & viro Dei oblatus, cùm ceteros fugeret, manibus eius & ſinui, ſe domeſticâ ſecuritate commiſit.

8\. Per lacū Reatinū eidem ad eremū de Græcio properanti, piſcator vnā ex deuotione fluuialē obtulit auē, quam cùm libēter ſuſceptā apertis manibus ad receſſum, nec illa vellet abire; erectis in cælum oculis, diu in oratione permanſit; & quaſi aliunde poſt longam horam ad ſe reuerſus, dulciter iteratò mandauit auiculæ, vt * Dominum laudatura recederet. Suſceptâ itaq; cum benedictione licentiâ, geſtu corporis quoddam prætendens gaudium, auolauit. In eodem lacu, ſimiliter oblatus fuit ei piſcis magnus & viuus; quem

* Pſal. 148.

more ſolito, fraterno nomine vocans, in aquam repoſuit iuxta nauem. Piſcis vero coram viro Dei ludebat in aquâ; & quaſi amore illius allectus, nullatenus receſſit a naui, niſi priùs ab eodem cum benedictione licentiâ ſibi datâ.

9. Aues ad [illegible] ſilent, tantiſper dum [illegible] legit [illegible].

Alio quoque tempore, ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiarum, inuenit maximam auium multitudinem reſidentium, & cantantium in virgultis. Quibus viſis dixit ad ſocium; Sorores aues laudant creatorem ſuum: nos itaque in medium ipſarum euntes, laudes & horas Canonicas Domino decantemus. Cumque in medium ipſarum intraſſent, non ſunt aues motę de loco. & quia propter garritum ipſarum, in dicendis horis ſe mutuò audire non poterant, conuerſus vir ſanctus dixit ad aues; Sorores aues, à cantu ceſſate, donec laudes Deo debitas perſoluamus. At illæ continuò tacuerunt, tam diu in ſilentio perſiſtentes, quamdiu dictis horis ſpatiosè, & laudibus perſolutis, à Sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam, ſtatim more ſolito cantum ſuum reſumpſerunt.

10. Cicada eſt ad laudes Dei excitans.

Apud ſanctam Mariam de Portiuncula, iuxta cellam viri Dei, ſuper ficum cicada reſidens & decantans, cùm ſeruum Domini (qui etiam in paruis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat) ad diuinas laudes, cantu ſuo frequentiùs excitaret; ab eodem quadam die vocata, velut edocta cælitus, ſuper manum volauit ipſius. Cui cum dixiſſet; Canta ſoror mea cicada; & Dominum creatorem tuo iubilo lauda: ſine morâ obediens canere cœpit; nec deſtitit, donec iuſſu patris ad locū proprium reuolauit. Manſit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando, & recedendo, eius iuſſa perficiens. Tandem vir Dei ait ad ſocios; Demus iam ſorori noſtræ cicadæ licentiam: ſatis enim nos ſuo cantu lætificans, ad laudes Dei octo dierum ſpatio excitauit. Et ſtatim ab eo licentiata receſſit, nec vltrà ibidem apparuit; ac ſi mandatum ipſius non auderet aliquatenus præterire.

11. Phaſianus ab eo non patitur ſeiungi.

Eidem Seni infirmo, phaſianus quidam de nouo captus, à nobili quodam tranſmiſſus eſt viuus; qui continuò verum ſanctum audiuit & vidit, tantâ ei [illegible] icabilitate cohæſit, vt nullo modo [illegible] retur ab ipſo ſeiungi. Nam pluri[illegible] cibus, extra locellum fratrum, in vineâ poſitus, [illegible] abiret, ſi vellet, rapido ſemper cu[rſu] [illegible] redibat ad Patrem: tanquã ſi ab [illegible] [il]lem omni fuiſſet tempore educatus. [illegible] einde cuidam collatus viro, qui ex de[uotione] [illegible] ſeruum Dei viſitare ſolebat [illegible] elut ſibi ſeruum foret à pij Patris [illegible] ſentari moleſtum, eſcam recuſauit [illegible] omnino conſpectu, tandem ad fam[ulum] [illegible] dū Dei, Reportatus ſpexit eundem [illegible] quibus ſtatim vt conprætenſis geſti[illegible] as, auidè manducauit.

12. Aues congratulantur ei aduenienti.

Cùm adeſſent [illegible] um perueniſſet hilaritatis riæ, propter Qua[illegible] drageſimam celebrandam in honore [illegible] Archangeli Michaelis; diuerſi generis aues circa ipſius cellulam volitantes, concentu ſonoro, & lætitiæ geſtibus [illegible] quaſi de eius aduentu gaudentes, Patrem pium inuitare, ac allicere videbantur ad moram. Quo viſo, dixit ad ſocium; Cerno frater, voluntatis eſſe diuinæ, quod hîc aliquamdiu commoremur: tantum ſorores auiculæ de noſtra videntur præſentia conſolari. Cùm igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans, magno ſe illi amicitiæ fœdere copulauit. Nam ſemper horam nocturno tempore, in quâ vir ſanctus ad diuina officia ſurgere ſolitus erat, cantu ſuo præueniebat & ſono. quod famulo Dei gratiſſimum erat; eo quod tanta ſollicitudo, quam circa eū gerebat, omnē ab ipſo torporem deſidiæ excuteret. Cū verò ſeruus Chriſti infirmitate plus ſolito grauaretur, parcebat falco, nec tam tempeſtiuas indicebat vigilias: ſiquidem velut inſtructus à Deo, circa diluculum, ſuæ vocis campanam leui tactu pulſabat. Diuinum certè videtur fuiſſe præſagium, tam in exſultatione multi[mo]di generis auium, quàm in cantu falconis: cùm Dei laudator & cultor, pennis contemplationis ſubuectus, tunc fo[illegible] illic apparitione Seraphicâ ſublim[an]dus.

Falco eum excitat à ſomno.

13. Luporum rabies ceſſat.

Moram eo faciente, tempore quodam [illegible] dam in eremitorio Græcij; loci illius indigenæ malis multiplicibus [illegible] bantur. Nam & luporum rapac[illegible] multitudo, non ſolùm bruta, ſed & [ho]mines conſumebat; & grando an[illegible] tempeſtate blada & vineas deuaſtabat. Dum igitur ſic afflictis præco ſacri Euangelij prædicaret, dixit ad eos; Ad honorem & laudem Dei omnipotentis fideiubeo vobis, quòd peſtilentia hæc omnis abſcedet, & reſpiciens vos Dominus, multiplicabit in temporalibus bonis, ſi mihi credentes miſereamini veſtri:

[illegible]

veſtri : vt vera confeſſione præmiſſâ, dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuncio vobis, quòd ſi beneficiis ingrati, ad * vomitum conuerſi fueritis; innouabitur plaga, duplicabitur pœna, & maior in vos irâ deſæuiet. Ab illâ vtique hora, pœnitentiam ad exhortationem ipſius agentibus illis, ceſſauerũt clades, periêre pericula; nec moleſtiæ quicquam lupi intulêre, vel grandines. Imò quod maius eſt, ſi quando vicinorum arua grando peruaderet: illorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam diuertebat. Ceſſauit grando, ſeruauerunt & lupi pactionem ſerui Dei; nec contra pietatis legem, in homines ad pietatem conuerſos, attentauerunt amplius deſæuire; quamdiu iuxta condictum, contra piiſſimas Dei leges impiè non egerunt. Piè igitur ſentiendum eſt de pietate viri beati; quæ tam miræ dulcedinis & virtutis fuit, vt domaret ferocia, domeſticaret ſilueſtria, manſueta doceret; & brutorum naturam homini iam lapſo rebellem, ad ſui obedientiam inclinaret. Verè hæc eſt quæ cunctas ſibi creaturas confœderans, * *valet ad omnia, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.*

* Prou. 26. 11. 2. Pet. 2. 22.
* 1. Tim. 4.

CAPVT IX.

De feruore caritatis eius, & deſiderio martyrij.

§. 1. *Caritate totus ignitus.*

CARITATEM feruentem, quâ ſponſi amicus Franciſcus ardebat, quis enarrare ſufficiat? totus namque quaſi quidam carbo ignitus, diuini amoris flammâ videbatur abſorptus. Subitò enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur; quaſi plectro vocis extrinſecæ chorda cordis interior tangeretur. Talem pro eleemoſynis cenſum offerre, nobilem prodigalitatẽ dicebat. & eos qui minùs ipſum, quàm denarios reputarent, eſſe ſtultiſsimos: pro eo quòd ſolius diuini amoris inæſtimabile pretiũ, ad regnum cælorum ſufficiat comparandum; & eius, qui nos multum amauit, multum ſit, amor amandus. Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinum, exſultabat in cũctis operibus manuum Domini; & per iucunditatis ſpecula, in viuificam conſurgebat rationem & cauſſam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia proſequebatur vbique dilectum; de omnibus ſibi ſcalam faciens, per quam conſcenderet ad apprehendendum eum, qui eſt deſiderabilis totus. Inauditæ namque deuotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis ſingulis, tanquam in riuulis deguſtabat; & quaſi cæleſtem concentum perciperet, in conſonantiâ virtutum, & actuum eis datorum à Deo, ipſas ad laudẽ Domini * more Prophetæ Dauid dulciter hortabatur.

Scala ad Deum illi fuere creaturæ.

* Pſ. 148. 1. Dan. 3. 57.

2. Chriſtus Ieſus crucifixus intra ſuæ mẽtis vbera, vt * myrrhæ faſciculus iugiter morabatur; in quem optabat, per exceſſiui amoris incendium, totaliter transformari. Prærogatiuâ quoque peculiaris deuotionis ad ipſum, ab Epiphaniæ feſto, vſque ad continuos quadraginta dies, eo ſcilicet tempore, quo * Chriſtus latuit in deſerto, ad ſolitudinis loca declinans, cellâque recluſus, quantâ poterat artitudine cibi & potus, ieiuniis, & orationibus, & laudibus Dei ſine intermiſſione vacabat; tam feruido quidem in Chriſtum ferebatur affectu. Sed & dilectus, illi tam familiarem rependebat amorem, vt videretur ipſi famulo Dei, quaſi iugem præ oculis, ipſius Saluatoris ſentire præſentiam; ſicut aliquando ſociis familiariter reuelauit. Flagrabat erga ſacramentum Dominici corporis, feruore omnium medullarum; ſtupore admirans permaximo, illam cariſſimam dignationem, & dignantiſsimam caritatem. Sæpe communicabat, & tam deuotè, vt alios deuotos efficeret: dum ad immaculati Agni deguſtationem ſuauem, quaſi ſpiritu ebrius, in mentis vt plurimum rapiebatur exceſſum. Matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti indicibili complectebatur amore: eò quòd Dominum Maieſtatis fratrem nobis effecerit, & per eam ſimus miſericordiam conſequuti. In ipsâ poſt Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui ac ſuorum aduocatam conſtituit; & ad honorem ipſius à feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, vſque ad feſtum Aſſumtionis, deuotiſsimè ieiunabat. Angelicis ſpiritibus * ardentibus igne mirifico, ad excedendũ in Deum, & electorum animas inflammandas, inſeparabilis erat amoris vinculo copulatus; & ob deuotionem ipſorum, ab Aſſumtione Virginis glorioſæ, quadraginta diebus ieiunans, orationi iugiter inſiſtebat. Beato autem Michaeli Archan-

* Cant. 1. 13.

Ieiunat ab Epiphania Domini dies 40.

* Mat. 4. 1.

Flagrabat amore in S. Euchariſtiam.

Sæpe communicabat, & deuotè.

S. Mariam ſuam aduocatam fecit, ieiunauit.

Angelorum ardens amator.

* Pſ. 103. 4.

Archangelo, eò quòd animarum repræ-
ſentandarum haberet officium, ſpecia-
liter erat amore deuotior: propter ferui-
dum quem habebat zelum, ad ſalutem
omnium ſaluandorum. Ex recordatio-
ne Sanctorum omnium, tanquam lapi-
dum ignitorum, in Deificum recaleſce-
bat incẽdium. Apoſtolos omnes, & præ-
cipue Petrũ & Paullum, propter ferui-
dam caritatem quã habuerunt ad Chri-
ſtum, ſummâ deuotione complexans:
ob quorum reuerentiam & amorem,
quadrageſimæ ſpecialis ieiunium Do-
mino dedicabat.

3\. Non habebat aliud Chriſti pauper
niſi duo minuta, corpus ſcilicet & ani-
mam, quod poſſet liberali caritate lar-
giri. Sed hæc per amorem Chriſti ſic
offerebat continuè, vt quaſi omni tem-
pore per rigorem ieiunii corpus: & per
ardorem deſiderij, ſpiritum immolaret:
exterius in atrio ſacrificans holocau-
ſtum, & in templo interius concre-
mans thymiama. Sic autem eum cari-
tatis exceſſiua deuotio ſurſum in diui-
na ferebat, vt eiuſdem conſortes & be-
nignitas ad naturæ conſortes & gra-
tia dilataret. Quem enim creaturis
ceteris germanum pietas cordis effe-
cerat; mirum non eſt, ſi Creatoris in-
ſignitis imagine, & ſanguine redem-
ptis auctoris, germaniorem Chriſti ca-
ritas faciebat. Non ſe Chriſti reputa-
bat amicum, niſi animas fouêret, quas
ille redemit. Saluti animarum nihil
præferendum eſſe dicebat: eo maximè
probans, quòd vnigenitus Dei pro ani-
mabus dignatus fuerit in cruce pendê-
re. Hinc ſibi in oratione luctamen, in
prædicatione diſcurſus, & in exemplis
dandis exceſſus. Vnde quoties auſteri-
tas nimia reprehenderetur in ipſo; re-
ſpondebat ſe datum aliis in exemplum.
Licet enim innocens eius caro, quæ iam
ſe ſponte ſubdebat ſpiritui, nullo ege-
ret flagello, propter offenſas: tamen
exempli cauſâ renouabat illi pœnas &
onera, * cuſtodiens propter alios vias
duras. Dicebat enim, ** Si linguis hominum loquar, & Angelorum; caritatem autem in me ipſo non habeam*, & proximis virtutum ex-
empla non monſtrem, parum proſum
aliis, mihi nihil.

4\. Feruenti quoque caritatis incendio,
gloriosum ſanctorum Martyrum æmu-
labatur triumphum; in quibus nec a-
moris flamma extingui, nec fortitudo
poterit infirmari. Deſiderabat propte-
rea & ipſe, illa perfecta caritate ſuccen-

ſus, quæ * foras mittit timorem, per mar-
tyrij flammam hoſtiam Domino ſe of-
ferre viuente: vt & vicem Chriſto
pro nobis morienti rependeret, & ad
diuinum amorem ceteros prouocaret.
Sexto namque conuerſionis ſuæ anno,
deſiderio martyrii flagrans, & prædi-
candam fidem Chriſtianam, & pœni-
tentiam Saracenis & aliis infidelibus,
ad partes Syriæ transfretare diſpoſuit.
Cumque nauem quandam vt illuc ten-
deret, conſcendiſſet, ventis contrariis
flantibus, compulſus eſt in Sclauoniæ
partibus applicare. Cum igitur moram
aliquandiu contraxiſſet ibidem, nec in-
uenire poſſet nauem tunc temporis
transfretantem, fraudatum à ſuo deſi-
derio ſe ſentiens, nautas quoſdam An-
conam tendentes, vt amore Dei cum
ſecum ducerent, exorauit. Verùm il-
lis propter expenſarum defectum, per-
tinaciter recuſantibus; vir Dei pluri-
mùm de Domini bonitate confiſus, na-
uem cum ſocio latenter conſcendit.
Adfuit quidam, à Deo, vt creditur, pro
paupere ſuo miſſus, qui ſecum ferens
neceſſaria victui, quendam timentem
Deum de naui ad ſe vocatum ſic allo-
quutus eſt; Hæc pro pauperibus fratri-
bus in naui latitantibus, conſerua fide-
liter, ac neceſſitatis tempore amicabi-
liter ſubminiſtra. ſicque factum eſt, vt
nautis propter vim ventorum, per dies
plurimos nuſquam applicare valenti-
bus, omnia conſumerentur ipſorum
cibaria, & ſola pauperi Franciſco col-
lata deſuper eleemoſyna ſupereſſet.
Quæ cùm eſſet permodica, tantum di-
uina virtute ſuſcepit augmentum, vt
diebus plurimis in mari, propter tem-
peſtatem continuam contrahentibus
moram, vſque ad portum Anconæ, om-
nium neceſſitatibus plenariè ſubueni-
ret. Videntes itaque nautæ, per ſeruum
Dei multa ſe mortis euaſiſſe diſcrimi-
na; tanquam qui maris horrenda peri-
cula ſenſerant, & miranda opera Do-
mini viderant in profundo; gratias e-
gerunt omnipotenti Deo, qui ſem per
in ſuis amicis & * ſeruis mirabilem &
amabilem ſe oſtendit. Cùm autem re-
cto mari terram perambulare cœpiſſet,
iactato in eam ſalutis ſemine, reporta-
bat manipulos fructuoſos.

5\. Verum quia martyrij fructus adeò
cor eius allexerat, vt pretioſam pro
Chriſto mortem, ſuper omnia virtu-
tum merita peroptaret, verſus Marro-
chium iter arripuit, vt Miramolino & genti

Item Apoſtolorum.
* Eccli. 28. 12.

Animarũ ſalutem imprimis ardebat.

* Pſal. 16. 4.
1\. Cor. 13. 1.

SS. Martyrum amulabatur triumphum.

* 1. Ioan. 4. 18.

In Syriam transfretat.

Victualium cibus in naui non conſumitur.

* Pſal. 67. 36.

Marrochiū petit. genti eius Chriſti Euangelium prædicaret: ſi quo modo ad concupitam palmam valeret attingere. Tanto namque deſiderio ferebatur, vt quamuis eſſet imbecillis corpore, peregrinationis ſuæ præcurreret comitem; & ad exſequendum propoſitum feſtinus, & tanquam ſpiritu ebrius aduolaret. Sed cùm iam vſque in Hiſpaniam perrexiſſet, diuinâ diſpoſitione, quæ ipſum reſeruabat ad alia; grauiſſima ei ſuperuênit infirmitas, quâ præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequiuit. Sentiens igitur vir Dei, quòd neceſſaria erat adhuc proli quam genuerat, ipſius vita in carne, quamuis mortem ſibi lucrum putaret eſſe; rediit ad paſcendum oues ſuæ ſolicitudini commendatas.

6\. Verùm caritatis ardore, ſpiritum ipſius ad martyrium perurgente, tertiâ adhuc vice, pro fide Trinitatis, effuſione ſui ſanguinis dilatandâ, verſus infideles proficiſci tentauit. Tertio decimo namque conuerſionis ſuæ anno, ad *Rurſus proficiſcitur in Syriam.* partes Syriæ pergens, multis ſe periculis conſtanter expoſuit, vt Soldani Babyloniæ poſſet adire præſentiam. Inter Chriſtianos enim ac Saracenos tunc bellum tam implacabile erat, exercituum caſtris hinc inde in campo cominus ex aduerſo locatis, vt via mutui tranſitus ſine mortis diſcrimine non pateret. Exierat ſiquidem à Soldano edictum crudele; vt quicumque caput alicuius Chriſtiani afferret, Biſantium aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Chriſti miles Franciſcus, ſperans in proximo ſuum adipiſci poſſe propoſitum, definiuit iter arripere; mortis pauore non territus, ſed deſiderio prouocatus. Oratione namque præmiſſâ, confortatus à Domino, confidenter illud propheticum **Pſal. 22. 4.* decantabat; * *Nam etſi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Aſſumpto igitur ſocio fratre Illuminato nomine, viro vtique luminis & virtutis; cùm iter cœpiſſet, obuias habuit ouiculas duas: quibus viſis exhilaratus vir ſanctus, dixit ad ſocium; Confide frater in Domino: nam in nobis Euangelicum illud im- **Mat. 10. 16* pletur; * *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Cùm autem proceſſiſſent vlte- *A Saracenis capitur.* rius, occurrerunt ei ſatellites Saraceni: qui tanquam lupi celeriùs accurrentes ad oues, ſeruos Dei feraliter comprehenſos, crudeliter & contemtibiliter pertractarunt, afficientes conuitiis, affligentes verberibus, & vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter, & attritos ad Soldanum, diuinâ diſponente prouidentiâ, iuxta viri Dei deſiderium perduxerunt. Cùm *Soldanum ad fidem hortatur Chriſtianā.* igitur princeps ille perquireret, à quibus, & ad quid, & qualiter miſſi eſſent, & quomodo adueniſſent: intrepido corde reſpondit Chriſti ſeruus Franciſcus; Non ab homine, ſed à Deo Altiſſimo ſe fuiſſe tranſmiſſum: vt ei & populo ſuo viam ſalutis oſtenderet, & annunciaret Euangelium veritatis.

7\. Tantâ verò mentis conſtantiâ, tantâ virtute animi, tantoque feruore ſpiritus, prędicto Soldano prædicauit Deum trinum & vnum; & Saluatorem omnium Ieſum Chriſtum; vt Euangelicum illud in ipſo clareſceret veraciter eſſe **Lucæ 21. 15* completum; * *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Nam & Soldanus admirandum in viro Dei feruorem ſpiritus conſpiciens & virtutem, libenter ipſum audiebat, & ad moram contrahendam cum eo, inſtantiùs inuitabat. Chriſti verò ſeruus ſuperno illuſtratus oraculo: Si vis, inquit, conuerti tu, cum populo tuo ad Chriſtum; ob illius amorem libenter vobiſcum commorabor. Quòd ſi hæſitas, propter fidem Chriſti, legem Mahumeti dimittere, iube ignem accendi permaximum; & ego cum ſacerdotibus tuis i- *Ignem paratus ſubire pro confirmatione fidei Catholicæ.* gnem ingrediar; vt vel ſic cognoſcas, quæ fides certior & ſanctior non immeritò tenenda ſit. Ad quem Soldanus; Non credo quòd aliquis de ſacerdotibus meis ſe vellet igni propter fidem ſuam defenſandam exponere, vel genus aliquod ſubire tormenti. Viderat enim ſtatim quendam de presbyteris ſuis, virum authenticum & longæuum, hoc audito verbo, de ſuis conſpectibus aufugiſſe. Ad quem vir ſanctus; Si mihi velis promittere pro te, & populo tuo, quòd ad Chriſti cultum, ſi ignem illæſus exiero, veniatis; ignem ſolus introibo. & ſi combuſtus fuero, imputetur peccatis meis. ſi autem diuina me protexerit virtus; Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam, verum Deum, & Dominum Saluatorem omnium agnoſcatis. Soldanus autem optionem hanc accipere ſe non audere reſpondit: quia ſeditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretioſa, quæ

vir

Soldani munera ſpreuit.

vir Dei non mundanarum rerum, ſed ſalutis animarum auidus, ſpreuit omnia quaſi lutum. Soldanus autem videns virum ſanctum, tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, maiorem erga ipſum deuotionem concepit. Et quamuis ad fidem Chriſtianam tranſire nollet, vel forſan non auderet: rogauit tamen deuotè famulum Chriſti, vt prædicta ſuſciperet pro ſalute ipſius, Chriſtianis pauperibus vel Eccleſiis eroganda. Ipſe verò quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit. Videns etiam ſe non proficere in conuerſione gentis illius, nec ſuum aſſequi poſſe propoſitum; ad partes fidelium, diuinâ reuelatione præmonitus, remeauit. Sic itaque Dei ordinante clementiâ, & ſancti viri promerente virtute, miſericorditer & mirabiliter factum eſt, quòd Chriſti amicus, mortem pro ipſo viribus totis exquireret, & tamen nullatenus inueniret: vt & merito non careret optati martyrij, & inſigniendus ſeruaretur in poſterum priuilegio ſingulari. Sic vtiq; factũ eſt, vt ignis ille diuinus, adhuc perfectiùs ipſius æſtuaret in corde, vt poſt * potentiùs euaporaret in carne. O verè beatum virum! cuius caro etſi tyrannico ferro non cæditur, occiſi tamen agni ſimilitudine non priuatur. O, inquam, verè ac plene beatum! cuius animam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit.

Redit ad ſuos.

* al patentius.

CAPVT X.

De ſtudio & virtute orationis.

§. 1. 2. Cor 5

SENTIENS Chriſti ſeruus Franciſcus*, corpore ſe peregrinum à Domino; cùm iam ad terrena foris deſideria, per Chriſti caritatem totus eſſet inſenſibilis factus: ne foret abſque conſolatione dilecti, * ſine intermiſſione orans, ſpiritum Deo contendebat exhibere præſentem. Erat quidem oratio contemplanti ſolatium; dum ſupernarum circuitu manſionum, Angelorum conciuis iam factus, feruenti deſiderio quærebat dilectum, à quo ſolus eum carnis paries diſiungebat. erat & operanti præſidium; dum in omnibus quæ agebat, de ſuâ diffidens induſtriâ, & de ſupernâ pietate confidens, per ipſius inſtantiam, totum in Domino cogitatum iactabat. Orationis gratiam viro religioſo deſiderandam ſuper omnia, firmiter aſſerebat: nullumque credens ſine ipſa in Dei proſperari ſeruitio, modis quibus poterat fratres ſuos ad eius ſtudium excitabat. Nam ambulans & ſedens, intus & foris, laborans & vacans, orationi adeò erat intentus; vt illi videretur, non ſolùm quicquid erat in eo cordis & corporis, verùm etiam operis & temporis dedicaſſe. Solitus erat nullam viſitationem ſpiritus, cum negligentia præterire. Siquidem cùm offerebatur, ſequebatur eam; & quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblatâ. Cùm autem intentus itineri, diuini ſpiritus aliquos ſentiret afflatus, ſociis præcedentibus gradum figebat; nouamque inſpirationem ad fruitionem conuertens, * gratiam non recipiebat in vacuum.

1. Theſ 5. 7.

Oratio ſolatium & præſidium.

Religioſo neceſſaria ſemper.

* 2. Cor 6. 1.

2. *Raptus in mentis exceſſum.*

Suſpendebatur multoties tanto contemplationis exceſſu, vt ſupra ſemetipſum raptus, & vltra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid ageretur circa ſe exteriùs ignoraret. Tranſiẽs namque ſemel per Burgum ſancti ſepulcri, caſtrum vtique populoſum, pro debilitate corporis ſubuectus aſello, obuias habuit turbas, in eum præ deuotione ruentes. Tractus autem & detentus ab eis, compreſſus quoque, ac multipliciter attrectatus, inſenſibilis videbatur ad omnia; & velut exanime corpus, de iis quæ fiebant circa ipſum, nihil penitus aduertebat. Vnde cùm iam diu tranſito caſtro, turbiſque relictis, perueniſſet ad quoddam domicilium leproſorum; quaſi aliunde rediens, cæleſtium contemplator, ſolicitè requiſiuit, quando propinquarent ad Burgum. mens quidem ipſius in cæleſtibus fixa ſplendoribus, varietates non ſenſerat locorum, nec temporum, nec occurrentium perſonarum. Quod ipſi accidiſſe frequentius, ſociorum eius experientia multiplex comprobauit.

3.

Dæmones orantem interturbare conantur.

Et quia in oratione perceperat ſancti Spiritus deſideratam præſentiam, tantò familiariùs ſe offerre precantibus, quanto plus inuenit elongatos à ſtrepitu mundanorum: ideò loca ſolitaria quærens, ad ſolitudines & Eccleſias derelictas oraturus nocte pergebat, vbi dæmonum pugnas horribiles frequenter ſuſtinuit; qui ſecum ſenſi-

ſenſibiliter confligētes, nitebantur ipſum ab orationis ſtudio perturbare. Ipſe verò armis munitus cęleſtibus, quanto vehementius impetebatur ab hoſtibus, tanto fortior in virtute, & feruentior reddebatur in prece; fidenter dicens ad Chriſtum; *Sub vmbrâ alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt*. Ad dæmones autem; Facite quicquid in me valetis, maligni ſpiritus, & fallaces. Non enim poteſtis, niſi quantum vos manus ſuperna relaxat: & ego ad perferendum omnia quæ illa infligenda decreuerit, cum omni iucunditate paratus aſſiſto; quam mentis conſtantiam ſuperbi dæmones non ferentes abſcedebant confuſi. Vir autem Dei ſolitarius remanens, & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lacrymis, pectora manu tundebat; & quaſi occultius ſecretariū nactus, confabulabatur cum Domino ſuo. ibi reſpondebat Iudici, ibi ſupplicabat Patri, ibi colloquebatur amico. Ibi quoque à fratribus ipſum piè obſeruantibus, aliquoties auditus eſt, clamoſis gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam altâ voce, quaſi coram ſe poſita Dominicam paſsionē. Ibi viſus es nocte orans manibus ad modum crucis protenſis, toto corpore ſubleuatus à terrâ, & nubeculâ quadam fulgente circundatus: vt illuſtrationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet. Ibi etiam, ſicut certis eſt comprobatum indiciis, incerta ſibi & occulta diuinæ ſapientiæ pandebātur: quamuis illa nō vulgaret exterius, niſi quantum Chriſti vrgebat caritas, & proximorū vtilitas exigebat. Dicebat enim; Leui mercede rem impretiabilem contingit amitti; & illum qui dedit, ad non dandum iterum facile prouocari.

* Pſal. 16. 8.

Non poſſunt quicquam, niſi Deo permittēte.

Orans manibus extenſis, in aerem ſubleuatur.

4. Quando à priuatis redibat orationibus, quibus penè in virum alterum mutabatur, ſummoperè ſtudebat conformare ſe cæteris: ne fortè quod foris oſtenderet, aura fauoris intus à mercede euacuaret. Cùm in publicō, ſubitò afficeretur viſitatus à Domino; ſemper aliquid obiiciebat aſtantibus, ne ſponſi familiares * attactus forinſecus vulgarentur. Exſcreationes, gemitus, duros anhelitus, extrinſecos nutus, orans inter fratres deuitabat omnino: ſiue quia diligebat ſecretum, ſiue quia ad interiora reintrans, totus ferebatur in Deū. Sæpe talia familiaribus dixit: Quando ſeruus Dei orans viſitatur diuinitus, dicere debet; Iſtam conſolationem mihi peccatori & indigno de cælo miſiſti Domine, & ego illam tuæ committo cuſtodiæ: quia theſauri tui me ſentio eſſe latronem. Cùm autem ab oratione reuertitur, ſic debet ſe pauperculum & peccatorem oſtendere, ac ſi nullam ſit nouam gratiam conſecutus.

Viſitationē Domini abſcondendam & gratiā. ad attractus.

5. Orante autem viro Dei in loco de Pòrtiuncula, contigit Aſſiſinatem Epiſcopum venire ad eum, vt erat ſolitus, viſitandum. Qui mox vt locum fuit ingreſſus, ad cellam, in qua Chriſti ſeruus orabat, plus debito fidenter acceſſit: pulſatóque oſtiolo, intraturum ſe ingerens, dum caput immiſit, ſanctúmque orantem conſpexit; repentino timore concuſſus, obrigeſcentibus membris etiam loquelam amiſit, ſubitoque voluntate diuina per vim foras propulſus, retrogrado pede procul abductus eſt. Stupefactus Epiſcopus, ad fratres feſtinauit, vt potuit: Deoque ſibi reſtituente loquelam, primo verbo confeſſus eſt culpam.

Oratio eius vt Deo placuerit.

Contigit tempore quodam, Abbatem monaſterij ſancti Iuſtini, de Epiſcopatu Peruſij, obuiare famulo Chriſti. quo viſo Abbas deuotus, celeriter de equo deſcendit: vt & viro Dei reuerentiam faceret, & de ſalute animæ aliqua cum ipſo conferret. Tandem habitâ collatione ſuaui, Abbas abſcedens, orari pro ſe humiliter petiit. Cui vir Deo carus reſpondit: Orabo libenter. Parum itaque diſcedente Abbate, dixit fidelis Franciſcus ad ſocium; Expecta frater modicum: quia debitum volo ſoluere, quod promiſi. Orante autem illo, ſubitò Abbas inſolitum calorem, & dulcedinem hactenus inexpertam ſenſit in ſpiritu: ita quòd in exceſſu mentis effectus, totus à ſeipſo in Deum defecit. Parua morula ſubſtitit: & in ſe reuerſus, virtutem orationis ſancti Franciſci cognouit. Maiore proinde circa Ordinem ſemper amore flagrauit, multiſque factum pro miraculo retulit.

Quantum eius [illegible] efficacia.

7. Solitus erat vir ſanctus horas Canonicas non minus timoratè Deo perſoluere, quàm deuotè. Nam licet oculorum, ſtomachi, ſpleni, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere dum pſalleret; ſed horas ſemper erectus, & ſine capitio, non gyrouagis oculis, nec cum aliqua ſyncopa perſoluebat. Siquando eſſet in

[illegible]

itinere conſtitutus, figebat tunc temporis greſſum; huiuſmodi conſuetudinem reuerentem & ſacram, propter plurimarum mundantiam nõ omittens. Dicebat enim, ſi quiete comedit corpus cibum ſuum, futurum cum ipſo vermium eſca: cum quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitę? Grauiter etiã ſe putabat offendere, ſi quando orationi deditus, vanis phantaſmatibus interius vagaretur: cum aliquid tale accideret, non parcebat confeſſioni, quin illud protinus expiaret. Hoc ſtudium ſic in vſum conuerterat, vt raro muſcas huiuſmodi pateretur.

8. Fecerat in Quadrageſimá quidam vaſculum vnum, vt minutias temporis, ne omnino excideret, occuparet. Quod dum dicenti Tertiam, in memoriam veniens, paululum ipſius animum diſtraxiſſet: motus feruore ſpiritus, vaſculum igne conſumpſit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cuius ſacrificium impediuit. Pſalmos cum tantá mẽtis & ſpiritus attentione dicebat, quaſi Deum pręſentem haberet; & cùm nomen Domini in eis occurreret, præ ſuauitatis dulcedine, labia ſua lingere videbatur. Ipſum quoque Domini nomen, non ſolum cogitatum, verum etiam prolatum & ſcriptum, reuerentia volens honorare pręcipua, fratribus perſuaſit aliquando, * vt omnes ſchedulas ſcriptas vbicunque repertas, colligerent, mundoque loco reponerent: ne forte ſacrum illud nomen ibi ſcriptum, contingeret conculcari. Nomẽ autem Ieſu cùm exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exterius alterari; ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmonicus ſonus ipſius immutaſſet auditum.

9. Contigit autem anno tertio ante obitum ſuum, vt memoriam natiuitatis pueri Ieſu, ad deuotionem excitandam, apud caſtrum Græcij diſponeret agere, cum quanto maiori ſolemnitate valeret. Ne verò hoc nouitati poſſet aſſcribi: à ſummo Pontifice petitâ & obtentâ licentiâ fecit præparari præſepium, apportari fœnum, bouem & aſinum ad locum adduci. Aduocantur fratres, adueniunt populi, perſonat ſilua voces; & venerabilis illa nox luminibus copioſis & claris, laudibuſque ſonoris, & conſonis, & ſplendens efficitur, & ſollennis. Stabat vir Dei coram præſepio pietate repletus, reſperſus lachrymis, & gaudio ſuperfuſus. Celebrantur Miſſarum ſolleñia ſuper præſepe, Leuita Chriſti Franciſco ſacrum Euangelium decantante. Prædicat deinde populo circumſtanti de natiuitate Regis pauperis; quem cùm nominare vellet, puerũ de Bethlehem, præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuoſus & verax, qui propter Chriſti amorem ſeculari relictâ militiâ, viro Dei magna fuit familiaritate coniunctus, dominus Ioannes de Græcio, ſe vidiſſe aſſeruit, puerulum quendam valde formoſum in illo præſepio dormientem; quem B. Pater Franciſcus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur à ſomno. Hanc ſiquidem deuoti militis viſionem, non ſolùm videntis ſanctitas credibilem facit: ſed & deſignata veritas comprobat, & miracula ſubſecuta cõfirmant. Nam exemplum Franciſci conſideratum à mundo, excitatiuum eſt cordium, in fide Chriſti torpentium; & fœnum pręſepij reſeruatum à populo, mirabiliter ſanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarum repulſiuum peſtium diuerſarum; glorificante Deo per omnia ſeruum ſuum, ſanctæque orationis efficaciam euidentibus miraculorum prodigijs demonſtrante.

Leuita Chriſti Franciſcus cantat Euangelium.

Concionatur de puero à Bethlehem.

Eum brachiis complexabatur.

CAPVT XI.

De intelligentiâ Scripturarum, & ſpiritu Prophetiæ.

§. 1.

AD tantam autem mentis ſerenitatẽ, indefeſſum orationis ſtudium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, vt quamuis non habuerit ſacrarum litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus ſcrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium, myſteriorũ abſcondita; & vbi magiſtralis ſcientia foris ſtat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris ſacris, & quod animo ſemel inmiſerat, tenaciter imprimebat memoriæ: quia nõ fruſtra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ deuotionis ruminabat affectu. Quærentibus aliquando fratribus, vtrum ſibi placeret, quod litterati iam recepti ad Ordinem, intenderent ſtudio ſacræ Scripturæ, reſpondit. Mihi quidem

Scripturarũ profunda penetrabat.

Studere permiſit, modò oratio non omittatur.

quidem placet: dum tamen exemplo Chriſti, qui magis oraſſe legitur quam legiſſe, orationis ſtudium nõ omittant, nec tantum ſtudeant, vt ſciant qualiter debeant loqui: ſed vt audita faciant, & cum fecerint, alijs facienda proponãt. Volo, inquit, fratres meos diſcipulos Euangelicos eſſe; ſicq; in notitia veritatis proficere, quòd in ſimplicitatis puritate concreſcant: vt * ſimplicitatem columbinam à prudentiâ ſerpentinâ non ſeparent, quas magiſter eximius ore ſuo benedicto coniunxit. * Matth. 10. 16.

2. Interrogatus Senis à quodã religioſo viro, Theologiæ ſacræ Doctore, de quibuſdam quæſtionibus difficilibus intellectu; tanta claritate doctrinæ, diuinæ ſapientiæ patefaciebat arcana, vt vehementer ſtuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret; Verè Theologia ſancti Patris iſtius, puritate & contemplatione, tanquam alis in altum ſubuecta, eſt aquila volans: noſtra verò ſcientia ventre graditur ſuper terram. * Licet enim eſſet imperitus ſermone, ſcientiâ tamen plenus enodabat dubia quæſtionũ, & abſcondita producebat in lucem. Nec abſonum, ſi vir ſanctus Scripturarum à Deo intellectum acceperat; cum per imitationem Chriſti perfectam, veritatem ipſarum deſcriptam geſtaret in opere, & per ſancti Spiritus vnctionem plenariam, doctorẽ earum apud ſe haberet in corde.

Alta S. Frãciſci Theologia. * 2. Cor. 11. 6.

3. Adeo etiam in ipſo claruit ſpiritus Prophetiæ, vt & præuideret futura, & cordium contueretur occulta; abſentia quoque velut præſentia cerneret, & ſe præſentem abſentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namque quo Damiatam Chriſtianorum obſidebat exercitus, aderat vir Dei non armis, ſed fide munitus. Cum igitur die belli Chriſtiani pararentur ad pugnam, hoc audito Chriſti ſeruus vehementer ingemuit; dixitque ſocio ſuo; Si belli fuerit attentatus congreſſus, oſtendit mihi Dominus non proſpere cedere Chriſtianis. Verum ſi hoc dixero, fatuus reputabor: ſi tacuero, conſcientiam non euadam. Quid igitur tibi videtur? Reſpondit ſocius eius dicens; Frater, pro * minimo tibi ſit, vt ab hominibus iudiceris: quia non modo incipis fatuus reputari. Exonera cõſcientiam tuam, & Deum magis time, quam homines. Quo audito, exiliens Chriſti præco, ſalutaribus monitis Chriſtianos aggreditur; prohibet bellum, denunciat caſum. Fit veritas in fabulam: indurauerunt cor ſuum, & noluerunt reuerti. Itur, committitur, & bellatur, totaque in fugam vertitur militia Chriſtiana, finem belli opprobrium referens, non triumphum. Tanta vero ſtrage Chriſtianorum imminutus eſt numerus, vt circa ſex millia fuerint inter mortuos & captiuos. In quo euidenter innotuit, quòd ſpernẽda non erat ſapientia pauperis: cum * *anima viri ſancti enuntiet aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores, ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.*

Spiritus prophetiæ in ipſo. *Chriſtianis Damiatam obſidentibus.* * 1. Cor. 4. 3. *Prædicit infelicitatem congreſſionis, ... abſtinere ... a prœlio.* * Eccli. 37. 18.

4. Alio quoque tempore, cum poſt reuerſionem ipſius de vltra mare, Celanum prædicaturus accederet: miles quidam, ſupplici cum deuotione, cum inſtantia magnâ inuitauit ad prandium. Venit itaq; ad militis domum; omniſque familia, pauperũ hoſpitum exultauit ingreſſu. Ante vero quam cibum ſumerent, iuxta ſolitum morem, vir mente deuotus, offerens Deo preces & laudes, oculis ſtabat eleuatis in cælum. Oratione completâ, benignum hoſpitem familiariter aduocatum in partem, ſic allocutus eſt: Ecce frater hoſpes, tuis victus precibus, vt manducarem, domum tuam intraui. Meis nunc cito monitis acquieſce: quoniam non hîc, ſed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus: nec in te remaneat quicquam quod veraci confeſſione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem: quoniam tantâ deuotione ſuos pauperes ſuſcepiſti. Acquieuit continuo vir ille ſermonibus ſancti; ſocioque ipſius vniuerſa peccata in confeſſione detegens, diſpoſuit domum ſuam, & ad mortem ſuſcipiendam ſe quantum valuit, præparauit. Intrauerunt tandem ad menſam: & incipientibus alijs manducare, hoſpes ſubito ſpiritũ exhalauit, iuxta verbum hominis Dei, repentina morte ſublatus. Sicque factum eſt, hoſpitalitatis gratia promerente; vt (iuxta verbum veritatis) * *Prophetam recipiens, mercedem Prophetæ acciperet*; dum per ſancti viri prænunciationem propheticam, miles ille deuotus, ſibi contra mortis ſubitaneæ periculum præmuniuit, quatenus armis pœnitentiæ communitus, perpetuam damnationem euaderet, & in æterna tabernacula introiret.

Hoſpiti ... mortem ... ; ſe ſalutem, ... confeſſus peccata moritur. * Matth. 10. 41.

5. Tempore quo vir ſanctus Reate iacebat infirmus, Præbendarius quidam nomine Gedeon, lubricus & mundanus, infirmitate graui correptus, & lecto decubans; cum ad eum fuiſſet delatus,

lacrymoſe rogabat eum ſimul aſtantibus, vt ab ipſo Crucis ſignaculo ſignaretur. Ad quem ille: Cum vixeris olim ſecundum deſideria carnis, non veritus iudicia Dei; quomodo te Cruce ſignabo? Verumtamen propter deuotas intercedentium preces, ſigno te Crucis ſignabo in nomine Domini. Tu tamen ſcito, te grauiora paſſurum, ſi ad vomitum redieris liberatus: *propter peccatum enim ingratitudinis, ſemper peiora prioribus inferuntur. Signo itaq; Crucis ſuper eum facto, ſtatim qui contractus iacuerat, ſurrexit ſanus; & in laudem Dei prorumpens: Ego, inquit, ſum liberatus. Inſonuerunt autem oſſa renum eius, audientibus cunctis; veluti cum manu ligna ſiccata franguntur. Pauci autem interlapſis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque ſero quodam cœnaſſet in domo cuiuſdam Canonici, nocteque illa dormiret ibidem: ſubito ſuper omnes corruit tectum domus. Ceteris autem euadentibus mortem, ſolus ille miſer interceptus atq; interemptus eſt. Iuſto igitur Dei iudicio *facta ſunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus, propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum: cum de acceptâ veniâ gratum eſſe oporteat, & duplò diſpliceat flagitium iteratum.

Sanat quem grauiora paſſurum prædixerat [illegible]

* Matt. 12. 45. Ioan. 5. 14. 2 Pet. 2. 20.

Opprimitur [illegible]

* Matth. 12. 45.

6. Alio quoq; tempore, mulier quædam nobilis, Deo deuota, venit ad Sanctum, vt ſuum ei explicaret dolorẽ, ac remedium poſtularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem aduerſarium patiebatur in ſeruitio Chriſti: & ideo petebat à Sancto, quatenus oraret pro illo, vt ſuâ Deus cor ipſius dignaretur emollire clementiâ. Ipſe vero hoc audiens, ait illi: Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo conſolationem tibi in proximo affuturam. Et adiecit: Dices ei ex parte Dei & mea, quod nunc eſt tempus clementiæ, poſtmodum æquitatis. Benedictione accepta reuertitur mulier; inuenit virum, denunciat verbum. Cecidit ſuper eum Spiritus ſanctus; & nouum factum de veteri, ſic facit cum manſuetudine reſpondere: Domina, ſeruiamus Domino, & ſaluemus animas noſtras. Suadente igitur ſanctâ vxore, pluribus annis cælibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migrauerunt. Miranda certe in viro Dei ſpiritus Prophetici virtus, qui & membris iam arentibus reſtituebat vigorem, & duris imprimebat cordibus pietatem, quanquam non minus eiuſdem ſpiritus ſit ſtupenda limpiditas, qua ſic futurorum præcognoſcebat euentum, vt etiam conſcientiarum ſcrutaretur arcanum, quaſi alter *Eliſæus duplicẽ Eliæ ſpiritum aſſequutus.

Crudelem virum manſuefacit.

* 4 Reg. 2. 9.

7. Nam cum Senis, viro cuidam familiari quædam ſuperuentura ſimiliter prædixiſſet; & vir ille peritus, de quo *ſupra mentio facta eſt, quod de Scripturis cum eo conferebat aliquando, his auditis, ab eodem ſancto Patre dubitando perquireret, an hæc ipſe dixiſſet, quæ illius viri relatione cognouerat: non ſolum ſe illa dixiſſe aſſeruit, verum etiam quærenti alienum euentum prophetando prædixit: quod vt certius cordi eius imprimeret, quoddam ſecretum conſcientiæ illius ſcrupulum, quem nulli vnquam viro patefecerat, & mirabiliter reuelando explicauit, & ſalubriter conſulendo reſoluit. Ad quorum omnium firmitatem accedit, quod vir ille religioſus, ſicut Chriſti famulus ei prædixit, ſic ſimiliter conſummauit.

* [illegible]

Occulta [illegible]

8. Eo quoque tempore, quo reuertebatur de vltramare, ſocium habens Fratrem Leonardum de Aſſiſio, contigit eum fatigatum & laſſum parumper aſellum conſcendere. Subſequens autem ſocius, & ipſe nonmodicum feſſus, cœpit dicere intra ſe, humanum aliquid paſſus: Non de pari ludebant parentes eius & mei. En ipſe equitat, & ego pedeſter aſinum eius duco. Hæc illo cogitante, protinus deſcendit de aſino vir ſanctus, & ait: Non, frater, conuenit, vt ego equitem, & tu venias pedes: quia nobilior & potentior in ſæculo tu me fuiſti. Obſtupuit illico frater, & rubore ſuffuſus, deprehenſum ſe recognoſcens, procidit ad pedes ipſius; & lacrymis irrigatus, nudum expoſuit cogitatum, veniamque popoſcit.

Cogitata [illegible]

9. Frater quidam Deo deuotus & famulo Chriſti, frequenti cogitatione verſabat in pectore, ſuperni fore gratia dignum, quem vir ſanctus familiari complecteretur affectu: quem vero tanquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputandum à Deo. Cum igitur cogitationis huius crebrius vexaretur impulſu, viri Dei familiaritatem cordis ſui vehementer optaret; nec tamen alicui adhuc reuelaret ſecretum, pater pius [illegible] ad ſe, dulciter [illegible] eſt: Nulla te turbet cogitatio fili [illegible] carisſimum [illegible] libenter [illegible] dilectionis [illegible] cipue mihi caros, & [illegible] per- [illegible] meæ familiaritatis.

pendo. Miratus exinde frater, factuſque deuotior ex deuoto, non ſolùm in amore creuit hominis ſancti, verùm etiam per Spiritus ſancti gratiæ munus, donis eſt maioribus cumulatus.

10. *Verba cum ſcripta tentationem profligant.*

Cùm autē in monte maneret Aluernæ cellà recluſus, vnus è ſocijs magno deſiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod ſcriptum, manu ipſius breuiter annotatum: grauem enim, quà vexabatur, tentationem, non carnis ſed ſpiritus, ex hoc credebat euadere, vel certè leuiùs ferre. Tali deſiderio languens anxiabatur interiùs: quia verecundià victus, reuerēdo Patri rem pandere nō audebat. Sed cui homo non dixit, ſpiritus reuelauit. Portari namque ſibi iuſſit à fratre prædicto atramentum & chartam; laudeſq; Domini iuxta fratris deſiderium proprià manu ſcripſit. & vltimò benedictionem ipſius, dicens; Accipe tibi chartulam iſtam, & vſq; ad diem mortis tuæ cuſtodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum; & ſtatim omnis illa tentatio effugatur. Seruatur littera; & cùm in poſterum miranda effecerit, virtutum Franciſci teſtimonium fuit.

11. Frater quidam erat, quantum à foris videbatur, ſanctitate pręclarus; conuerſatione inſignis, tamen admodum ſingularis. Omni tempore orationi vacās, tantà diſtrictione ſilētium obſeruabat, quòd conſueuerat non verbis, ſed nutibus confiteri. Accidit autem ſanctum Patrē venire ad locum, videre fratrem; & de ipſo cū alijs fratribus habere ſermonem. Commendantibus autem omnibus, & magnificātibus illum, reſpondit vir Dei; Sinite fratres: ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate ſciatis, quòd diabolica tentatio eſt, & deceptio fraudulēta. Durè acceperūt hoc fratres, tanquam impoſſibile iudicantes: quòd tot perfectionis indicijs, fraudis ſe commenta fucarent. Verùm non poſt multos dies, eo Religionem egreſſo, euidenter apparuit, quanta luculentià interioris contuitus, vir Dei, cordis eius ſecreta perſpexit. Multorum quoque per hunc modum, qui ſtare videbantur, ruinam; ſed & plurium peruerſorum conuerſionem ad Chriſtum, immobili veritate prænūcians, appropinquaſſe videbatur ad æternæ lucis ſpeculum contemplandum; cuius fulgore mirabili, abſentia corporaliter, tanquam ſi eſſent præſentia, mentis eius cernebat obtutus.

Silentij intempeſtiui ſimulationem pandit.

Quodam namque tempore, Vicarius ſuus tenebat Capitulum: ipſe verò in cellâ orans, ſequeſter erat, & medius inter fratres & Deum. Cùm igitur vnus ex ipſis, defenſionis quodam cōtectus palliolo, non ſe ſubderet diſciplinæ: videns hoc vir ſanctus in ſpiritu, vocauit quēdam de fratribus, & dixit ad eum; Vidi, frater, diabolum ſuper illius fratris inobedientis dorſum, collum eius tenentem aſtrictum; qui tali ſeſſore ſubactus, obedientiæ freno ſpreto, inſtinctus eius ſequebatur habenas. Et cùm rogarem Deum pro fratre, ſubitò dæmon confuſus abſceſſit. Vade igitur, & dic fratri, vt Obedientiæ ſanctæ iugo collū ſine morâ ſubmittat. monitus per internūctum frater, ſtatimque conuerſus ad Deum, ad pedes Vicarij humiliter ſe proiecit.

Nota ... Capit.

13. *Benedictionem petentibus ... pandit.*

Alio quoque tempore contigit, duos fratres ad eremitorium Græcij de remotis venire, vt virum Dei cernerent, & benedictionē multo deſideratam iam tempore reportarent. Venientes autem & non inuenientes, quia de publico iam ad cellam redierat, deſolati abibant. Et ecce recedētibus illis, cùm de ipſorum aduentu vel receſſu, nihil ſecundùm humanum ſenſum percipere potuiſſet; præter ſolitum morem egreſſus è cellâ, clamauit poſt eos; & ipſos iuxta quod optauerant, ſigno crucis facto, in Chriſti nomine benedixit.

14. Duo fratres venerunt aliquando de terrâ Laboris, quorum antiquior nonnulla intulit ſcandala iuniori. Cùm autem perueniſſent ad Patrē, quæſiuit ille à iuniore, qualiter erga ipſum, ſe frater ſocius habuiſſet in viâ. quo reſpondente; Vtiq; ſatis bene. Subiunxit; Caue frater, ne ſub humilitatis ſpecie mentiaris: ſcio enim, ſcio, ſed exſpecta modicum, & videbis. Miratus eſt perplurimū frater, quomodo tam abſentia per ſpiritum cognouiſſet. Igitur non poſt multos dies, contemta Religione foras egreditur, qui ſcandalum fecerat fratri, & à Patre non petierat veniam, nec correctionis debitā receperat diſciplinam. ſimulq; duo, in vnâ illius claruēre ruinâ: æquitas ſcilicet diuinæ iuſtitiæ, & perſpicacitas ſpiritus prophetiæ. Qualiter autem abſentibus ſe præſentem exhibuit; diuinâ faciente virtute, euidenter ex ſuperioribus innoteſcit; ſi reuocetur ad mentem, qualiter [a] abſens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit; & quomodo ſe [b] Arelatenſi Capitulo in crucis effigie præſentauit.

Deſertorem Ordinis ... dicit ...

[a] Cap. 4. §. 4.
[b] Ibidem. §. 10.

quod

quod factũ eſſe diuinâ diſpoſitione cre-
dendum eſt: vt ex præſentiæ corporalis
apparitione mirabili patenter clareſce-
ret, quàm præſens & peruius ſpiritus
eius, luci ſapientiæ foret æternæ, quæ
*omnibus mobilibus mobilior eſt, & vbique at-
tingens propter ſuã munditiam, per nationes in
animas ſanctas ſe transfert, & Dei amicos &
Prophetas conſtituit. *Simplicibus enim &
paruulis ſua ſolet pandere myſteria, do-
ctor excelſus; ſicut priùs apparuit in
*Dauid Prophetarum eximio, & pòſt in
*Apoſtolorum principe Petro, & tan-
dem in paupercculo Chriſti Franciſco.
Hi enim cùm eſſent litterarum impe-
ritiâ ſimplices, facti ſunt ſancti Spiritus
eruditione illuſtres. Is quidem paſtor:
vt gregem paſceret Synagogæ de Ægy-
pto eductum. iſte piſcator: vt ſagenam
repleret Eccleſiæ multiformitate cre-
dentium. hic autem negotiator: vt
margaritam emeret Euangelicæ vitæ,
venditis & diſperſis omnibus propter
Chriſtum.

CAPVT XII.

De efficaciâ prædicandi & gratiâ ſanitatum.

FIDELIS re verâ famulus & mini-
ſter Chriſti Franciſcus, vt cuncta fi-
deliter & perfecte peragere, illis potiſ-
ſimè virtutũ exercitijs intendebat, quæ
ſacro dictante Spiritu, Deo ſuo magis
placere cognouerat. Quâ de re contigit
eum in magnam dubitationis cuiuſ-
dam agoniam incidere, quã multis die-
bus, ab oratione rediens, terminandam
fratribus ſibi familiaribus proponebat.
Quid, inquit, fratres cõſulitis, quid lau-
dabilius? An quod orationi vacem, an quòd
prædicando diſcurrã: ſiquidem ego par-
uulus, ſimplex & imperitus ſermone,
maiorem orandi accepi gratiam, quàm
loquendi. Videtur etiam in oratione lu-
crum, & cumulatio gratiarum; in præ-
dicatione diſtributio quędam donorum
cœlitus acceptorum. in oratione etiam
purificatio interiorum affectuum, &
vnio ad vnum verum & ſummum Bo-
num cum vigoratione virtutis; in præ-
dicatione ſpiritualium puluerizatio pe-
dum, diſtractio circa multa, & relaxatio
diſciplinæ. Tandem, in oratione Deum
alloquimur, & audimus; & quaſi Angeli-
cam vitam agentes, inter Angelos con-
uerſamur: in prædicatione, multã o-
portet condeſcenſione vti ad homines;
& humanè inter eos viuendo, humana
cogitare, videre, dicere, & audire. Sed
vnum eſt in contrarium, quod videtur
præponderare his omnibus ante Deum;
quod videlicet vnigenitus Dei filius,
qui eſt Sapientia ſumma, propter ani-
marum ſalutem de ſinu Patris deſcen-
dit, vt ſuo mundum informans exem-
plo, verbum ſalutis hominibus loque-
retur, quos ſacri ſanguinis & pretio
redimeret, & emundaret lauacro, & po-
culo ſuſtentaret; nihil ſibi omnino re-
ſeruans, quod non in ſalutem noſtram
liberaliter erogaret. Et quia debemus
omnia facere *ſecundùm exemplar eo- * Exod 25. 40.
rum quæ videmus in ipſo, tanquam in
monte ſublimi: videtur magis Deo pla-
citum, quòd intermiſsâ quiete, foras e-
grediar ad laborem. Cumque per mul-
tos dies, verba huiuſmodi ruminaret
cum fratribus; certitudinaliter nequi-
bat percipere, quid horum ſibi foret, vt
Chriſto vere acceptius, eligẽdum. Cùm
enim miranda noſſet per ſpiritum pro-
phetiæ, hanc per ſeipſum quæſtionem
diſſoluere nõ valebat ad liquidum: Deo
meliùs prouidente, vt prædicationis
meritum, per ſupernum manifeſtare-
tur oraculum, & ſerui Chriſti humilitas
ſeruaretur. Non erubeſcebat à minori- A minoribus diſcere non dedignatur.
bus parua quęrere verus minor, qui ma-
gna didicerat à magiſtro ſupremo: ſtu-
dio namque præcipuo ſolitus erat ex-
quirere, quali viâ, qualique modo, Deo
poſſet ſecundùm ipſius beneplacitum
perfectius deſeruire. Hæc ſumma eius
philoſophia, hoc ſummum eius deſide-
rium exſtitit, quoad vixit: vt quæreret
à ſapientibus & ſimplicibus, perfectis &
imperfectis, paruulis & grandæuis, qua-
liter ad perfectionis culmen virtuoſiùs
peruenire valeret.

Aſſumens itaque duos ex fratribus, 2.
miſit ad fratrem Silueſtrum, *qui cru- * Sup. c. 3. §. 4.
cem egredientem viderat de ore ipſius;
& tunc in montem ſupra Aſſiſium, iu-
giter orationi vacabat: vt diuinum ſu-
per dubitatione huiuſmodi reſponſum
perquireret, quod ſibi ex parte Domini
demandaret. Hoc ipſum demandauit
ſacræ virgini Claræ, vt per aliquam pu-
riorem & ſimpliciorem de virginibus
ſub ipſius diſciplinâ degentibus, & ipſa
cum ſororibus alijs orãs, ſuper hoc ex-
quireret Domini voluntatem. Concor-
dauerũt autem mirabiliter in idipſum,
ſuperno eis reuelante Spiritu, venera-
bilis

Concionari cum populo, Dei beneplacitum.

bilis Sacerdos, & virgo Deo dicata: beneplaciti ſcilicet eſſe diuini, quòd Chriſti præco ad prædicandum exiret. Reuertentibus itaq; fratribus, & Dei, iuxta quod acceperant, indicantibus voluntatem; exſurgens continuò ſuccinxit ſe, nullâ prorſus contractâ morâ iter aggreſſus eſt. Ibat autem cum tanto feruore, vt diuinum exſequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac ſi factâ manu Dei ſuper eum, nouam induiſſet è cælo virtutem.

3. *Auibus prædicat, & attentè audiunt.*

Cùm igitur appropinquaret Benanio, ad quendam locum deuênit, in quo diuerſi generis auium maxima multitudo conuenerat: quàs cùm Sanctus Dei vidiſſet, alacriter cucurrit ad locum, & eas velut rationis participes ſalutauit. Omnibus verò expectantibus, & conuertentibus ſe ad eum; ita, vt quæ in arbuſtis erant, inclinatis capitibus cum appropinquaret ad eas, inſolito modo in ipſum intenderent; vſque ad eas acceſſit, & omnes vt verbũ Dei audirent, ſolicitè admonuit, dicens; Fratres mei volucres; multũ debetis * laudare creatorem veſtrum, qui plumis vos induit, & pennas tribuit ad volandum; puritatem conceſſit aëris, & ſine veſtrâ ſolicitudine vos gubernat. Cùm autem eis hæc & his ſimilia loqueretur: auiculæ modo mirabili geſtientes, cœperũt extendere colla, protendere alas, aperire roſtra, & in illum attentè reſpicere. Ipſe verò cum ſpiritus feruore miranda, per medium ipſarum tranſiens, tunicâ contingebat eaſdem; nec tamẽ de loco aliqua mota eſt, donec ſigno crucis facto, & licentiâ data, cum benedictione viri Dei, omnes ſimul auolarunt. Hæc omnia contuebantur ſocij expectantes in viâ. Ad quos reuerſus vir ſimplex & purus, pro eo quòd haſtenus auibus non prædicauerat, cœpit ſe de negligentiâ inculpare.

* Pſal. 148. 10. Dan. 3. 80.

Nec loco mouentur etiam attactæ.

4. *Hirundines, ipſo iubente, ſilent, & audiunt concionantem.*

Exinde, prædicando per loca vicina procedens, venit ad caſtrum quoddam nomine Aluianum: vbi congregato populo, & indicto ſilentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco, magniſque garritibus perſtrepentes, audiri vix poterat. quas vir Dei, omnibus audientibus, alloquutus eſt, dicens; Sorores meæ hirundines; iam tempus eſt, vt loquar & ego: quia vos vſque modò ſatis dixiſtis. audite verbum Dei, tenentes ſilentium, donec ſermo Dei compleatur. At illæ tanquã intellectus capaces, ſubitò tacuerunt; nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio conſummata. Omnes igitur qui viderunt, ſtupore repleti glorificauerunt Deum. Iſtius miraculi fama circumquaq; diffuſa, multos ad ſancti reuerentiam, & fidei deuotionem accendit.

5.

In ciuitate namque Pariſienſi, ſcholaris quidam indolis bonæ, cum ſocijs alijs ſtudio diligẽter intentus; dum importunâ garrulitate cuiuſdam infeſtaretur hirũdinis, dicere cœpit ad ſocios; Hæc hirundo vna de illis eſt, quę virum Dei Franciſcum prædicantem aliquando, donec ſilentium eis imponeret, moleſtabant. & conuerſus ad hirundinem fiducialiter ait; In nomine ſerui Dei Franciſci præcipio tibi, vt ad me veniens continuò conticeſcas. At illa Franciſci audito nomine, quaſi viri Dei diſciplinis edocta, & ſtatim conticuit, & ipſius manibus, tanquam tutæ cuſtodiæ ſe commiſit. Stupefactus ſcholaris ſtatim eam libertati reſtituit, & eius garritum ampliùs non audiuit.

6. *Nauicula quam conſcenderat, ſponte à terra ſubducitur.*

Alio quoque tempore cùm famulus Dei Caietæ prædicaret in littore maris, turbis præ deuotione ruentibus, vt eum contingerent; horrens Chriſti ſeruus tantum populorũ applauſum, in vnam hærentem littori nauiculam proſiliuit ſolus. Illa verò tanquam ſi rationis particeps, motore moueretur intrinſeco; ſine aliquo remige, cernentibus & mirantibus cunctis, ſe longiùs à terrâ protraxit. Cùm autem aliquanto ſpatio, in maris altitudinem ſeceſſiſſet; ſtetit inter fluctus immobilis, quamdiu vir ſanctus turbis expectãtibus in littore, prædicauit. Cumque audito ſermone, & viſo miraculo, ac benedictione acceptâ, multitudo recederet, ne ipſum ampliùs moleſtaret; nauicula proprio ductu ad terram reuerſa eſt. Quis igitur tam obſtinatæ mentis eſſet, & impiæ, vt prædicationem Franciſci cõtemneret; cuius mirandâ fiebat virtute, vt non ſolùm carentia ratione diſciplinam ſuſciperent; verùm etiam inanimata corpora, tanquam animata prædicanti ſeruirẽt?

7. * 1. Cor. 1. 24. [illegible]

Aderat equidem ſeruo ſuo Fráciſco, ad quæcunq; pergeret, is qui eum vnxerat, & miſerat ſpiritus Domini, & * ipſe Dei virtus, & ſapientia Chriſtus: vt ſanæ doctrinæ verbis afflueret, & magnæ potentiæ miraculis coruſcaret. Erat enim verbum eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumq; mentes admiratione replebat: cùm non humanæ inuentionis ornatum prætende-

rec,

ret, ſed diuinæ reuelationis afflatum redoleret. Nam cùm ſemel prædicaturus coram Papâ & Cardinalibus, ad ſuggeſtionem Domini Hoſtienſis, ſermonem quendam ſtudioſè compoſitum commendaſſet memoriæ; ſtetiſſetq; in medio, vt ædificationis verba proponeret: ſic obliuioni tradidit omnia, vt effari aliquid omnino neſciret. Verùm cùm hoc veridicâ humilitate narraſſet, conuertens ſe ad Spiritus ſancti gratiam inuocandam; tam efficacibus ſubitò cœpit verbis affluere, tamq; potenti virtute illorum mentes virorum ſublimium ad compunctionem inflectere; vt apertè clareret, quòd non ipſe, ſed Spiritus Domini loquebatur. Et quoniam primò ſibi ſuaſerat opere, quod alijs ſuadebat ſermone: reprehenſorem non timens, veritatem fidentiſſimè prædicabat. Neſciebat aliquorum culpas palpare, ſed pungere; nec vitam fouere peccantium, ſed asperâ increpatione ferire. Eâdem mẽtis conſtantiâ magnis loquebatur & paruis; eademque ſpiritus iocunditate paucis loquebatur & multis. Omnis ætas, omniſq; ſexus properabat virum nouum, mundo cælitus datum & cernere, & audire. Ipſe verò per diuerſas regiones progrediens, euangelizabat ardenter; *Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* In virtute namq; nominis eius, veritatis præco Franciſcus eijciebat dæmonia, ſanabat infirmos: & quod maius eſt, ſui ſermonis efficaciâ, & obſtinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat, ſimulq; ſanitatem corporibus reddebat, & cordibus; ſicut aliqua comprobant operum eius, exempli gratiâ, inferiùs adnotanda.

Reprehenſorem non metuebat.

Mar 16. 20.

Sermonem eius confirmabat Dominus ſequentibus ſignis.

8. In ciuitate Tuſcanellâ, à milite quodam hoſpitio deuotè ſuſceptus, filium eius vnicum à natiuitate contractum, ad multam ipſius inſtantiam, manu alleuans, ſic ſubitò incolumem reddidit; vt videntibus cunctis, protinus conſolidarentur omnia corporis membra; & puer ſanus & fortis effectus, confeſtim exſurgeret ambulans, & exſiliens, & laudans Deum.

9. *Signo crucis ſanat paralyticum.* In ciuitate Narnienſi, cùm paralyticum quemdam membrorum omnium deſtitutum officio, ſigno crucis à capite vſque ad pedes, ad inſtantiam ſignaſſet Epiſcopi, perfectæ reſtituit ſanitati.

10. *Tactu ſolo incolumem facit puerum.* In Epiſcopatu Reatino, puer quidam ſic turgidus à quatuor annis, vt nullo modo propria crura cernere poſſet, à matre cũ lacrymis præſentatus eidem; ſtatim, vt vir ſanctus tetigit eum manibus ſacris, incolumis eſt effectus.

Apud ciuitatẽ Ortenſem, puer vnus ita conglomeratus, vt caput pedibus portaret applicitũ, & haberet oſſa nonnulla confracta; ſigno crucis ad parentum lachrymabiles preces ab eodem ſuſcepto, ſubitò extenſus extitit, & illicò liberatus. 11. *Rurſum ſigno S. Crucis mira facit.*

Mulier quædam ciuitatis Eugubij, ambas contractas & aridas habens manus, adeò vt nihil per illas operari valeret; ſigno crucis ab eodem in nomine Domini ſibi facto, tam perfectam obtinuit ſoſpitatem, quòd ſtatim rediens domum, cibos in miniſterium eius & pauperum, quaſi * altera ſocrus Simonis, proprijs manibus præpararet. 12.

* Matth. 8. 15.

Puellæ cuidam, in caſtro Meuanij, oculorum priuatæ luminibus, cùm in Trinitatis nomine, ſputo ſuo ter ipſius oculos liniuiſſet; lumen concupitum reſtituit. 13. *Et ſputo ſuo.*

Mulier quędam ciuitatis Narnij, oculorum cæcitate percuſſa; ſignum crucis ab eodem ſuſcipiens, lucem recuperauit optatam. 14.

Bononiæ, puer quidam vnum oculorum maculâ adeò habens obtectum, vt nihil prorſus videre poſſet, nec aliquo iuuari remedio; poſt ſignũ crucis, à capite vſque ad pedes per ſeruum Domini ſibi factum, viſum recuperauit tam limpidum, vt poſtmodum fratrum Minorum Ordinem ingreſſus, ſe longè clariùs videre aſſereret de oculo priùs infirmo quàm de oculo ſemper ſano. 15.

In caſtro ſancti Geminiani, ſeruus Dei à quodam deuoto viro ſuſceptus hoſpitio, cuius vxor à dæmonio vexabatur; poſt orationem factam, in virtute obedientiæ imperauit dæmoni vt exiret: eumq; poteſtate diuinâ tam ſubitò effugauit, vt verè clareſceret, quòd obedientiæ ſanctę virtuti peruicacia dæmonum non obſiſtat. 16. *Dæmonia eijcit obedientiæ mandato.*

In ciuitate de Caſtello, quidam furibundus & nequam ſpiritus quãdam obſidẽs mulierem, à viro ſancto, Obedientiæ accepto mandato, indignabundus diſceſſit; mente ſimul & corpore liberam, obſeſſam priùs feminam derelinquens. 17.

Frater quidam infirmitate tam horribili grauabatur, vt magis eſſe vexatio dæmonis, quàm naturalis infirmitas à pluribus firmaretur. Nam totus ſæpe allidebatur, & volutabatur ſpumans, mem- 18.

membris corporis nunc cõtractis, nunc extenſis, nunc plicatis, nũc tortis, nunc rigidis effectis, & duris. Quandoque totus extenſus, & rigidus, pedibus æquatis capiti, leuabatur in altum, horribiliter illicò relapſurus. Hunc ſic miſerabiliter, & irremediabiliter ægrotãtem, plenus miſericordiâ Chriſti ſeruus commiſerans, buccellam ſibi panis, de quo edebat, tranſmiſit. Tantã verò guſtatus panis contulit ægro virtutem, vt deinceps huius infirmitatis moleſtiam non ſentiret.

Etiam fruſto ſui panis.

19. In Comitatu Aretij, cùm diebus pluribus, mulier quędam laboraſſet in partu, eſſetq́; iam proxima morti, nullum omnino deſperãti de vitã ſupererat remedium, niſi Dei. Cùm autem equo vectus, propter corporis infirmitatem, Chriſti famulus, per partes illas tranſitum habuiſſet; contigit reduci animal per villam, in quâ mulier torquebatur. Homines verò loci, viſo equo cui vir ſanctus inſederat, extraxerunt fręnum, vt ſuperponerẽt mulieri. ad cuius contactum mirificum, omni remoto periculo, mulier illicò peperit cum ſalute.

Et attactu freni equi cui inſederat, mulier facilè parit.

20. Vir quidam de Caſtro Plebis, religioſus ac timens Deum, chordam apud ſe, quâ cinctus fuerat ſanctus Pater, habebat. Cumq́; multitudo virorum ac mulierum, in caſtro illo, varijs infirmitatibus laboraret: ibat per infirmantium domos, & intinctâ chordâ in aquâ, dabat bibere patientibus. ſicq́; per hunc modum plurimi ſanabantur. Sed & de panibus à viro Dei contactis guſtantes ægroti, diuinâ operante virtute, conſequebãtur celeriter remedia ſanitatum. Cùm his & alijs multis miraculorum prodigijs, præco Chriſti prædicans coruſcaret: attendebatur his quæ dicebantur ab eo, ac ſi Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipſo prærogatiua virtutum, prophetiæ ſpiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prędicando cælitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborũ ipſius auditum, eruditio eius à Spiritu ſancto præter humanam doctrinam, prędicandi auctoritas à ſummo Pontifice non ſine reuelatione conceſſa; inſuper & Regula, in quâ forma prędicandi exprimitur, ab eodem Chriſti Vicario confirmata, ſummi quoque Regis ſignacula, per modum ſigilli corpori eius impreſſa, tanquam teſtimonia decem, toti ſæculo indubitanter affirmãt, Chriſti præconem Franciſcum & venerandum officio, & doctrinâ authenticum, & admirabilem ſanctitate: ac per hoc, tanquam vere Dei nuntium, Chriſti Euangelium prædicaſſe.

Aquâ intinctâ chordâ eius ſanantur infirmi.

Et panibus ab eo contactis.

CAPVT XIII.

De ſtigmatibus ſacris.

Mos erat Angelico viro Franciſco nunquam otiari à bono: quin potiùs inſtar ſupernorũ ſpirituum in *ſcalã Iacob, aut aſcendebat in Deum, aut deſcendebat ad proximum. Nam tempus ſibi conceſſum ad meritum, diuidere ſic prudenter didicerat; vt aliud proximorum lucris laborioſis impenderet, aliud contemplationis tranquillis exceſſibus dedicaret. Vnde cùm ſecundùm exigentiam locorum & temporum, alienæ condeſcendiſſet procurandæ ſaluti, inquietationibus derelictis turbarum, ſolitudinis ſecreta petebat, locumq́ue quietis: quò liberiùs Deo vacans, extergeret, ſi quid pulueris ſibi ex conuerſatione hominum adhęſiſſet. Biennio itaq; antequam ſpiritum redderet cælo, diuinâ prouidẽtiâ duce, poſt labores multimodos, perductus eſt in locum excelſum ſeorſum, qui dicitur mons Aluernæ. Cùm igitur iuxta ſolitum morem, Quadrageſimam ibidem ad honorem S. Archangeli Michaëlis ieiunare cœpiſſet: ſupernæ contemplationis dulcedine abundantiùs ſolito ſuperfuſus, ac cęleſtium deſideriorum ardentiori flammâ ſuccẽſus, ſupernarum cœpit immiſſionum cumulatiùs dona ſentire. Ferebatur quidẽ in altum, non vt *curioſus Maieſtatis perſcrutator opprimendus à gloriâ: ſed tanquã ſeruus fidelis & prudens, inueſtigans beneplacitum Dei, cui ſe conformare omnimode, ſummo peroptabat ardore. Immiſſum eſt igitur menti eius, per diuinum oraculum, quòd in apertione libri Euangelici reuelaretur ei à Chriſto, quod Deo in ipſo, & de ipſo maximè foret acceptum. Oratione itaq; cum multâ deuotione præmiſſâ, ſacrum Euangeliorum librum de altari ſumptum, in ſanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per ſocium, virum vtique Deo deuotum & ſanctum. Sanè cùm in trinâ libri apertione, ſemper Domini paſſio occurreret: intellexit vir Deo plenus, quòd ſicut Chriſtum fuerat imitatus in

[illegible]

Biennio ante mortem accepit Stigmata.

** Prou. 25. 27.*

Chriſtum [illegible] in paſſione.

actibus vitæ, ſic conformis ei eſſe debe-
ret in afflictionibus & doloribus paſſio-
nis, antequam ex hoc mundo tranſiret.
Et licet propter multam auſteritatẽ vi-
tæ præteritæ, Crucisq; Dominicæ baiu-
lationem continuam, imbecillis iam eſ-
ſet corpore, nequaquam eſt territus: ſed
ad martyrij ſuſtinẽtiam vigoroſius ani-
matus. Excreuerat quidem in eo, inſu-
perabile amoris incendium boni Ieſu,
*Cant 8.7. in * lampades ignis atque flammarum:
vt aquæ multæ caritatem eius tam vali-
dam extinguere non valerent.

2. Cùm igitur Seraphicis deſideriorum
ardoribus ſurſum ageretur in Deum, &
compaſſiuâ dulcedine in eum transfor-
maretur, qui ex charitate nimia voluit
crucifigi: quodam mane circa feſtum
Exaltationis ſanctæ Crucis, dum oraret
Seraph ad eum venit de cælo. in latere mõtis; vidit Seraph vnum, ſex
alas habẽtem tam ignitas quàm ſplen-
didas, de cælorum ſublimitate deſcen-
dere. Cumque volatu celerrimo perue-
niſſet ad aeris locum viro Dei propin-
quum: apparuit inter alas effigies ho-
In formâ crucifixi. minis crucifixi, in modum crucis ma-
nus & pedes extenſos habentis, & cruci
affixos. Duæ alæ ſuper caput ipſius ele-
uabantur, duæ ad volandum extende-
bantur, duæ verò totũ velabant corpus.
Hoc videns, vehementer obſtupuit,
mixtumque mœrore gaudium cor eius
incurrit. Lætabatur quidem in gratioſo
aſpectu, quo a Chriſto ſub ſpecie Seraph
cernebat ſe conſpici: ſed crucis affixio,
cõpaſſiui doloris gladio ipſius animam
pertranſibat. Admirabatur quampluri-
mùm in tam inſcrutabilis viſionis aſpe-
ctu: ſciẽs quòd paſſionis infirmitas, cum
immortalitate ſpiritus Seraphici nulla-
tenus conueniret. Intellexit tandem ex
hoc, Domino reuelante, quod ideo hu-
iuſmodi viſio, ſic diuinâ prouidẽtiâ ſuis
fuerat præſentata conſpectibus: vt ami-
cus Chriſti prænoſceret, ſe nõ per mar-
Martyr fit mentis incendio. tyrium carnis, ſed per incendium men-
tis, totum in Chriſti crucifixi ſimilitu-
dinem transformandum.

3. Diſparens igitur viſio, mirabilem in
corde ipſius reliquit ardorem: ſed & in
carne non minùs mirabilem ſignorum
impreſſit effigiem. Statim namq; in ma-
nibus eius & pedibus apparere cœperũt
ſigna clauorum, quemadmodum paulò
ante, in effigie illa viri crucifixi conſpe-
Manus eius & pedes clauis confixi. xerat. Manus enim & pedes, in ipſo me-
dio, clauis cõfixæ videbantur, clauorum
capitibus in interiori parte manuum, &
ſuperiori pedum apparẽtibus, & eorum

acuminibus exiſtentibus ex aduerſo.
Erantque clauorum capita, in manibus
& pedibus rotunda & nigra: ipſa verò
acumina oblonga, retorta, & quaſi re-
percuſſa, quæ de ipſâ carne ſurgentia,
carnem reliquam excedebant. Dexte- Vulnus in dextro latere.
rum quoque latus, quaſi lanceâ tranſ-
fixum, rubrâ cicatrice obductum erat;
quod ſæpe ſanguinem ſacrum effun-
dens, tunicam & femoralia reſper-
gebat.

4. Cernens autem Chriſti ſeruus, quòd
Stigmata carni tam luculenter impreſ-
ſa, ſocios familiares latẽre non poſſent;
timens nihilominus publicare Domini
Sacramentum: in magno poſitus fuit
dubitationis agone, vtrùm videlicet
quod viderat diceret, vel taceret. Voca-
uit proinde aliquos ex fratribus; & ge-
neralibus verbis loquens, dubium co-
ram eis propoſuit, & conſilium requiſi-
uit. Quidam verò ex fratribus, gratiâ il-
luminatus & nomine, intelligens quòd
aliqua miranda vidiſſet, pro eo quod vi-
debatur admodum ſtupefactus: aiẽ ad
virum ſanctum, Frater, non ſolum pro-
pter te, ſed etiam propter alios, ſcias ti-
bi oſtendi aliquando Sacramenta diui-
na. Timendum propterea iure videtur,
ne, ſi quod pluribus profuturum acce- * Mat. 25. 26
piſti, celaueris; * pro talento abſcondito
reprehenſibilis iudiceris. Ad cuius ver- Rem vt facta eſt, cum timore exponit.
bum motus vir ſanctus, licet alias dice-
re ſolitus eſſet; * Secretum meum mihi; tunc * Iſa 24 16
tamen cum multo timore, ſeriem retu-
lit viſionis præfatæ: addens quòd is qui
ſibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nun-
quam dum viueret alicui hominum a-
periret. Credendum ſanè, tam arcana
illa fuiſſe ſacri illius Seraph, in cruce
mirabiliter apparentis eloquia, quòd
forte non liceret hominibus ea loqui.

5. Poſtquam igitur verus Chriſti amor,
in eandem imaginem transformauit a-
mantem; quadraginta dierum nume-
ro iuxta quod decreuerat, in ſolitudine
conſummato; ſuperueniente quoq; ſo-
lennitate Archangeli Michaelis: deſcẽ-
dit Angelicus vir Franciſcus de monte,
ſecum ferens crucifixi effigiem, non in Tabula ſcripta digito Dei viui.
tabulis lapideis vel ligneis, manu figu-
ratam artificis, ſed in carneis membris * Tob 12.7
deſcriptam digito Dei viui. Et quoniam
Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt:
ideo ſecreti Regalis vir conſcius, ſigna-
cula illa ſacra, pro viribus occultabat.
Verùm quia Dei eſt, ad gloriam ſuã ma-
gna reuelare quæ facit; Dominus ipſe,
qui ſignacula illa ſecretè impreſſerat,
miracula

miracula quędam apertè per ipſa monſtrauit: vt illorum occulta & mira vis Stigmatum, manifeſtâ patêret claritate ſignorum.

6. In Prouinciâ namque Reatinâ, peſtis inualuerat valdè grauis; quæ oues & boues omnes ſic conſumebat crudeliter, quòd nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum, nocte fuit per viſionem commonitus, vt ad eremitorium fratrum feſtinanter accederet; & loturam manuum ac pedũ famuli Dei Franciſci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam ſuper animalia cuncta reſpergeret. Manè itaque ſurgens venit ad locum: loturâque huiuſmodi per ſocios ſancti viri latenter obtentâ; oues & boues languentes ex eâ reſperſit. Mirabile dictu. Statim vt aſperſio animalia languida, & in terrâ iacentia quantumcunque paululum attingebat, priſtino recuperato vigore, ſurgebant continuò; & tanquam nihil mali ſenſiſſent, ad paſcua feſtinabant. Sicque factum eſt, vt per virtutem mirandam aquæ illius, quę ſacras plagas contigerat, omnis prorſus plaga ceſſaret, peſtilenſque morbus à gregibus fugaretur.

Stigmata illa eius, faciunt admiranda prodigia.

Oues morbidæ curantur.

7. Circa præfatum montem Aluernæ, antequam vir ſanctus ibi contraheret moram; nube ex ipſo monte ſurgente, grandinis violenta tempeſtas, fructus terræ conſuetudinariè deuaſtabat: ſed poſt illam apparitionem felicem, non ſine incolarũ admiratione, grando ceſſauit; vt cæleſtis illius viſionis excellentiam, & Stigmatum ibidem impreſſorum virtutem, ſerenata præter morem ipſa cæli facies declararet.

Tempeſtas [illegible] in monte Aluernæ ceſſat.

8. Contigit quoque eum tempore hiemali, propter debilitatem corporis, & aſperitatẽ viarum, hominis vnius pauperis ſubuectum aſello, ſub rupis cuiuſdam prominentis pernoctare crepidine, vt niuis & noctis ſuperuenientium, quoquo modo declinaret incommoda; quibus præpeditus ad hoſpitij locũ non valuerat peruenire. Cùm autẽ vir ſanctus, hominem illum querulofis ſubmurmurantem gemitibus, hinc inde ſeipſum iactare ſenſiſſet; tanquam qui tenui operimento contectus, quieſcere præ frigoris acerbitate nequibat: diuini amoris feruore ſuccenſus, manu illum protensâ palpauit. Mirabile certè. Repentè ad illius ſacræ manus contactum, quæ Seraphici calculi gerebat incendium; omni fugato frigore, tantus in virum intus & extrà calor aduenit, ac ſi quædam in eum vis flammea ex fornacis ſpiraculo proceſſiſſet. Nam illicò & mente & corpore confortatus, ſuauiùs inter ſaxa & niues vſq; manè dormiuit, quàm vnquam in proprio lecto pauſauerat; ſicut ipſe poſtmodum aſſerebat. Certis itaque conſtat indicijs, ſacra illa ſignacula illius impreſſa fuiſſe virtute, qui operatione Seraphicâ purgat, illuminat, & inflammat: cùm ipſa, forinſecus expurgando à peſte, ſalutem, ſerenitatem, & calorẽ corporibus, efficaciâ mirâ conferrent; ſicut & poſt mortem, euidentioribus eſt demonſtratum prodigijs, *ſuo loco poſteriùs adnotandis.

Manum ſua attactu calefacit algentem.

9. Ipſe verò, licet theſaurum inuentum in agro multâ diligẽtiâ ſtuderet abſcondere; latêre tamen non potuit, quin aliqui Stigmata manuũ viderẽt & pedum; quanquam manus quaſi ſemper portaret contectas, & pedibus ex tunc incederet calceatis. Viderunt enim, dum viueret, fratres plurimi: qui licet eſſent propter ſanctitatẽ præcipuam, viri per omnia fide digni; tamen ad omne dubium amouendum, ſic eſſe, ac ſe vidiſſe, tactis ſacroſanctis, iuramento firmârũt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro ſancto habebant, aliqui Cardinales, laudes ſacrorũ Stigmatum proſis, & hymnis, & antiphonis, quas ad ipſius ediderunt honorem, veraciter inſerentes: qui tam verbo, quàm ſcripto perhibuerunt teſtimonium veritati. Summus etiam Pontifex Dominus Alexander, cùm populo prædicaret, coram multis fratribus, & me ipſo, affirmauit, ſe dum Sanctus viueret, Sigmata illa ſacra ſuis oculis conſpexiſſe. Viderunt in morte pluſquam quinquaginta fratres, virgoque Deo deuotiſſima Clara, cum ceteris ſororibus ſuis, & ſæculares innumeri: ex quibus, quemadmodum ſuo loco dicetur, quamplurimi & oſculati ſunt ex deuotionis affectu, & contrectauerũt manibus ad teſtimonij firmitatem.

Stig[illegible] eius [illegible] viſa.

10. Vulnus autẽ lateris tam ſolicitè occultauit, vt illud nemo poſſet niſi furtim cõtueri, dum viueret. Vnus etenim frater qui ei ſedulè miniſtrare ſolitus erat, cum piâ cum cautelâ, vt ad excutiendum extraheret tunicam, induxiſſet; attentè reſpiciens vidit plagam: cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam viſu, quàm tactu, vulneris quãtitatem agnouit. Cum ſimili cautelâ vidit etiam frater ille, qui tunc temporis erat Vicarius eius. Frater verò

Vulnus la[illegible]

ſocius mirandæ ſimplicitatis, dum infirmitatis cauſa languẽtes ſcapulas confricaret: manu per capitium miſſa, & caſualiter vulneri ſacro illapſa, magnũ ei dolorem inflixit. Proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, vt vſque ad axillas pertingerent, ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque, qui illa lauabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inueniebant eam ſanguine rubricatam; indubitanter per euidens ſignum, in cognitionem ſacri vulneris peruenerunt: quod poſtmodum in morte, reuelatá facie, ipſi cum alijs plurimis contemplati ſimul & venerati ſunt.

11. Eia nunc ſtrenuiſſime miles Chriſti! ipſius fer arma inuictiſſimi ducis; quibus munitus & inſignitus, omnes aduerſarios ſuperabis. Fer vexillum Regis altiſſimi: ad cuius intuitum omnes pugnatores diuini exercitus animentur. Fer nihilominus ſigillum Summi Pontificis Chriſti: quo verba & facta tua tanquam irreprehenſibilia, & authentica meritò ab omnibus acceptentur. Iam enim propter *Stigmata Domini Ieſu, quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi eſſe moleſtus: quin potius, quilibet Chriſti ſeruus, omni eſſe tenetur affectione deuotus. Iam per hæc ſigna certiſſima, non duobus aut tribus teſtibus ad ſufficientiam, ſed quamplurimis ad ſuperabundantiam comprobata, teſtimonia Dei in te, & per te credibilia facta nimis, omnem tollunt infidelibus velamen excuſationis: dum credentes in fide ſtabiliunt, ſpei fiducia ſurſum agunt, & igne charitatis accendunt. Iam vere impleta eſt prima viſio *qua vidiſti: videlicet, quod dux in militia Chriſti futurus, armis deberes cæleſtibus, ſignoq; Crucis, inſignib. decorari. Iam in principio tuæ conuerſionis, *crucifixi viſio compaſſiuũ doloris gladio mentaliter te transfigẽs, ſed & *auditus vocis de cruce, tanquam de throno Chriſti ſublimi, & ſecreto propitiatorio, procedentis, (iuxta quod tuo ſacro firmaſti eloquio) vera indubitanter fuiſſe creduntur. Iam in tuæ conuerſionis progreſſu, & crucem quam *vidit frater Silueſter ex ore tuo mirabiliter procedẽtem; & *gladios in crucis modum tua viſcera transfigentes, quos ſacer vidit Pacificus; *teq; ſeorſum crucis figuram in aere ſubleuatũ, cum de crucis titulo ſanctos prædicabat Antonius, iuxta quod proſpexit Angelicus vir Monaldus: non phantaſtica viſione, ſed reuelatione fuiſſe cælica conſpecta, verè creditur, & firmatur. Iam deniq; circa finem, quòd ſimul tibi oſtenditur, & ſublimis ſimilitudo Seraph, & humilis effigies crucifixi, interius te incendens, & exteriùs te conſignans; tanquam *alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, qui ſignum in te habeas Dei viui, & prædictis dat firmitatem fidei, & ab eis accipit teſtimonium veritatis. Ecce iam ſeptem apparitionibus crucis Chriſti, in te, & circa te, ſecundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis & monſtratis, quaſi ſex gradibus ad iſtam ſeptimam, in quá finaliter requieſcis, perueniſti. Chriſti namque crux in tuæ conuerſionis primordio, tam propoſita quàm aſſumta; & dehinc in conuerſationis progreſſu per vitam probatiſſimam baiulata, in te ipſo continue, & in exemplum alijs demonſtrata; tanta certitudinis claritate, oſtẽdit Euangelicę perfectionis apicem te finaliter concluſiſſe: vt demonſtrationẽ hanc Chriſtianæ ſapientiæ, in tuæ carnis puluere exaratam, nullus vere deuotus abijciat, nullus vere fidelis impugnet, nullus vere humilis paruipendat; cùm ſit vere diuinitus expreſſa, & omni acceptione condigna.

*Gal. 6. 17. — *Cap. 1. §. 3. — *Ibid. §. 6. — *Cap. 2. §. 1. — *Cap. 3. §. 4. — *Cap. 4. §. 9. — *Ibid. §. 10. — *Apoc. 7. 2.

Septies Crucis apparitio ſola.

CAPVT XIV.

De patientiâ ipſius, & tranſitu mortis.

§. 1. CHRISTO iam igitur cruci confixus Franciſcus, tam carne quam ſpiritu; nõ ſolùm Seraphico amore ardebat in Deum: verum etiam ſitiebat cum Chriſto crucifixo, multitudinem ſaluandorũ. Faciebat proinde, quoniam propter excreſcẽtes in pedibus clauos, ambulare non poterat, corpus emortuũ per ciuitates & caſtra circumuehi vt ad crucem Chriſti ferendam cæteros animaret. Fratribus quoque dicebat: *Incipiamus, fratres, ſeruire Domino Deo noſtro, quia vſque nunc parum profecimus.* Flagrabat etiam deſiderio magno, ad humilitatis redire primordia, vt leproſis ſicut à principio miniſtraret; corpuſque iam præ labore collapſum, reuocaret ad priſtinam ſeruitutem. Proponebat Chriſto duce, ſe facturum ingentia: & fatiſcentibus membris, ſpiritu fortis & feruidus, nouo ſperabat certamine de hoſte triumphum. Neque enim languor vel

Fractus erat corpore, non animo.

vel deſidia locum habet, vbi amoris ſtimulus ſemper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad ſpiritum erat concordia, tanta obedientię promptitudo: quod cum ille ad omnem niteretur ſanctitatem pertingere, ipſa non ſolum non repugnaret, ſed præcurrere niteretur.

2. Vt autem viro Dei cumulus meritorum accreſceret, quæ omnia vere in patientia conſummantur: cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam grauiter, vt vix in eo membrum aliquod remaneret, abſque ingenti paſſionis dolore. Ad hoc tandem, per varias & diuturnas, ac continuas ægritudines deductus eſt, vt conſumptis iam carnibus, quaſi ſola cutis oſſibus cohæreret. Cumque diris corporis angeretur doloribus, illas ſuas anguſtias non pœnarum cenſebat nomine, ſed ſororum. Cùm autem ſemel grauius ſolito, dolorũ vrgeretur aculeis, quidam frater ſimplex dixit ad eum; Frater ora Dominum, vt mitiùs tecum agat: manum enim ſuam plus debito, ſuper te grauare videtur. Quo audito, vir ſanctus, cum eiulatu exclamãs, ait, Niſi noſcerem in te ſimplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem conſortium: qui auſus fueris circa me, diuina iudicia reprehenſibilia iudicare. Et licet totus eſſet attritus, grauis prolixitate languoris: proiiciens ſe in terram, oſſa debilia duro caſu colliſit. Et deoſculans humum; Gratias, inquit, tibi ago Domine Deus, de omnibus his doloribus meis. teq; mi Domine rogo, vt centuplum, ſi tibi placuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptiſſimũ, vt affligens me dolore, non parcas, cum tuæ ſanctæ voluntatis adimpletio, ſit mihi conſolatio ſuperplena. Videbatur propterea fratribus, quaſi quaſi alterũ Iob viderẽt; cui cum languor creſceret carnis, creſcebat ſimul & vigor mentis.

Incipit ægrotare ad mortem.

Iob 1. 22. & 2. 10.

3. Ipſe autem obitum ſuum longe antè præſciuit: dieque tranſitus imminente, dixit fratribus, ſui corporis tabernaculum deponendum in proximo; quemadmodum ſibi fuerat reuelatum a Chriſto. Cum itaq; per biennium, ab impreſſione ſacrorum Stigmatum, anno videlicet à ſuâ conuerſione vigeſimo; multis fuiſſet anguſtiantium infirmitatum probatiuis tunſionibus conquadratus, tanquam lapis in ſupernæ Hieruſalem ædificio collocandus & tanquam ductile opus ſub multiplicis tribulationis malleo, ad perfectionem adductus: ſed ſanctam Mariam de Portiuncula ſe portari popoſcit: quatenus vbi acceperat ſpiritum gratiæ, ibi redderet ſpiritum vitæ. Quo cum fuiſſet perductus, vt veritatis exemplo monſtraret, quod nihil erat illi commune cum mundo; in illa infirmitate tam graui, quæ omnem languorem concluſit, ſuper nudam humum ſe totum nudatum in feruoris feruore proſtrauit: quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans ſic in terra, facie in ... depoſitâ, faciem ſolito more leuauit in cælum & intendẽs illi gloriæ totus, manu ſiniſtra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit. & ait ad fratres: *Ego quod meum eſt feci: quod veſtrum eſt, Chriſtus vos doceat.*

Anno vigeſimo à ſua conuerſione moritur, ætate circiter XLV.

Humi proſtratus.

4. Illacrymantibus autem ſociis Sancti, qui miro fuerant compaſſionis telo perculſi; vnus ex eis, quem vir Dei Guardianum ſuum eſſe dicebat, votum ipſius diuinâ inſpiratione cognoſcẽs, feſtinus ſurrexit: & acceptam cum chorda & femoralibus tunicam, pauperculo Chriſti obtulit, dicens; Hanc tibi tanquam pauperi commodo, & tu illam recipias obedientiæ ſanctę mandato. Gaudet ex hoc vir ſanctus, & iubilat præ lætitia cordis: quoniam fidem tenuiſſe Dominæ paupertati, vſque in finem ſe vidit, palmaſque leuans ad cælum, Chriſtum ſuum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipſum. Fecerat enim hæc omnia paupertatis zelo, vt nec habitum quidem vellet habere, niſi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Chriſto crucifixo eſſe conformis, qui pauper & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter quod, & in principio conuerſionis ſuæ * nudus remanſit coram Antiſtite: & in conſummatione vitæ, nudus voluit de mundo exire. fratribuſque ſibi aſſiſtentibus in obedientia caritatis iniunxit, vt cum viderent eum iam eſſe defunctum, per tam longũ ſpatium, nudum ſuper humum iacere permitterent, quo vnus milliarij tractum ſuauiter quis perficere poſſet. O vere Chriſtianiſſimum virum! qui & viuens Chriſto viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo, perfectâ eſſe ſtuduit imitatione conformis, & expreſſa promeruit ſimilitudine decorari.

Nudus Chriſti [illegible]

* Cap. 2. § 4.

5. Horâ denique ſui tranſitus propinquante, fecit fratres omnes exiſtentes in loco ad ſe vocari, & eos conſolatorijs verbis, pro ſua morte demulcens, paterno affectu ad diuinum eſt hortatus amorem.

Fratres [illegible]

rem. De patientia, & paupertate, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fide, ſeruandis, ſermonem protraxit, ceteris inſtitutis ſanctum Euangelium anteponens. Circumſedentibus verò omnibus fratribus, extendit ſuper eos manus, in modum crucis brachiis cancellatis: pro eo quod hoc ſignũ ſemper amabat. & omnibus fratribus tã præſentibus quàm abſentibus, in crucifixi virtute ac nomine benedixit. Inſuper & adiecit; Valete filij omnes in timore Domini, & permanete in eo ſemper. Et quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat: felices qui perſeuerabũt in his quæ cœperunt. ego verò ad Deum propero, cuius gratiæ vos omnes commendo. Suaui huiuſmodi admonitione completa, iuſſit Deo vir cariſſimus, Euangeliorum ſibi codicem apportari: & Euangelium ſecundum Ioannem; quod incipit ab eo loco; * *Ante diem feſtum Paſche*, ſibi legi popoſcit. Ipſe verò prout potuit, in huius Pſalmi vocem erupit; * *Voce meâ ad Dominum clamaui, voce meâ ad Dominum deprecatus ſum*; & ad finem vſque compleuit. *Me*, inquit, *expectant iuſti, donec retribuas mihi*. Tendem cunctis in eum completis myſteriis, anima illâ ſanctiſſimâ, carne ſolutâ, & in abyſſum diuinæ claritatis abſorptâ, beatus vir obdormiuit in Domino.

Fratribus genitus benedicit. [margin]

* Ioã. 13. 1.

* Pſ. 141. 1.

Anima eius corpore ſoluta, ad Deum migrat. [margin]

6. *In ſpecie ſtellæ vel ſub nubecula ſurſum iens in cælum.* [margin]

Vnus autem ex fratribus & diſcipulis eius, vidit animam illam beatam ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ, a candida ſubuectam nubecula, ſuper aquas multas in cælum recto tramite ſurſum ferri: tanquam ſublimis ſanctitatis candore prænitidam, & cæleſtis ſapientiæ ſimul & gratiæ vbertate repletam; quibus vir ſanctus promeruit locum introire lucis & pacis, vbi cum Chriſto ſine fine quieſcit. Miniſter quoque fratrum in terrâ Laboris tunc erat frater Auguſtinus, vir vtique ſanctus & iuſtus: qui in horâ vltimâ poſitus, cùm iam diu perdidiſſet loquelam, audientibus qui aſtabant, ſubitò clamauit & dixit; Exſpecta me pater, exſpecta: ecce iam venio tecum. Quærentibus fratribus, & admirantibus multùm, cui ſic loqueretur; audacter reſpondit; Nonne videtis patrem noſtrum Franciſcum, qui vadit ad cælum? & ſtatim ſancta ipſius anima migrans à carne, Patrem eſt ſequuta ſanctiſſimum.

Miniſter quidam mox ſequitur præeuntem. [margin]

7. Epiſcopus Aſſiſinas, ad oratorium S. Michaelis in monte Gargano, tunc temporis peregrinationis cauſſa perrexerat, cui B. Franciſcus apparens nocte tranſitus ſui, dixit; Ecce relinquo mundum, & vado ad cælum. Manè igitur ſurgens Epiſcopus, ſociis narrauit quæ vidit: & Aſſiſium rediens, cùm ſolicitè perquiſiſſet, certitudinaliter comperit, quòd ei horâ, quâ ſibi per viſionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migrauit. Alaudæ aues lucis amicæ, & crepuſculorum tenebras horreſcentes, horâ tranſitus ſancti viri, cùm iam eſſet noctis ſequuturę crepuſculum, venerunt in multitudinẽ magnâ ſuper tectum domus: & diu cum inſolita quadam iubilatione rotantes, gloriæ Sancti, qui eas ad diuinas laudes inuitare ſolitus erat, tam iocundum quàm euidens teſtimonium perhibebant.

Alaudæ aues aduolant ad tectum. [margin]

CAPVT XV.

De canonizatione ipſius, & translatione corporis ſacri.

§. 1. FRANCISCVS igitur ſeruus & amicus Altiſſimi, Ordinis Minorum fratrum inſtitutor & dux, paupertatis profeſſor, patientiæ forma, veritatis præco, ſanctitatis ſpeculum, & totius Euangelicæ perfectionis exemplar: ſuperna præuentus gratiâ, ordinato progreſſu, ab infimis peruenit ad ſumma. Huc virum mirabilem, vtpote paupertate prædiuitem, humilitate ſublimem, mortificatione viuidum, ſimplicitate prudentem, omnique morum honeſtate conſpicuum: quem in vitâ Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante à ſæculo, ſpiritus ille ſacer domum æternitatis ingrediens, fontiſque vitæ hauſtu plenario glorioſus effectus, expreſſa quædam in corpore futuræ gloriæ ſigna reliquit: vt caro illa ſanctiſſima, * quæ crucifixa cum vitiis, in nouam iam creaturam tranſierat, & paſſionis Chriſti effigiem priuilegij ſingularitate præferret, & nouitate miraculi reſurrectionis ſpeciem præmonſtraret.

In corpore apparent ſigna gloriæ futuræ. [margin]

* Gal. 5. 24.

2. *Claui & vulnus lateris.* [margin]

Cernebantur quidem in membris illis felicibus claui, ex eius carne virtute diuinâ mirificè fabrefacti: ſicque carni eidẽ innati, quòd dum à parte quálibet premerentur, protinus quaſi nerui cõtinui & duri, ad partem oppoſitam reſul-

reſultabant. Inuenta quoque fuit patentiùs, in ipſius corpore, non inficta humanitus neque facta, plaga vulneris lateralis, inſtar vulnerati lateris Saluatoris; * quod redēptionis & generationis humanæ, in ipſo Redemptore noſtro protulit ſacramentum. Erat autem ſimilitudo clauorum nigra quaſi ferrum: vulnus autem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum, roſa quædam pulcherrima videbatur. Caro verò ipſius reliqua, quæ prius tam ex infirmitate, quàm ex naturâ, ad nigredinem declinabat, candore nimio reniteſcens, illius * ſecundæ ſtolæ pulchritudinem prætendebat. Membra ipſius adeò mollia & tractabilia ſe præbebant palpantibus, vt conuerſa viderentur in teneritudinem pueritiæ ætatis; & quibuſdam cernerentur euidentibus ſignis innocentiæ decorata. Cùm igitur in candidiſſimâ carne claui nigreſcerent; plaga verò lateris, vt vernans roſeus flos rubeſceret: mirandum non eſt ſi tam formoſa & miraculoſa varietas iocunditatem & admirationem contuentibus ingerebat.

** Ioan. 19. 34*

Earum forma.

** Apoc. 7. 13*

Caro eius candida, & mollia membra.

3. Lacrymabantur filij pro ſubtractione tam amabilis patris: ſed & non modicâ perfundebantur lætitiâ, dum deoſculabantur in eo ſignacula ſummi Regis. Miraculi nouitas planctum vertebat in iubilum, & intellectus rapiebat indaginem in ſtuporem. Erat quippe tam inſolitum, tamque inſigne ſpectaculum contuentibus omnibus, & firmamentum fidei, & incitamentum amoris: audientibus verò admirationis materia, & excitatiuo deſiderij ad videndum. Audito ſiquidem tranſitu Patris, & famâ diffuſâ miraculi, accelerans populus confluebat ad locum: vt id cernerent oculis carnis, quod a ratione dubium omne repelleret, & affectioni gaudium cumularet.

Miraculũ hoc experimento videre.

4. Admiſſi ſunt igitur Aſſiſinates ciues quamplurimi, ad Stigmata illa ſacra contemplanda oculis, & labiis oſculanda. Vnus autem ex eis, miles, litteratus quidam & prudens, Hieronymus nomine, vir vtique famoſus & celeber; cùm de huiuſmodi ſacris ſignis dubitaſſet, eſſetque incredulus, * quaſi Thomas: feruentiùs & audaciùs coram fratribus & aliis ciuibus, mouebat clauos; ſanctique manus, pedes, latus manibus propriis contrectabat: vt dum vulnerum Chriſti veraci illa ſigna palpando

** Ioan. 20. 25*

Stigmata eius & vulnus lateris [illegible]

contingeret, & de ſui & omnium cordibus omnis dubietatis vulnus amputaret. Propter quod & ipſe inter alios, huius veritatis tam certitudinaliter agnitæ, teſtis conſtans poſtmodum effectus eſt, & tactis ſacroſanctis iuramento firmauit. Fratres autem & filij, qui vocati fuerant ad tranſitum Patris, cum omni multitudine populorum, noctem illam, in quâ almus Chriſti confeſſor deceſſit, ſic diuinis laudibus dedicârunt; vt non defunctorum exſequiæ, ſed Angelorum excubiæ viderentur.

Mane autem facto, turbæ quæ conuenerant, acceptis arborum ramis, & cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis & canticis, ſacrum corpus ad ciuitatē Aſſiſij detulerunt. Tranſeuntes verò per eccleſiam S. Damiani, in quâ virgo illa nobilis Clara, nunc glorioſa in cælis, tunc incluſa cum virginibus morabatur; ibique aliquantulum ſubſiſtentes: ſacrum corpus margaritis cæleſtibus inſignitum, videndum & oſculandum ſacris illis virginibus obtulerunt. Peruenientes denique ad ciuitatem cum iubilo, pretioſum theſaurum quem portabant, in eccleſia ſancti Georgij, cum omni reuerentiâ condiderunt. In eo ſiquidē loco, puerulus litteras didicit; ibique poſtmodùm primitus prædicauit; poſtremò ibidem locum primum quietis accepit. Tranſiit autem venerabilis pater ex huius mundi naufragio, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, ducenteſimo, vigeſimo ſexto, quarto Nonas Octobris, die ſabbati in ſerò, ſepultus in die Dominico. 5.

Videt etiam S. Clara eiuſq; filiæ & ſorores.

Sepelitur in æde S. Georgij.

An. Domini 1226 obiit ex hoc mundo.

Cœpit autem vir beatus continuò, diuinæ faciei ſuperirradiante reſpectu, magnis & multis coruſcare miraculis: vt ſublimitas ſanctitatis eius quæ ipſo viuente in carne, ad morum directionem, per exempla perfectæ iuſtitiæ innotuerat mundo, illo iam regnante cum Chriſto, ad omnem fidei firmitatem, per miracula diuinæ potentiæ comprobaretur è cælo. Cumque in diuerſis orbis partibus, glorioſa eius miracula, largaque per ipſum impetrata beneficia, plurimos ad Chriſti deuotionem accenderent, & ad ipſius ſancti reuerentiam incitarent: acclamantibus tam linguis ſermonum, quàm operum, ad aures ſummi Pontificis domini Gregorij Noni, quæ per ſeruum ſuum Franciſcum Deus operabatur, magnalia peruenerunt. Sanè 6.

Miracula post mortem [illegible]

cum

cùm idem paſtor Eccleſiæ, non ſolum
ex miraculis auditis poſt mortem; ve-
rùm etiam experimentis in vitâ, ipſius
oculis viſis, & manibus contrectatis,
ſanctitatem eius mirabilem, plenâ fide
certificatus agnoſceret, ac per hoc, in
cælis glorificatum à Domino nullate-
nus dubitaret: vt Chriſto, cuius erat
Vicarius, concorditer ageret, hunc in
terris reddere celebrem, tanquam om-
ni veneratione digniſſimum, piâ con-
ſideratione diſpoſuit. Ad omnem quo-
que certitudinem faciendam orbi ter-
rarum, de glorificatione viri ſanctiſſi-
mi, inuenta miracula & conſcripta, &
teſtibus idoneis approbata, examinari
fecit per illos, qui minus inter Cardi-
nales, fauorabiles negotio videbantur.
Quibus diligenter diſcuſſis, & ab omni-
bus approbatis, de fratrum ſuorum, &
omnium Prælatorum, qui tunc erant in
Curia, concordi conſilio & aſſenſu, ca-
nonizandum decreuit: veniéſque per-
ſonaliter ad ciuitatem Aſſiſij, anno Do-
minicæ Incarnationis milleſimo, du-
centeſimo, vigeſimooctauo, decimo
ſeptimo Calendas Auguſti, die Domi-
nico; cum maximis, quæ longum foret
enarrare, ſollemniis, beatum Patrem
catalogo Sanctorum adſcripſit. (Sanctorum catalogo adſcribitur.)

7\. Anno verò Domini milleſimo, du-
centeſimo trigeſimo, conuenientibus
fratribus ad Capitulum Generale Aſſi-
ſij celebratum; ad baſilicam in hono-
rem ipſius conſtructam, corpus illud
Domino dedicatum, octauo Calenda.
Iunij tranſlatum eſt. Dum autem ille ſa-
cer tranſportaretur theſaurus, bullâ
Regis altiſſimi conſignatus; miracula
plurima ille, cuius effigiem præfere-
bat, operari dignatus eſt: vt per odo-
rem ipſius ſalutificum, affectus * trahe-
retur fidelium, ad currendū poſt Chri-
ſtum. Erat re verâ condignum, vt quem
Deus in vitâ ſibi placentem & dilectum
effectum, in paradiſum per contem-
plationis gratiâ tranſtulerat, vt * Enoch;
& ad cælum in curru igneo per caritatis
zelum rapuerat, * vt Eliam: eius iam
vernātis inter flores illos cælicos plan-
tationis æternæ, oſſa illa felicia, de loco
ſuo pullulatione mirifica, redolerent.
Porrò ſicut vir iſte beatus mirandis vir-
tutum ſignis in vitâ claruerat: ſic à die
tranſitus ſui vſque in præſens, per di-
uerſas mundi partes, præclaris miracu-
lorum prodigiis, diuinâ ſe potentiâ glo-
rificante coruſcat. Nam cæcis & ſurdis,
mutis & claudis, hydropicis & paraly-

(Transfertur corpus eius ad baſilicam in illius memoriam ædificatam.)

(* Cant. 1. 4.)

(* Gen. 5. 24.)

(* 4. Reg. 2. 11.)

ticis, dæmoniacis & leproſis, naufragis
& captiuis, ipſius meritis remedia cōfe-
runtur, omnibuſque morbis, neceſſita-
tibus, & periculis ſubuenitur. Sed &
multis mortuis mirificè per ipſum ſuſ-
citatis, innoteſcit fidelibus, mirificans
ſanctum ſuum magnificentia virtutis
Altiſſimi, cui eſt honor & gloria, per
infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPVT. XVI.

Miracula aliquot à S. Franciſco poſt eius obitum edita.

§. 1.

De virtute ſacrorum Stigmatum.

AD omnipotentis Dei honorem, &
gloriam B. Patris Franciſci, poſt
glorificationem ipſius in cælis, aliqua
ex approbatis ſcripturus miracula; ab
illo præcipuè cenſui ſumendum fore
initium, in quo crucis Ieſu virtus oſten-
ditur, & gloria innouatur. Nouus igitur
homo Franciſcus, nouo & ſtupendo
miraculo claruit: cùm ſingulari priui-
legio, retroactis ſæculis non cōceſſo, in-
ſignitus apparuit, ſacris videlicet Stig-
matibus decoratus, & configuratus in
corpore mortis huius, corpori Cruci-
fixi. De quo quicquid humanâ linguâ
dicatur; minus erit laude condignâ. To-
tum quidem viri Dei ſtudium, tam pu-
blicum quam priuatum, circa crucem
Domini verſabatur. & vt crucis ſigna-
culo, cordi eius, * à principio ſuæ con-
uerſionis impreſſo, corpus conſignaret
exteriùs; in ipsâ ſe cruce recludens, ha-
bitum pœnitētiæ ſumſit, crucis imagi-
nem præferentem: quatenus ſicut mens
eius intus, Dominum crucifixum in-
duerat, ſic & corpus eius indueret arma
crucis. & in quo ſigno Deus poteſtates
aëras debellârat, in eodem ſuus exerci-
tus Domino militaret. Sed & à princi-
pio temporis, quo crucifixo militare
cœperat, diuerſa circa eum crucis præ-
fulsēre myſteria: ſicut vitæ ipſius conſi-
deranti decurſum clariùs innoteſcit;
qualiter * apparitione crucis Dominicæ
ſeptiformi, tam cogitatu, quàm affectu
& actu, totus fuit in crucifixi effigiem,
per ipſius extaticum ſummi Re-
gis amorem. Dignè igitur ſuis amatoribus vl-
tra clementia, omnem æſtimationem hominum
condeſcendens, ſuæ crucis vexillum
ipſius corpori deferendum impreſſit: vt

(S. Franciſci ſtudium totum in crucifixum.)

(* Sup. c. 1 §. 6.)

(* Sup. cap. 13. §. 12. in fine.)

vt qui mirando fuerat Crucis amore præuentus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus. Ad huius ſtupendi miraculi irrefragabilem firmitatem, non ſolùm videntium & palpantium teſtimonia, per omnem modum credibilia; verùm etiam apparitiones mirabiles, & virtutes poſt ipſius obitum coruſcantes, ad omne [illegible] effugandum nubilum ſuffragantur. Felicis namque recordationis Dominus Gregorius Papa Nonus, (de quo vir ſanctus prophetando prædixerat, quòd ad dignitatem foret Apoſtolicam ſublimandus) antequam crucis ſigniferum catalogo Sanctorum adſcriberet; ſcrupulum quendam dubitationis in corde gerebat, de vulnere laterali. Nocte verò quadam, (ſicut ipſe felix Antiſtes referebat cum lacrymis) beatus Franciſcus, quadam faciei pretenſi duritiâ, in ſomnis apparuit: & hæſitationem cordis ipſius redarguens, eleuauit brachium dexterum; detexit vulnus, phialamque poposcit ab ipſo, vt ſcaturientem reciperet ſanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in viſione ſummus Pontifex phialam poſtulatam; quæ vſque ad ſummum ſanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc, ad illud ſacrum miraculum tantâ cœpit deuotione affici, & æmulatione feruere, vt nullo modo pati poſſet, quòd aliquis præfulgentia illa ſacra ſigna, ſuperbâ præſumeret impugnatione fuſcare, quin eum ſeuerâ increpatione feriret.

Phiala videtur ſanguine ex eius vulnere lateris profluente.

2. Frater quidam ordine Minor, officio prædicator, virtutis & famæ prærogatiuâ præpollens, cui firmiter erat de ſanctis Stigmatibus perſuaſum; dum humano ſenſu miraculi huius apud ſe rationem perquireret, dubitationis cœpit cuiuſdam ſcrupulo titillari. Cumque igitur per dies plurimos, ſenſualitate aſſumente vigorem, luctamen huiuſmodi pateretur: nocte dormienti ſanctus Franciſcus pedibus luculentis apparuit, humiliter durus, & patienter iratus. Et quæ ſunt, ait, iſta in te conflictationum certamina? quæ dubitationum ſordes? Vide manus meas & pedes meos. Cumque ille videret manus confixas, lutulentorum pedum ſtigmata non videbat. Remoue, inquit, lutum à pedibus meis, & cognoſce loca clauorum. Quos cum ille apprehendiſſet deuotè, lutum ſibi videbatur abſtergere, locaque clauorum manibus contrectare. Continuò vt euigilat, lacrymis irrigatur: & priores affectus, quodammodo lutulentos, tam lacrymarum profluuio, quàm publica confeſſione deterſit.

Manus eius confixæ clauis videntur, & pedes.

3. In vrbe Româ, matrona quædam morum claritate, ac parentum gloria nobilis, ſanctum Franciſcum in ſuum elegerat aduocatum, ipſius habens depictam imaginem in ſecreto cubiculo, vbi Patrem in abſcondito exorabat. Die vero quadam, dum orationi vacaret, conſiderans imaginem Sancti, ſacra illa ſigna Stigmatum non habentem; dolore cœpit non modicum & mirari. Sed non mirum, ſi in picturâ non erat quod pictor omiſerat. Cumque per plures dies, quid cauſæ foret defectus huiuſmodi, mente ſolicita pertractaret: ecce ſubito die quadam apparuerunt ſigna illa mirifica in pictura, ſicut in aliis ipſius ſancti imaginibus pingi ſolent. Tremefacta illa, filiam ſuam Deo deuotam aduocauit protinus, requirens ſi abſque Stigmatibus vſque tunc imago fuiſſet. Affirmat illa, & iurat olim ſine illis ſacris Stigmatibus extitiſſe, & nunc vere cum ſtigmatibus apparere. Verùm quia mens humana, ſemetipſam frequenter impellit vt cadat, & in dubium reuocat veritatem: ſubintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne forte ſic fuiſſet imago à principio conſignata. At Dei virtus, ne primum contemneret miraculum, addidit & ſecundum: continuo namque diſparentibus ſignis illis, nudata priuilegiis imago remanſit; vt per ſequens ſignum fieret probatio præcedentis.

Miraculum in eius imagine.

4. In Cathalonia quoque apud Ilerdam, accidit virum quendam nomine Ioannem, B. Franciſco deuotum, quadam ſero, per quandam incedere viam, in qua, pro inferenda morte latitabant inſidiæ; non quidem ipſi, qui inimicitias non habebat, ſed alteri cuidam, qui videbatur ſimilis eius, & tunc erat in comitatu ipſius. Exurgens autem quidam de inſidiis, cum hoſtem ſuum hunc eſſe putaret; tam letaliter eum plagis plurimis gladiauit, vt nulla prorſus ſupereſſet ſpes recuperandæ ſalutis. Siquidem primò inflicta percuſſio, humerum cum brachio pene totum abſciderat: & ictus alius ſub mamillâ, tantâ reliquerat aperturam, vt flatus inde procedens, circà ſex candelas ſimul iunctas extingueret. Cum igitur conſilio medicorum, ipſius impoſſibi-

lis eſſet curatio; pro eo quod putreſcentibus plagis, ex eis fœtor tam intolerabilis exhalaret, vt etiam ipſa eius vxor vehementer horreret; nulliſque iam humanis iuuari poſſit remediis: conuertit ſe ad B. Patris Franciſci patrocinium, quantâ poterat deuotione, poſcens adiutum; quem inter ipſos ictus, vnà cum beatâ Virgine fidentiſſime inuocarat. Et ecce, miſero in lectulo calamitatis ſolitario decubanti, cùm ciulans & vigilans nomen Franciſci frequentiùs replicaret; aſtitit quidam in habitu fratris Minoris, per feneſtram, vt ei videbatur, ingreſſus: qui vocans eum ex nomine, dixit; Quia fiduciam habuiſti in me, ecce Dominus liberabit te. A quo, cùm æger quis eſſet requireret, Franciſcum illum ſe eſſe reſpondit. Et ſtatim appropians, vulnerum illius ligaturas reſoluit, & cum vnguento per omnes plagas, vt videbatur, perunxit. Statim autem, vt ſenſit illarum ſacrarum manuum, Stigmatum Saluatoris virtute ſanare valentium, ſuauem contactum: expulſa putredine, reſtitutâ carne, & vulneribus ſolidatis, reſtitutus eſt integre priſtinæ ſoſpitati. quo facto beatus Pater abſceſſit. & ipſe ſentiens ſe ſanatum, & in vocem diuinæ laudis, & B. Franciſci erumpens, vocauit vxorem. At illa celeriùs currens, & ſtare iam videns quem ſepeliendum credebat in craſtino; cum eſſet ſtupore vehementi perterrita, viciniam totam clamore compleuit. Accurrentes autem ſui, cum illum niterentur, tanquam phreneticum in lecto reponere, & ille e contrà renitens aſſereret, & oſtenderet ſe ſanatum; tanto ſunt ſtupore attoniti, vt quaſi ſine mente omnes eſſent, phantaſticum eſſe crederent quod videbant: quia quem paulo ante conſpexerant plagis atrocibus laniatum, plenè cernebant incolumitate iucundum. Ad quos ille qui factus fuerat ſanus; Nolite timere, inquit, nolite credere inane quod cernitis: quia S. Franciſcus modò a loco receſſit, & illarum ſacrarum manuum tactu, me integre ab omni plaga curauit. Crebreſcente tandem huius famâ miraculi, accelerat populus omnis; & videntes in tam aperto prodigio, Stigmatum beati Franciſci virtutem, admiratione ſimul & gaudio replebantur; Chriſtique ſigniferum magnis laudum præconiis extollebant.

Chriſti ſigniferum præconiis extollunt.

Dignè quidem beatus Pater, carne iam mortuus, & viuens cum Chriſto, præſentiæ ſuæ oſtenſione mirabili, & manuum ſacrarum palpatione ſuaui, vulnerato letaliter viro ſanitatem conceſſit: cùm illius etiam in ſe Stigmata tulerit, qui miſericorditer moriens, & mirabiliter ſurgens, * vulneratum genus humanum, & ſemiuiuum relictum plagarum ſuarum virtute ſanauit.

* Lucæ 10. 30.

Apud Potentiam Apuliæ ciuitatem, erat quidam clericus Rogerus nomine, vir honorabilis, & Eccleſiæ maioris Canonicus. 5. Hic cùm infirmitate quaſſatus, die quâdam Eccleſiam oraturus intraſſet, in quâ erat imago beati Franciſci depicta, glorioſa Stigmata repræſentans; cœpit de illius ſublimitate miraculi, tanquam de re omnino inſolitâ & impoſſibili dubitare. Subitò igitur, dum mente plagatus interius cogitaret inania, in palmâ ſiniſtræ manus ſub chirothecâ, grauiter ſe ſenſit eſſe percuſſum, ſonitum audiens percuſſuræ, velut cùm ſpiculum prodit de baliſtâ. moxque tam vulnere ſauciatus, quàm ſonitu ſtupefactus, chirothecam de manu traxit: vt viſu dignoſceret, quod tactu perceperat & auditu. Cumque nulla fuiſſet priùs in palmâ percuſſio, conſpexit in medio manus plagam, quaſi ſagittæ percuſſione inflictam; ex quâ, tanta vis procedebat ardoris, vt videretur ex illo deficere. Mirabile dictu. Nullum in chirothecâ veſtigium apparebat: vt latenti plagæ cordis, latenter inflicti pœna vulneris reſponderet. Clamat exinde per duos dies, & rugit, dolore grauiſſimo ſtimulatus, & increduli cordis velamen explicat vniuerſis. credere ſe veraciter, ſacra Stigmata in ſancto fuiſſe Franciſco fatetur, & iurat: conteſtans omnis dubitationis abſceſſiſſe phantaſmata. Orat ſuppliciter Sanctum Dei, per ſacra ſibi Stigmata ſubuenire, & multas cordis preces multo impinguat profluuio lacrymarum. Mirum certe. Incredulitate proiectâ, ſanationem mentis, ſanatio ſequitur corporalis. Omnis quieſcit dolor, frigeſcit ardor, nullum remanet veſtigium percuſſuræ. Sicque factum eſt, vt latens mentis infirmitas, per patens carnis cauterium, ſupernâ prouidente clementiâ, curaretur; menteque ſanatâ, & ipſa caro pariter ſanaretur. Fit homo humilis Deo, deuotus Sancto & fratrum Ordi-

Dubitantis cuiuſdam de Stigmatibus S. Franciſci ſanatur.

Ordini perpetuâ familiaritate ſubiectus. Huius rei tam ſollemne miraculum, iuramentis firmatum fuit; & litteris ſigilli Epiſcopi munimine roboratis, ipſius ad nos notitia delata peruēnit. De ſacris ergo Stigmatibus, nullus ſit ambiguitati locus; nullius in hoc * quia Deus bonus eſt, nequam ſit oculus: quaſi huiuſmodi doni largitio ſempiternæ bonitati non congruat. Si enim illo amore Seraphico, multa membra capiti cohærent Chriſto, vt & in bello ſimili armatura inuenirentur condigna; & in regno ad ſimilem forent gloriam ſubuehenda: nullus hoc ſanæ mentis, niſi ad Chriſti gloriam diceret pertinere.

** Matt. 20. 15.*

§. 2. *De mortuis ſuſcitatis.*

1\. In caſtro montis Marani prope Beneuentum, mulier quædam S. Franciſco peculiari deuotione cohærēs, viam vniuerſæ carnis intrauit. Conuenientibus autē clericis nocte ad exſequias, & vigilias cum pſalteriis decantandas; ſubitò cunctis cernentibus erexit ſe mulier ſuper lectum; & vnum de aſtantibus Sacerdotem, patrinum videlicet ſuum, aduocauit, dicens; Volo confiteri pater. Ego enim mortua, duro eram carceri mancipanda: quoniam peccatum quod tibi pandam, necdum confeſſa fueram. Sed orante, inquit, pro me S. Franciſco, cui dum viuerem, deuotâ mente ſeruiui; redire nunc ad corpus indultum eſt mihi: vt illo reuelato peccato, ſempiternam promerear vitam. Et ecce vobis videntibus, poſtquam illud detexero, ad promiſſam requiem properabo. Trementer ergo Sacerdoti trementi confeſſa, poſt abſolutionem receptam, quietè ſe in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormiuit.

Mortua peccatum confitetur in vitâ non confeſſa.

2\. In caſtro Pamarco, in montanis Apuliæ poſito, patri & matri vnica erat filia, in tenerâ ætate, tenerè prædilecta. Quâ, infirmitate graui ad mortem perductâ: parētes eius ſucceſſionem aliam non ſperantes, ſe in illâ, quaſi mortuos reputabant. Conuenientibus ergo conſanguineis & amicis, ad flebile nimis funus; iacebat mater infelix, ineffabilibus completa doloribus, & abſorpta supremâ triſtitiâ, de his quæ fiebant, nihil penitus aduertebat. Interim S. Franciſcus, vno tantùm ſocio comitatus apparens, deſolatam viſitare dignatus eſt feminam, quam ſibi ſenſerat eſſe deuotam; & piis eam affatus alloquiis. Noli flere, inquit: nam lucernæ tuæ lumē, quod deploras extinctum, meâ tibi eſt interceſſione reddendum. Surrexit cōtinuò mulier; & quæ ſibi dixerat Sanctus, omnibus manifeſtans, non permiſit extinctum corpus efferri: ſed cum magnâ fide S. Franciſci nomen inuocans, & mortuam filiam apprehendens, viuam & incolumem, cunctis videntibus & mirantibus, alleuauit.

Filia vnica, S. Franciſci inuocatione reſuſcitatur.

3\. Cùm fratres de Noceriâ, peterent quoddam plauſtrū, à quodam viro Petro nomine, quo aliquantulum indigebāt; ſtulte reſpondit eis, pro petito ſubſidio irrogando cōuitium: & pro eleemoſynâ ad honorem ſancti poſtulatâ Franciſci, in nomē ipſius blaſphemiam iaculādo. Pœnituit hominem ſtatim inſipientiæ ſuæ, diuino ſuper eum irruēte pauore: ne fortè vltio Domini ſequeretur, ſicut & fuit protinus ſubſequuta. Nā infirmatus continuò primogenitus eius, paruo elapſo ſpatio, ſpiritum exhalauit. Volutabatur per humū pater infelix; & ſanctum Dei Franciſcum inuocare non ceſſans, cum lacrymis exclamabat; Ego ſum qui peccaui, ego qui inique locutus ſum: me in perſonâ propriâ flagellare debuiſti. Redde ſancte iam pœnitēti, quod abſtuliſti impiè blaſphemāti. Tibi me reddo, tuis me obſequiis ſemper expono: nam & deuotum ſacrificium laudis, pro tui honore nominis, ſemper offerā Chriſto. Mira res. Ad hæc verba ſurrexit puer; & plāctum prohibens, ſe morientem eductum de corpore, per B. Franciſcum deductum aſſeruit & reductum.

Primogenitus item ſuſcitatus.

4\. Cuiuſdam vrbis Romæ Notarij puerulus vix ſeptennis, matrem ad eccleſiam S. Marci euntē, puerili more ſequi deſiderans, dum remanere domi cōpelleretur à matre, per feneſtram palatij ſe proiecit, & vltimâ quaſſatione colliſus continuò exſpirauit. Mater verò, quæ nondum longe diſceſſerat, ad ſonitum corruentis, præcipitium pignoris ſuſpicata, celeriter rediit; filiumque reperiēs tam miſerabili caſu repēte ſubtractum, protinus ſibiipſi manus iniecit vltrices, ac doloroſis clamoribus totā excitauit viciniam ad lamētum. Frater verò quidam nomine Raho, de Ordine Minorū, illuc ſe ad prædicādum conferens, propinquauit ad puerum: & fide plenus ait ad patrem; Crediſne ſanctū Dei Franciſcū poſſe filiū tuū à mortuis ſuſcitare, propter amorē quem ſemper ad Chriſtū habuit, pro reddēdâ vitâ hominibus

Puer quoque ſeptennis caſu mortuus.

crucifixum: Quo reſpondente, ſe firmiter credere, & fideliter confiteri; ſeruumque Sancti in perpetuum ſe eſſe futurum, ſi tantum à Deo munus per ipſius merita recipere mereretur: proſtrauit ſe frater ille cum fratre ſocio in oratione, ceteros qui aderant excitans ad orandum. Quo facto cœpit puer aliquantulum oſcitare, & apertis oculis, brachiiſque eleuatis, ſeipſum erexit; & ſtatim coram omnibus ambulauit incolumis, per mirandam Sancti virtutem, vitæ ſimul redditus & ſaluti.

5. In ciuitate Capuæ, dum puer quidam cum pluribus ſuper ripam Vulturni fluminis iocaretur, incautus cecidit in profundum: quem fluminis impetus celeriter vorans, ſub ſabulo mortuum ſepeliuit. Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luſerant circa flumen: populoſa illuc multitudo conuenit. Cumque vniuerſus populus ſuppliciter & deuotè beati Frãciſci merita inuocaret, vt deuotorum ſibi parentum fidem reſpiciens, prolem à mortis periculo eripere dignaretur: natator quidam procul aſtans, clamoribus auditis, acceſſit, & poſt diutinam inquiſitionem, inuocato tandem beati Franciſci ſuffragio, locum inuenit, in quo limus in modũ ſepulchri, pueri cadauer obtexerat. quem effodiens, & extrà deportans, dolens defunctum inſpexit. Licet autem populus qui aſtabat, videret iuuenem mortuum: nihilominus tamen flens, & eiulans proclamabat; Sancte Franciſce, redde puerum patri ſuo. Sed & Iudæi qui venerant, naturali pietate cõmoti, dicebant: Sancte Franciſce, redde puerum patri ſuo. Subitò puer, lætantibus & mirantibus cunctis, exurgens incolumis, duci ſe ad eccleſiam B. Franciſci ſuppliciter poſtulauit; vt gratias illi deuotus exſolueret, cuius ſe nouerat virtute mirabiliter ſuſcitatum.

6. In ciuitate Sueſsà, in vico qui Ad columnas dicitur, repentè quædam corruens domus, vnum abſorbuit iuuenem, & ſubitò interemit. Viri autem & mulieres ruinæ ſonitu excitati, vndique accurrentes, eleuauerunt hinc inde ligna & lapides; & miſeræ matri mortuum filium reddiderunt. Illa verò amariſſimis repleta ſingultibus, ſicut poterat, doloroſis vocibus exclamabat: Sancte Franciſce, ſancte Franciſce, redde mihi filium meum. Non ſolùm autem illa, ſed & omnes qui aderant, B. patris præſidium flagitabant. Sed cùm non eſſet neque vox, neque ſenſus, cadauer poſuerunt in lectulo: & ad ſepeliẽdum ipſum diem craſtinum expectabant. Mater verò fiduciam habens in Domino per merita ſancti eius, votum emiſit, nouã ſe ſindone B. Franciſci operturam altare, ſi filium ſuum reuocaret ad vitam. Ecce circa horam noctis mediam, cœpit iuuenis oſcitare: & caleſcentibus membris, viuus exſurgens & ſanus, in laudis verba prorumpit. Sed & clerum qui conuenerat, & populum vniuerſum excitauit ad laudes & gratias Deo & B. Franciſco cum mentis lætitia perſoluendas.

Ex voto iuuenis reſuſcitatur.

7. Iuuenis quidam Gerlandinus nomine, de Raguſi oriundus, vindemiarum tempore ad vineas exiens, cùm in vaſe vinario, vt vtres impleret, ſub torculari ſe mitteret, repentè prægrandes lapides, motis in ſe lignorum ſtruibus, caput ipſius letali percuſſione quaſſarunt. Feſtinauit continuò pater ad filium, & deſperans obrutum nõ adiuuit, ſed eum ſub onere, ſicut corruit, ſic reliquit. Accurrerunt expeditiùs vinitores, magni clamoris vocem lugubrem audientes: multoque cum patre pueri, dolore completi, extraxerunt iuuenem iam mortuum à ruinâ. Pater verò ipſius Ieſu pedibus prouolutus, humiliter precabatur, vt filium ſuum vnicum per S. Franciſci merita, cuius tunc imminebat ſollennitas, ſibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vouebat officia pietatis: & ſancti viri corpus ſe viſitaturum cũ filio, ſi ſuſcitaretur à mortuis, repromiſit. Mirum certè. Continuò puer qui toto fuerat corpore conquaſſatus, reſtitutus vitæ & integræ ſoſpitati, gaudens coram omnibus exſurrexit; plangentes obiurgans, & S. Franciſci ſuffragiis vitæ ſe redditum aſſeuerans.

Item ex voto alius patri redditur.

8. Quemdam alium mortuum in Alemania ſuſcitauit, de quo Dominus Papa Gregorius, tempore trãſlationis ipſius Sancti, fratres omnes qui ad tranſlationem & Capitulum conuenerant, per Apoſtolicas litteras, certos reddidit & gaudentes. Miraculi huius ſeriem, quia ignoraui, non ſcripſi; credens Papale teſtimonium omnis aſſertionis excellere inſtrumentum.

§. 2. *De his quos à mortis periculo liberauit.*

1. In confinibus Vrbis, vir quidam nobilis Rodulphus nomine, cum Deo de-

uotâ vxore, fratres Minores ſuo recepit hoſpitio: tam hoſpitalitatis gratiâ, quã B. Franciſci reuerentiâ, & amore. Nocte verò illa, in ſummitate turris, dormiens cuſtos caſtri, cùm iaceret ſuper ſtruem lignorum, in ipſâ muri poſitorum crepidine; ipſorum ſolutâ compage, in tectum palatij corruit, & exinde ſuper terram. Excitatâ ad ſonitum caſus totâ familiâ, & cuſtodiis intellectâ ruinâ; dominus caſtri & domina, cum fratribus accurrerunt. Is verò qui ab alto corruerat, abſorptus fuerat tam profundo ſopore, vt nec ad caſum euigilaret iteratæ ruinæ, nec ad ſtrepitum accurrentis familiæ cum clamore. Trahentium tandem, & impellentium manibus excitatus, conqueri cœpit, quòd dulci fuiſſet quiete priuatus; inter beati Franciſci brachia, ſuauiter aſſerens ſe dormiiſſe. Cùm verò de caſu proprio doceretur ab aliis, & in imo ſe videret, qui in alto iacuerat: ſtupens eſſe factum quod fieri non perceperat, pœnitẽtiam ſe facturũ ob reuerentiã Dei, & B. Franciſci, coram omnibus repromiſit.

De ſummâ turre cadẽs, non læditur.

2\. In caſtro Pophis, quod in Campaniâ poſitum eſt, Sacerdos quidam Thomas nomine, acceſſit ad reparandum Eccleſiæ molendinum. Deambulans autem incautè circa extrema canalis, quo gurges profundus copioſo influebat influxu: ſubitò caſu cauilloſo ligno intruſus eſt, cuius impulſu voluitur molendinum. Cùm igitur confertus iaceret in ligno, & ſuper os ipſius, quia ſupinus erat, aquarum impetus inundaret: corde tamen, quia linguâ non poterat, S. Franciſcum flebiliter inuocabat. Per magnum verò ſpatium ſic illo iacente, ac de vitâ ipſius iam penitus ſociis deſperatis, in contrariam partem molam cum violentiâ reuoluerunt: & ſic eiectus Sacerdos palpitans volutabatur in aquæ meatu. Et ecce quidam frater Minor, indutus tunicâ candida & fune ſuccinctus, cum magnâ ſuauitate arreptum per brachium, extra flumen eduxit, dicens; Ego ſum Franciſcus, quem inuocaſti. Ille verò ſic liberatus nimis obſtupuit; volenſque ipſius oſculari veſtigia, huc atque illuc anxius diſcurrebat, quærens à ſociis, Vbi eſt ille? Quò abiit ſanctus? qua viâ receſſit? Viri autem illi tremefacti, proni ceciderunt in terram ſublimis Dei glorioſa extollentes magnalia, & virtuoſa merita humilis ſerui eius.

Sacerd. tem fo. merſum liberat.

3\. Iuuenes quidam de Burgo Celani, pro metendis herbis exierant ad campeſtria quædam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in ſummo ore virentibus obumbratus; qui quaſi per paſſus quatuor, aquarum altitudinem continebat. Segregatim igitur per campum diſcurrentibus pueris, vnus ex improuiſo decurrit in puteum. Abſorbente autem profundâ foueâ corpus: ſpiritus mentis ſurſum recurrebat ad beati Franciſci ſuffragium, clamans in ipſo lapſu fideliter & fidenter; Sancte Franciſce adiuua me. Ceteri huc atque illuc ſe vertentes, dum puer alius non comparêret, clamore, circuitu, & lacrymis requirebant eundem. Comperto tandem quòd in puteum cecidiſſet, feſtinanter cum gemitibus redierunt ad Burgum, indicantes euentum, expoſcentes auxilium. Redeuntibus autem illis, cum multâ hominum turbâ demiſſus vnus per funem in puteum, puerum reſpexit in aquarum ſuperficie reſidentem, nihil paſſum penitus læſionis. Extractus verò de puteo puer, dixit omnibus qui aſtabant; Quando ſubitò cecidi, beati Franciſci patrocinium inuocaui: qui corruenti mihi, ſtatim præſentialiter affuit, & manum porrigens, leuiter apprehendit; nec vnquam deſeruit, donec vnà vobiſcum puteo me eduxit.

Puer [illegible]

In eccleſiâ beati Franciſci apud Aſſiſium, dum præſente Romanâ Curiâ prędicaret Dominus Epiſcopus Hoſtienſis, qui poſtmodum Summus Pontifex extitit Alexander; quidam lapis ponderoſus & magnus, incautè ſuper pulpitum excelſum & lapideum derelictus, præ nimietate preſſuræ impulſus, ſuper caput cuiuſdam cecidit mulieris. Exiſtimantes igitur circumſtantes, perfectè ipſam iam mortuam, & caput eius totaliter conquaſſatum: cooperuerunt eam pallio, quo erat amicta, vt ſermone finito, educeretur extra Eccleſiam lugubre funus. Ipſa verò ſe beato Franciſco, ante cuius iacebat altare, fideliter commendauit. Et ecce prædicatione finitâ, mulier coram omnibus adeò ſurrexit incolumis, vt nullius ineâ læſionis veſtigium appareret. Sed & quod eſt ampliùs admirandum: cùm per longa tempora vſque ad horam illam, dolorem capitis quaſi continuum habuiſſet, plenè fuit ex tunc, ab omni morbi moleſtiâ liberata, ſicut ipſa poſtmodum teſtabatur. 4.

Mulier caſu lapidis in capite [illegible]

Apud Cornetum, cùm in loco fratrum, ad fuſionem campanæ, viri quidam conueniſſent deuoti: puerulus quidam octennis, Bartholomæus nomine, xenium quoddam fratribus laborantibus apportauit. Et ecce ſubitò ventus vehemens, concuſſa domo, oſtium portæ graue quidem & magnum, ſuper ipſum puerulum ita valido proiecit impulſu; vt quem tam ingens pondus oppreſſerat, letali crederetur colliſione quaſſatus: ſic enim totaliter iacebat tumulatus ſub pondere, vt nihil exterius appareret. Accurrerunt omnes qui aderant, beati Franciſci virtuoſam dexteram inuocantes. Sed & pater ipſius, qui rigeſcentibus membris, ſe mouere non poterat præ dolore; votis & voce, ſancto Franciſco filium offerebat. Leuatum eſt denique funeſtum pondus deſuper puerum, & ecce quem credebant mortuum, quaſi ſuſcitatus a ſomno, lætus apparuit, nullam in ſe prorſus præferens læſionem. Igitur cùm quatuordecim eſſet annorum, factus eſt Frater Minor, vir poſtea litteratus, & famoſus in Ordine prædicator.

6. Homines de Lentino lapidem prægrandem abſciderunt de monte, qui ſuperponendus erat altari cuiuſdam eccleſiæ B. Franciſci, in proximo conſecrandæ. Cùm autem ferè quadraginta homines, lapidem illum ſuperponere vehiculo niterentur: repetitis ſæpius viribus, ſuper quendam hominem lapis ille cecidit, & in modum ſepulchri obtexit. Sed cum mente confuſi, quid facerent ignorarent: maior pars hominum deſperata diſceſſit. Porrò viri decem, qui remanſerant, lugubri voce ſanctum inuocantes Franciſcum, ne in ſuo ſeruitio, ſic horrende mori hominem pateretur: reſumpto tandem corde, tanta facilitate lapidem amouerunt, vt nullus dubitaret virtutem adfuiſſe Franciſci. Surrexit homo incolumis in omnibus membris, inſuper & lumen recuperauit limpidum oculorum, quod prius habuerat obſcuratum: vt ſic omnibus daretur intelligi, quàm in rebus deſperatis, beati Franciſci merita, validæ ſint virtutis.

Similiter ſuper quem ingens lapis cecidit.

Simile quiddam accidit apud ſanctum Seuerinum, in Marchia de Anconâ. Dum enim lapis prægrandis de Conſtantinopoli adportatus, ad baſilicam beati Franciſci, multorum viribus traheretur: rapido lapſu eſt ſuper quendam trahentium deuolutus. Cumque ille non ſolùm crederetur defunctus, ſed etiam totaliter comminutus: aſſiſtente ſibi beato Franciſco, & lapidem ſubleuante, abſque omni læſione ſanus & incolumis, lapidis proiecto pondere, proſiliuit.

Bartholomæus Caietanus ciuis, cum ad conſtructionem cuiuſdam eccleſiæ B. Franciſci, non modicum deſudaret: ruente trabe quadam infirmiter poſita, eiuſque opprimente ceruicem, fuit grauiter conquaſſatus. Ipſe verò mortem ſibi ſentiens imminentem, vt erat vir fidelis & pius, à quodam fratre viaticum poſtulauit. Quod frater ille tam celeriter afferre non valens; quia mori ſubitò credebatur, B. * Auguſtini verbum protulit, dicens ei; *Crede & manducaſti.* Sequenti verò nocte, beatus Franciſcus cum vndecim fratribus illi apparuit: & inter vbera portans agniculum, ad lectum eius acceſſit, vocauitque illum ex nomine, dicens; Bartholomæe, noli timere: quia non præualebit aduerſus te inimicus, qui te in meo ſeruitio voluit impedire. Hic eſt agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonum deſiderium ſuſcepiſti, cuius etiam virtute conſequeris vtriuſque hominis ſoſpitatem, & ſic per vulnera manum ducens, ad opus quod cœperat, eum redire præcepit. Qui valde mane conſurgens, & iis qui eum ſeminecem reliquerant, incolumis & lętus apparens, admirationem intulit & ſtuporem: ſed & ipſorum mentes, ad B. Patris reuerentiam, & amorem, tam exemplo ſui, quàm Sancti miraculo excitauit. 8.

Trabe oppreſſus ſanatur.

* to. 9. Tract. 25 in Ioan.

Quidam de caſtro Ceperani, nomine Nicolaus, in manus inimicorum crudelium incidit die quadam: qui crudelitate ferali, vulneribus eum ſuper vulnera concidentes, vſq; adeò ſuper miſerum ſæuierunt, donec vel extinctum crederent, vel protinus extinguendum. Clamauerat autem Nicolaus prædictus, cùm primos ictus exciperet, altâ voce: Sancte Franciſce ſuccurre mihi, ſancte Franciſce adiuua me. Hanc vocem à remotis audierunt quamplurimi, licet auxilium ferre non poſſent. Deportatus tandem domum, totus ſuo ſanguine volutatus, fiducialiter aſſerebat ſe mortem ex illis vulneribus non viſurum, nec etiam ſe tunc ſentire dolores: quoniam ſanctus Franciſcus ſibi ſuccurrerat, & vt pœnitentiam ageret à Domino impetrauit; quod & ſequens confirmauit euentus. Nam lotus à ſan- 9.

Vulneratus multum, etiam à S. Franciſ. curatur.

guine

guine, continuò contra humanam ſpem, extitit liberatus.

10. *Filius item morti proximus.*

Filius cuiuſdam nobilis, in caſtro ſancti Geminiani, valido languore detentus, omnique vlteriùs deſperatus ſalute, ad extremum vſque perductus eſt. Riuus etenim ſanguinis ab oculis eius emanabat, ſicut ex venâ brachij aſſolet ebullire: ceteriſque propinquæ mortis veris indiciis, in reliquo corpore apparentibus, iudicabatur pro mortuo. Sed & præ debilitate ſpiritus & virtutis, ſenſus & motus vſu priuatus, viſus eſt penitus emigraſſe. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus, & amicis, ac de ſolâ agentibus ſepulturâ: pater ipſius fiduciam habens in Domino, concito greſſu ad eccleſiam cucurrit B. Franciſci, quæ in eodem erat caſtro conſtructa: & cingulo ſuſpenſo ad guttur, cum omni humilitate ſe proſtrauit in terram; ſicque vota vouens, & multiplicans preces, ſuſpiriis & gemitibus meruit apud Chriſtum, ſanctum Franciſcum habere patronum. Reuerſus itaque ſtatim pater ad filium, & ſanitati reſtitutum inueniens, luctum in gaudium commutauit.

11. Simile quiddam meritis Sancti, operatus eſt Dominus, circa puellam quandã in Cathaloniâ, de villâ nomine Thamarit; & circa aliam de Anconâ: quæ cùm eſſent præ nimietate ægritudinis, in vltimo ſpiritu conſtitutæ, beatus Franciſcus fideliter à parentibus inuocatus, perfectæ continuò reſtituit ſanitati.

12. *Et qui venenũ hauſerat.*

Clericus quidam de vico Albo nomine Matthæus, veneno mortifero bibitò, in tantum fuit grauatus, quòd loqui aliquo modo non valens, ſolùm finalem exitum exſpectabat. Sacerdos quidam, vt ſibi confiteretur, admonuit; & verbum vnum ab eo extorquere non valuit. Ipſe verò in corde ſuo humiliter Chriſtum orabat, vt per beati Franciſci merita, à mortis eum faucibus eripere dignaretur. Moxq; vt confortatus à Domino, beati Franciſci nomen fideli deuotione depromſit; teſtibus qui aderant, veneno euomito, liberatori ſuo gratias egit.

§. 4. *De liberatis à naufragio.*

1. In magno maris periculo poſiti quidam nautæ cùm milliaria decem à portu Barulitano diſtarent, ingraueſcente nimiùm tempeſtate, iam de vitâ dubij anchoras ſubmiſerũt. Verùm ſpiritu procellarum mari feruentiùs tumeſcente, fractis funibus, & relictis anchoris, incerto & inæquali curſu per æquora vagabantur. Tandem nutu diuino, mari placato, ad reſumendas anchoras, quarum funes ſuperiùs enatabant, toto ſe conamine parauerunt. Cumque id perficere propriis viribus non valerent, plurimorũ Sanctorum inuocato ſubſidio, multiſq; iam ſudoribus liqueſcentes, nec vnam per totam diem reſumere potuerunt. Aderat autem nauta quidam Perfectus nomine, ſed moribus imperfectus; qui cum irriſione quadam dixit ad ſocios; Ecce ſanctorum omnium inuocaſtis auxilium, &, vt videtis, nullus eſt qui ſuccurrat. Inuocemus iſtum Franciſcum, qui nouellus eſt ſanctus: ſi quo modo in mare ſe mergat, & anchoras perditas reddat. Conſenſerunt ceteri non irriſoriè, ſed veraciter ſuaſioni Perfecti: & ipſius obiurgantes irriſorium verbum, firmauerunt cum ſancto ſpontaneum votum. Statimque in momento, ſine aliquo adminiculo, natauerunt anchoræ ſuper aquas, quaſi ferri natura verſa foret in ligneam leuitatem. *Anchoræ perditæ nautis redduntur.* *Aquis ſupernatant.*

Peregrinus quidam inualidus corpore, propter febris peracutæ ſymptomata, quam fuerat ante perpeſſus: naui quadam ſubuectus, de vltra marinis partibus veniebat. Ferebatur autem ipſe ad beatum Franciſcum præcipuo deuotionis affectu, & eum ſibi apud cæleſtem Regem elegerat aduocatum. Cum igitur necdum perfectè liber à morbo, ſitis anguſtiaretur ardoribus: deficiente iam aquâ, cœpit altâ voce clamare: Ite fidenter, haurite poculum mihi: quia B. Franciſcus vaſculum meum aquâ repleuit. Mirum certè. Inuenerunt vas aquâ repletũ, quod fuerat antè vacuum derelictum. Alio verò die, cùm tempeſtate ſubortâ operiretur nauis fluctibus, & procellis quateretur perualidis, ita vt iam naufragium timerent: cœpit idem infirmus ſubito clamore vociferari per nauem; Surgite omnes, inquit, & B. Franciſco venienti occurrite: ecce ad ſaluandum nos adeſt. ſicque cum voce magnâ & lacrymis, in faciem procidens adorauit. Statim ad ſancti viſionem, omnem ſoſpitatem reſumſit infirmus, & maris fuit tranquillitas ſubſecuta. 2. *Infirmus aquam deſideratam accipit.* *Tempeſtas ſedatur in mari.*

Frater Iacobus Reatinus, cùm in nauiculâ paruâ, fluuium quendam cum aliis fratribus pertranſiret, ſociis primò 3.

ſuper-

y Google

ſuper ripam poſitis, poſtremò ſe ad exitum præparabat: ſed modico illo ligno, rectore nauis ... frater merſus eſt in profundum. ... fratres extra poſiti, affectu inuocabant precibus beatum Franciſcum, deuotis ... ut ſuccurreret, lacrymoſis gemitibus ſupplicabant. Submerſus autem frater, de ventre gurgitis nimis immenſi, cùm ore non poſſet, corde, vt poterat, implorans pij Patris ſubſidium. Et ecce auxiliante ſibi B. Patris præſentiâ, per profundum fluminis ſicut per aridam ambulabat: & demerſam nauiculam capiens, cum eâ peruenit ad litus. Mirabile dictu. Veſtimenta eius madida non ſunt, nec aquæ gutta proximauit ad tunicam.

4\. *Item alij à ſubmerſione liberati.*

Frater Bonauentura nominè; cum duobus viris per lacum quendam nauigans, confractâ ex parte nauiculâ, præ aquæ influentis impetum, demerſus eſt cum naui & ſociis in profundum. Inuocantibus autem de lacu miſeriæ miſericordem Patrem Franciſcum inuocarent, ſupernatauit ſubito cum multa fiducia nauicula: & cum eis, Sancto ... plena nauicula ... ducatum, ſalubriter peruenit ad portum. Sic & quidam frater de Eſculo ... merſus in flumine, S. Franciſci meritis ex ... liberatus. Sed & in lacu Reatino quidam viri & mulieres in ſimili cùm eſſent periculo conſtituti; ad inuocationem nominis S. Franciſci, de periculoſo naufragio multarum aquarum ſalubriter euaſerunt.

5 Quidam nautæ Anconitani, periculoſa tempeſtate iactati, ſubmerſionis periculum iam videbant. Cumque ſic deſperati de vitâ S. Franciſcum ſuppliciter inuocarent: lumen in mari magnum apparuit; & cum ipſo lumine tranquillitas conceſſa diuinitus, ac ſi beatus vir ſuâ mirandâ virtute, & ventis imperare poſſet & mari. Quantis autem miraculorum prodigiis beatus hic Pater in mari claruerit, & clareſcat: quotiens ibidem opem tulerit deſperatis; nullatenus credo poſſibile per ſingula enarrare. Nec mirum, ſi iam regnanti in cælis collatum eſt imperium ſuper aquas: cui & in hac mortalitate degenti, omnis corporea creatura, ad ſuam refigurata originem, mirabiliter ſeruiebat.

§. 5. *De liberatis à vinculis & carceribus.*

6 In Romaniâ, Græcum quendam cuiuſdam domini ſeruientem, contigit furto fallaciter accuſari; quem dominus terræ in alto carcere mandauit includi, & grauiter vinculari. Domina verò domus miſerta ſerui, quem indubitanter credebat à culpâ ſibi impoſitâ innocentē; pro liberatione ipſius apud virum precibus inſiſtebat deuotis. Verùm non acquieſcente viri ſui duritiâ obſtinati: recurrit domina ſupplex ad S. Franciſcum, & eius pietati voto commendauit inſontem. Protinus adfuit miſerorum adiutor, & virum in carcere poſitum miſericorditer viſitauit. Soluit vincula, carcerem fregit, innocentem manibus apprehenſum, foras eduxit, & ait; Ego ſum ille, cui domina tua te deuote commiſit. Cumque ille timore magnó corriperetur, & pro deſcenſu altiſſimæ rupis voraginem circuiret; ſubitò liberatoris ſui virtute inueniens ſe in planó, rediit ad dominam ſuam; relatáque per ordinem miraculi veritate, deuotam dominam, ad Chriſti amorem & reuerentiam ſerui eius Franciſci, feruentiùs inflammauit.

Accuſatus furti, ſed falsò carceri eripitur.

2\. *Et pauperculus debitor.*

In Maſsâ S. Petri, cuidam militi debebat pecuniæ quantitatem pauperculus quidam. cumque præ inopiâ facultas non ſuppeteret perſoluendi: captus debitor à milite repetente, miſereri ſibi orabat ſuppliciter, dilationem quærens amore beati Franciſci. Spreuit ſuperbus miles preces oblatas; & Sancti amorem, velut inane quid, inaniter vilipendit: Nam ceruicoſe reſpondens; Tali te, ait, loco recludam, & tali retrudam carcere, quod nec Franciſcus, nec aliquis te poterit adiuuare. Tentauit quod dixit. carcerem adinuenit obſcurum, in quo hominē vinculatum coniecit. Paulo poſt adfuit B. Franciſcus: & fracto carcere, ruptiſque compedibus, illæſum hominem reduxit ad propria. Sic fortitudo Franciſci, militem eſt prædata ſuperbum, captiuum qui ſe ſibi ſubiecerat, liberauit à malo; militiſque proteruiam admirandó miraculo, in manſuetudinem commutauit.

3 *Item alius iniuſtè carceratus liberatur.*

Albertus de Aretio, cum in vinculis atrociſſimis teneretur, pro debitis iniuſtè ab eo petitis; ſuam innocentiam S. Franciſco humiliter commendauit. Ordinem quidem fratrum Minorum plurimum diligebat: & S. Frãciſcum inter Sanctos ſpeciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor ſuus voce blaſphemiâ; quòd nec Franciſcus, nec Deus poſſet eum de ſuis manibus liberare.

Factum

Factum eſt itaque in vigiliâ S. Franciſci, cum vinctus ille nihil comediſſet, ſed ob Sancti amore in victum ſuû cuidam tribuiſſet egeno; nocte veniente apparuit ei vigilanti S. Franciſcus: ad cuius ingreſſum vincula de pedibus & catenę de manibus ceciderunt; ſponte aperta ſunt oſtia, proſilierunt tabulæ de ſolario, & liber abſceſſit homo ad propria rediens. impleuit extunc votum, ieiunans vigiliam B. Franciſci: & cereo, quem annuatim conſueuit offerre, in accreſcentis deuotionis indicium, annuatim vnam vnciam ſuperaddens.

4. *Hæreticus captus abſolutâ à beato mirabiliter liberatur.*

Reſidente in Sede B. Petri Domino Gregorio Nono, quidam Petrus nomine, de ciuitate Aliﬁâ, de hæreſi accuſatus, Romæ captus eſt; & de mandato eiuſdem Pontificis, ad cuſtodiendum traditus Epiſcopo Tiburtino: quem ſub pœnâ Epiſcopatus accipiens, compedibus alligauit, obſcuroque ipſum carcere, ne poſſet effugere, includi fecit, panem ei præbens in pondere, & poculum in menſurâ. Cœpit autem homo ille beatum Franciſcum ad ſui miſerendum multis precibus & fletibus inuocare: eò quòd audierat ſolennitatis eius iam adeſſe vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicauerat hæreticæ prauitatis errorem; totâque cordis deuotione adhæſerat fideliſſimo Chriſti ſeruo Franciſco: intercedentibus ipſius meritis, à Domino meruit exaudiri. Inſtante enim iam nocte ſuæ feſtiuitatis, circa crepuſculum beatus Franciſcus in carcerem miſeratus deſcendit; & illum ſuo nomine vocans, vt citò ſurgeret imperauit. Qui timore perterritus, quiſnam eſſet interrogans; beatum Franciſcum adeſſe audiuit. Cùmque virtute præſentiæ viri Sancti, vincula pedum ſuorum confracta conſpiceret cecidiſſe; & tabulas carceris clauis vltrò proſilientibus aperiri, & apertum iter ſibi ad exeundum præberi: ſolutus tamen, & obſtupefactus fugere neſciebat, ſed ad ianuam clamans cuſtodes omnes perterruit. Qui cùm eum liberatum à vinculis, Epiſcopo nunciaſſent, poſt intellectum ordinem rei, ad carcerem Pontifex deuotus acceſſit; & manifeſte Dei virtutem cognoſcens, Dominum adorauit ibidem. Vincula quoque coram Domino Papa & Cardinalibus delata fuerunt: qui videntes quod factum fuerat, admirati plurimum benedixerunt Deum.

5. Guiſolotus de ſancto Geminiano falsò accuſatus fuit, quòd veneno interemerat quendam virum; & quòd eodem genere mortis, filium eiuſdem viri, & vniuerſam eius familiam propoſuerat enecare. Captus proinde à Poteſtate Terræ, grauiſſimis vinculis aggrauatus, in turri quadam recluſus eſt. Ipſe verò fiduciam habens in Domino, pro ſuâ innocentiâ quam ſciebat, cauſam commiſit B. Franciſci patrocinio defendendam. Excogitante igitur Poteſtate, qualiter criminis obiecti confeſſionem eliceret per tormenta, qualibuſq́ pœnis confeſſum faceret interire; nocte illâ, cùm manè ad cruciatus deberet adduci, S. Franciſci præſentia extitit viſitatus: & immenſo luminis fulgore vſque manè circundatus, repletusq; gaudio & fiduciâ multa, ſecuritatem euaſionis accepit. Aduenerunt manè tortores; & eductum de carcere, eculeo ſuſpenderunt, aggrauantes ſuper eum multa pondera ferri. Depoſitus eſt pluries, & iterum eleuatus vt pœna pœnæ ſuccedente, citius ad confeſſionem criminis arceretur: ſed ſpiritu innocentiæ lætabatur in vultu, nullam moleſtiam prætendens in pœnis. Deinde accenſus eſt ignis ſub ipſo non modicus: nec propterea capillus eſt læſus, cùm tamen capite dependêret ad terram. Tandem bulliente oleo ſuperfuſus, virtute Patroni, cui ſe commiſerat defenſandum, hæc omnia ſuperauit; & ſic dimiſſus liber, ſaluus abſceſſit. *Falsò accuſatus dum torquetur, Sancti patrocinio liberatur.*

§. 6. De liberatis à periculo partûs.

1. In partu grauiter laborans, citò liberatur.

Quædam Comitiſſa in Sclauoniâ, ſicut nobilitate illuſtris, ſic & æmula probitatis, erga S. Franciſcum deuotione flagrabat; erga fratres verò ſedulâ pietate. Tempore verò partus, duros perpeſſa dolores, tantâ fuit anguſtiâ moleſtata, vt prolis futurus ortus, præſens videretur matris occaſus. Non videbatur infantem eniti poſſe ad vitam, niſi exſpiraret è vitâ: nec tali niſu parere, ſed perire. Subuenit cordi eius ſancti Franciſci fama, virtus, & gloria: excitatur fides, inflammatur deuotio. Conuertit ſe ad auxilium efficax, ad fidum amicum, ad deuotorum ſolatium, refugium afflictorum; ſancte Franciſce, inquit, pietati tuæ ſupplicant omnia oſſa mea; & mente voueo, quod explicare non poſſum. Mira celeritas pietatis. Finis dicendi, finis fuit dolendi; parturiendi meta, pariendi principium. Statim enim omni ceſſante preſſurâ partum edidit cum ſalute. Non fuit imme-

mor

mor voti, non propoſiti refuga: eccleſiam quandam pulchram conſtrui fecit, & conſtructam ad ſancti honorem [illegible] ribus aſſignauit.

1. In partibus Romanis, mulier quædam Beatrix nomine vicina partui, cum iam per dies quatuor fœtum in ventre portaret extinctum, multis infelix agitabatur anguſtiis, & exquiſitis doloribus urgebatur. Mortuus fœtus, matrem cogebat ad mortem; & nondum in lucem productum abortiuum, publicum matris periculum pariebat. Tentabat medicorum auxilium: ſed omne humanum remediu laborabat in vanum. Sic de primis maledictionibus copioſius aliquid declinârat in miſerá; vt ſepulchrum factus conceptus, ſepulchrum pro certo proximu expectaret. Fratribus tandem Minoribus, per internuncios tota ſe deuotione committens, ſupplici fide aliquid de S. Franciſci reliquiis poposcit. Contigit nutu diuino [illegible] de chorda, quâ frater ſanctus quandoque præcinctus fuit. Mox ſuper dolentem poſita chorda, ſolutus eſt dolor; mortuus facillimè ſolutus fœtus emiſſus, priſtina ſanitas reſtituta.

* Gen 3. 16.

2. Quædam de Narnio nobilis viri vxor Iuliana nomine, pro filioru morte annos trahebat luguores, & continue infelices deplorabat euentus: pro eo quod omnes, quos cum preſſura portabat filios, modico interiecto tempore ſepulturæ tradiderat. Cum igitur quatuor menſes eum vehementiori dolore [illegible] conceptus haberet in vtero, magis de [illegible] propter euentus præteritos, de concepti prolis ſollicitaretur obitu, beatum patrem Franciſcum pro vita nondum nati fœtus, ſi[illegible] deuotè precabatur. Ecce autem nocte quadam, dormienti ſibi mulier quædam apparebat in ſomnis, formoſum in manibus gestans infantem, quem ſibi hilariter offerebat. Cum illa recipere recuſaret, quem amittere timebat, mulier illa [illegible]: Suſcipe ſecurè, quia quem [illegible] compatiens, ſacer nutrit [illegible] viuet. & ſobrietate gaudium [illegible] mulier, intellexit [illegible] ſibi cæleſtis viſionem per oſtenſam ſibi aſſe fuiſſe [illegible] beati Franciſci ſibi [illegible] completa. Ex tunc abundantiori [illegible] pro ſuſcipienda prole, iuxta promiſſum, multiplicauit preces, & vota. Impletum eſt denique tem-

Quidam [illegible] vidtur [illegible]

pus pariendi, & peperit femina maſculum: qui iuuenilis robore florens ætatis, tanquam per beati Franciſci merita, fomentum ſuſciperet vitæ, incitamentum parentibus præbuit, ad Chriſtum, & Sanctum eius, deuotioris affectûs. Simile quiddam huic in Tiburtis ciuitate ſanctus Pater effecit. Cum enim mulier quædam filias plures peperiſſet, deſiderio prolis fatigata virilis, apud S. Franciſcum preces geminauit & vota. Cōcepit igitur eius meritis mulier illa, & geminos ei parere dedit, qui pro vno fuerat exoratus.

Apud Viterbium partui propinqua mulier, morti propinquior cenſebatur, viſceralibus tormentata doloribus, & tota calamitoſa infortuniis mulierum. Cumque naturæ ſuccumbente virtute, omnis deficeret artis induſtria: inuocato beati Franciſci nomine, liberata confeſtim mulier, partum ſalubriter terminauit. Sed aſſecuta quod voluit, & oblita beneficij quod accepit; honorem Sancto non deferens, die natalis ipſius ad opera ſeruilia manus extendit. & ecce ſubitò dexterum brachium ad laborem extenſum, inflexibile remanſit & aridum. Quòd cùm ſtuderet ad ſe reuocare cum altero, vltione conſimili & illud exaruit. Timore igitur diuino correpta mulier, redintegrauit votum: vſumque membrorum, quem propter ingratitudinē amiſerat & contemptum, per miſericordis & humilis Sancti merita, cui ſe iteratò deuouit, recuperare promeruit. 4.

Voti oblita punitur.

Votum iterans sanatur.

Mulier quædam de partibus Aretinis, cum per ſeptem dies partus diſcrimina ſuſtineret, & iam in nigredinem verſa deſperata eſſet ab omnibus: votum fecit beato Franciſco, & eius cœpit moriens auxilium inuocare. Emiſſo autem voto celeriter obdormiuit: viditque in ſomnis, beatum Franciſcum ſe dulciter alloquentem ac requirentem, vtrum faciem ipſius agnoſceret, & an Antiphonam illam Virginis glorioſæ; *Salue Regina miſericordiæ*, ſciret ad honorem eiuſdem Virginis recitare. quā reſpondere ſe habere notitiā de vtriſque; Incipe, ait Sanctus, antiphonam ſacram: & antequam compleas, paries cum ſalute. Ad hanc vocem euigilauit mulier, & cum timore cœpit dicere; *Salue Regina miſericordiæ*. Cumque illos miſericordes oculos precaretur, fructumque commemoraret vteri virginalis: continuò cunctis liberata preſſuris, inſan- 5.

Recitans Antiphonam Salue Regina miſericordiæ, facilè peperit.

infantem ſpecioſum peperit; gratias agens Reginæ miſericordiæ, quæ per B. Franciſci merita, ipſius fuerat dignata miſereri.

§. 7. *De cæcis illuminatis.*

In conuentu fratrum Minorum Neapoli, cùm quidam frater, Robertus nomine, cæcus annis plurimis extitiſſet: creuit in oculis eius caro ſuperflua, motum & vſum impediens palpebrarum. Cum igitur fratres forenſes, ad diuerſas mundi partes tendẽtes, ibidem plurimi conueniſſent: beatus Pater Franciſcus ſpeculum obedientiæ ſanctæ, vt eos miraculi nouitate hortaretur ad iter; prædictum fratrem, ipſis præſentibus tali modo curauit. Iacebat nocte quadã frater Robertus prædictus æger ad mortem, iamque ſibi fuerat anima commendata. tum ecce aſſiſtit ei beatus Pater cum tribus fratribus omni ſanctitate perfectis, videlicet S. Antonio, fratre Auguſtino, & fratre Iacobo de Aſiſio, qui licet cum perfectè fuerat ſecundum viuerent, ita & ipſum alacriter comitabantur poſt mortem. Accipiens cultellum ſanctus Franciſcus, carnem ſuperfluam reſecauit, lumen reſtituit priſtinum, & à mortis eum fauce reduxit: [illegible] illi; Fili Roberte, gratia quam [illegible], ſignum eſt fratribus ad remotas nationes euntibus: quod ego præcedam eos, & ipſorum dirigam greſſus. vadant, inquit, gaudenter, & iniunctam obedientiam alacri animo exequantur.

2 Apud Thebas in Romania, mulier cæca vigiliam S. Franciſci in pane tantum & aquâ ieiunans, ad eccleſiam fratrum Minorum, ſummo mane feſtiuitatis, à viro ſuo perducta eſt. Quæ dum Miſſa celebraretur, in eleuatione corporis Chriſti oculos aperuit, clarè vidit, deuotiſſime adorauit. In ipſa verò adoratione, voce magnâ proclamans; Gratias, inquit, Deo, & Sancto eius: quia video corpus Chriſti. Omnibus qui aderant in vocem exultationis conuerſis: poſt [illegible] expletionem, reuerſa eſt mulier in domum ſuam, cum gaudio [illegible] oculorum. Exſultabat [illegible], non ſolùm quia lucem corporis recuperârat aſpectum: verùm [illegible] illud mi[illegible] lumen animarum ve[illegible], primario, per B. Franciſci merita, ſibi ſuffragante [illegible].

Die natalis S. Francisci cæca [illegible] Miſſam [illegible] viſum recepit.

In Campania, puer quidam [illegible] decim annorum, de caſtro Pofis, ſubitò vexatus anguſtia, [illegible] amiſit ex toto. Paſſionis [illegible] loco ſuo propulit oculũ, qui [illegible] dies, extra, neruo relaxato [illegible] digiti vnius, ad maxillas depen[illegible] ne aridus eſt effectus. Sed cùm ſola ſupereſſet abſciſſio, & à medentibus foret penitus deſperatus: pater eius ad auxilium B. Franciſci totũ ſe mente conuertit. Non deſuit ille indefeſſus miſerorum adiutor, precibus ſupplicantis. Nam oculum aridum, mirabili virtute, in locum ſuum, priſtinumque vigorem reſtituit, & lucis optatæ radiis illuſtrauit. 3.

4 In eadem Prouincia, apud Caſtrum, magni pon[illegible] ex alto proru[illegible] grauiſſi[illegible] excæcauit, qua[illegible] alta voce S. Franciſcum [illegible] clamare, dicẽs; [illegible] promiſit. erat enim vigilia Sancti. qui [illegible] liberatus, in [illegible] & gaudij; & [illegible] contertit & [illegible] narrans omnibus, quam in ſe expertus fuerat clementiam & virtutem.

5 Vir quidam de monte Gargano, dum in vinea ſuâ laborans, lignum quoddam ferro ſuccideret, proprium percuſſit oculum; & ſic diuiſit per medium, vt quaſi media [illegible] exterius dependeret. Cumque in tam deſperato periculo, deſperaret [illegible] hominem ſubuenire: ieiunaturum ſe in feſto ſancti Franciſci, ſi ei ſuccurreret, repromiſit. Statim in loco debito, viri oculum Sanctus Dei reſtituit; ſicque diuiſum reiunxit, & lumine priſtino decorauit, vt nullius læſionis veſtigia remanerent.

6 Filius cuiuſdam nobilis viri à natiuitate cæcus, meritis B. Franciſci lumen accepit optatum, qui nomen ab euentu ſortitus, Illuminatus, vocatus eſt. Aſſumpſit poſtea [illegible] Ordinem beati Franciſci, accepti beneficij non ingratus: tantumque profecit in lumine gratiæ & virtutis, vt verè lucis filius videretur. Tandem B. Patris promerentibus meritis ſanctum initium fine ſanctiore concluſit.

Cæcus natus [illegible].

7 In Zacharo, quod eſt caſtrũ iuxta Anagniam, miles quidã Gerardus nomine, ocu-

oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autē vt duo fratres Minores ab exteris partibus venientes, ad domum ipſius hoſpitaturi diuerterent. Suſcepti itaque deuotè, propter reuerentiam ſancti Franciſci à familiâ totâ, & cum omni benignitate tractati; gratias agentes Deo & hoſpiti, ad locum fratrum deuenêre vicinum. Nocte igitur quadam, beatus Franciſcus vni fratrum illorum in ſomnis apparuit, dicens; Surge, feſtina cum ſocio ad domum hoſpitis noſtri, qui Chriſtum & me ſuſcepit in vobis: volo enim beneficia rependere pietatis. Cæcus quidem effectus eſt, ſuis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non ſtuduit confeſſione purgare. Diſparente quoque Patre, frater feſtinus ſurrexit, vt mandatum cum ſocio celeriter adimpleret. Venientesque ad hoſpitis domum, cuncta quæ viderat alter, per ordinem narrauerunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, & vniuerſa quæ dicebantur, vera eſſe confirmans: compunctus ad lacrymas, confeſſus eſt libens. Tandem correctione promiſſâ, interiorique homine taliter renouato, exteriorem continuò recuperauit aſpectum. Huius miraculi fama circumquaque diffuſa, non ſolum ad reuerentiam Sancti, verum etiam ad confeſſionem humilem peccatorum, & hoſpitalitatis gratiam plurimos incitauit.

Cæcus confeſſus per [...] ium, ſit videns.

8. *Orbatus oculis iniu[...]d. S. Franciſci meritis alios recepit.*

Quidam pro furti calumniâ cæcatus fuit, rigore Iuſtitiæ ſæcularis, apud Aſſiſium; Othone milite per miniſtros publicos ſententiam Octauiani Iudicis, de eruendis accuſato oculis, exequente. qui taliter deformatus, effoſſis oculis, præciſis neruis opticis, etiam cum cultello, ductus ad altare B. Franciſci, implorata ipſius clementiâ, & ſuâ in prædicti criminis impoſitione, innocentiâ allegatâ; Sancti ipſius merito, infra triduum, nouos recepit oculos, minores quidem illis, quibus orbatus fuerat, ſed non minus limpidè viſus officium exercentes. Huius autem ſtupendi miraculi teſtis fuit prænominatus miles Otho, iuramento adhoc adſtrictus, coram Domino Iacobo Abbate S. Clementis, auctoritate Domini Iacobi Epiſcopi Tiburtini, de ipſo miraculo inquirente. Teſtis etiam extitit eiuſdem miraculi Frater Guillermus Romanus, à fratre Hieronymo Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, ad veritatem dicendam, quam circa hoc nouerat, præcepto, & excommunicationis ſententiâ obligatus. qui taliter adſtrictus, coram pluribus Miniſtris Prouincialibus eiuſdem Ordinis, & aliis magni meriti Fratribus, affirmauit ſe dudum, adhuc ſæcularem exiſtentem, vidiſſe eum habentem oculos; & poſtmodum actu exſecutionis iniuriam patientem; ac ſe, excæcati oculos in terram proiectos, curioſè cùm baculo reuoluiſſe, & poſtmodùm virtute diuinâ, eundem, nouæ lucis receptis oculis, videntem clariſſimè, conſpexiſſe.

§. 8. *De liberatis à variis infirmitatibus.*

1. *Surdus & mutus ex voto auditum accepit & loquelam.*

Apud caſtrum Plebis, iuuenis quidam mendicus ſurdus erat, & mutus à natiuitate ſuâ; qui linguam adeò curtam habebat ac tenuem, quòd multoties exquiſita à pluribus, præciſa penitus videretur. Vir quidam Marcus nomine, ipſum, propter Deum ſuſcepit hoſpitio: qui cum ſibi benefacere ſentiens, cœpit cum ipſo aſſiduus demorari. Serò quodam cùm prædictus vir cœnaret cum coniuge, aſtante puero coram eis, dixit vxori; Hoc ego maximum miraculum reputarem, ſi B. Franciſcus huic auditum redderet & loquelam. & adiecit; Voueo Deo, quòd ſi hoc ſanctus Franciſcus dignabitur operari; propter amorē ſuum huic puero expenſas conferam, donec viuet. Mirum certè. Subitò lingua creuit, & locutus eſt, dicens; Gloria Deo, & ſancto Franciſco, qui mihi loquelam præbuit & auditum.

2. *Hernioſi ſanantur.*

Frater Iacobus de Iſeo, cùm puerulus eſſet in domo paternâ, incurrit rupturam corporis valde grauem. Superno verò afflatus ſpiritu, licet eſſet iuuenis & infirmus, Ordinem S. Franciſci deuotus intrauit: nulli tamen, quâ vrgebatur, infirmitatem detexit. Factum eſt autem cum corpus ſancti Franciſci transferretur ad locum, vbi pretioſus ſacrorum oſſium eius nunc theſaurus eſt conditus: adfuit & tunc dictus frater tranſlationis gaudiis: vt glorificati iam Patris corpori, honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in quâ oſſa ſacra fuerant collocata; præ deuotione ſpiritus, ſacrum tumulum complexatus, & cum lacrymis multis orans ſubitò, miro modo ad loca debita partibus reuocatis, ſanum ſe ſenſit, ſuccinctorium depoſuit; & ex tunc ab omni dolore præterito liber fuit.

fuit. Ab infirmitate quoque conſimili frater Bartholus de Eugubio, frater Angelus de Tuderto, Nicolaus Sacerdos de Stichano, Ioannes de Forâ, vir quidam de Piſis, & alius de caſtro Ciſternæ, Petrus quoque de Siciliâ, & homo quidam de caſtro Spelli iuxta Aſſiſium, & quamplures alij per Dei miſericordiam, & beati Franciſci merita extiterunt mirabiliter liberati.

3. *Amēs quædam mentis fit compos.* In maritimâ, mulier quædam mentis alienationem per quinquennium paſſa, viſu & auditu priuata eſt: indumenta dilaniabat dentibus, ignis & aquæ periculum non timebat, & caduci morbi ad ſummum incurrerat horribilem paſſionem. Nocte verò quadam, cùm diſponeret ſibi diuina miſericordia miſereri; ſalutaris fulgore lucis ſuperilluſtrata diuinitus, vidit beatū Franciſcum ſuper ſolium ſedere ſublime: ante quem proſtrata ſanitatem ſuppliciter expoſcebat. Illo verò nondum fauente precibus; firmauit mulier votum, promittens pro Dei amore ac Sancti, petentibus, donec haberet, eleemoſynam non negare. Illicò ſanctus pactum recognouit, quod * olim cum Domino fecerat ſimile! & ſignans eam Crucis ſignaculo, integram ſibi reſtituit ſanitatem. A conſimili paſſione puellam quandam de Nurſiâ, & filium cuiuſdam nobilis viri, & alios quoſdam, relatione veridicâ compertum eſt, S. Dei Franciſcum miſericorditer liberaſſe.

** Sup. c. 1. §. 2.*

4. *Peregrinationem irreuerēter faciens à dæmonibus arripitur.* Petrus de Fulgineo ad viſitandum limina beati Michaëlis, quodā tempore pergēs, dū minùs reuerēter peregrinationem perēgit, fontis cuiuſdam aquam deguſtans, à dæmonibus eſt inuaſus: & exinde per tres annos obſeſſus, diſcerpebatur in corpore, peſſima loquens, & horrenda prætendens: habens tamen aliquando lucida interualla, beati virtutem, quam efficacem audierat, ad effugandas aereas poteſtates, humiliter requiſiuit. Et ad ſepulcrum pij Patris accedens, mox vt illud contigit manu, à dæmonibus eum crudeliter diſcerpentibus, mirificè liberatus fuit. Similiter etiam modo mulieri cuidam de Narnio, habenti dæmonium miſericordia Franciſci ſubuenit. & aliis pluribus, quorum vexationum anguſtias, & curationum modos, longum eſſet per ſingula enarrare.

Liberatur tacto S. Franc. ſepulcro.

5. *Leproſi mūdantur.* Vir quidam nomine Bonus, homo de ciuitate Fani, paralyticus & leproſus, ad eccleſiam B. Franciſci à parentibus deportatus, vtriuſq; morbi plenam conſecutus eſt ſanitatem. Sed & alius iuuenis quidam, Acto nomine de ſancto Seuerino, totus leproſus, voto emiſſo, & ad ſepulcrum Sancti delatus, meritis ipſius à leprâ mundatus eſt. Habuit quidem Sāctus ſuper huiuſmodi morbo curando præcellētem virtutem: pro eo quòd humilitatis & pietatis amore leproſorum obſequiis ſe humiliter deputarat.

Nobilis quædam mulier Rogata nomine, in Epiſcopatu Sorano, per viginti tres annos fluxu ſanguinis fatigata; ſed à quampluribus medicis quamplurima mala perpeſſa, præ nimietate quidem languoris, ſæpius videbatur exſpirare. Sed & ſi quando fluxus huiuſmodi ſtringebatur, tumeſcebat corpore toto. Audiens autem quēdam puerum, Romano ſermone canētem miracula, quæ Deus per beatum Franciſcum fuerat operatus; nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas: ſicque intra ſe fide accensâ, dicere cœpit; O beate pater Franciſce, qui tantis coruſcas miraculis: ſi me digneris ab hac ægritudine liberare, magna tibi accreſceret gloria: quoniam adhuc tantum miraculū non feciſti. Quid plura? His dictis, ſenſit ſe beati Frāciſci meritis liberatam. Filium quoque ipſius Marium nomine, qui brachiū habebat contractum, S. Franciſcus voto ad ipſum emiſſo ſanauit. Feminam etiam quamdam de Siciliâ, per ſeptennium fluxu ſanguinis fatigatam, beatus Chriſtus Signifer ſaluam fecit. 6. *Sanguinis fluxu ſiſtitur.*

In vrbe Româ, Praxedis quædam nomine, religioſitate famosâ, quę à tenellâ ætate, propter ęterni ſponſi amorē, arto ſe carcere per quadraginta iā ferè annos abdiderat, apud B. Franciſcum, gratiam promeruit ſpecialē. Nam cùm die quâdam, pro rebus opportunis, ſolariū ſuæ cellulæ conſcendiſſet, & impulſione phantaſticâ corruens, cùm fractum haberet pedem cum crure, & humerum à poſitione debitâ ſequeſtratum: apparuit ei benigniſſimus Pater veſtimentis gloriæ candidatus, & dulcibus affatibus alloqui cœpit eandem; Surge, inquit, filia benedicta, ſurge ne timeas. Et apprehens à manu ipſius, alleuans eam diſparuit. Ipſa verò per cellulam ſuam huc atque illuc ſe conuertens, putabat ſe viſum videre; vſquequo ad clamorem ipſius apportato iam lumine, perfectè ſe ſentiens per ſeruum Dei Franciſcum 7. *Fracti pedes & crure, totumq; corpus ex lapſu, reparatur.*

eſſe

cunctis sanatam, cuncta quæ acciderant, per ordinem enarrauit.

§. 9. *De non obseruantibus festum, & non honorantibus Sanctum.*

1. [illegible]

In Pictauiæ partibus, in villâ, quæ Simo dicitur, Sacerdos quidam, Reginaldus nomine, beato Francisco deuotus, festum ipsius parochianis suis indixerat sollemniter celebrandum. Vnus autem de populo ignorans Sancti virtutem, sui parum pendit Sacerdotis mandatum. Egressus autem foras in agrum, vt ligna succideret, cùm se præparasset ad opus, vocem audiuit huiusmodi ter dicentem; Festum est; operari non licet. Verùm cùm nec imperio Sacerdotis, nec supernæ vocis oraculo, seruilis temeritas frænaretur: addidit diuina virtus ad gloriã Sancti sui, sine morâ miraculum, & flagellum. Mox enim vt furcam vnâ manu iam tenens alteram cum ferreo instrumento leuauit ad opus; sic diuinâ virtute, vtraque manus vtrique instrumento cohæsit, vt ad neutrius dimissionem, digitos aliquatenus relaxare valeret. Ex quo stupefactus nimis, & quid ageret nesciens, ad Ecclesiam, multis vndique ad videndum prodigium concurrentibus, properauit. Vbi mente compunctus ante altare, quodam ex assistentibus Sacerdote monente, (plures quippe ad festum vocati cõuenerant Sacerdotes) B. Francisco humiliter se deuouit: tria, sicut ter vocem audierat, vota vouens: quod scilicet festũ ipsius coleret; quod ad illam, in quâ tunc erat, ecclesiam in festo veniret; & quòd Sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certe relatu. Vno emisso voto, vnus digitus factus est liber: ad secundi emissionem solutus est alius: sed tertio facto voto, laxatus est tertius; & postmodum tota manus, necnon & altera subsequenter, tandem populo, qui iam multus aduenerat, implorante Sancti clementiam deuotissime: sic homo pristinæ redditus libertati, instrumenta deposuit; seipsum cunctis laudantibus Deum, virtutemque Sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat, & sanare. Ipsa instrumenta vsque hodie coram altari, ad honorem B. Francisci fabricato, ibidem in memoriam facti dependent. Plura quoque illic, & in locis vicinis patrata miracula, & Sanctum in cælis ostendunt eximium, & festum ipsius in terris venerabiliter excolẽdum.

Vota in S. facta à pœna liberant.

2. *Temerantes festum eius, puniuntur: pœnitentes persus curantur.*

In ciuitate quoque Cenomanensi, dum in solemnitate S. Francisci, mulier quædam manus ad colum extenderet, & digitis apprehenderet fusum: obrigescẽtibus manibus cœperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pœnâ docente, Sancti recognoscens virtutem, corde compuncta, cucurrit ad fratres. Cumq; pro salute ipsius, deuoti filij S. Patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim: nec aliquid læsionis remansit in manibus, nisi ad facti memoriam, solùm vestigium combusturæ. Simili etiam modo in Campaniâ maiori, mulier quædam. in villâ Oletti mulier altera. & in castro Pyllci, tertia, dum beati Patris festum celebrare contemnerent, præuaricantes primùm mirabiliter sunt punitæ: sed postmodum pœnitentes, per sancti Francisci merita mirabilius liberatæ.

3. *Blasphemus occiditur.*

Miles quidam de Burgo in Prouinciâ Massæ, beati Francisci operibus, & miraculorum signis impudentissime detrahebat; inferebat multa opprobria peregrinis, ad ipsius memoriam venientibus, & contra fratres publica garriebat insaniâ. Cùm autem semel Sancti Dei gloriam impugnaret: addidit super peccata sua blasphemiam detestandam. Si verum est, inquit, quòd Franciscus iste sit sanctus: gladio cadat hodie corpus meũ. si verò sanctus non est, euadam incolumis. Non distulit ira Dei condignum inferre supplicium, cùm iam facta fuisset oratio in peccatum. Morâ enim modicâ interiectâ, dum blasphemus nepoti suo inferret iniuriam: accepit ille gladium, & patrui visceribus cruentauit. Eodem die mortuus est sceleratus, inferni mancipium, & filius tenebrarum: vt ceteri discerent miranda Francisci opera, non blasphematoriis verbis impetere, sed deuotis laudibus honorare.

4. *Alius loquelam perdedit.*

Iudex quidam nomine Alexander, dum à beati Francisci deuotione, quos poterat venenatâ linguâ retraheret, diuino iudicio linguâ priuatus, per sex annos obmutuit. Qui cùm in eo, quo peccauerat, torqueretur; altâ pœnitudine reuocatus, dolebat se contra Sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio Sancti: sed pœnitentem, ac se humiliter inuocantem, restitutâ loquelâ, recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemam consecrauit laudibus Sancti, deuo-

deuotionem ſimul & diſciplinam reci-piens per flagellum.

§. 10. *De quibuſdam aliis miraculis diuerſorum generum.*

1. *Fons diuinitus datus.* In caſtro Galiani Valuenſis diœceſis, mulier quædam nomine Maria, quæ Chriſto Ieſu & B. Franciſco famulatu deuoto ſubiecta, vnâ dierū æſtiuo tempore exiit, vt manibus cōquireret propriis neceſſarium victum. Cùm igitur feruente nimiùm æſtu, ſitis deficere cœpiſſet ardoribus, omni priuata beneficio poculi, proeo quòd in monte arido ſola eſſet; quaſi exanimis humi proſtrata, patronum ſuum S. Franciſcum inuocabat pio mentis affectu. Dum autem perſeueraret mulier in affectuoſâ & humili prece; labore, ſiti, & æſtu fatigata quamplurimùm, paululum obdormiuit. & ecce S. Franciſcus adueniens, & eam vocans ex nomine; Surge, inquit, & bibe aquam, quæ diuino munere tibi ac pluribus exhibetur. Ad huius vocis auditum ſurrexit mulier à ſomno, non modicum confortata. & accipiens ſilicem, quæ iuxta ſe erat, radicitus euulſit à terrâ; effodienſque ligno paruulo circumquaque, viuentem reperit aquam; quæ cùm primò videretur paruula ſtilla, ſubitò diuinâ virtute creuit in fontem. Bibit itaque mulier, & ſatiata oculos lauit; quos cùm lōgâ priùs haberet ægritudine obumbratos, nouâ ex tunc ſenſit luce perfuſos. Feſtinauit ad domum mulier, tam ſtupendum miraculum ad gloriam ſancti Franciſci denunciās vniuerſis. Concurrerunt vndique multi ad miraculi famam, experientiâ magiſtrâ diſcentes mirabilem illius aquæ virtutem: *A multis morbis incolas aqua iſta ſanat.* dum ad ipſius contactum confeſſione præmiſſâ, à variis morborum cladibus plurimi liberabantur. Perſeuêrat vſque hodie fons ibi perſpicuus; & in honore B. Franciſci ibidem Oratorium eſt conſtructum.

2. *Vineas facit indemnes à beſtiis.* In Hiſpaniâ apud S. Facundum, viri cuiuſdam ceraſum arefactam, ad virorem frōdium, florum, & fructuum contra ſpem mirabiliter reuocauit. Incolas quoque terræ apud Vileſios, à vermium peſte corrodentium vineas circumquaque, miraculoſo ſuffragio liberauit. Sacerdotis cuiuſdam iuxta Palentiam, horreum quoddam, quod vermibus frumentariis repleri quolibet anno ſolitum erat, ſibi fideliter commendatum penitus expurgauit. Terram quoque domini cuiuſdam de Petrâ malâ in regno Apuliæ, ſibi ſuppliciter commendatam, ab odioſâ peſte brutorum penitus ſeruauit indemnem: cùm tamen in circuitu omnia eſſent prædictâ peſtilentiâ deuorata.

Iumenta cuſtodit. Vir quidam Martinus nomine, cùm longè à caſtro ſuo boues minaſſet ad 3.
paſcua; crus vnius bouis, caſu quodam ſic fuit deſperatè confractum, vt nihil eſſet ſibi de remedio aliquo cogitādum. Dum autem pro decoriatione foret ſollicitus, & inſtrumentum, cum quo id faceret, non haberet: domum reuerſus, B. Franciſco bouis curam reliquit, ipſumque fideli Sancti cuſtodiæ fiducialiter commendauit, ne ante ſuum reditum deuoraretur à lupis. Summo itaque manè ad bouem in ſiluâ relictum, cum excoriatore reuerſus: paſcentem ipſum ita reinuênit incolumem, quòd nequaquam crus fractum ab altero diſcernebat. Gratias egit bono paſtori, qui diligentem de boue ſuo curam habuit, & medelam donauit. Succurrere nouit humilis Sanctus omnibus inuocantibus ipſum; nec quantumcunque paruas neceſſitates hominum dedignatur. Nam viro cuidam de Amiterno, iumentum reſtituit furto ſublatum. Mulieri cuidam de Interduco catinum nouum in multas partes caſu diuiſum, integrè reparauit. Viro etiam cuidam de monte Vlmi in Marchiâ, conſolidauit vomerem in fruſta confractum.

In Sabinenſi diœceſi, vetula quædam 4.
octogenaria erat; cuius filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cùm igitur anus paupercula, plena eſſet inopiâ, & vacua lacte, nulla que eſſet mulier, quæ ſitienti paruulo lactis ſtillicidium, iuxta quod exigebat neceſſitas, erogaret: *Vberibus aridis lac dedit.* quo ſe verteret vetula penitus ignorabat. Debilitato verò infantulo, nocte quadam omni humano deſtituta ſubſidio, ad beati Patris Franciſci auxilium implorandum, lacrymarum imbre perfuſa, totâ ſe mente conuertit. Adfuit ſtatim innocentis amator ætatis; Ego, inquiens, ſum Franciſcus, ô mulier, quem cum tantis lacrymis inuocaſti. Pone, ait mammas tuas in ore puerili: quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Impleuit anus Sancti mandatum: & ſtatim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile Sancti donum; multis tam viris, quàm mulieribus accelerantibus ad videndum.

Et quia quod teſtabantur oculi, lingua impugnare non poterat: excitabantur omnes ad laudandum Deum in Sancti ſui virtute mirabili, & amabili pietate.

5\. [illegible] Apud Spoletum, vir & vxor vnicum habentes filium, quotidie illum velut hereditarium opprobrium deplorabant. Brachiis ſiquidem collo connexis, iunctiſque genibus pectori, & pedibus natibus alligatis; non hominis proles, ſed monſtrum quoddam potiùs videbatur. Vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitibus clamabat ad Chriſtum, S. Franciſci auxilium inuocido: vt infelici ſibi, & tali in opprobrio conſtitutæ, ſuccurrere dignaretur. Nocte igitur quadam, cùm propter huiuſmodi triſtitiã, triſtis eam ſomnus arriperet; apparuit ei S. Franciſcus, piis eam affatibus mulcens: inſuper & ſuadens, quòd ad locum propinquum ſuo nomini dedicatum, deferret puerum: vt ex aquâ putei loci illius, in nomine Domini ſuperfuſus, plenam reciperet ſoſpitatem. Negligente autem illâ Sancti adimplere mandatum, ſecundò replicauit id ipſum. Tertiò quoque apparens, mulierem cum puero vſque ad [illegible] dicti loci, præambulo ducatu perduxit. Superuenientes autem nobiles quædam matronæ deuotionis cauſsâ ad prædictum locum, eis à muliere præfatâ diligenter expoſitâ viſione, vnà cum ipſa puerum fratribus præſentarunt: & haurientes aquam de puteo, earum nobilior propriis manibus lauit infantem. Statim puer omnibus membris ad ſua loca perductis, ſanus apparuit: & magnitudo miraculi, omnibus admirationem induxit.

6\. Nouitiū fratrem à paralyſi curat & amentia. Apud Segulianum iuuenis quidam de Riparolio, Vbertinus nomine, Ordinem Fratrum Minorum ingreſſus: nouitiatus ſui tempore, horridi cuiuſdam perturbatione pauoris incurrit amentiam; totiuſque dextræ partis paralyſis morbo grauiſſimo, auditum & linguam cum motu amiſit & ſenſu. Cùm autem ſic miſerabilis, non ſine Fratrum multa mœſtitia per plures dies in lectulo decubuiſſet, B. Franciſci ſolemnitas ſuperuenit, in cuius vigiliâ, conceſſo ſibi aliquo lucido interuallo, pium Patrem fideli, licet voce informi, corde tamen fideli, prout poterat, inuocabat. Hora verò matutinali, fratribus omnibus in Eccleſia laudibus diuinis intẽtis, ecce B. Pater habitu fratrum indutus, in infirmariæ loco, præfato nouitio aſtitit, lumenque non modicum in habitaculo illo refulſit. Et extẽſam manum ſuper dextrum illius latus, à capite ad vſque pedes ſuauiter contingendo deducens, digitos in auriculas miſit, quodamque in dextro humero impreſſo charactère, hoc tibi, ait, ſignum erit, quòd Deus per me, cuius exemplo ductus Religionem intraſti, plenè te reſtituit ſanitati. Chordaque illum ſuccingens, quia ſine chorda iacebat, dixit ad eum; Surgens eccleſiam intra, vt laudes Deo debitas cũ fratribus deuotus exſoluas. Quibus dictis, cùm puer ipſum manibus vellet contingere, & pedum eius deoſculari veſtigia, vt gratias ageret: ab eius aſpectu B. Pater abſceſſit. Et iuuenis recuperata ſanitate corporis, cum rationis induſtria, viuacitate ſenſuũ & loquela, eccleſiam ingreſſus cum multa fratrum & ſecularium admiratione, qui tunc aderant, & iuuenem paralyticum viderãt & amentem, laudibus diuinis interfuit: & per ordinem narrato miraculo, multos ad Chriſti & beati Franciſci deuotionem accendit.

In caſtro Chore Oſtienſis diœceſis, vir quidam ſic crus ex toto perdiderat, vt nullo modo progredi, vel mouere ſe poſſet. Poſitus itaque in anguſtia vehementi, & auxilio deſperatus humano: cœpit nocte quadam, ac ſi præſentem cerneret B. Franciſcum, talem coram eo aſſumere materiam querulandi; adiuua me S. Franciſce, recolens meum ſeruitium, & deuotionem tibi impenſam. Nam in aſino meo te portaui, ſanctos pedes tuos, & ſanctas manus tuas oſculatus fui; ſemper tibi deuotus, ſemper beneuolus extiti: & ecce morior doloris huius duriſſimo cruciatu. His pulſatus querelis, ſtatim adfuit beneficiorum memor, & deuotioni gratus, & vigilanti viro cum vno fratre apparuit: ad vocationẽ eius ſe veniſſe dixit, & tuliſſe remedia ſanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo paruulo, qui figuram Thau in ſe habebat: & fracto mox apoſtemate, perfectam tribuit ſanitatem, & quod mirabilius eſt, ſacrum ſignum Thau impreſſum ſuper locum ſanati vlceris, ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc ſigno S. Franciſcus ſuas conſignabat litteras, quoties caritatis cauſſa ſcriptum aliquod dirigebat.

7\. In ſe collata beneficia compenſat.

Apoſtema ſanat ſigno Thau munente.

Sed ecce, dum per diuerſa miracula glorioſi patris Franciſci, mens narrationis varietate diſtracta decurrit, prome-

 rente

rente ipſo Crucis glorioſo ſignifero, in ſignum ſalutis Thau, non ſine diuinâ directione peruenit: vt ex hoc poſſi-mus aduertere, quòd ſicut crux mili-tanti poſt Chriſtum, fuit ſublimitas meriti ad ſalutem; ſic & triumphanti cum Chriſto, facta eſt firmitas teſtimo-nij ad honorē. Hoc quippe crucis my-ſterium magnum & mirum, in quo cha-riſmata gratiarum, & merita virtutum, & theſauri ſapientiæ & ſcientiæ tam al-tâ profunditate velantur, vt à * mundi ſapiētibus & prudentibus ſit occultum; tam plene fuit huic Chriſti paruulo re-uelatum, vt omnis vita ipſius, non niſi crucis veſtigia ſequeretur, non niſi crucis dulcedinem ſaperet, non niſi crucis gloriam prædicaret. Vere nam-que in ſuæ conuerſionis principio dice-re cum Apoſtolo potuit; * *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Non minus etiam vere in conuerſatio-nis progreſſu addere valuit; * *Quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia.* Veriſſime autē in conſum-matione potuit ſubinferre; *Stigmata Do-mini Ieſu in corpore meo porto.* Sed & illud nos quotidie deſideramus ab ipſo audi-re; * *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum ſpi-ritu veſtro fratres, Amen.*

* Matt 11. 25.
* Gal 6.14.
* Indid 16.
* Ibid 17.
* Ibid 18.

Epilogus ad S. Franciſ.

GLORIARE igitur iam ſecurè in Crucis gloriâ, Chriſti ſignifer glorioſe: quoniam à cruce incipiens, ſecundùm Crucis regulam proceſſiſti: & tandem in cruce perficiens, per crucis teſtimo-nium, quantæ gloriæ ſis in cælo, cunctis fidelibus innoteſcit. Securè iam te ſe-quantur, qui exeunt ex Ægypto: quia per baculum Crucis Chriſti, mari di-uiſo deſerta tranſibunt, in repromiſſam viuentium terram, Iordane mortalita-tis tranſmiſſo, per ipſius Crucis miran-dam potentiam ingreſſuri. Quò nos in-troducat verus populi ductor, & Salua-tor Ieſus Chriſti crucifixus, per meri-ta ſerui Frāciſci. Ad laudem & gloriam vnius Dei & trini, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

S. D. N. GREGORII PAPÆ IX. DIPLOMA,

Quo B. P. Franciſcum adſcribit catalogo Sanctorum.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis; & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris Archidiaconis, Decanis & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ peruenerint, Salutē & Apoſtolicam benedictionem.

SICVT *phialæ aureæ, quas vidit Ioannes ple-nas odoramentorum,* quæ ſunt orationes Sanctorum *in conſpectu Altiſsimi, ad abolendam noſtrorum criminum corruptelam, odorem ſuauitatis emittit: ita ſaluti noſtræ credimus plurimum expedire, ſi eorum in ter-ris celebrem habeamus memoriam, ipſorum merita ſollemnibus recolen-tes præconiis, quorum in cælis ſpe-ramus interceſsionibus aſsiduis ad-iuuari. Sanè cum de conuerſatione, vitâ & meritis beati Franciſci, inſtitutoris & rectoris Ordinis fra-trum Minorum, (qui iuxta cōſilium Saluatoris, contemtis tranſitoriis, ſecundùm promiſsionē eiuſdem, ad cæleſtia præmia feliciter, & æterna peruenit; cuius vita, & fama præ-clara peccatorum depulsâ caligine, ambulantes in regione vmbræ mor-tis, de vitiorum tenebris, ad pœni-*

* Apoc. 5. 8.

Mat 19. 19.

ſententiæ viam vocans; quorum tamen virorum quàm mulierum, ad fidem Eccleſiæ roborandam, & confutandam hæreticam prauitatem, quæ adhuc viget non modica multitudine) tam per vos, quàm per multos alios fide dignos, qui miracula, quæ Deus per illius ſancti viri merita operatur, plenius cognouerunt, certiores effecti; auditis etiam eius virtutibus, & miraculorum inſignijs, & quòd inter carnales ſpiritualiter, & inter homines etiam conuerſationem angelicam habuiſſet: ipſum, qui cum Chriſto corporaliter meruit eſſe in cœleſtibus, (ne ipſius honori debito, & gloriæ detrahere videremur quodammodo, ſi glorificatum à Domino permitteremus vlterius, humanâ deuotione priuari) de fratrū noſtrorū conſilio, & Prælatorum omnium, qui tunc temporis apud Sedem Apoſtolicam conſiſtebant, Sanctorum catalogo duximus adſcribendum. Cùm igitur eius* lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quòd per Dei gratiam, iam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruit collocari: vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & attentius hortamur, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus deuotionem fidelium, ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtiuitatem eiuſdem, quarto Nonas Octobris, annis ſingulis excolatis, & pronuncietis cōſtituto die ſpecialiter excolendā: vt eius precibus Dominus exoratus, ſuā nobis tribuat gratiā in præſenti, & gloriam in futuro. Datū Laterani, ſecūdo Nonis Maij, Pontificatus noſtri anno quarto.

* Mat. 5. 15.

F. HENRICI SEDVLII Ordinis Minorum, COMMENTARIVS AD VITAM S. FRANCISCI.

HVNC addere viſum, ad hiſtoriæ lucem. tum etiam quia Sanctus Bonauentura præcipua, non omnia eius acta perſcripſit. Multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt. Nec ego quoque, ſiue quis alius: etſi maxime conemur, omnia poterimus complecti, & abſoluere numeris ſuis. Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit: nec vlli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adiiciendi. Quæ igitur potui, exempla & dicta vndique conquiſiui à Scriptoribus priſcis, bonis, probatis: quorum ſalutaria monita tranſcripſi ad verbum, nihil immutans (niſi cum ipſa oratio conſtructione verborum fuerit conformanda) ne minimum à ſenſu eorum aberrem. Sed nec mea importune obtrudo. Vnumquemque fallunt ſua ſcripta, & auctorem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſermones ſui palpant. Ab hoc vitio ego liber, quoties non mea, ſed ipſa eadem pono verba bonorum auctorum. Itaque in oblationibus quod fieri vides, imitamur. Ab altis iſtis viris eleganter & ornatè dicta, velut à diuitibus ſplendida & magnifica accipimus dona: nec ideo tamen imperitiorum ſalubria documenta, tamquam pauperum munuſcula faſtidimus. pretioſiora plerumque hæc ab affectu, & gratiora. Nec rarò magis nos obligant, qui dant parua magnificè, & facili manu, quàm qui plenâ. * Non quanta quæque ſunt, ſed à quali dētur perſpiciendū. * Animus eſt qui parua extollit, ſordida illuſtrat; magna etiā & in pretio habita dehoneſtat. Omnia mihi grata quæ erudiant, iuuent, & currentis ſubdant calcar ad pietatem & ſapientiam. Ceterum quod ab alijs didici, non celo, more praua mulieris partus nothos ſupponentis: ſed vt mutuum, ſic reddo ſingula, nec quidquam diſſimulans à quibus acceperim. Eſt enim benignum, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris. Atque id quidem hoc conſilio, vt dictis indubitata fides habeatur. Sane multum intereſt, & maxime refert, à quā manu telum veniat, à quo auctore ſententia. Maior auctoritas dictis adeſt, cùm probatorum teſtimonijs confirmantur.

Sed etiam præſentiam, vt hic labor noſter, temporum hac liberâ licentiâ, in varia [illegible] incurrat: te præmoneo, benigne lector. F. Bartolomæum

Cauſa huius operis.

Sen. ep. 64.

Ibidem

Cito ſcripto- rū verba, nec mu- to. [illegible]

S. Amb. epiſt. ad Sabin. 40.

* Sen. 1. de bene. cap. 6.
* Ibid. c. 6.

Et ſentes monſtro à quibus hauſi.

Plin. Sec. ad Veſpaſ.

Digitized by Google

Bartolomeus Piſanus bonus auctor.

mæum Piſanum Minoridam S. *Theologiæ*
Doctorem, pl us nobis contuliſſe quàm ceteros om-
nes. Scripſit anno ſalutis milleſimo, trecenteſimo,
nonageſimo nono Librũ Conformitatũ vitæ
S. Franciſci ad vitã Ieſu Chriſti Domi-
ni noſtri, *ad Miniſtrum Generalem, & Ordi-*
nis Seraphicè conuentum celebratum Aſsiſij; à qui-
bus accuratè & diligenter examinatus eſt, & ad-
probatus. Florebat eâ tempeſtate Seraphicus Or-
do frequentiâ magnorum virorum, ſummâ erudi-
tione, Theologorum auctoritate: à quibus pro-
fectò niſi certum & comprobatum potuit in lu-
cem dari. Is ſcripſit imperitus ſermone,

2. Cor. 11. 6.

ſed non ſcientia. *Scio nonnullos virgulâ cen-*
ſoriâ arrepta, Scriptores omnes mittere in indi-
cium, pleroſq; damnare; quos nõ ſequar ego. Om-
nes ſuſpicio, colo, & aſſurgo nominibus illorum. Bo-
ni viri in templum Dei offert vnuſquiſ-

Ex Hier. prol. galea.

que quod poteſt: *vos aurum, argentum, nui-*
dos vniones? illi ſecum bene actum putant, ſi ca-
prarum pilos & pelles; vt Solis ardorem, & im-
brium iniuriam, quæ ſunt viliora prohibeant; ſine
quibus tamen ipſa Tabernaculi pulchritudo con-
ſtare non poteſt. Vidit Chriſtus Saluator vi-

Luc. 21. 1.

duam pauperculam mittentem in ga-
zophylacium æra minuta duo; & Chriſte
indice vidua hæc pauper plus quàm om-

*Sen. 1. de ben cap. 6.

nes miſit. *Quia beneficium non in eo
quod fit aut datur, conſiſtit; ſed in ipſo
dantis aut facientis animo. Sicut nec in
victimis quidem, licet optimæ ſint, au-
roque præfulgeant, deorum eſt honos,
ſed piâ ac rectâ voluntatem veneran-
tium. Itaque boni etiam farre ac fictili
religioſi ſunt: *& iſti ſermone inculto, docti, pij,*
vtiles eſſe poſſunt. Quid prodeſt aurea cla-

Aug. 4. Doct. Chriſt cap. 11.

uis, ſi aperire quod volumus non po-
teſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt?
quãdo nihil quærimus niſi patere quod
clauſum eſt. *Eo hæc dicta, vt Piſani noſtri liber*
iſte, vt apud vanos & viles, apud te non vileat.

Denique, libenter agnoſco, & verè fateor, his
quamuis laborioſè collectis, & ſcriptis, tamen in
multis me potuiſſe errare, memor imbecillitatis
humanæ. Quamobrem in omnibus deſidero, non
modo benignum lectorem, verùm etiam li-

Correctore opto & amo. Idem prolog. in lib. 2. de Trin.

berum correctorem; imò & reprehen-
ſorem, qui formidandus non eſt amato-
ri veritatis. *& lubens audiam qui me conuin-*
cat, vt ego errorem meum. Securus igitur propoſi-
tum exſequar, ſi præmiſero pauca.

De ſæculo & ætate S. Franciſci.

Sanctus Bonauentura (ordiar à nomine bono)
ſpectata ſanctitate, ſcientia diuina clariſſimus
Antiſtes, tradit beatum Franciſcum diſceſsiſſe

* De vita S. Franc. c. 14. §. 3.

*biennio ab impreſſione ſtigmatum; an-
no videlicet à ſuâ conuerſione vigeſi-
mo, *Dominicæ Incarnationis milleſi- *cap. 15. §. 5.
mo, ducenteſimo, vigeſimo ſexto, quar-
to Nonas Octobris. *Scribit etiam Vincentius*
Belluacenſis S. Franciſco octauum (*) *vſque ad*
annum ætatis ſuæ fere vigeſimumquin-

Spe. hiſt. li. 30 c. 97. & Antoni. hiſt. par. 3. tit. 24. c. 2.

tum, in viâ perditionis inceſſiſſe. *Adde illis*
viginti annos, quos ad frugem correctus exegit:
conficitur eius vitæ totius annos fuiſſe quadragin-
taquatuor, attigiſſe quadrageſimum quintum æ-
tatis annum. Suffragatur S. Antoninus his verbis,

Diſceſſit xlv. ætatis anno. Indid. c. 7. §. 6.

Anno Domini milleſimo, ducẽteſimo,
vigeſimo ſexto, quarto Nonas Octo-
bris, Pontificatus domini Honorij Ter-
tij anno vndecimo, ætatis verò ſuæ qua-
drageſimo quinto, à primâ ſuâ ad Deum
conuerſione anno vigeſimo, ab inſtitu-
tione Religionis decimo octauo, ex quo
ſcilicet cœpit habere fratres, poſt diuti-
nam infirmitatem & grauiſſimos dolo-
res, ex hoc ſæculo migrauit. *Itaque de illius*
ætate conſtat. Cùm autem abierit è vita anno Do-
mini vigeſimo ſexto ſupra milleſimum, ducenteſi-
mũ: ſubductis colligo calculis, natũ anno Chriſti

An. æt. lxxxij. natus.

milleſimo cẽteſimo octogeſimo ſecũdo, qui fuit tri-
geſimus Imperij Friderici Primi Ænobarbi (Bar-
baroſſam vocant.) cùm (auctore Palmerio) Lucius
Tertius Pontifex Romanus deligeretur. Vide ad-
iculã Aſsiſij D. Franciſco ſacrã, quod aiunt ſtabu-
lum fuiſſe, in quo natus ſit. Et tu ſi conſideras totius
vitæ decurſum, Angelum habentem ſignum Dei
viui, mortem: verum eſſe fateberis, quod in Elogiis
è Volaterrano produxi; Conſeruatoris no-

Lib. 21. Anthropol.

ſtri ferè per omnia typum geſſiſſe.

De forma corporis.

Certè non pulcher fuit, ſed deformior vultu, &
corpore. Atteſtatur Bartholomæus Piſanus, qui

Deformi vultu & corpore S. Franc.

alibi eius ſtaturam, membrorum omnium compo-
ſitionem, ſermonem, mores vniuerſos depingit hoc
verborum penicula; Beatus Franciſcus pa-

Confor. fruc. 8

ter noſter, erat homo facundiſſimus, fa-

Confor. fruc. 10.

cie hilaris, vultu benignus, ignauiæ &
inſolẽtię expers. Staturam ediocris, par-
uitati vicinior. Caput mediocre, ac ro-
tundũ. Facies vtcunq; oblonga & pro-
tenſa. Frons plana & parua. Mediocres
oculi, nigri, & ſimplices. Fuſci capilli.
Supercilia recta. Naſus æqualis, ſubtilis
& rectus. Aures erectæ, ſed paruæ. Lin-
gua placabilis, ignea & acuta. Vox ve-
hemens, dulcis, clara & ſonora. Dentes
coniuncti, æquales, albi. Barba nigra, pi-
lis non plenè reſperſa. Collum ſubtile.
Humeri recti. Parua brachia. Tenues
manus. Digiti longi. Crura ſubtilia. Par-
uuli pedes. Tenuis cutis. Caro paucíſſi-
ma. Aſpera veſtis. Somnus breuiſſimus.
Manus largiſſima. Et quia erat humili-
mus: *omnem manſuetudinem oſten- *Tit. 3. 2.

debat

debat ad omnes homines, omnium mo-
ribus vtiliter ſe conformans. Sanctior
inter Sanctos; inter peccatores quaſi
vnus ex illis. Vulnera ſanguinolenta manibus; atque in vulnerum [illegible], Deo bene iuuante, commonſtrabimus ad Cap. xiij.

In. § 1. In Nom

In Prologum.

Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui.] Elogia in ſanctum Franciſcum [illegible] prædictione ſum [illegible] intelligendam probant. [illegible] non contendo: ſed tamen [illegible] liber, & a contentione [illegible] curius [illegible], ſed pius magnum [illegible] & diligentes [illegible] Franciſcum, [illegible] Dei [illegible] colligimus: non [illegible] indubitatè [illegible] refragabitur. At de his [illegible] Elogiis.

Apoc. 7. 2.

[illegible] pœnitentialis crucis.] Sic [illegible] Signo [illegible] Louanienſi, & aliis [illegible] ex manuſcripto [illegible] exemplar Typographiæ [illegible]. [illegible] tamen poſt quàm hæc ſcripſiſſem [illegible], quod etiam totum hunc librum diligenter [illegible], Aloyſius Epiſcopus Veronenſis [illegible] recenſuit [illegible] leguntur præſentialis, ſed [illegible], & alij plerique [illegible]. Notum eſt, nihil tam familiare ac frequens [illegible] fuiſſe priſcis Chriſtianis [illegible]. Audi Tertullianum: Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum; ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad [illegible], quacunque nos conuerſatio exercet, frontem cruci[s] ſignaculo [illegible]. Item beatum Hieronymum ad D[emetriadem]: Frontem tuam crebro ſignaculo crucis munias: ne exterminator Ægypti in te locum reperiat. [illegible] in antiquis litteris [illegible] in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus [illegible] ſignatur. [illegible] Cyrillum Hieroſolymitanum [illegible] Catecheſibus, [illegible]. Non pudeat nos crucis [illegible] confiteri: ſed in fronte [illegible] ſignaculum crucis [illegible] crux [illegible], & in aliis omnibus [illegible] in panibus comedendis, & in [illegible] bibendis, & in egreſſu, & in [illegible] ſomnum, recumbendo, & [illegible] & quieſcendo.

Tertull. li. de Corona milit. cap. 3.

Hieron. [illegible]

Cyrill. Catech. 13.

eſt hæc cuſtodia, quæ propter [illegible] gratis datur, ſine labore pro [illegible] mos; cum à Deo ſit hæc gratia, ſignum fidelium, & timor dæmonum. [illegible] Nazianz. [illegible] Iulianum Imperatorem [illegible] ſic [illegible] deſertu [illegible] ta, atque etiam dæmones [illegible] ſpectrum [illegible] Chriſtianis [illegible]. [illegible] metum, ſigno crucis frontem [illegible] des [illegible] ſuiſſe [illegible] præfert. [illegible] Dionyſij Areopagitæ [illegible] Crucis eſſe typum [illegible] vicalis impretiio, omnium ſimul [illegible] lium deſideriorum vacationem [illegible] que ad Dei imitationem eductam ſignaculum [illegible] ſanctæ ſignaculum [illegible]: Crucis mortificationem, [illegible] Item paulo poſt: [illegible] eſt, mortificationem [illegible] lum, vt iam dictum eſt, carnalium cupiditatum omnium ſimul [illegible] ſignat.

Orat. 1. contr. Iulian. [illegible] hiſt. [illegible] hiſt. 2.

De Eccl. hier. [illegible] cap. 6 par. 3.

In Caput I.

§. 1. Vir erat in ciuitate Aſſiſij.] [illegible] Aſſiſium [illegible] [illegible] montibus [illegible] Rubeſcunt [illegible] vnde [illegible] montis radicibus [illegible] quia [illegible] Subaſi; quoniam priſci Latio ſermone vocarunt [illegible]. Hanc [illegible] paulo [illegible] Aſſiſium [illegible] pendet vniſ [illegible] ſed tamen [illegible] & Aſiſinates incolæ, rant.

Ioh. [illegible] hiſt. [illegible]

Fr. Mar. [illegible] Francil.

In eadem [illegible] Aſſiſium, [illegible] clarum Diuo Franciſco [illegible] templo, nulla materia [illegible] Huic mons imminet Aſiſ, [illegible] nomen dedit. [illegible] Vallem [illegible] Quod [illegible] materia [illegible] Templum Diuo Franciſco [illegible], ſine vlla [illegible] ſed [illegible] materia non [illegible] intelligi.

Li. 6 Geog. [illegible] Verona. Templu D. Franc. [illegible] materia.

[illegible] Ann. [illegible]

2. [illegible] promiſit Domino Deo, quod nunquam petentibus pro amore Domini ſe negaret.] [illegible] Ieſu, [illegible] Beatus Franciſcus [illegible] à Deo acceperat, vt omni petenti propter Deum, aliquid daret, & [illegible] videmus Deum non ſolum maximis diuitiis ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus [illegible]

Serm. [illegible] Petro Lo. [illegible]

non recipiebat.) viuum & mortuum auxiſſe: ſed & modò tam ingentem eius familiam, tot millium religioſorum, tot annis, ſine vllis redditibus viuentium, ſemper aluiſſe.

Lib. 8 Conf. c. 12. to. 1. 6. Solitaria loca quærebat amica mæroribus.] *Sanctus Auguſtinus,* Solitudo mihi ad negotium flendi aptior ſuggerebatur. *Solitarij, & monaſtica vitæ cultores, bonum otium ſocordiâ & deſidiâ non conuertunt quod nonnullis calumniandum: quorum tamen calumnias leui manu abſterges ipſe Scipio,* quem dicere ſolitum ſcripſit Cato, numquam ſe minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus, nec minus ſolum, quàm cùm ſolus eſſet. magnifica verò vox, & magno viro, & ſapiente digna; quæ declarat illum & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum. *Sanctus Hieronymus,* Sapiens numquam ſolus eſſe poteſt; & ſi hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, numquam minus ſolus, quàm cùm ſolus fuerit. *Diuus Gregorius Nazianzenus felicem ſtatum monaſtici, pulchris verbis deſcribit, quæ viſum eſt aſcribere:* Nihil mihi fortunatius eo homine eſſe videtur, qui clauſis compreſſiſque corporis ſenſibus, atque extra carnem mundumque poſitus, in ſeque collectus, nec niſi ſummâ neceſſitate impellente, quidquam humanarum rerum attingens; atque & ſecum in ſe, & cum Deo colloquens, ſuperiorem rebus in adſpectum cadentibus, vitam agit; diuinaſque ſpecies & imagines puras ſemper nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas in ſeipſo circumfert; ac Dei rerumque diuinarum purum omnino ſpeculum eſt, indieſque efficitur; luciique lucem, obſcuriori videlicet clariorem adiungit; ac iam futuri æui bono fruitur, & cum Angelis verſatur, & , licet adhuc in terris agens, terram deſerit, atque à ſpiritu in cælo collocatur. Si quis veſtrum hoc amore correptus tenetur, quid dicam intelligit; atque adfectui ei, in quem tum incidi facile ignoſcet. Nam apud pleroſque mortalium ne fidem quidem fortaſſe oratio hæc noſtra inueneerit: qui riſui etiam ac ludibrio rem eam habere videntur, male vtique perniicioſeque adfecti, ſiue hoc propriæ eorum ſingularique ſtultitiæ tribuendum ſit; ſiue illis adſcribendum, qui minimè parem, conſentaneamque muneri, quod profitentur, vitam adferunt. quorum improbitate tandem effectum eſt, vt egregiæ rei nomen turpe imponatur. hoc eſt, vt philoſophia vanitatis inaniſque gloriæ nomine appelletur, accedente videlicet inuidia, vulgique malitiâ ſemper in peius procliuiore. *haſtenus Nazianzenus.*

Solitariæ & monaſticæ vitæ laus.

Cic. 3. Offic.

Lib. 1. cōt. Iouin. to. 2.

Apolog. 1.

Quā tamē immeritò contemnitur.

Sacerdotibus etiam pauperibus reuerenter ſubueniebat.] *Vult Sanctus Franciſcus fratres ſuos honorare præcipuâ reuerentiâ Sacerdotes: quod etiam grauiter cauit ſuo teſtamento. Sed quantum honorem illis voluerit haberi, prorſus dignum vt referam ex Sancto Antonino:* Sacerdotalibus manibus, quibus conficiendi Dominici corporis ſacramentum, eſt collata poteſtas, magnam volebat reuerentiam exhiberi. vnde ſæpe dicebat; Si ſancto venienti de cælo, & pauperculo ſacerdoti me contingeret obuiare: ad ſacerdotis manus deoſculandas me citius conferrem, & Sancto dicerem: Exſpecta me Sancte: quia manus huiuſmodi Verbum vitæ contrectant, & vltra humanum aliquid poſſident. *Pij & Chriſtiani ſummo honore ſemper Sacerdotes habuêre, ſine quibus eſſe nequeunt Chriſtiani: de quibus ſiniſtri aliquid dicere, crimen erat. Audi Pontificem Anacletum grauiſſimè monentem;* Abſit vt quicquam ſiniſtrum de his loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt; per quos nos etiam Chriſtiani ſumus; qui claues regni cælorum habentes, ante iudicij diem iudicant. *Epiſtol. Decretali ex quâ Diuus Hieronymus epiſtol. 1. ad Heliodorum cap. 7.*

Sacerdotes honorabiliores ipſis Sanctis.

Anton. hiſt. par. 3 tit. 24. c. 2. §. 2.

Tom. 1. Conc.

In Capvt II.

De perfecta conuerſione eius.] *Correctum oſtendit ad meliorem frugem annum ætatis circiter vigeſimum quintum. At quâ deinceps ratione vitam inſtituerit, ex ſociorum ſancti Franciſci hiſtoria recenſet Bartolomæus Piſanus;* Vilem habitum eremiticum per duos annos geſtauit, baculum portans in manibus, cinctus corrigia, calceatus incedens, accipiens eleemoſynas, ſpecialiter pro

A conuerſionis initio quid egerit toto biennio.

Confor. fruc. 8.

repara-

reparatione trium eccleſiarum, quas
illis duobus annis reparauit: videlicet
S. Damiani, S. Petri Apoſtoli, & S. Mariæ
de Angelis. *S. Antoninus hæc ſcribens, etiam* [illegible] *ſignat, quo hæc facta ſunt:* incepit
tam anno Dom. milleſimo du-
centeſimo ſexto, Pontificatus D. Inno-
centij anno decimoquarto. *Ita-*
que mihi equidem, S. Pater ſcripſit ea, hoc [illegible] *narrat S. Bonauentura cap. 2.*
Doctorē non habebat aliquem.
& veſtitum eius fuiſſe, quem ſuprà ex [illegible] *etiam teſtatur S. Bonauentura,* [illegible] *Euangelio* ſoluiſſe calceamen- [illegible] depoſuiſſe baculum, [illegible] pro cingulo funem ſumſiſ- [illegible] *S. Franciſcum initio conuer-* [illegible] *inſtituto D. Auguſtini. Poly-* [illegible] Franciſcus humanitatis [illegible] à principio, Aurelij Auguſtini [illegible] ſcribunt) regulam profeſ- [illegible] zonâque ſcorteâ cinctus, [illegible] conſpectus eſt. *Scribunt hoc* [illegible] *Bergomenſis Auguſtinianus, &* [illegible] *Et quidem Bergomenſis* [illegible] *etiam addit,* Religionis habi- [illegible] Bono eremitâ, ſuſcepto: [illegible] chirographo conſtat. *Hoc ſi verum* [illegible] *D. Auguſtino, ſanctiſſimoque eius* [illegible] *agimus, & caritatis vinculo* [illegible] *Sed hæc opinio* [illegible] *à Petro Rodulphio Primum,* [illegible] *Eremita Auguſtinianus,* [illegible] *conſcribens, ſubdubitare videntur fu-* [illegible] *Bonus ſectator Inſtituti Augu-* [illegible] *S. Antoninum cum Ioanne Bo-* [illegible] *nullam inſtituti facere mentio-* [illegible] *Deinde altera ratio ab ipſo S. Franciſco* [illegible] *in Teſtamento ſuo;* [illegible] quid deberem
Nemo oſtendebat mihi quid deberem
facere: ſed ipſe Altiſſimus reuelauit mi-
hi, quod ego deberem viuere ſecundum
formam S. Euangelij. *quibus ſi iungas S. Bo-* [illegible] *ſic ſcribentem;* Seruus Altiſſimi [illegible] doctorē non habebat aliquem in huiuſ-
modi, niſi Chriſtum, [illegible] *de eius initio con-* [illegible] *perfecta agit; opinio illa* [illegible] *videtur.*

De formâ veſtitus S. Franciſci, & Ordinis Se- [illegible] *Habe-* [illegible] *hic oportune & pauca diſſerendum.* [illegible] *S. Franciſci qualis initio conuerſionis eius fue-* [illegible] *Poſt biennium,* [illegible] *Euangelio audito, calceamentis, baculum,* [illegible] *non mihi planè* [illegible] *in æde ſancta* [illegible] *quod Aſſiſij oſtenditur* [illegible] *monaſterium Sororum S. Claræ)* [illegible] *propè formam,* [illegible] *acuminata* [illegible] *oſtendi aliud* [illegible] *Florentiæ in Hetruria* [illegible] *quale re-* [illegible] *& valde acuminatum* [illegible]

ferunt etiam [illegible] *pictura Romæ in* [illegible] *S. Franciſci* [illegible] *plerique alius locis,* [illegible] *Patres Concilij* [illegible] *ſumpſerunt.* [illegible] *S. Franciſci, Bartholomæus* [illegible] *ſanctum Patrem* [illegible] *tanta longitudine ut* [illegible] *capitis quadratæ,* [illegible] *operire poſſit.* *Notandum verò eſt,* [illegible] *Bonauenturam* [illegible] *Petrum Galeſinium,* [illegible] capite aperto, capilliſ-
trum, qui antea capite aperto [illegible]
que promiſſis ac ſparſim [illegible] veſtitui
ritu que paſtorum incedebant [illegible]
cucullā addidiſſe. *Fr. Petrus Rodulphius* [illegible] *formam habitus* [illegible] *communiter* [illegible] *ſtatur, ab eo* [illegible] *anno ſalutis humanæ* [illegible] *fratribus, qui* [illegible] *in Capitulo Narbonenſi,* [illegible] *milleſimo, ducenteſimo, ſexageſimo.* [illegible] *his verbis:* Habitum quo
Raphael [illegible] *inſtituit,* [illegible] *prius paſto-*
nunc [illegible] incederent. [illegible]
rali modo incederent [illegible] *ſed pro*
naſterio fratrum [illegible] *S. Bernardinus,* [illegible] *non laborandum,* [illegible]
bui quo indutus fuit, [illegible] *color ſimilis* [illegible] *non* [illegible] *monachum,* [illegible] *profeſſionis* [illegible]
ma cum noſtro; [illegible] *Ceterum de formâ* [illegible] *monaſticæ* [illegible]
panniculos. [illegible] *velut* [illegible]
* habitus non facit monachum, [illegible] *S. Baſilio,* [illegible] *infirmioribus ha-*
feſſio, *ſiue potius obſeruatio* [illegible] *& profeſſionis* [illegible] *vt etiam* [illegible] *indecentique*
neceſſe eſt [illegible] *nos* [illegible] *auctore* [illegible] *inhoneſto* [illegible] *Apoſtolus Epiſco-*
mur. [illegible] *Nam* [illegible] *eſt* [illegible] *deſignat, quæ res*
ſupra vulgum. [illegible] *religioſior* [illegible] *Sed &*
pædagogus [illegible] inde [illegible] magiſtri reuocatur. [illegible] in habitu ordina-
bitus iſte religioſior [illegible] ordinatum [illegible] Ordinatus autem ha-
eos ab opere [illegible] dicitur is, qui ſe-
cuſtodiat. Deinde [illegible] dicitur is, qui ſe-
pum ordinatum [illegible] ac profeſſionem
ad habitum [illegible] eſſe debere. [illegible] Sicut enim eſt
de mulieribus [illegible] Chriſtiani [illegible] militi in habitu ve-
ro eas [illegible] propoſitum intelligitur. [illegible] habitus Senatoris,
bitus [illegible] aliquid [illegible] eſt habitus Senatoris,
eundem [illegible] intelligitur, vel quòd
eius [illegible] & altius [illegible] vel quòd ille miles eſt:
propoſitum [illegible] præcipuè intelligitur, [illegible] habere aliquid pro-
ſtimentis [illegible] Chriſtianus [illegible] ordinatione indumen-
ex quo [illegible] *Senator eſt,* [illegible]
iſte [illegible] ex ordinatione indumen-
ita etiam [illegible] *etiam ex ordinatione* [illegible]
prium, etiam [illegible] *debet.* [illegible]
ti ipſius debet. [illegible] *exhortatur ad diſciplinam Chri-*
vt [illegible] *aliorum exiſtimatione,* [illegible]
ſi vos [illegible] *Ipſa veſtis exhortatur* [illegible] *Diſcite à me, quia mitis*
ſti capeſſendum; [illegible] *humilis corde.* *Et ſupra* [illegible]
ſum, & humilis corde. [illegible] *& paruulorum ritu.* Hoc
ſermones nos eſſe debere, [illegible] *Baſil.*) in obſeruatione
ergo etiam (*inquit B. Baſil.*) in obſeruatione
indumentorum cuſtodiendum puto. Si
enim in nobis ſtudium habendum eſt, vt
omnium ſimus nouiſſimi: certum eſt,
in indumentis omnium nouiſſimos de-
putare nos debere. Nam filij, qui glo-
riam ſibi ex indumentorum ſplendore
conquirunt, & ſatagunt quomodo pre-

 tioſis

Hiſt. par. 3. tit. 14. c. 7.

[illegible] S. Antoninus [illegible] Ordinis in [illegible] ann. 1206.

Cap. 3. §. 1.

Ordinatur quidā ore [illegible] S. Auguſtini [illegible] De inuen. rer. lib. 7. cap. 4. [illegible] Franc.

[illegible] Seraph. [illegible]

Hiſt. p. [illegible] tit. 24. [illegible] 13.

Pag. [illegible]

Forma veſtis S. Franciſci, qualis ab initio.

Conſtit. tract. 16.

S. Bonauen. [illegible] Cap. [illegible] S. Ro. [illegible] Lib. [illegible] ſeph. relig.

Lib. [illegible] Authen.

Concil. [illegible] cap. 6 de [illegible] Habitus [illegible] Regul. cap. 22.

1. Tim. 2. 9.

Modeſtia & humilitas in ſignum noſtra veſtis. Mat. 11. 29.

Regul. cap. 22.

tioſis, & magnificis veſtibus videantur induti: ita conſequens eſt, qui de vlti- mis & nouiſſimis, id eſt, per nimiam hu- militatem placere ſtudet, eligere debe- re hoc, in quo omnium nouiſſimus & vltimus appareat.

2. Tanquam inſano & dementi inſultabant.] *Nihil eſt antiquius illis inſanis & vanis, quàm pios & religioſos viros ſubſannare. Olim Prophetam Domini, & ipſi quoque ſanna- bant principes non admodum ſani:* Quid venit
4 Reg.9.11 inſanus iſte ad te? *Nec mirum, quòd nunc quoque ſimiles inſaniâ in monachos arietant: cùm & Paulla nobiliſſima Romanarum matronarum, antiquo Scipionum ſanguine clara, etiam hoc op- probriorum luto aſperſa fuerit. Et illa vt ſe pur- gauerit ſine conuicijs, Chriſtiano more, nobis in exemplum, D. Hieronymus commemorat, in hæc verba;* Noui ſuſurronem quēdam (quod
Epiſt. 27. c.9.10.1. *Monachis conuicia conſtanter ferenda.* genus hominum pernicioſiſſimum eſt) quaſi beniuolum nunciaſſe, quòd pro nimio feruore virtutum, quibuſdam videretur inſana: & cerebrum illius di- cerent confouendum. cui illa reſpon- dit; * Theatrum facti ſumus mundo, &
1.Cor.4.9 Angelis, & hominibus. &, Nos ſtulti propter Chriſtum. Sed ſtultum Dei ſa-
*Iudid.3.2 pientius eſt hominibus. vnde & Saluator loquitur ad patrem; * Tu ſcis inſipien-
*Pſal.68.6 tiam meam. & iterum; * Tamquam pro-
*70.7. digium factus ſum multis: & tu adiutor fortis. * Vt iumentum factus ſum apud
*72.22. te; & ego ſemper tecum. * quē in Euan-
*Mar.3.21. gelio & propinqui quaſi mentis impo- tem ligare cupiebant, & aduerſarij ſu- gillabant, dicentes; * Dæmonium ha-
*Ioan 8. 48. bet. &, Samaritanus eſt. &c; * In Beelze-
*Mat 12. 24 bub principe dæmoniorum eijcit dæ- monia. Sed nos audiamus Apoſto- lum cohortantem; * Hæc eſt gloria no-
*2.Cor 1. 12. ſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: quoniam in ſanctitate, & ſinceritate, & in gratiâ Dei conuerſati ſumus in mun- do. *Bona conſcientiæ iudicium, & prorſus Chri- ſtianum eſt, æquo animo conuicia ferre. Nam & Chriſtus Saluator,* cùm malediceretur,
1 Pet.2.23. non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur. *Non te igitur deterit ſapien- tem offendi, quàm canum latratus. Illos audi-*
Sen ep 76. *mus, contemnimus:* ſic æquo animo audien- da eſſe imperitorum conuicia, & ad ho- neſta vadenti contemnendum illum contemptum *diſce. Qui veſtes flagris cadunt, non attingunt corpus: ſic qui loquuntur male, mi- nime nocent. An verò tu ipſo habitu philoſophiam Chriſtianam profeſſus, contra ſapientiæ præcepta, maledictā regereſ? quid lucrati?* Sicut qui ap-
Prou. 26. 17. prehendit auribus canem, ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixæ alte- rius, *à quā ſapiens cauebit. Vt in viâ ſi quis lutum regeres, ſed potius te aſpergat, non in il- lum regeras, ſed potius te purges; ita & hic fa- cito.* Scimus

Iſtunc theſaurum ſtultis in linguâ ſitum, Plaut Pœ.
Vt quæſtui habeant malè loqui me- lioribus.

Melior eris, ſi noueris tacere, & placidè ferre. Re- ctè & eleganter S. Ambroſius; Melior eſt qui
contemnit iniuriam, quàm qui dolet. Lib.1 off. cap.6.
Qui enim contemnit, quaſi non ſenſe- rit, ita deſpicit: qui autem dolet, quaſi ſenſerit torquetur.

Eadem velle, nolle, parit amicitiam. Morum diſſimilitudo, maximè verò diſſenſus in religione & fide, non diſſuit ſolum, ſed diſcindit. Si de
Ioan. 15. 18. mundo fuiſſetis, *inquit Chriſtus,* mundus quod ſuum erat diligeret. Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego vos elegi de mundo; propterea odit vos mundus, *contumeliam imponit, & inhumanè conuiciatur. Tu deſpice & contemne iſtum contemptum (quod iam dixi) veluti latratum canis. Si feras conſtan- ter exemplo Dauidis, à Semei maledico conuicia- tore laceſſiti: animum te gerere ſignificas ſupra vulgi opinionem magnum, & laude dignum, ſi- mulque pro maledictis referes benedictionem Do- mini Dei. Hoc nouerat frater Iuniperus, ſocius S. Franciſci, qui opprobrijs & iniurijs laceſſitus, gremium conuiciatori adparare atque aperire ſo- litus eſt, & dicere,* Amice proijcias huc, im- Bart. Piſan. Confor. fruc.8.
ple gremiū iſtis lapidibus pretioſis; *con- tumelias & iniurias appellans viuentes. Chriſtus inquit;* Beati eſtis cum maledixerint vo- Mat.5.11.
bis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentien- tes propter me: gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. *Contemnendum illud maledictum, quod beatitudinem creat: imo* vbi Chriſtus in cau- Hieron in 5 Matth.
ſā eſt, ibi & optanda maledictio eſt.

§.7. Peruenit ad locum, qui Portiun- cula dicitur.] *Bartholomæus Piſanus docet* Confor fruc. 28.
tractum regionis illius in agro Aſſiſinate, ſic ap- pellatum; vbi parua Eccleſia Diuæ Virgini ſacra, quam vocabant S. Mariam de Angelis: *quòd Angelorum cantus ibi ſæpe fuerint auditi. Vide-* Portiun- cula.
tur itaque nomen Portiunculæ ad Eccleſiam & monaſterium tranſiiſſe. eccleſiam hanc, fratrum numero creſcente, S. Franciſcus prece impetrauit ab Abbate S. Benedicti ad montem Subaſium, hoc pacto, vt Ordine aucto fratribus, Ordinis eſſet ca- put. Erat autē omnium quas Abbas habebat mini- ma: quamobrē ſanctus vir paupertatis Euangeli- cæ perfectus amator, lætabatur, Portiuncula ter- renâ exiguâ contentus, vt cum Prophetâ dicere Pſal 141 6. Indid. ex Spec. vitæ S.Fr c 55.
poſſet, Portio mea in terrâ viuētium. *Bar- tholom. Piſanus;* Portiunculam pro ſe &

ſuis de mũdo elegit, ex quo aliter Chri-
ſto, niſi de mundo aliquid habere, ſer-
uire non potuit. Non enim ſine præſci-
entiâ di[...]ini oraculi, à diebus antiquis,
Portiuncula dictus eſt locus, qui in illo-
rũ debe[...]bat cedere ſortem, qui de mun-
do nihi[...] penitus cupiebant habere. In
eo Vir[...] ſignis matris eccleſiæ conſtructa
[...] quæ ſuâ ſingulari humilitate me-
[...] Filium ſuũ, caput eſſe omnium
[...]ctorum. In eâ Minorum Ordo prin-
[...] ſumſit: ibidem multiplici mu-
[...] ſupra ſtabile fundamentum,
[...] nobis ſtructura ſurrexit. Hunc
[...] S. Franciſcus amauit præ omni-
[...] præcepit fratres ſingulari re-
[...] venerari. hunc velut ſpeculum
[...] in humilitate & paupertate
[...] ſemper voluit cuſtodiri.

Quamuis autem ille Abbas locũ hunc S. Fran-
ciſco contuliſſet: ſolum tamen vſum eius accepit vir
[...] atque eius rei ergò Abba-
[...] ſingulos annos caniſtrum piſciculis
[...] ne dicam agri aut domus pro-
[...] dominium, ſibi ſuiſque vnquam ſe
[...] hoc exemplo ſignificans; idque ex
[...] Regula præſcriptis, Fratres nihil ſibi ad-
proprient, nec domum, nec locum, nec
aliquam rem: ſed tamquam *peregrini
& aduenæ in hoc ſæculo, in paupertate
& humilitate Domino famulantes, &c.

Cap. 6.
*1. Pet. 2. 11.

8. Viſionem viderat relatione con-
dignam.] Peccata tenebræ ſunt; Dilexerunt
magis homines tenebras quàm lucem:
inquit Chriſtus. &, Qui ſequitur me non
ambulat in tenebris. Illuminari dicuntur,
qui à peccatis liberantur. Eratis aliquando
tenebræ: nunc autem lux in Domino.
Itaq; opinor tot bonorum vinculos ex hoc forte ma-
nantes, ſimul etiam condonationes illas, ſiue In-
dulgentias Portiunculæ, magnas in primis, Chri-
ſto ipſo auctore, quotannis verè pœnitentibus con-
ceſſas, hoc viſo præſiſas fuiſſe. de quibus S. Antoni-
nus; *Anno Domini milleſimo, ducente-
ſimo, vigeſimo tertio, menſe Ianuario,
S. Franciſcus obtinuit primò à Deo, in-
tercedente beatâ Dei genitrice Mariâ;
deinde demum à ſuo vicario Honorio Ter-
tio, indulgentiam plenariam peccato-
rum annis ſingulis, accedentibus ad ec-
cleſiam S. Mariæ de Angelis, primâ die
Auguſti. & quòd durarent per diem na-
turalem, incipiendo à ſecundis veſpe-
ris illius diei, vſque ad veſperas diei ſe-
quentis, includendo noctem. quo die il-
la Eccleſia fuit à ſeptem Epiſcopis, de
mandato Domini Papæ, ſollemniter
conſecrata, & dicta indulgentia publi-
cata. Totam huius rei hiſtoriam complectitur

Ioan. 3. 19. & 8. 12.
Ephe. 5. 8.
Hiſt. par. tit. 24. c. 7.

Speculum vitæ ſancti Franciſci cap. 88. & ſequentibus. Bart. Piſan. item Conform. fru. 8. 14. Viuæ vocis oraculo (vt dicitur) iſta data, ſine diplomate Pontificio: ſed promulgante Deo, tantâ frequentiâ ſingulis annis, etiamnum celebrantur, vt aliquando confluant triginta millia hominum, & quæ ampliùs, & ſicuti magnus exercitus, circum locum quaſi caſtrametentur. Sed operæpretium fuerit adſcribere literas D. Alexandri Papæ Quarti ad confirmationem datas gratiæ prædictæ.

Speculum vitæ S. Franc.

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus Fratribus, vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis: ac dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconibus, plebanis, & alijs Eccleſiarum Prælatis & rectoribus, ad quos literæ iſtæ peruenerint, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quia longum eſſet nedum exarare per ſingula, verumetiam ſuccinctâ relatione perſtringere clara virtutis diuinæ prodigia, quæ tam in operationibus, quàm etiam in alijs ſanctitatis argumentis, probauerunt D. Franciſcum, almum Chriſti cõfeſſorem tenere cum Sanctis ſolium gloriæ in excelſis; & in terris mirabilem prædicare: & indulgentiam S. Mariæ de Portiunculâ, de voluntate Patris cœleſtis, quam ipſe ſic denunciauit; vt quicunque venerit ad ipſam eccleſiam, quæ S. Maria de Angelis vocatur, & ingreſſum habuerit, à primis veſperis primæ diei menſis Auguſti, vſque ad veſperas ſecundæ diei eiuſdem menſis; remittuntur ei omnia peccata, &c. *Speculum vitæ S. Franciſci, c. 89. ex quo loco plura videre licet.*

IN CAPVT III.

De inſtitutione Religionis, & adprobatione regulæ.] *Erit fortaſſis hic meus ſermo longior, quàm velis lector occupatus. Sed non abs re fuerit declarare, quâ cauſâ, & conſilio Mendicantium Ordines ſint inſtituti. Vt in militiâ cùm deſertores ad hoſtium caſtra transfugiunt, cohortes numero militum explentur, & in prælio laborantibus adſunt ſubſidiarij & auxiliatores: ſic in Eccleſiæ bello, malè ſentientibus hæreſibus, moribuſque deprauatis, Deo inspirante Ordines iſti adducti, qui illas tetras peſtes extinguant, illos corrigant.* Duo mala S. Franciſci à ſæculo irroboraſſe animaduerto, quæ orbem Chriſtianum perniciosiſſimè conturbarunt: hæreſes, & diſcidium inter Romanos Pontifices & Imperatores. *contra quæ, ſicuti infeſtiſſimos Eccleſiæ hoſtes, Deo auctore duo boni*

Duo mala ſæculo S. Franc.

duces

duces S. Franciſcus, S. Dominicus ordines ſuos duxerunt, vixeruntque. Pro bono vtiliq́ue facturus videor, de vtriſque paulò dicere vberius: ſed prius de hæreſibus illius temporis. Anno Domini M. C. L X. Frederico Primo Ænobarbo Imperatore, orta eſt hæreſis Pauperum à Lugduno, autore VValdone Lugdunenſi ciue. hic diues erat & potens; qui, omnibus relictis, Paupertatem Euangelicam cœpit profiteri, cum multis aſſeclis: ſed errore, & prauo diuinarum literarum intellectu, deſtincti ab eccleſiâ, per ſchiſma in hæreſes prolapſi ſunt, quas ex Nicolao Sandero opportunè commemoro.

Hæreſis VValdenſium ſiue Pauperum à Lugduno.

Lib 7. de viſib Mon Eccleſ.

1. Dicunt quòd Romano Pontifici obedire non tenentur: imò totum Romanæ Eccleſiæ ſtatū in capite ac membris damnant. Summorum item Pontificum canones, & decreta nullius momenti eſſe.

2. Nullum omnino iudicium ſanguinis, aut cuiuſcunque iudicij corporalis ſupplicij ferunt, quia ſcriptum ſit, *Nolite iudicare.

*Mat.7.1.

3. Auctoritatem conficiendi corpus Chriſti dicunt datam eſſe etiam laicis, modo iuſti ſint. Presbyteros autem qui grauiter peccant, nec Euchariſtiam conficere, nec alios à peccatis abſoluere.

4. Poteſtatem confeſſiones audiendi & abſoluendi, etiam laicis à ſolo Deo datam eſſe.

5. Semel tantùm in anno, id eſt, in cœnâ Domini, Miſſam celebrant, & illam abſque formâ verborum Chriſti; dicendo ſepties Pater noſter, & benedicendo panem & vinum.

6. Irrident Indulgentias per Prælatos Eccleſiæ datas.

7. Negant poſt hanc vitam eſſe purgatorium.

8. Dicunt tantùm tres ordines in Eccleſiâ eſſe, Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum.

9. Vera miracula in eccleſiâ non fieri.

10. Sanctos in cælo nec audire, nec attendere preces noſtras.

11. Dies feſtos contemnunt, & in illis operantur manibus.

12. Ieiunia Eccleſiæ contemnunt, & in illis carnes comedunt.

13. Vrente carnis libidine, dicunt omnem carnalem commixtionem eſſe licitam.

14. Dicunt quòd perfecti non debeant manibus laborare.

15. Contemnunt ſalutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum.

16. Omne iuramentum prorſus illicitum eſſe dicunt. Hæc ad neceſſitudinem rei ſatis. plura ſi deſideras, adi illos, qui ex propoſito de his ſcribunt: vt Prateolus lib. de Vitis & ſectis hæreticorum, Alfonſus Caſtrenſis, &c. At non Galliam ſolum iſtæ hæreſes infecere, ſed etiam Italiam. Multas hæreſes fuiſſe eodem tempore in Longobardia ſcribit Cæſarius lib. 5. cap. 24. vbi inter alia refert Lucio Tertio Pontifice quorundam factionibus Româ pulſo, Veronæ exſulante, hæreſiarcham quendam ſæpe in domo ſubterraneâ ſermonem habuiſſe plenum blaſphemiarum. (vtor verbis eius) Deinde extinctâ candelâ vnuſquiſq; ſibi proximam inualit: nullam habentes differentiam inter legitimam & ſolutam, inter viduam & virginem, inter dominam & ancillam; & quod horribilius eſt, inter ſororem & filiam.

Humiliatorum ſecta.

Lib 6. de reb geſtis Franc.

Eâ tempeſtate graſſabatur & ſecta Humilium: quorum quanta fuerit impietas, Paulus Æmilius narrat; ſimul ſignificantes tum horum, tum VValdenſium ſectis damnatis, ſancti Dominici & S. Franciſci Ordines ortos & adprobatos fuiſſe. Per idem tempus, (inquit) Ordines duo ſacri exorti ſunt, Prædicatorum, Minorumque; duoque abrogati, Humilium (ita ſe vocabant) & Pauperum à Lugduno, conditore huius ſuperſtitionis Waldone Lugdunenſi. Illi humilitatis nomine munia, quibus Curatores animorum Sacerdotes iure funguntur, ſibi arrogabant, confeſſiones arcanas audiebant: ac velut ipſi expiandi ius haberent, noxas ſoluebant. A liberalibus artibus cùm adhorrerent, concionabantur tamen; regimen animorum ſibi vendicabant. Pauperes à Lugduno (ita enim vocitabantur) neque fundos ſui iuris, neque certas ſedes habere volebant; errabant: mulieres iijdem profeſſas ſecum circumducebant, nec ſecubare dicebātur. Lucius Pontifex Maximus vtramque ſectam damnauerat: tolli tamen non poterant. Recepti Prædicatores fratres, qui litteris ſe excolerent, concionibus edocerent, ius alienum minimè vſurparent. Dominicus auctor exſtitit, & doctus & ſanctus vir, & acerrimus hæreſum inſectator. Minores Fratres, conditore Ordinis D. Franciſco, paupertatem profeſſi ſunt: Pauperes Minores vocitari cœptos, Auſpergenſis temporum conditor, auctor eſt; poſteà ſanctius viſum omnino Minores dici. Hi ſaniores Ordines viſi: illi priores hoc remedio ſublati. *hactenus Æmilius, Philippo II. Auguſt. ex Chron. Vſperge. anno 1212.*

Cæterùm exciſis aliis capitibus hydra, mox à re ſed aliud renatum, & quidem ſuperioribus magis peſtiferum, Albigenſium hæreſis. Sederat ea peſtis (inquit Paulus Æmilius) in Comitatu Toloſatium, cui Albij contribuebantur, & finitimas polluerant ciuitates: & Humiliatorum, & pauperum Lugdunenſium ſectæ adfingebât & ipſi præcipuam impietatem. *Variè appellati, Albigenſes, Albiani, Albij. Cæſarius Heyſterbachenſis, & res poſtulat, vti ex eo ſcitu crebantur.* ſic eum habet; Temporibus Innocentij Papæ prædeceſſoris huius, qui nunc Papatum tenet, Honorij, ante adhuc ſchiſmate, quod erat inter Philippum & Othonem reges Romanorum; diaboli inuidiâ hæreſes Albigenſium cœperunt pullulare, vel vt verius dicam, matureſcere. Cuius vires tantæ erant validæ, vt omne triticum fidei gentis illius, verſum videretur in lolium erroris. Miſſi ſunt Abbates noſtri Ordinis, cum quibuſdam Epiſcopis, qui zizania, raſtro Catholicæ prædicationis eradicarent. ſed obſiſtente homine inimico, qui illa ſeminauerat, modicum ibi profecerunt. Quædam hæreſiarchæ eorum collegerant puncta, ex dogmate Manichæi; quædam ex erroribus quæ in Periarchon ſcripſiſſe fertur Origenes: plurima etiam quæ de ſuo corde finxerant, adijcientes.

Vbi ſup.

Lib. 5. illuſtr. mirac. c. 21. 22.

1. Duo credunt cum Manichæo principia, Deum bonum, & Deum malum, id eſt, diabolum; quem dicunt omnia creare corpora, ſicut Deum bonum omnes animas.

2. Quidquid beneficij mortuis à viuis impenditur, irrident.

3. Ire ad Eccleſias, vel in eis orare, nihil dicunt prodeſſe.

4. Baptiſmum abijciunt.

5. Animam ſecundùm meritum dicunt per diuerſa tranſire corpora, etiam animalium atque ſerpentium.

6. Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti blaſphemant; dicentes non aliter eſſe corpus Chriſti in pane altaris, quàm in alio pane, & in qualibet re.

7. Sic Deum locutum in Ouidio, ſicut in Auguſtino.

8 Negabant reſurrectionem corporum, dicentes nihil eſſe Paradiſum, neque infernum: ſed qui haberent Dei cognitionem in ſe, quam ipſi habebant, haberent in ſe paradiſum. qui verò mortale peccatum: haberent infernum in ſe, ſicut dentem putridum in ore.

9. Altaria Sanctis ſtatui, & ſacras imagines thurificari, idololatriam eſſe dicebant.

10. Eos qui oſſa martyrum deoſculabantur, ſubſannabant.

11. Maximam etiam blaſphemiam auſi ſunt dicere in Spiritum ſanctum, à quo omnis iuſtitia eſt, & ſanctitas. Si aliquis eſt in Spiritu ſancto, aiebant, & faciat fornicationem, aut aliqua alia pollutione polluatur, non eſt ei peccatum. quia ille Spiritus qui eſt Deus, omnino ſeparatus à carne, non poteſt peccare: & homo qui nihil eſt, non poteſt peccare, quamdiu ille Spiritus qui eſt Deus, eſt in eo. Ille operatur omnia in omnibus. Vnde concedebant, quod vnuſquiſque eorum eſſet Chriſtus, & Spiritus ſanctus.

12. Prophetabat vnus eorum Wilhelmus de Namantico, quod intra quinque annos illæ quatuor plagæ euenire deberent; prima ſuper populum: quia fame conſumetur. Secunda erit gladius, quo ſe principes interficient. Tertia, in quâ terra aperietur, & deglutiet Burgenſes. In quartâ deſcendet ignis ſuper Prælatos Eccleſiæ, qui ſunt membra Antichriſti: dicebant enim quia Papa eſſet Antichriſtus, & Roma Babylon. &, Ipſe ſedet in monte Oliueti, id eſt, in pinguedine poteſtatis. Collegi hæc ex *Cæſarij libro quinto illuſtrium miraculorum & hiſtoriarum memorabilium capite 21. & 22. Gilbertus* Genebrard. * etiam hæc refert de illis; Catholicos miſere tractabant, eos illudentes, quòd Sanctos & Diuinam Virginem venerarentur. Blaſphemabant in Diuam Virginem, eam meretricem appellantes. *Hæc igitur peſtifera hæreſis, vt ſcribit* * *Iacobus Bergomenſis,* tantam in populo Romano, cleroque, ſeditionem induxit, quantam numquàm antea. Quamobrem Pontifex multos cruce ſignatos impulit contra eos arma ſumere. *Belli initium breuiter commemorat Cæſarius loco citato, ſic ſcribens:* In tantum Albienſium error inualuit, vt breui interuallo temporis infecerit vſque ad mille ciuitates. & ſi non fuiſſet gladijs fidelium repreſſus, puto quòd totam Europam corrupiſſet. Anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo, prædicata eſt contra Albienſes, in totâ Germaniâ & Franciâ, Crux: & aſcenderunt contra eos anno ſequenti ad ciui-

Blaſphemiarum plena.

* Chron. 4. ad an. Chriſti 1199 ex Naugerâ.

* Supplement. lib. 13. ad an. Chriſti 1215.

Lib. 5. c. 21.

ciuitatem magnam, quæ Biders vocatur, in quâ pluſquàm centum millia hominum fuiſſe dicebantur; & obſederunt illam. In quorum aſpectu, hæretici ſuper volumen Euangelij mingentes, de muro illud contra Chriſtianos proiecerunt, & ſagittis poſt illud miſſis, clamauerunt; Ecce lex veſtra miſeri! *vbi quibuſdam interpoſitis addit: hac eo loco,* Quidam ex potentioribus Toloſanæ ciuitatis, quiddam tam horrendum, in odium Chriſti, & ad confuſionem noſtræ fidei, egit, vt ipſos etiam Chriſti inimicos mouere meritò debeat. Iuxta altare maioris Eccleſiæ ventrem ſuum purgauit, & pallà altaris ipſas immunditias detersit. Ceteri verò furori furorem adijcientes, ſcortum ſuper ſacrum altare poſuerunt, in aſpectu crucifixi, eo ibi abutentes. Poſteà ipſam ſacram imaginem detrahentes, brachia ei præciderunt, multo militibus Herodis deteriores, qui mortuo, ne eius crura frangerent, pepercerunt. Ceterùm Albienſes, antequam veniret contra eos exercitus Domini, Miramamolinum regem de Marroch, in auxilium ſibi inuitauerant: qui de Africâ in Hiſpanias, cum tam incredibili multitudine venit, vt totam Europam ſe obtinere poſſe ſperaret. Mandauit etiam Innocentio Papæ, quia equos ſuos in porticu Eccleſiæ beati Petri vellet ſtabulare; & ſuper illam vexillum ſuum figere. quod ex parte impletum eſt, etſi ſecùs quàm ipſe cogitaſſet. Et quia Deus frangit omnem ſuperbum, eodem tempore, ſcilicet anno gratiæ milleſimo ducenteſimo duodecimo, decimo ſeptimo Calendas Auguſti, de exercitu eius, ſexaginta millia pugnatorum ceciderunt. Ipſe verò ſe in Siciliam transferens, ex dolore mortuus eſt. cuius vexillum principale in bello captum, Innocentio eſt tranſmiſſum, & in Eccleſiâ prædictâ, ad Chriſti gloriam erectum. *Hac Cæſarius Heiſterbachenſis de Albigenſibus, & initio ſacri belli contra illos; cuius finem paucis abſoluit* * *Chriſtianus Maſſæus*; Vrbs Bituris incenſa fuit; ciues ad ſeptem circiter millia, qui in templum Mariæ Magdalenæ confugerunt, in eodem occiſi ſunt, ipſo die feſto eiuſdem. Et quidem iuſtè tali die feſtoque peremti: quia iamdudum impie blaſphemauerant Magdalenam fuiſſe Chriſti concubinam. *Cæſarius, qui eo tempore vixit, teſtatur innumerabiles cæſos fuiſſe.*

Nota, vetamala vna noſtra ob iſtiu mali cornis.

Miramamolinū in auxilium vocant Albigenſes.

*Lib. 17. Chron. ad annū Domini 1206. *Albigenſes cæduntur ipsā ſacrā Magdalenæ die.*

Lib. 3 c. 12.

Expoſitis hæreſes peſtilentiſſimas, ſceleratorum malum prius, ortum æuo ſancti Franciſci: pergo nunc ad alterum reipublicæ Chriſtianæ haud minùs exitioſum, videlicet, Turbulentum ac pernicioſum diſſidium Romanorum Pontificum & Imperatorum. *Recrudeſſe vi ſorum Frederico Primo Ænobarbo (qui & Barbaroſſa vulgò dictus eſt) Imperatore: maximè verò increuiſſe ſub eius nepote Frederico Secundo.* * *Baptiſta Egnatius*; Peſſimo iam pridem exemplo Pontificiæ cum Imperatoribus contentiones inoleuerant, vnde omnium malorum fons & origo; his inter ſe decertantibus, quorum ope ac concordiâ, res Chriſtana florere diutiſſimè potuiſſet. Id cùm aliàs experti maiores noſtri ſunt, tum verò hoc tempore vtinam non extremâ cum noſtrâ pernicie ſentiamus. *Ex illo malo fonte, qui riuuli ducti, paucis complectitur* * *Iacobus Bergomenſis.* Fredericus, mortuo Adriano Pontifice, ſucceſſori eius Alexandro admodum aduerſari cœpit; vnde & quatuor Pontifices ſchiſmaticos contra eundem creari fecit, quorum ſeditionibus Eccleſia Romana ferè ſubuerſa eſt. His iniurijs permotus Alexander, Fredericum, & ſchiſmaticos omnes Pontifices anathematis vinculo colligauit: quamobrem Fredericus omnem Eccleſiæ ditionem, pulſo Alexandro occupauit, omnemque fere Ciſalpinam. *Haud aliter Chronicon Berſangien.* Fredericus Imperator totum Imperium Romanum turbat, propter inobedientiam & rebellionem contra Sedem Apoſtolicam. Excommunicatus, Pontificem verbis, ſcriptis, & armis perſequitur, cunctoſque cum illo ſentientes. *Rediit tandem Fredericus ĩn gratiam cum Pontifice Alexandro. Egnatius teſtatur Pontificem Venetias ex diutino errore confugiſſe*, vbi victo etiam nauali prœlio à Venetis Othone filio Frederici: (quod varia monimenta nobis adteſtantur, etſi ſcriptorum variet fides) tandem pax Venetijs ſancita, Imperatorque ac Pontifex ex diutinâ diſcordiâ amiciſſimi facti.

At Fredericum Secundum, Henrici Sexti filium, Frederici Primi nepos, multo acerbius auo, exercuit cum Eccleſiâ inimicitias qui (vt Bergomenſis commemorat) à maioribus ſuis minimè degenerans, auo Frederico Barbaroſsâ immanior; vbi Imperator appellatus eſt, illicò in Romanam Eccleſiam inſanire, omniaque lacerare ac rapere cœpit: propter quod anathemate notatus, Imperij dignitate priuatus eſt.

Aliud malum æuo S. Franciſci, diſſidium Pontificum & Imperatorum.

*In Frederico Ænobarbo.

* Lib. 12. Sup. hiſt. ad an. 1159. *Frederici I. hoſtilitas aduerſus Rom. Pontificem.*

Apud Genebr. 4. chron vbi de Alex. 3. Pontif.

Vbi ſuprà Freder. I. Imper.

Friderici II. Imperatoris dira Eccleſiam impietas. Suppl. hiſt. lib 13. ad an. 1221.

In eandem ſententiam * Chronicon Hirſaug. O impietates Frederici Secundi, planè indigni nomine Cæſaris! fuiſſe dicitur … Saracenis: ſpoliator templorum, … maximus perſecutor Eccleſiarum: cuius occaſione monaſticorum … conuerſationis feruor, in cunctis Germaniæ locis tepuit. Sed & Volaterranus ſic de eo ſcribit; Fredericum Secundum, Henrici Sexti filium, … ſcentem, Othone deiecto, Innocentius Tertius apud Aquiſgranum … diademate redimiri, paulloque … Conſtantiâ matre, quæ … continebat, omnibus … Pontifices tres, Honorium Tertium, Gregorium Nonum, Innocentium Quartum; à quibus … ſucceſſione, & ſacris interdictus, & Imperio deiectus per ſententiam. De quo etiam tradit Onuphrius in … Innocentij Quarti. Hic [Innocentius Quartus] in vigilia natalis Domini anno milleſimo ducenteſimo, quinquageſimo quarto, Lugduni in Concilio Generali, duodecim Cardinalibus viris excellentiſsimis creatis, cius ordinis hominibus proprium inſigne, pilleum rubeum dedit. Auctor Martinus, qui eo tempore viuit, in huius Pontificis vitâ. quo ſignificabatur, eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet, pro Eccleſiaſticâ libertate tuendâ, gladio offerre debere: & præſertim eo tempore, quo Romana Eccleſia à Frederico Secundo Imperatore vehementer oppugnabatur. Reliqua eius ordinis inſignia poſteriores Pontifices excogitarunt. De imperatore Frederico huius plus ſeculi agendum: & ſunt multa … Refert Bapt. Platina in vitâ Gregorij Noni, quod … ciuitates Italiæ in … factiones tum primùm diuiſit. Nam qui Pontifici fauebant, Guelfi; qui verò Imperatori, Gibellini appellati ſunt. Originem … exponit * Paulus Æmilius, inquiens; … nominibus Italiam impleuit, … longo temporis interuallo repetitis. Auorum memoriâ Siculus rex Rogerius veritus, ne ſi Conradus Tertius Auguſtus in Italiam veniret, regno ab eo pelleretur, Cæſarum armis Siculorum dominatui ſemper infeſtis; miſsis in Germaniam Oratoribus, hoſtem Guelfonē Bauariæ Ducem in Cæſarem concitauit: belloque ibi conflato, ex Italiâ Duci & ſuo, & vt viribus ſanctitatis ſpeciem adderet, Pontificis Maximi, cuius ſe bene ficiarium profitebatur, nomine ingentia miſit auxilia. Cum his ſigna contulit Henricus Cæſaris filius in opido Gibelli … natus: quo, etiam memoriâ … gentilitio cognomine … lo Gibelli … debat. In hac igitur acie, lo Gibelli, clamabatur; in altera lo Guelfo. … Ducem in … Cæſar victor etiam victum Ducem in gratiam, poſitis armis recepit: nomina tamen manſere. ac ex ea die ſemper Gibellinum, Guelfi Pontificum, … partes dicuntur. … memoria propè exoleuerat, … Siculus reſtituit, ac immortales … ſtes eas effecit, quibus Italia & … uerſa, & ſingulæ propè ciuitates … Ceterum … rarent. … has peſtes induxerit … Sabellico … maximam, inquiens; … pus Fredericus Imperator … cum non … hominum … nes Italiæ ciuitates: … ſit factiones … Guelfi … rent. … perator … Italiæ … na ad … & alias … quam … Apud … gerint. … primum res orta … Cancellarij … factum eſt, vt duo Germani … ciſſent, fratres, quorum hic Guelfi, ille verò Gibel, in … ſanguinis … ſuum fauorem … nomen ferret, nomenque vterque … uerſas factiones … ſtetit. partibus … nauerint, vnde dicti; diuerſæ factio… dederit … Gibellini. Serpſit inde latius … zati, Guelfi. … nis, breuique vniuerſam corripuit Italiam. Hinc inde bella non tantum … ſtis, ſed inter propinquos & … liam. … ter ciues orta. Multæ Italiæ vrbes hoc … fratres. … Pontifice defecerunt. Sic … tu à Pontifice … de imo tartaro … Italicæ ciuitates tumultuantes, … lione, circumuectionibus, & vertigi… nitis circuitu implicitæ, implacabi… modo … in inuicem; neſcien… li odio quidnam eſt in re inæquantur. Non … tes modo enim ſigna bellica habent aduerſa; ſed colores, … habitus corporum. ipſe hominum inceſſus, digitorum concreptus, & oris hiatus, ſuam habuere partium ſignificationem. Brixiani, Bergomenſeſque alium, (cuius apud eorum plebem frequens eſt vſus) quo ſcindas modo,

Margin notes: d Ge… cur. annum … 127. — * Lib. … — Cardinalis S. R. E. … — * Lib. … — * Lib. 3. … Ludo. IX.

modo, plurimum à ratione partium ex-
iſtimant intereſſe; auditumque aliquan-
do eſt, fuiſſe in Bergomenſium monti-
bus, qui aduenas ex Calabris, Apuliſve,
aut Etruſcis viatores hoſpitio receptos,
allium (quod ſuo ipſius hoſpitis iudicio,
in nucleos naturâ diſtinctos, diuidi o-
portuit) gladio ſcindentes, tamquam
diuerſarum partium, interfecerint. Ab-
bas Vrſpergenſis Frederici æqualis, hiſtorias ſuas
claudit laudibus Frederici huius nominis Secundi
Imperatoris, inſectationeque Pontificum; ſcribit
pie ſacrum bellum geſſiſſe, nullâque virtute, obſer-
uantiâ, obſecratione placare execrabile odium
Pontificum potuiſſe, quo minùs in eum indigne, nec
vllo eius merito, euertendum incumberent. Sed
fama frequentior, & ſenſus propè om-
nium conſpirans (vt ſcribit loco ſuprà cita-
to Æmilius) eum damnant. Palmerius teſta-
tur Fredericum ſub graui cenſurâ Pontificis in
Apuliâ apud oppidum Tarentinum mortuum eſſe.
Hæc cùm ita ſe habeant, equidem mihi videtur
Ioannes Trithemius hoc nomine immeritò repro-
bare Abbatem Ioachim, & prædictiones illius: eas
affirmans non habere auctoritatem, quaſi falsò
prædixiſſet Frederici hoſtilitatem aduerſus eccle-
ſiam. Nam vt de ceteris interim taceam,
inquit, Fredericum Imperatorem ho-
ſtem eccleſiæ futurum ſomniauit: quem
omnes nouimus vſq; ad mortem, paci-
ficum, & Romano Pontifici ſubiectum,
& fidelem perſeueraſſe. Oſtenſum eſt Fre-
dericum Primum Imperatorem ab Alexandro
Tertio Pontifice excommunicatum; hoſtilitatem
acerbè cum eo exercuiſſe: quatuor pſeudopapas
contra Alexandrum creaſſe. Itaque non errauit
hic Ioachim, ſi hunc ſignauit, prædicens hoſtem
eccleſiæ futurum. Si autem huius nepotem Frede-
ricum Secundum intelligit: Profectò non ſomnia-
uit, cùm eius impietatem prædixit, quâ afflixit
grauiſſimè Rom. Pontifices, & eccleſiam vniuer-
ſam, maximè in Italiâ. Vel ex ſolo c. Ad Apoſtoli-
cæ dignitatis. 6. Decretal. De Sent. & re indica-
tâ, conſtat impium fuiſſe, perfidiâ & periurio Ro-
manam Eccleſiam violaſſe; ac tandem meritò ex-
communicatum ab Innocent. IV. Pont. & Impe-
rio exutum. *hiſtorici omnes ſcelera eius non diſſi-
mulant: ſolus Vrſpergenſis laudare videtur, cuius
opinio, ſiue potiùs error, tum Trithemio, tum alijs
potuit occaſio eſſe errandi. Sed ad propoſitum re-
deo. Guelfi & Gibellini nomina, primùm audita,
Frederico Primo Imperatore, & Alexandro Ter-
tio Pontifice, diſſentientibus, circa annum Domini
milleſimum, centeſimum, ſexageſimum; ſi rectè
computat annos Gil. Genebrardus. Pace inter eos
initâ fere exoleuerant: poſteà verò Frederici Se-
cundi odio in Eccleſiam & Pontifices Romanos,
hæc teterrima factionum nomina, ad perniciem
humani generis reſtituta ſunt, & quod ſcripſit

Abbas Vrſpergenſis Fredericum laudat.

Lib 7. de reb. Franc. in Lud IX.

Ioachim Abbas.

* Paul Aemil. in Ludo. IX. Ipſe falſum alijs dedit occaſionem erroris.

Krantz. in hodiernum vſque durant.

Chriſtianæ reipublicæ geminas peſtes, hæreſes
truculentiſſimas, & diſſidium exitiale Imperato-
rum cum Eccleſiâ Romanâ, ſæculo D. Franciſci,
penè vniuerſo orbe graſſantes, expoſui pluribus
verbis. Vides quo loco res illius temporis, vt ſen-
tinâ malorum omnium, mores æui illius corruptiſ-
ſimi, & peccandi impunitas, à duobus iſtis malis.
Quamobrem, ſuffragantibus nobis hiſtorijs Eccle-
ſiaſticis, Deus Opt. Maximus grauiſſimè commo-
tus, humano generi extrema ſupplicia comminա-
tus, ſumſiſſet etiam, niſi interceſſione D. Matris
Virginis placatus fuiſſet; cuius auſpicijs & ductu,
nobile par amicorum S. Dominicus, & S. Franci-
ſcus interuenêre, qui contra duo illa exitia orbis
Chriſtiani, & propter ea vrbi imminentia peri-
cula, ſe obijcerent, & liberarent. Itaque vt in tur-
bulento prælio, præfecti in hoſtes immittunt bello
meliores: ſic imperante Deo contra illas Reipub.
Chriſtianæ peſtes, S. Dominicus & S. Franciſcus,
ſuos Ordines duxerunt velut prætorias cohortes
contra hoſtes: quorum operâ & auxilio illa extin-
cta; eccleſia fere collapſa, ſtabilita fuit & confir-
mata. In Elogijs in D. Franciſcum poſitis ante hi-
ſtoriam vitæ ipſius, habes viſum S. Dominici: adi,
& lege: faciliùs hæc intelliges.

Cum de ſectâ Humiliatorum agerem ſuprà, me-
moraui ex * Æmilio paucis, duabus ſectis Humi-
liatorum & Pauperum à Lugduno ab Eccleſiâ repro-
batis, Ordines duos S. Dominici, & S. Franciſci
Eccleſia adprobatione ſubrogatos: vt intelligas quâ
cauſâ, quo auctore, cui fini, Mendicantium ordines
inſtituta prodierint, & recepta ſint. Iam ſuprà ea
commemorare libet, & multo illuſtriora ad pro-
poſitam rem amplificandam. Audi *Iacobum Ber-
gomenſem, & quæ dicit nota. ſic habet; Incre-
buerat tunc ex hæreticorum multitu-
dine, & Imperatorum temeritate, tanta
Clericorum & improborum virorum
licentia, vt nulla religionis facies in Ec-
cleſiâ Dei cognoſceretur. Dixiſſes tunc
omnes non modò laicos Chriſtianos,
ſed etiam clericos & monachos in Ita-
liâ, aut inquilinos fuiſſe, aut ex extremâ
omnium nationum fece eò cômigraſſe.
Chriſtianorum itaque Dominus Ieſus
Chriſtus, turpitudine & calamitate
commotus, hunc potiſſimùm Ordi-
nem Prædicatorum & Minorum exci-
tauit: vt collabentem Chriſtianam Re-
ligionem erigeret. In eandem ſententiam
ſcribit * S. Antoninus: Equidem diuina pro-
uidentia, quæ perpetuâ mundum ratio-
ne gubernans, minùs in neceſſarijs de-
ficiens quàm natura; ſed omnia ſuaui-
ter diſponens, vnicuiq; oportuna tem-
pore ſuo concedens; animaduertens
Pontifices loca tenentes Apoſtolorum,
Parochialeſque Sacerdotes ſucceſſores

ſeptua-

Lib. 8. Sax. cap. 8. Doctorum recollectio.

* Lib. 6. de rebus geſtis Franc. Philip. II. Auguſt. Mendicantium Ordines cur inducti, & adprobati.

* Lib. 13. Supp. ad an. 1217.

Vt eccleſiæ laboranti ſubſidio eſſent.

* Hiſtor. 3. par. tit. 23. cap. 1.

ſeptuaginta duorum diſcipulorũ, quos ad prædicandum Dominus Ieſus Chriſtus eligens deſtinarat per orbem, ab officio prædicationis quaſi ceſſare, & [illegible] magis ab hæreſium exſtirpatio[illegible] zelo animarum tepeſcere: Ec[illegible]æ ſacroſanctæ affluenter proui[illegible] citando tempore illo Ordinem [illegible] antium, qui his tam ſolerter, [illegible] ardenter inſiſterent. Hic Ordo [illegible] diſtinctus inuenitur, in Prædi[illegible] videlicet & Minores: quibus [illegible] ſunt ex priuilegio Eremi[illegible] Carmelitæ. *Viſus eſt olim* * *S. Franci[illegible] Lateranenſem, iam ruentem ſubie[illegible] ſuiſſe aſſe[illegible]. quod etiam de S. Domi[illegible] auctores commemorant.* Nam illa [illegible], tam corrupta, horum auxilio [illegible] & poſteriora ſæcula in hodiernum [illegible] & confirmant. Hæc laudum [illegible] nec temerè, ab æquis [illegible] aliis ordinibus, quos deci[illegible] varijs horis, operarios Domi[illegible] ſuam miſit, iure contribuenda [illegible] venit.

Igitur illi Ordines, fulcra ſunt & ſuſtentacu[illegible] & velut copiæ auxiliares, quæ ſocijs [illegible] Eccleſiæ [illegible], cedentibus, ſubſidiantur, expe[illegible] [illegible] in primâ acie laborantibus ſuccurrunt; ac [illegible] velut paſtor [illegible] qui ante omnes latratu abar[illegible] cent lupos [illegible], dentes luporum primi ex[illegible] [illegible]: quorum vtilitatem, ne dicam neceſſitu[illegible] quiſquis non agnoſcit, profectò ignorat, aut cer[illegible] diſſimulat. Mirum non eſt eos apud iſtos noua[illegible] tores, Eccleſiæ hoſtes malè audire, ſed pro nihilo [illegible] putari; verùm contemni etiam ab alijs (acerbius [illegible] nihil dicam) valdè mirum; quinimo non mirum: quia indicium bonitatis, diſplicere malis. An tu [illegible] impunè laturos, qui cum eis hoſtilitatem ex[illegible] ? haud arbitror. Audi fabulam non fabu[illegible] quam ex * Hieronymo Plato aſſcribere voſum.

Prælati quidam, neſcio quo ſpiritu [illegible] ducti, de Franciſcano Ordine abolen[illegible] do, conſilia inter ſe contulerunt; & ad [illegible] eam rem perficiendam quoddam ali[illegible] quot Epiſcoporum cõuenticulum coë[illegible] gerunt. Erat autem in eadem vrbe ec[illegible] cleſia præcipua, & in Eccleſiæ feneſtris vitreis duæ imagines pictæ: vna S. Pau[illegible] li, qui enſem; altera S. Franciſci, qui cru[illegible] cem manibus tenebat. Nocte Æditŭus viſus eſt ſibi Paulum audire hæc dicen[illegible] tem; Quid agis Franciſce? cur tuam non defendis familiam? cui ille, Quid faciam? nihil habeo præter crucem; & hæc ipſa me admonet de patientiâ fer[illegible] randâ. Tum Apoſtolus hortari, ne tan[illegible] tam ferret iniuriam. ſuumque ei offer[illegible] re gladium. Territus Æditŭus, ſimul ac illuxit, accurrit in templum, certoque vidit vtramque imaginem inſignia in[illegible] ter ſe commutaſſe; ac in Pauli dexterâ crucem adhuc eſſe; Franciſcum verò gladiũ habere cruore ſtillantem: quod dum ſecũ tacitus miraretur, increbuit rumor, Epiſcopum illum, qui eius con[illegible] ſilij auctor fuerat, repertum eſſe mor[illegible] tuum præciſis ceruicibus. Ac ipſe quo[illegible] que nocturnum viſum narrare cœpit, ac pro eius fide ipſas imagines omni[illegible] bus oſtentare. *Sub vno exemplo, [illegible] Eccleſia[illegible] [illegible] & inſtitutorum capitis. Et omnium Ordinum, & [illegible] inuidentiæ & iniuriæ [illegible] corum. omnes [illegible] oportunitate nos; [illegible] quia iniuriæ [illegible] ingenio, metuentes [illegible] ignoſcere [illegible] quietis, placido ingenio, [illegible] acceptam [illegible] Deus ipſe aliquando [illegible] metuendis; [illegible] quàm perſequi. [illegible] ſuam aget: qui in noſtra [illegible] mus, quàm [illegible] imò ſuam [illegible] nos qui nobis nocere co[illegible] ſam noſtram, [illegible] riâ deſpicatur, [illegible] nantur.*

Verùm ne cauſſæ deeſſe videantur ſua, [illegible] gatores illi vita noſtra nobis obijciunt. ex alio[illegible] rum lapſu [illegible] lucrum, ſicut ex vlcere [illegible] ſcæ. Sed & vitis Chriſti palmites habuit vitioſos. Non continuò profecto extirpat vinitor expertus vitem vitioſam: ſed curioſe pro ſuis purgat eam, vt fructum plus afferat. Nimium oculati vos, vbi non videre oportet, vel ſaltem humanam miſeriam commiſerari, cùm accidit aliquid hu[illegible] manum. Periit aliqua nauis in portu: ſed tu quid accidere in medio mari cre[illegible] dis? Quanto huic periculum paratius foret multa agenti, molienti que, cui ne otium quidem tutum eſt! Pereunt ali[illegible] quando innocentes, quis negat? nocen[illegible] tes tamen ſæpius. Sed [illegible] audite mihi pauliſper *ſiniſtrum illum oculum, & dextram [illegible] ambabus auribus. Audite olim dictum [illegible] [illegible]: Quid ſæuitis?* quid excæcami[illegible] ni ſtudio partium? quid tanti erroris longâ defenſione implicamini? fruges in agro, frumenta in areâ quærite: appa[illegible] rebunt facile, ſeſeque offerent ipſa que[illegible] rentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? quid ab opimi horti vbertate imperitos homines ſepium a[illegible] ſperitate terretis? *Ceterùm [illegible] mala: ſic ipſa mala non in nobis, ſed in alijs cu[illegible] rioſitas obſeruamus:* * cùm ita naturâ com[illegible] paratum ſit, vt altiùs iniuriæ quàm me[illegible] rita deſcendant. & illa citò defluant, has tenax memoria cuſtodiat. *Pergo nunc ad reliqua propoſiti exſequenda.*

Dixi quæ facies Eccleſiæ D. Franciſci ſæculo, quanta deformatio ab hæreſi, & pernicioſo diſ[illegible] ſidio: contra quæ, ſicuti hoſtes infeſtiſſimos, S. Do[illegible] minici & S. Franciſci Ordines deducti ſunt. Et quidem omnium iudicio, in hæreſi conuincendâ

S. Domi-

*Bonauen. cap. 4. §. 8.

*Theodor. ab Apold. Lib. de S. Domin. cap. 11. & Iaco. Bergom. li. 13. Supp.

Mat. 20. 1.

Ordinum regularium vtilitas magna.

*[illegible] l. de [illegible]

Cum [illegible] diæ [illegible] rum.

Qui vitia obijciunt, non merita.

Ioa. 15. 2.

* Sen. epiſt. 14.

* Aug. de moribus Eccleſ. Catol. 31. tom. 1.

* Sen. 1. de ben. cap. 1.

S. Dominicus heresim in Galliis Albigenſium. * Innoc. 3. * In vitâ S. Dominici apud Aloiſium.

S. Dominicus, cui primas tenuit, quas nos quoque ei libenter deferimus, ipſi, meritis eius & virtute ſingulari conceſſis. Enimuerò obortam apud Toloſates Albigenſium hæreſim, Innocentio Tertio procurante, (quod * Platina ſcribit) mirâ celeritate compeſcuit. Teſte * Ioanne Garzone Bononienſi, annos decem Galliam Narbonenſem peragrauit, prædicando, populos docendo, eoſq; ab hæreſi reuocando. Nemo vmquam inuentus eſt, qui cum hæreticis tam forti, & tam conſtanti animo arma contulerit. Tradit * Iacobus Bergom. quòd Ordo S. Dominici contra hæreticos extinguendos impetuoſiſſimus, audaciſſimuſque habitus ſit. Itaque à prædicatione, qua cum S. Dominicus orſus eſt contra hæreticos, familia ſuæ noua nomen indidit, (vt teſtatur Polydor. Vergil.) vt longe lateque omnibus terris Euangelium diuulgando, dicerentur Fratres Prædicatores. Nullus namque ordo (auctore Thomâ Boz.) certus fuerat cui propoſitum foret, in primis, hæreticos profligare: quocirca Dominicus aduerſus hos, Ordinem ſuum conſtituit, cui foret hæc præcipua cura, illos retundere & perdere. Illi ergo primam in hoc ſacro bello milites: Secundarij fuere Fratres Minores. Quantum laborauerit S. Antonius à Paduâ Ordinis Minorum, vt Albigenſium reliquias, tum Italiâ, tum Galliâ, maximè verò Toloſâ depelleret & profligaret; quanta concionum frequentia & fructu, quantis miraculorum prodigijs, hæreſiarchas conuicerit, cognoſces, ſi te non piget * hiſtoriam vitæ eius legere, præſertim capite ſeptimo & quartodecimo. Scribit S. * Antoninus, anno ſalutis millesimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, Fratres Prædicatores ſimul & Minores miſſos ad partes Toloſanas, qui in hæreticos inquirerent; qui ab ipſis hæreticis martyrio coronati, à Deo miraculorum gloria decorati ſunt: vt Eccleſiæ memoriæ tradiderit * Platina, Iuuêre Innocentij Tertij Pontificis virtutem & doctrinam, beati Dominici, vnde Prædicatorum; & Franciſci Aſſiſinatis ſanctitas, vnde Minorum Ordo tum originem habuit.

* Lib. 13 Supp hiſt. ad an. 1217.

Lib. 7 de Inuent. 4.

Lib. 9 de ſig. Eccl. 5.

Et Fratrum Minorum.

* Apud Surium 13. Iun.

* Hiſtor. 3 part. tit. 24. c. 9. §. 1.

* Innoc. 3.

Vides quâ ratione priori malo, hæreſi illius temporis obuiam iuerit diuina prouidentia: dicam nunc qui alterum, diſſidium ſcilicet cum Eccleſia, medicari conata ſit; nempe opera & adiutorio beati Franciſci. Is vidit ætate ſua, aut intelligere potuit, paulo antè ſe, à Frederico Primo inductum ſchiſma, vidit poſteà Frederici Secundi hoſtilitatem aduerſum Romanos Pontifices, à quibus diris petitus & excommunicatus fuit; in cuius aula aliquando verſatus pro illius bono; cuius imperij anno quintodecimo ex hac vita migrauit. Præuidit etiã (teſte Barthol. * Piſano) diuturnum illud ſchiſma Vrbano Sexto Pontifice ſubortum, quod durauit triginta nouem annis, aduſque Martinum Quintum Conſtantia ſublata diſſenſione, delectum. Primo. Nam cùm nulla ſit reliqua ſpes ſalutis, ſi hæreſis diſcindat, ſi ſchiſma inconſutilem Domini tunicam dilaceret: (diſſenſiones generant tum à ſide, tum à Sede Apoſtolica; vnde certa mors, certa perditio) totum ſe contulit ad Romanam Eccleſiam pura & ſolida, indiuidua & ſtabili fide, cum obſeruantia ſumma colendam: quod facere debent, qui volent eſſe Chriſtiani & ſalui. Itaque Fratres ſuos ex voto viuere voluit obedientes Eccleſiæ Romanæ; vti ceteros omnes in fide illius & obſeruantia ſtudioſius confirmarent. Initio prioris Regulæ, quam Innocentius Tertius adprobauit, votum præformauit hac formula; Frater Franciſcus, & quicunque erit caput illius Religionis, promittit obedientiam & reuerentiam Domino Innocentio Papæ, & eius ſucceſſoribus obedire. Item initio regulæ poſterioris, quam Honorius tertius confirmauit; Frater Franciſcus promittit obedientiam & reuerentiam domino Papæ Honorio, & ſucceſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Signatè inquit, canonicè intrantibus; Schiſma cautè vitandum ſubindicans. Vides, ſi animaduertis, iſtiuſmodi votum obedientiæ, Pontifici Romano, & Eccleſiæ Romanæ, à ſe, à toto Ordine ſuo ſeruandæ, in ſua Regula, ante omnes inſtituiſſe. Et profectò nobilis ſponſio: cuius obſeruantia, ſicuti certo ſigno, diſcernuntur oues & lupi, hæretici & Catholici. Quapropter teſte S. Bonauentura, Docuit fratres honorare præcipua reuerẽtia Sacerdotes: fideique quoque veritatem, ſecundùm quod ſancta Romana tenet & docet Eccleſia, & firmiter credere, & ſimpliciter confiteri. Vnde etiam in laudibus S. Franciſci canimus; Franciſcus vir Catholicus, & totus Apoſtolicus Eccleſiæ teneri fidem Romanæ docuit, preſbyteróſq; monuit præ cunctis reuereri. Nota, quamobrem Seraphicus Ordo in odio ſit: Romanus eſt, & Romanæ fidei acerrimus propugnator. Meritò ſanè: quia Romanum eſſe, eſt Catholicum eſſe, & Chriſtianum. & ſoli Catholici, Chriſtiani. id verum eſſe, qui priſcos illos Chriſtianos vel à limine ſalutauit, negare non poteſt. Acutè * Tertullianus ſuo more, noſtram confirmat ſententiam; Si hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt: non à Chriſto habendo, quod à ſua electione ſectati, hæreticorum nomine admittunt. Chriſtum ore quidem præferunt: ſed fidem Chriſtianam impietate violarunt. Verè B. Auguſtinus. Nomine tenus inuenitur Chriſtus apud quoslibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt: re verò ipſa non eſt apud eos. Sed, ô Deum immortalem: vbi Chriſtus, vbi Chriſti fides, ſi non Romæ? de quâ * Tertullian.

S. Franciſc. vidit ſchiſmata in Eccleſia: alia præuidit.

* Confor. fruct. 18.

Contra quę regula præformauit ſua. Cap. 1.

Cap. 4. & 5.

Prop de Romana Eccleſia tuendâ.

Quæ ſola Eccleſia Chriſti.

* De præſcript. c. 17.

Enchir. c. 5.

* De præſcript. c. 36.

Statu felix Eccleſia, cui totã doctrinam Apoſtoli cũ ſanguine ſuo profuderunt! vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquam in oleum igneum immerſus, nihil paſſus est, in inſulam relegatur. Signate enim felix: vt. (quod ſcribit grauiſſimus Epiſcopus & martyr Cyprianus) cogites Romanos, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum. Ibi pietas ſemper numquam ſuccubuit. A Chriſto defecêre Apoſtolorum Eccleſiæ, non Petri. & certe apud beat. Hieronymi; Profligato à ſe malè patrimonio, apud illos ſolos incorrupta patrum ſeruatur hereditas. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt: & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit; ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit. Sæpe ab hæreticis vehementiſſimis & tyrannis impugnata: ſemper tamen illa quamuis oppreſſa reſpirauit, emerſit; neque tempeſtatum, aut procellis, fluctibus ſubmergi vel opprimi potuit. Infelix ...

Niteris in caſſum Petri ſubmergere nauem:

Fluctuat, at numquam deſinet eſſe ratis.

Nam Romanæ Eccleſiæ fides per Petrum ſuper terram ædificata, nec hactenus defecit, nec deficiet in ſecula. Chriſtus deſuper eius domino rogante pro eâ, certe ſtatur ſub ipſa paſſione ſuâ: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. quo dicto demonſtrauit, fidem fratrum vario defectu periclitandam, ſed inconcuſſâ & indeficiente fide Petri, velut firmæ ancoræ ſubſidio ſigendam, & in fundamento vniuerſalis Eccleſiæ confirmandam. quod nemo negat, niſi qui euidenter hæc ipſa verba veritatis impugnat;

O felix Roma, quæ tantorum principum

Es purpurata pretioſo ſanguine!

Non laude tuâ, ſed ipſorum meritis,

Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Tu ille locus, quem elegit Dominus Deus; in te iuſtitia, in te veritas, ... declinandum ad dexteram, neque ſiniſtram. Quondam orbis domina, ... nunc domina ... protectione diuina, quàm ... Quamuis enim multis ... victorijs ius imperij tui terrâ mariq. ...

riique protulerit: minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit. Et quarum & ſentiunt de Eccleſia Romanâ priſci Chriſtiani: ... ita fide & doctrina Chriſti ... valde mutaret, caſtra Eccleſiæ deſerere, quamuis nemo legat veterrimorum monumenta Patrum: niſi ſcriptum eſſet, Excæcauit illos malitia eorum. Immodica ... plus valet apud pleroſque, quàm gratia beneficiorum.

Mitto hæc. cauſſa ſingulorum peto: pauci ... Romana Eccleſia ... memorabo, cur pro gratia, Romana Eccleſia ... apud nimis multos ... Babylonia regnum, increcant Antichriſti ſedem, illam, quæ ſedes Chriſti ... Sed antiquum obtinent: & conſuetum bonos ab improbis rejecere tas Dei, & ſponſa agni eſt. ... quorum lingua moribus conſonat: & turpitudinem magnam ... Chriſtus: nec ... purus ipſe ſermo ſatis arguit illorum ... ſi paſſus eſt Chriſtus, quod aduerſum nem. Neque tamen ignominioſa nobis eſt pati ab alis, quæ à fratribus ſuis paſſus eſt Chriſtus ... Illud notum eſt: Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius? Cæterum Chriſtum ſecere Iudæi. Præter alia bene multa, felix Roma, video in te, ... gremio teneam, Sacerdotum continuum ſucceſſionem, à Petro quæ merito ... nullis perſequutionibus hæreticorum ad tuſque noſtra tempora, nullis impugnationibus tyrannorum interruptam: & ſupremam tibi à Chriſto datam iudicandi poteſtatem. Non potuit vnquam ... ſed nec poteris contra te ... ſemper ſerpentis ... conterendum caput. Chriſtus à muliere ... fœmine conterendum ... ſua deficiat fides, nec aduerſum pro te rogauit, ... Fremat Leo rugiens, te porta ... præualeant. ... ſerpens: ... & venena ... diffundit calidus ſerpens ... ferre debet, ... ſedem ... videt; ... aſpidis letiferæ ... nunc ſanctæ ... Romanenſis Eccleſia ... Apoſtolorum fide & pietate deſertrix, ... ab auita Apoſtolica illa Eccleſia, degenerauit. Apoſtolica illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, iam non eſt, periit. Hoc dicunt, qui in illâ non ſunt. O impudentem vocem! Illa non eſt, quia tu in illâ non es? vide ne tu ideo non ſis: nam illa erit, etſi tu non ſis. ... tamen hæc illi plenis buccis, & ... clamant; ſed rumpantur licet, probabunt numquam. Vos rogo boni viri; Quando hanc tandem Roma perdidit? quo tempore? quo Pontifice? quâ viâ? quâ vi? quibus incrementis vrbem & orbem religio peruaſit aliena? Quas voces, quas turbas, quæ lamenta progenuit? Omnes orbe reliquo ſopiti ſunt, dum

Sap. 2. 21.

In quam hoſtiliter ... currunt.

Mat. 10. 25

Fidem non mutauit.

[1] August. con. 2 in Pſal. 101.

Edmon. Camp. rat. 7.

Epiſt. 13.

Ad quā perfidia non poteſt habere acceſſum.

[2] Z. R. 17. ad Damaſ.

[3] Leo 1. Ser. 2. in anniuer. ſuæ aſſ.

Leo 17.

Deut. 17. 9.

[4] Leo ſer. 1. de natali Petri & Pauli. Roma orbis domina, ... de gentes ... mundi.

dum Roma, Roma inquam, noua Sacramenta, nouum ſacrificium, nouum religionis dogma procuderet? Nullus extitit hiſtoricus, neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam vel obſcure iaceret in Commentarios? Verba hæc fertiſſima martyris ponderis habent. libra, & ſi potes, ad hæc reſponde.

Hæreſes omnes per ſedem Romanam.

Preſſiùs agam; & tangam vlcus, vt educam inuidiæ ſaniem, ſi fieri poteſt. Quis initio naſcentis Eccleſiæ hæreſes damnauit? quis Simonem magum omnium hæreticorum patrem, & mali ſtirpem cornu ouum prostrauit? Petrus Apoſtolus. Quis Montanum, Nouatum, Sabellium, Manetem? Petri ſucceſſor, Romanus Pontifex. Quis Arrium, Aetium, Macedonium, Vigilantium, Eluidium, Pelagium, rabidas peſtes extinxit? Pontifex Romanus. A qua Sede proſcripti Orientales Neſtoriani, Iconomachi, niſi à Romanâ? Illa caput dracontis ſecat. Illa Berengarium, illa Pauperes Lugdunenſes, illa Albigenſes, & cetera renaſcentis hydræ capita abſtulit euiſe poteſtatis à Chriſto traditæ. Iam verò Bohemos illos, Huſſitas, Vicleſiſtas, denique Mennonem, Lutherum, Caluinum, aſſeclasque omnis antiquarum incumbentes, & vomitus illorum cæneam reſorbentes (nil nouum adferre poſſunt, quod non antea inductum, ſimul & condemnatum fuit) quis hæreticos pronunciauit? Chriſti Vicarius, Petri ſucceſſor; eadem illa Sedes ipſamet Roma: quæ ab omni æuo hæreſes omnes condemnauit, proſtrauit, profligauit. An non hæc ipſa cauſſa inuidiæ & hoſtilitatis? Vera & præcipua. Faceſſat inuidia: & tandem aliquando in gratiam redite.* Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicunque cum eâ non colligit, ſpargit: hoc eſt, Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Ita ſentio: & in hoc ſenſu perpetuum vt me confirmet, in tanto errorum diſſenſu, Summum Deum ſupplex oro, cum animo meo ſæpe reputans beati Ægidij tertij D. Franciſci ſocij diuinam ſententiam; O ſancta Romana Eccleſia! nos inſipientes & miſeri, non cognoſcimus te, neque bonitatem tuam. Tu nos doces viam ſalutis; tu paras eam: per quam ſi quis pergit, non offendit, ſed ad gloriam aſcendit. Huius rei gratiâ flecto genua ad Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & gratias ago, quòd è tot tantiſque Babylonijs erroribus, quibus inter ſeſe populi colliduntur, & tenebris difficultatum ſeſe eruptum erutum, transtulerit in Dei lumen & rectum eruteum, & quod ſupra eſt, in eum ordinem allegerit, cui pro fide & obſeruantiâ Eccleſiæ Romanæ, contra hæreſes omnes, aduerſum perniciosa ſchiſmatum diſſidia, bellum facere, pugnare, & (ſicuti multi noſtrûm fecere vt olim, ita etiam hac tempeſtate noſtrâ) vitam profundere cum ſanguine, in votis eſt.

Inuidiam ponens ex animo in gratia.

* Hieron. epiſt. 57. to. 2.

S. Anton. 3 par hiſt. tit. 24 c. 7. §. 12.

§. 1. Perlectum eſt Euangelium illud.] Initio capitis ſecundi oſtenſum, qui cum cultus & veſtis, quâ vſus biennio à conuerſione. Nunc audito Euangelio, vbi Chriſtus iuſſit diſcipulos ire ſine pecuniâ in zonis, abſque perâ in via, calceamentis, & virgâ: poſito eremitico habitu, induit ſere eius formæ veſtem, qualis nunc à toto ordine vſurpatur, vt diſerte ſcribit Bart. Piſanus. Itaque anno Domini milleſimo ducenteſimo nono, quod S. Antoninus* teſtatur, ſecundum opinionem veriorem, in lapide illo fundamentali, Ordo fratrum Minorum initium & fundamentum accepit.

Confor. ſtruct. 8.

* Hiſt. Par. 3. tit. 24 c. 7. Ordo Minorum quando inceperit.

2. Cœperunt ipſius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari.] quorum primus Bernardus. hic quâ ratione à S. Franciſco inductus, vt contemtor in omnibus, nudum Chriſtum ſequeretur ex præſcripto Euangelij, docet S.* Antoninus, verbis quidem non ad vnguem compoſitis, ſed in quibus ſe veritas oſtendit; S. Franciſcus cùm ſic à mundo abſtractus, à multis reputatus inſanus, per duos annos in maximâ auſteritate, paupertate, & patientiâ, ſoli Domino deſeruiret; vir quidam venerabilis de nobilioribus, prudentioribus, & ditioribus ciuitatis Aſſiſij Bernardus nomine, cuius conſilio tota ciuitas illa regebatur; prudenter conſiderans in B. Franciſco tantum mundi contemtum: diuino inſtinctu ipſum ad ſecum cœnandum, & dormiendum deuote inuitauit, vt eius ſanctitatem, vel fatuitatem meliùs explorare valeret. Factâ cœnâ dominus Bernardus fecit parari lectum pro B. Franciſco in ſuâ camerâ, in quâ iugiter lampas ardebat. Sanctus autem Franciſcus ſtatim vt intrauit cameram, vt abſconderet diuinam gratiam, proiecit ſe in lectum, velle dormire ſe oſtendens. Dominus autem Bernardus poſuit in corde ſuo, latenter eum obſeruare de nocte; vnde tali vſus eſt cautelâ. Cùm aliquantulum in ſuo lecto quieuiſſet, finxit ſe alte dormire, & profundiſſime ſtertere. Sanctus autem Franciſcus ſecretorum Dei abſconditor fidelis, cùm crederet dominum Bernardum profunde dormire, in profundo noctis ſilentio ſurgit è lecto: & leuatâ facie in cælum; manibus & oculis ad Deum totus intentus, & feruenter ignitus, deuotiſſime orans dicebat,

* Indidem. Bernardus Quintauallis primus Minorita.

DEVS MEVS, ET OMNIA.

Et hæc verba cum tantis lachrymis geminabat ad Deum, & cum tam deuotâ moroſitate frequentabat; quòd vſq; ad

mane

manè aliud nõ dicebat niſi, Deus meus, & omnia. Bernardus autem lampade ibi accenſa, cuncta hæc videns, & verba diligenter intelligens, & Sancti deuotio[illegible]pendens, tactus à Spiritu ſancto [illegible] cordis intrinſecus, manè dixit ad B. Franciſcum; Si quis à [illegible]o ſuo haberet multa vel pauca, & ea ampliùs retinere; quid de ipſis poſſet quod melius eſt? Reſpon[dit] Franciſcus; Quòd ea domino ſuo [reddere] deberet, à quo eadem recepiſ[ſet]. [illegible] dominus Bernardus; Ego frater [illegible], omnia mea bona temporalia [illegible] amore Domini mei, qui [illegible] contulit, prout tibi meliùs videbitur expedire; & te ſequi, & facere [quæ] mandaueris. Ex ſcripſi ex S. Antonino [illegible] Speculo vitæ S. Fráciſci, & ſociorum; [illegible], Conform. fructu 8. [illegible] ſaltum quod S. Bonau. hoc paragra[pho] [illegible] imitat ponere verba S. [illegible]: [illegible] mihi videtur, quàm [illegible] non ſcripſerant, ſed [illegible] gratiam. quæ ſupra [illegible] [illegible]: plus valent, quàm [illegible] [illegible] amore parentes [illegible] [illegible] pro nihilo putat, aliquando [illegible] [illegible], Merces illa magna te ſolatur: [illegible] B. Ambroſio, Sanctis omnia [illegible]; Omnis copia quæ Deus non eſt, egeſtas eſt.

Candorem pectoris Bernardi aperiam verbo [illegible]. Ab oculis Bernardi à Quincta valle ([illegible] nomen) veluti duabus lucidiſſimis ſtellis, miri ſplendoris radios [illegible] F. Leo: [illegible] in viſu conſpexit [illegible] quod neminem quondam intuitus [illegible] rat quem ſe meliorem non iudicaret. Fertur enim, ſi quem vili veſte tectum aſpiceret, ſibimet dicere ſolitus; Hic patientiùs paupertatem tolerat, quàm tu Bernarde. & ſi quem pretioſius indutum; Hic forte ſub veſte delicatâ melior eſt, quàm tu Bernarde. Merito igitur illi oculi radiarunt, quorum aciem nulla vnquam temerarij iudicij hebetauerat lippitudo, & ſemper integram puramque conſeruarant veræ ſanctæque collyrium humilitatis.

Diligebatur Bernardus à S. Franciſco præcæteris: quia facilè princeps [illegible] & magnarum opum, omnia pauperibus liberaliter [illegible], ſe [illegible]; vt merito S. Franciſcus dixerit, [illegible] ſuum Ordinis Minorum fundamentum [illegible] fertur dixiſſe [illegible] quo nunc [illegible] locu[illegible], vos nunc eſtis: [illegible] inueniuntur [illegible], vos aliquando futuri [illegible] ille mundis anima meâ, quòd pro [illegible]

æqualibus [illegible]; nollem non ſeruiſſe Domino Ieſu Chriſto.

3. Inter quos tertium ſortitus eſt locum ſanctus pater Ægidius. [illegible] Sur. 10. 7. ad diem Aprilis 23. [illegible] vita eius perſequitur, [illegible] corpore. Cum audiuiſſet [illegible] Bernardum virum [illegible] dominum Petrū ſummæ primarium, & dominum [illegible] Canonicum, rebus ſuis in pauperes erogatis, S. Franciſci [illegible] inſtitutum: [illegible] poſt, diuino inſtinctu permotus, venit ad S. Franciſcum, ad eius viuendi [illegible] modis omnibus, ad eius [illegible] ſe accomodaturus. Porrò S. Franciſcum cum Ægidio eunte Aſſiſium, vt compararet pannum, quo Ægidius vestiretur; obuia ei venit mulier paupercula, ſtipem ab eo petēs. Sed cum nihil ſuppeteret, quod ei daret, angelico vultu, Demus, inquit, Ægidium propter Deum. Ille mox hilari [illegible], huic fœminæ [illegible]. Ille mox ſimul [illegible], quo indutus erat, mulieri; [illegible] pallium [illegible] eleemoſynam illa cælos [illegible] ſe ingenti quo[illegible] perfuſum. [illegible] virtutum, (vt [illegible] contempla[illegible] & ſum[illegible] videtur, [illegible] ad excelſæ [illegible] veritatem [illegible] pretium [illegible], ſimul etiam ſa[illegible] [illegible] candidatorum Ordinis [illegible] S. Bonau.) [illegible] ſublimatus eſt [illegible] & operæ [illegible] delibare, [illegible] quod de eo ſcribit [illegible] Theologiā. [illegible] in gratiam [illegible] videas [illegible] Dei ſeruus Ægidius [illegible] verum eſſe [illegible] poſtquam [illegible] viriliter de[illegible] [illegible] vitæ actiuæ [illegible] [illegible] S. Antoninus; in laboribus [illegible] mortificando paſſiones ſen[illegible] [illegible] copulâ Liæ oculis lippis, tranſi[illegible] [illegible] amplexus Rachelis contempla[illegible] [illegible] pulchrâ erat facie, & venuſto [illegible] vt vir perfectiſſimus, ad ma[illegible] [illegible] requiē mētis, & conſolationem. [illegible], quod S. Antoninus refert; de Primò dicendum, quod ſecundum Ioannem; In principio [illegible] Euangelij erat Verbum; &c. Duo fratres Dominicani venerunt inuiſum F. Ægidium: cumque inter ſe admodum diuina miſcerent colloquia, & ex occaſione alter diceret, ſanctū Ioannem Euangeliſtam in Euangelij exordio alta & ſublimia dixiſſe de Deo. Ægidius inquit; [illegible] nihil dixit. At alter; Quid dicis pater? cùm teſtetur ſanctus Auguſtinus; Si ſublimiùs eſſet locutus, totum mūdum non poſſe capere: ille rurſus, Nihil dixit de Deo, aut certe propè nihil. Commotis diu rem declarauit ſimilitudine, oſtendens vicinum montem maximum. Is inquit, ſi totus ex milij ſemine conſtaret, & paſſerculus de eo quotidie comederet: quantam putas portionem eius conſumeret centum annis? quibus reſpondentibus ferè nihil com-

Agidius tertius S. [illegible] [illegible]

hoc loco.

Alia [illegible] Theologia.

Hiſtor. [illegible] par[illegible] 24 c 7. 6 12

Gen. 29. & 30.

Loco citato.

Ioan 1. 1.

De initio Euangelij ſecundum Ioannem

I

para-

paſſione reliqui montis: inquit B. Ægidius, immenſa eſt ſempiterna Diuinitas, diuina maieſtas. tam magnus eſt diuinæ perfectionis, vt beatus Ioannes mons nihil, aut fere nihil ſicuti vnus paſſer, de eo nobis attulerit, dixeritque de Deo, reſpectu magnitudinis illius.

De prædeſtinatione. De prædeſtinatione, dignum quod animaduertas, vel eorum gratiâ, qui animi nimium anxij, dum conſiderant prædeſtinationis decretũ mutari non poſſe. Quod licet verũ ſit, tamen quæ ſupra nos, & à nobis ſciri nequeunt, nec nos ſcire decet, animos noſtros fatigare non debent, potius quæ ante nos, & in conſpectu poſita, conſideranda eſſe. Deſtinatum ad mortem, peruenire ad vitam non poſſe, fatemur: neque enim falli poteſt omnium rerum certiſſima diuina prouidentia. Sed verum eſt etiam quod tu hic verum aduertas; vix vllum lignum tam nodoſum eſſe, quin edolando vſui fiat. Exemplo eſto frater Elias: quem ex præſcito factum prædeſtinatum precibus ſancti Franciſci, ſcribit * Volaterranus, docet etiam ſanctus Antoninus. Pœnituit enim malorum, & ſaluatus eſt. Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum, inquit * S. Ambroſius. Itaque conſidera non alta illa, ſed quæ ante te; Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Item; Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hinc frater Ægidius opportunè curioſius de prædeſtinatione quærenti, in hunc modum fertur reſpondiſſe, * Sufficit ripa maris ad lauãdum pedes, manus, & totum corpus. Stultus eſt qui altum profundumque petit. ſufficit ſcientia ad bene viuendum; nimis alta non quærenda.

** Lib. 21. Anthrop.*
** Hiſtor. tit. 14. par. 3. c. 9 §. 3.*
** In 1 cap. Luc.*
Mat. 3. 2.
Ind. 19. 17
** Bart. Piſan. Cõfor fruct. 8 cap. 13. Sent. 5 Aegid.*

De perpetua B. Mariæ caſtitate. Diuæ Virginis Matris illibatam, & perpetuam virginitatem, illuſtri comprobauit miraculo. Dubitanti cuidam, &, vt confirmaretur à beato Ægidio, illum adeunti: ante Ægidium præſcius dubitationis omnia verba, illum, terram baculo percutiens, inquit; * Frater, Sancta Maria Virgo eſt ante partum: mox que illic ortum eſt elegans lilium. Iterum humum cadens, inquit; Frater, Sancta Maria Virgo eſt in partu. & confeſtim alterum erupit. Tertiò ſolum feriens, ait; Frater, Sancta Maria Virgo eſt poſt partum. ſimulque tertium lilium enatum eſt; quo prodigio ille confirmatus, ad ſe diſceſſit.

** Sur. to. 7. in vita S. Aegid. & Barp. Piſan. Conſor fruct. 8.*

De obedientia. Veterum monaſticorum fuit obſeruantiſſimus, & ſeuerus aſſertor. nec ſine fructu de tribus votis principalibus ſalubria eius monita in mediũ producam. primum de obedientiâ. Frater quidam querebatur mitti ſe mendicatum panem, cum tamen ipſi videretur meliùs orationi vacare; cui B. Ægidius; * Signum eſt ſuperbiæ nolle caput ſubdere iugo obedientiæ, & inde extrahere, vt viam ingrediatur, quæ ſibi videtur perfectior. Quamdiu vos tenet ſub iugo caput, implet horrea frumento. Si tantâ eſſet deuotione homo, & gratiâ eleuatus, vt loqueretur cum Angelis, & à ſuo Prælato vocaretur: ſtatim debet colloquium Angelorum dimittere, & Prælato protinus obedire.

** Bart. Piſan. ubi ſup.*

De paupertate. De paupertate. Oſtentabant beato Ægidio quondam fratres magnificum illud monaſterium Aſſiſij: at ille omnibus diligenter inſpectis, inquit, Fratres nihil vobis deeſt, niſi vxores. Quibus commotis rurſum ait; *Ibidem.* Scitis tam illicitum eſſe, diſpenſare in paupertate, quàm in caſtitate. Poſtquam verò paupertatem reieciſtis, facilè reiicere poteritis & caſtitatem.

De caſtitate. De caſtitate. S. Antoninus. Interrogauit Ægidium vir quidam, quo modo cauere poſſimus vitia carnis: reſpondit; Qui vult tranſferre magna ſaxa, vel ligna, ſtudet id efficere ingenio potiùs, quàm viribus: ita hîc quoque. Omne vitium lædit caſtitatem: eſt enim ſicut ſpeculum clarum, quod per ſolum halitum obſcuratur. Impoſſibile eſt venire ad gratiam Dei, dum placet delectari in carne. Volue igitur, & reuolue, deſuper & infra, hinc & inde: & non eſt aliud niſi pugnare contra carnem, quæ vult te prodere die ac nocte; quam qui vincit, omnes inimicos vincit, & venit ad omne bonum. Inter omnes ergo virtutes, prædiligerem caſtitatem. Cui quidam, Nónne maior virtus eſt caritas? at ille; Et quid eſt caſtius caritate? Frequenter canebat; O ſancta caſtitas, qualis es? qualis es? Tu talis es & tanta, qualem & quantam fatui non cognoſcunt. Dixit ei quidam; Quid tu vocas caſtitatem? ait, *Caſtitas quid.* Caſtitatem voco omnes ſenſus cuſtodire gratiâ Dei. Sepultus Peruſiæ multis claruit miraculis. * S. Bonauentura de eo dicere ſolebat, præſtitum illi à Deo, efficaciter opitulari poſſe eis, qui ad animæ ſuæ ſalutem eum inuocent. idemque S. Bonauentura gratias agebat Deo, ſe in ea incidiſſe tempora, quibus hunc virum alloqui & videre potuit.

** Hiſt. par. ter. tit. 24. c. 7 §. 12. De caſtitate.*
** Apud Sur. to. 7. in eius vita.*

§ 4. Cuidam Sacerdoti, nomine Siluestro.] *Is fuit primus omnium in Ordine Franciſcano Sacerdos, vt habet ſanctus Antoninus tertia part. hiſtor. titul. 24. initio cap. 7.*

5. In

Lib. 2. de non Stat. Relig. c. 22.

Creditâ Minorum incrementa.

5. In magnam multitudinem faciet nos Deus creſcere.] Hieron. Plat. Tenue quidem & debile eius Ordinis principium: ſed qui tam celeriter, quaſi miraculo, excreuerit, vt paullò pòſt in Generali conuentu Aſſiſinate numerata [illegible] quinque millia capita; atque eo ipſo tempore quingenta ſimul adiuncta. [illegible] Piſan. eâ de re ſcribens, teſtatur in illo Generali conuentu (Capitulum generale vocant), qui Aſſiſij agitabatur in campis, fuiſſe quinque millibus, & receptos ad Ordinem quingentos: quos S. Franciſcus luculenta [illegible], propoſito hoc themate, [illegible] :

Conform. fruct. 9. & 14. Quinque millia, & quingenti [illegible]

Magna promiſimus: maiora promiſſa ſunt nobis.
Seruemus hæc: adſpiremus ad illa.
Voluptas breuis: pœna perpetua.
Modica paſſio: gloria infinita.
Addunt hæc plerique,
Multorum vocatio: paucorum electio.
Omnium retributio.

Et illis in [illegible] modo pietati & orationi, nullam curam gererent corporis, aut ciborum: cum [illegible] de nobis, liberaliter à victu [illegible] Dei, [illegible] habiti ſunt. Fusè hæc Bartolom. Piſan. Raphael Volater. Auctus exinde paullatim Ordo, vt cunctis poſtea multitudine virorum præſtiterit, & Sacerdotio, & doctrinâ, & ſanctitate præcellentium. In eandem ſententiam * Sabell. memorat. Ratio, ac neſcio, an vnquam verius dixerim, vllum humanæ pietatis inſtitutum maiora ſenſit incrementa. totum orbem terrarum vna hæc impleuit familia. Franciſcus Auſtracinus Theologicæ profeſſionis homo in iis commentariis, quos ad me de huiuſmodi re dedit, ſæpius teſtatur difficile ſibi videri, locorum numerum poſſe ab vllo inueniri, ſed multo difficilius initiatorum: qui vt idem ille ceterique de eadem re à me appellati, coniecturâ adſequuntur, ſint ad ſexaginta millia numero. Sæpe & hoc fando auditum, Magiſtrum vniuerſi Ordinis polliceri quandoque auſum Pio Pontifici Maximo, expeditionem in Turcos paranti, ex Seraphici Franciſci familiâ triginta bellatorum millia, qui bellica munera nauiter obire poſſent, nihil ſacrorum cultui interpellato. Fuit Sabellius anno Dom. 1494. De Samſone Ordinis generali Miniſtro id ſcribit Pet. Radulph. l. 1. hiſt. Seraphicæ Religionis. Iam verò noſtro ſeculo, quot fuerint illi ex eo inſtituto profeſſores, [illegible] ſcripſit * Thomas Bozius Congregationis Oratorij Preſbyterorum, extremâ ætate Gregorij [illegible] decimi, memoriæ tradidit, his verbis: Annus agitur propè quadringenteſimus, ex quo ſanctus Franciſcus fuit. Qui, tum (vt vocant) Capucinorum, & [illegible] calceatorum fratrum, qui illum [illegible] tuta ſequuntur, numerantur [illegible] noſtrâ centum viginti millia. [illegible] dicunt eſſe duplum. Atque in ſumma paupertate, caſtimonia [illegible] exhibent, [illegible] tiâ, quam ſuis præfectis exhibent. Neque vlla [illegible] nocentiſſimè degunt. [illegible] ætas ferè, quæ non tot millia propè eorundem dederit. * Alibi plures recenſet; [illegible] ſolâ ſancti Franciſci familiâ numerantur virorum centum triginta millia: [illegible] virginum verò duplo plura. [illegible] meres patres Conuentuales, [illegible] Bohemiâ, Poloniâ, [illegible] nobis in Germaniâ, [illegible] in Italiâ; [illegible] ſed maximè in Italiâ [illegible] florentes: item tertia regula [illegible] feſſores, quorum mihi [illegible] via ſi non plura, certè pares [illegible] cum reputa, Ordo Seraphicus [illegible] incrementa.

Lib. 2. Anthropol.

* En. lib. 6.

Numerus [illegible] initiatorum [illegible] ſuperioribus [illegible]

* Lib. 8 de ſignis Eccl. c. 6.

Sed hæc de multitudine initiatorum [illegible] inſtituti Seraphici, ſexus vtriuſque [illegible] dicam pauca ſpeciatim de frequentia fratrum in [illegible] noſtris, quod vocant, de Obſeruantia. Sexto quoque anno agitur Capitulum Generale [illegible] fratres [illegible] Memoria noſtra, [illegible] cenſentur [illegible] lapſo ſexennio. [illegible] Proximè [illegible] in capitulo Valliſoletano [illegible] anno Domini milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo tertio celebratum fuit, relatum eſt, [illegible] ſeptem millia, [illegible] ſexcentos, quinquaginta ſex. ex quo [illegible] hominum plures eſſe. vt rectè ſcripſerit * [illegible] Granatenſis, Ordinem D. Franciſci [illegible] fortaſſe intra ſe cœnobia, vnicum plura [illegible] omnes omnium aliorum Ordinum reliqui, continere. * Item tertius; Monachorum, monaſteriorum, prouinciarum numero & multitudine, longiſſimo interuallo omnes alios ordines ſuperare.

* Serm. 2. S. Franciſ.

* Serm. 4. de S. Fran.

6. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.] * Mar. Marulus: Nudos ad prædicandum Apoſtolos miſerat Dominus: & interrogati, an vllius ſine ſacculo, & perâ, & calceamentis, aliquid defuiſſet, reſponderunt, Nihil. Quid enim deeſſe poteſt iis, quibus adeſt ille, per quem facta ſunt omnia? Tali ſpe & fiducia fretos, B. vir fratres ſuos [illegible]

* Lib. 4. cap. 2. Mat. 10. 7 Luc. 22. 35.

Ad duodenarium numerum excreuerunt.] Chriſtus Dominus habuit Apoſtolos duodecim, atq; inter eos reprobum vnum Iudam. Sic B. Franciſcus duodecim habuit ſocios primos, quorum vnus laqueo ſe ſuſpēdit: ceteri ſanctitate,

* Lib. 6. de ſignis Eccl. c. 21.

& miraculis claruerunt in vita & morte, vt ſcribit Bartholomæus Piſan. Conform. fruct. 8. & S. Antoninus tertia Part. hiſtor. tit. 24. cap. 7.

* Noct. Att. lib. 3. cap. 6. *Palma ingenium.*

7. Videbat inter pedes ſuos palmam paullatim ſuccreſcere.] * *Aul. Gellius.* Rem mirandam Ariſtoteles in ſeptimo Problematum, & Plutarchus in ſeptimo Sympoſiacorum dicit. Si ſupra palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac iam grauiter vrgeas, onereſque, vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat: non deorſum palma cedit, nec intra flectitur, ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur, recuruaturque. Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam ſignũ eſſe placuit victoriæ: quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt vrgẽtibus, opprimentibusq; nõ cedat. *Palma Innocẽtio III. viſa, Ordinem Seraphicum ſignabat, cui grauia multa impoſita quondam, & nunc quoque imponuntur: ſed palma quamuis preſſa, tamen vincit ſemper, vin etq; iuuãte Deo, Seraphicus Ordo armis ſuis, de quibus S. Ambroſius,* Hæc ſunt arma iuſti, vt cedendo vincãt. ſicut periti iaculãdi cedentes ſolent vincere, & fugiẽtes grauioribus ſequentem ictibus vulnerare.

Lib. 1. Off. 5.

8. Videbat in ſomnis Lateranenſem baſilicam proximam ruinæ, quam quidam homo pauperculus ſuſtentabat.] *Hieron. Platus;* Quod viſum, cùm paulo poſt Franciſcus ad Innocentium Tertium vnà cum ſuis adiſſet, nouam vitæ regulam adprobandam deferẽs; eo conſpecto, eaque regulâ accuratiùs expẽsâ, nihil dubitauit Põtifex, quin ad ipſum, ipſiuſque familiã pertineret, idque exitus ipſe demonſtrauit. Nam non modò ætas illa, quâ primùm hic Ordo prodiit, mirabiliter eius operâ adiuta, & illuminata eſt: ſed totis trecentis his, & ſeptuaginta ſex annis, quibus deinceps ſtetit, hoc ſemper egit, vt Dei Eccleſiã quaſi fulciret. *Pro bono, vtiliq; mihi facturus videor, ſi de magnis illis viris paullo vberius dixero, qui ex hoc ordine viſi ſunt columnæ Eccleſiæ fuiſſe, vt Summi Põtifices; multi Cardinales, Epiſcopi multo plures, Reges & Principes; & viri doctiſſimi, celeberrimique, optimè meriti de Republ. Chriſtiana.*

* Lib. 2. de bono ſtat. relig. cap. 30.

S. Franciſ. ſuſtentat Eccleſiam.

De Nicolao IIII. Pont. Max. primo ordine Minorum.

Summorum Pontificum primus Nicolaus Quartus *fuit, ante vocatus F. Hieronymus ab Aſculo natione Picens: Philoſophus, & Theologus inſignis, ingenio ſubtilis, clarus eloquio, nec minus probitate vitæ quàm moribus conſpicuus. Miniſter prouinciæ Dalmatiæ à Gregorio Decimo legatus miſſus eſt è Concilio Lugdunenſi, cum tribus alijs eiuſdem inſtituti Patribus, ad Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem, quem vnà cum Græcis ad obedientiam reduxit Romanæ Eccleſiæ. Quadraginta Græcorum Primates ſubſcripſiſſe dicuntur Pontifici Romano. Deinde eligitur in totius Ordinis Miniſtrum Generalem. Tunc à Nicolao Tertio Cardinalis factus, paullo poſt Reate Pontifex renuntiatur:* Optime (*quod Hieron. Platus atteſtatur*) de vniuerſâ Chriſtianâ re meritus, ob diligentiam, & vigilantiam in exſequendis omnibus officij ſui partibus. Inter alia verò illud etiam inſigne in eo extitit, quòd in cognatos & affines ita ſemper adfectus fuit, vt iis nihilo plus ſe debere diceret, quam cuiuis bono. Virtutes & vitia (*quod ſcribit * Platina*) faciebant, vt in hunc magis quàm in illum inclinaret. *Itaque eò faciliùs omnes ſuas curas in communibus Eccleſiæ commodis curandis, defigebat. Nam & multas diſcordias inter Chriſtianos Principes auctoritate ſuâ ſuſtulit, eoſque ſacro fœdere vinxit. Aliquot Eccleſiæ ciuitates iniuſte ab alijs occupatas, armis repetijt, & in poteſtatem iterum redegit. Quo autem animo illos honores ſuſtineret, tum ipſum oſtendit, cum dicere ſolitus eſſet:* Multò ſe malle fratrum coquum eſſe, quàm Cardinalem. *Mortuus eſt anno Chriſti 1292. cum ſediſſet in Pontificatu annis quatuor, & aliquot diebus. ſepultus Romæ ad S. Mariam Maiorem. Petrus Radulph. lib. 2. hiſtor. Seraphicæ religionis hæc etiam commemorat.*

Græcã ad Eccleſiã Romanã opera Fratrum Minorum in Concil. Lugdunenſ.

* Lib. 2. de bono Stat. relig. c. 18.

* Nicol. IIII.

Fiat modeſtia.

Alexander Quintus, *alter ex hoc ordine Pontifex Maximus, dictus antea Petrus Philaretus, Cretenſis nominatione, non natione, nam Bononienſis fuit: in Cretâ diu habitauit, vnde Cretenſis vocatus eſt. Vir in omni vitâ & ætate præſtans. qui Ordinem Minorum ingreſſus, Pariſijs operã dedit ſtudiis liberalibus & Theologiæ: adeò vt breui publicã ſcholam habuerit. Scripſit etiam doctè & accuratè in libros ſententiarum. Magnus Orator, magnus Concionator. Creatur Epiſcopus Vicetinus, deinde Nouarienſis, poſtremò Mediolanenſis. Ab Innocentio Septimo adiectus in numerum purpuratorum Patrum, ſalutatur Cardinalis baſilicæ duodecim Apoſtolorum. Hoc gradu Pontificatum adeptus, meritò Alexandri nomen obtinuit: quippe qui liberalitate & animi magnitudine cum quouis optimo principe cõferri poſſet. Munificus erat in pauperes, & ſuâ benignitate dignos; vt breui ſibi nihil ſeruauerit. Vnde per iocum interdum dicere ſolebat,* ſe diuitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. *in quo nulla pecuniæ cupiditas, maxima omnium peruicies mortalium. Mortuus eſt Pontificatus menſe octauo, ſepultus Bononiæ in Eccleſia fratrum Minorum. Ex Platinâ, & Petro Radulpho vbi ſuprà hæc adnotaui.*

Alexander Quintus. Pont. Max. alter.

Munificentia eius.

Sixtus Papa Quartus *noſtri fuit Ordinis, vir æternâ memoriâ digniſſimus. Natus eſt an.*

Sixtus IV. Pont. Max. Tertius

1414.

1414. Ad vada Sabatia, quam nunc Saonam vocamus, è gente Ruuere, quod Latinè Roboream ſignificat, ab inſigni gentilitio clypeo, quod eſt quercu aureâ expreſſum. Videre per ſomnium viſa eſt mater, ante partum, editum infantem, à beatis Franciſco & Antonio cucullum & cingulum indui, quibus Minores vtuntur: idcirco nomen Franciſci illi impoſitum. Nutrix dũ puerum in balneo lauarat, ibique puerum deficientem, ac penè mortuum, ad matrem detuliſſet: illa ſomnij memor, vouit ſe puerum induturum habitu Sancti Franciſci, quem ipſe ſex menſibus geſtaret. Conualuit puer voto matris: ſed exacto trimeſtri, & habitu Franciſcano poſito, rurſus incidit in grauem morbum, iam annũ natus & paullo amplius. At mater repetito voto pro filij ſalute, incolumem recepit, quem nouennem obtulit cœnobio S. Franciſci. Et mirum quantum profecerit in liberalibus ſtudiis, Magiſtro fratre Ioanne Pinorola, eiuſdem Ordinis profeſſore. Papiæ vſus fuit præceptoribus Ioanne Textore, & Andreâ Nolano viris doctiſſimis, ibiq; operam dedit Philoſophiæ, & Theologiæ. Patauij Philoſophiã, deinde Theologiã publicè, maximâ cum laude profeſſus eſt, & in pleriſque aliis Italiæ Academiis. Beſſarion Cardinalis Nicænus docẽtem frequenter audiuit; eius familiaritate adeò delectatus, vt frequenter iſdem fuerint contubernio. Conciones eius vbique celeberrimæ & gratiſsimæ in totâ Italia. Creatur Miniſter prouinciæ Liguriæ: deinde Procurator Ordinis in Romanâ Curiâ. Tunc Vicarius Generalis Italiæ; poſtremum Miniſter Generalis, Papiæ ſalutatus eſt Cardinalis, qui Romam veniens ab omnibus humaniter eſt acceptus. Nihil eum curarum auocare potuit à conſuetis ſtudiis litterarũ: illis adeò affixus, vt in illo honore multos libros compoſuerit. Tantâ doctrinâ fuit, vt huic vni ex cœtu Cardinaliũ, ad fidem ſpectantia potiſſimùm committerentur. Itaque meritis his & virtutibus, electus eſt in ſummum Pontificem abſens, adnitentibus maximè Beſſarione Nicæno, & Frãciſco Mãtuano Cardinalibus; & mox ad rem Chriſtianam componendam animum adiecit. Tyrannos exegit: pacem inter principes cõfœderauit. Venetos iuuit in expeditione cõtra Turcos; & pleraque talia confecit ſummo digna Põtifice. Nemo ad eam diem Pontificum animo ad munificẽtiam liberalitatemq; propenſior, nec in dando hilarior, nec in promerendis hominibus promptior fuiſſe memoratur. Nihil vmquam, quod Vrbis decori & commoditati eſſe cenſeret, quin perfecerit: à ſitu & cœno vindicauit, viis Vrbis primum munitis, & lateribus ſtratis, diſiectis, quæ deformẽ reddebant. Xenodochium S. Spiritus ab Innocentio Tertio peregrinis, ægrotis, & vulgò cõceptis, alendis exſtructum, ſed iam penè collapſum, diruit, & pulcherrimis ædificiis formâ meliori inſtaurauit. Expoſitis pueris oportunũ locum cum nutricibus aſſignauit. Sed & nobiliũ calamitate & ægritudine motus, ſeorſum à plebe & vulgo, loca decenter ornata, attribuit. Magnus B. Mariæ Virginis cultor, nobile templum cum ampliſſimo cœnobio S. Mariæ de populo Ordinis Auguſtinianorum à fundamentis exædificauit: & plerasq; baſilicas Vrbis Romæ vetuſtate penè collapſas, repurgatas, confirmauit, condecorauitque. Aquæ ductus in vrbem intulit. Pontem ſuper Tyberim, miro artificio, maximis impenſis, ſuſpendit, qui ab eo Sixti pons vocatur. His talibus bene multis officiis in vrbẽ collatis, meritò Romulus alter appellatus eſt. Ad hæc Bibliothecam Palatinam in Vaticano toto terrarũ orbe celeberrimã, Platinâ Bibliothecario, adductis ex omni Europa libris, conſtruxit: certos prouẽtus adiubens, quibus cuſtodes, librarij Græci, Latini, & Hebræi alerẽtur, & varij libri parari poſſent: opus clariſſimum, & Pontifice Maximo longe digniſſimum. Nec his contẽtus, reliquis Cardinalibus auctor fuit, vt pleraſque bibliothecas ſuo exẽplo compararint. Obiit ætatis an. ſeptuageſimo, Põtificatus ſupra decem quartũ anno decimo tertio, Chriſti Saluatoris 1484. ſepultus in baſilica S. Petri in Vaticano. hæc ſummatim ex Onuphrio Panuinio, & aliis nõnullis qui de Vitis Pontificum ſcripſere.

Poſtremus ex ordine S. Franciſci Pontificum, Sixtus Quintus, cui antè nomen, Felix Perettus, ex opido Montis Alti in Piceno oriundus, ab ineunte ætate ſuſceptus in Ordinem Conuentualiũ; bonitate naturæ, & indefeſſo ſtudio, Theologus ſummus, & celeberrimus concionator. Oratio eius tam flexanima fuit, efficax, & in animo influens, vt ferè ſemper meretrices aliquot reduxerit ad meliorẽ frugem. Venetiis hæreticæ prauitatis Inquiſitor, Romæ fuit Procurator Ordinis Generalis. A Pio Quarto in Hiſpaniã miſſus cum Cardinale S. Sixti Legato Apoſtolico. A Pio Quinto creatus Vicarius generalis, mox Epiſcopus S. Agathæ, tum Presbyter Cardinalis S. Hieronymi Illyricorũ. Nicolao Quarto populari ſuo in æde S. Mariæ Maioris, egregiũ monumentũ poſuit. Opera S. Ambroſij magno labore caſtigata, & ordine commodo diſtributa, meliora nobis edidit. Anno ſalutis 1585. ſummus Pontifex ſalutatur. Siciliam totã Italiã mirâ dexteritate exactis, reſtituit publicã tranquillitatẽ. Annonã leuauit ſummâ prouidentia: Hæreticorũ acerrimus hoſtis, doctorũ virorum amator. Sanctorũ Patrũ operibus purè & emẽdatè cudẽdis Typographiã, in Vaticano ad bibliothecam Sixti Quarti, tamquam armamentariũ propugnãdæ Catholicæ veritati, magnificè exſtruxit. Ex illa cottidie multa præclara Patrũ monumẽta prodeũt: nuperrimè verò A. ∞. IƆ. LXXXVIII. S. Bonauenturæ S.R.E. Cardinalis opera omnia, eius iuſſu edita, à ſitu mendisque vindicata, ſeptem magnis tomis comprehẽſa. Vrbem Romam nouis ornamentis, pulcherrimis ædificiis, publicis viis, magna ſalubrium copia aquarum, meliorem fecit & elegantiorẽ. Romam adeò ſibi aſtrinxit, vt non immeritò ipſius alter, cum ſuo cognomine, Sixto IV.

Bibliotheca Vaticana auctor, à Sixto Quarto.

[illegible]

Beſſarionis [illegible]

Sixtus Quintus Pontifex Maximus, ex ordine Seraphico.

Vrbis Romæ inſtaurator.

Typographiæ Vaticanæ inſtaurator.

Sall. in bel. Iugur.

vocanduſq; Romulus. Hæc talia tanto viro digna, in quo tamen locum habeat illud hiſtorici Romani, Poſt gloriam ſequitur inuidia. Nimirum, Veritas odium parit. In illo non erat miſericordiæ, caſura in perniciem: ne ignoſcendo malis bonos perditum iret. Diſceſſit anno Chriſti 1590. ſepultus ad S. Mariam Maiorem, in Sacello Præſepis Domini; quod magnificentiſſimè exædificauerat ſibi.

Cardinalium numerus.

Cardinales ex familiâ Franciſcanâ à R. P. Gõzaga triginta quatuor recenſentur, præter illos quatuor qui ad ſummum Pontificatum venerunt. Hieron. Platus ſe tres & quadraginta comperiſſe ſcribit. Libro ſecundo de bono ſtatus Religioſi cap. 29.

Epiſcoporum multitudo.

De Archiepiſcoporum & Epiſcoporum numero illud ibidem refert Platus, quod mirum fortaſſe videri poteſt; His proximis ſeptuaginta annis, quorum plenior potuit eſſe memoria, plures quàm centum & octoginta numeratos. Hieronymus Platus obiit Romæ circiter annum Domini nonageſimum tertium, ſupra milleſimum, quingenteſimum.

Reges & Principes in Ordine Seraphico.

Firmamentum trium Ordinum (hic libri titulus) in receſſu virorum illuſtrium trium Ordinum S. Franciſci, memoriæ mandauit, Ordinem hunc noſtrum duobus Imperatoribus Conſtantinopolitanis, Ioanne & Xerxe, duodecim Regibus, multis regum filiis auctum fuiſſe. De quibus fuſius Bar. Piſan. Conform. fruct. octau. vbi ſingulos nominatim enumerat. Vix fuit vlla prouincia, quæ non aliquot principibus viris, velut quibuſdam gemmis fuerit ornata. Habuit noſtra hæc Prouincia Inferioris Germaniæ illuſtres viros è familia Dominorum de Croy, Comitum de Horne, Comitum de Aembeſt: vt interim de cæteris taceam. Nec nunc deſunt Ducum filij, & Imperij principes in Ordine Seraphico. Sed non eſt propoſitum, nomina familiæ noſtræ longo ordine velut in atrio collocare: cùm moleſta futura ſit iniquis auribus hæc magna laudatio. quamuis (quod Minoritæ nobiliores ipſi quoque fatentur) hoc ordine ſint ornati magis, quam ipſum ornarint. Sed tamen paucioribus dicere non potui, quod obiter commemorari oportuit. A magnis illis viris quærebatur regula, non formoſa, ſed quæ recta eſſet. Vnam illam D. Franciſci prenſiderant, ad quam viuerent: ad hanc, vitam ſuam exæquantes, boni beatique facti ſunt. Vide Hieron. Platum de bono ſtat. relig. lib. 2. cap. 26.

Fratres per ... Saracenis ... Georgianis ... euangelizantes.

Nimis longum eſt explicare, quantas meſſes in Eccleſiæ horrea conuexerit ordo Seraphicus: tamen lubet præcipua vel attingere. Paullò poſt mortem S. Franciſci, anno ſalutis 1234. Gregorij Noni Pontificatus anno ſeptimo, fratres Minores Aſiam peragrarunt, Saracenis & Georgianis (qui, vt ſcribit Paullus Iouius, hodie ſunt Hyberi) cæteriſque impiis nationibus Chriſtum euangelizantes: quos idem Pontifex litteris ſuis cohortatus eſt, vt in agro Dominico à ſentibus expurgando, operarios ſtrenuos ſe exhiberent. Refert. Pet. Radulph. lib. 2. hiſt. Seraph. relig.

... lib. 14. ...

Et Tartaris Chriſtum prædicarunt.

Ad Tartaros non ſemel adierunt, omnium primùm miſſi ab Innocentio Quarto, anno Domini 1245. quo tempore cùm magnus hominum numerus Chriſti Euangelium recepiſſet, paullo poſt plures illuc operarij deſtinati, monaſteria multa exſtructa, res Chriſtiana feliciter adminiſtrari cœpta eſt. Scribit & hæc Genebrardus; Vrbanum Quintum creaſſe Archiepiſcopum Cambalienſem in dominio Tartarorum, Iohannem de Monte, Ordinis Minorum, & ad eum Pallium miſiſſe pro ſucceſſoribus, ob loci interuallum. Octo item alios fratres eiuſdem ordinis conſecraſſe in Epiſcopos, quos miſit ad Orientales partes, vt eius eſſent ſuffraganes & adiutores. hæc ille. B. Odorici Minoritæ nota nobis hiſtoria. hic poſtquam ferè totam peragraſſet Europam, per pontum Euxinum venit Trapezuntem, veterem Græcorum vrbem: vnde ſe contulit ad Perſas & Medos, vicinaſque regiones, quibus fidem Chriſti magno feruore & fructu annunciauit. Deinde venit ad Canſaiam, & Cathaium, & oppidum Cambelech; vbi magnus ille Cham, (quo nomine Tartarorum Imperator vocatur) regiam habet, de quibus mira ſcribit Pet. Radul. lib. 1. hiſt. Seraph. Relig. in vita B. Odorici, & alij complures.

Libro 4. chronol. ex catal. Epiſcopatuum Orbis ad ann. 1305.

B. Odorici labor in Aſia.

Græcos ad vnionē cum Rom. Eccleſ. reduxerūt.

Græcos cum Eccleſia Romana diſſentientes, opera & ſtudio fratrum Minorum in Concilio Lugdunenſi ad conſenſionem, & communionem cum Eccleſia Catholica reductos, ſupra commemoraui, cùm de Nicolao Quarto Pontifice Maximo, primo ex Ordine Minorum, agerem.

Armenos quoque docuerunt.

Ad Armeniam quoque fratres noſtri miſſi ſunt anno Domini 1332. Ioanne XXII. Pontifice: inter quos (vt Hieron. Platus teſtatur) præcipuum fuiſſe ferunt Gonzalum Sauratum, virum doctiſſimum: qui tum concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conuerſis, multum profecit. his addo, quæ ſcribit * Petrum Radulphum de fratre Alberto à Sartiano Mediolanẽſi, Latinè & Græcè iuxta peritiſſimo; Hunc Eugenius Quartus miſit ad Petrum Ioannem in Partes Orientales: ſuiſque prædicationibus multos traxit ad fidem Chriſti. Multa conſtruxit cœnobia in Candiâ, in Capha, Conſtantinopoli & Hieruſalem. Peragrauit totam Syriam, Græciam, Ægyptum: ac tandem deduxit Armenios ad obedientiam Eccleſię, tempore Eugenij Quarti in Concilio Florentino.

Lib. 2. de bono ſtatus relig. c. 30.

* Li. 1. hiſt. Ser. Relig.

Bulgaros ab hæreſi reduxerunt.

Bulgari labe hæreſeos infecti, circiter annum Domini 1366. vt * S. Antoninus ſcribit; opera fratrum Minorum, conuerſi ſunt, & in Ouile Chriſti inducti. Eo ipſo tempore Rex Hungariæ (quæ Bulgariæ eſt affinis) cùm quaſdam finitimas prouin-

* Hiſt. Tit. part. tit. 24. cap. 10. § 10.

prouincias ſubegiſſet; deſtinatis eò octo Franciſcanis, plurbus quàm quinquaginta duobus dumtaxat millia hominum Chriſto lucrifecerunt. In Lituania, Polonia, & vicinis Sarmatiæ regionibus, ſtrenuè operati ſunt fratres noſtri in vinea Domini: verū ſingula perſequi, nō eſt propoſitum. Illud tamen non eſt prætereundum, quod Petrus Rudulph. ſcribit, de Lituania cōtermina Poloniæ: Vidit noſtra ætas Vlatiſlaū Witoldum, qui à principio cùm eſſet Paganus & Idololatra, operâ fratrum Minorū ſuſcepit ſacrum baptiſmum, & multa cœnobia exſtruxit. Lib. 2. hiſtoriarum Seraphicæ Religionis.

Hæc quidem magna & glorioſa ſunt: ſed tamen nihil glorioſius, quàm noui orbis conuerſio, quæ profectò potiſſima eſt fratrum Minorū. Certè ipſi omnium primi prouinciā hanc aggreſſi ſunt, alij ſecuti. Illi viam omnibus primi aperuerunt, ſiue, vt Apoſtolus loquitur, oſtium magnum, ad magnam illam meſſem, manus operantium poſtulantem. Inſulas Fortunatas ſeptem, quæ nunc à fertilitate cannarum ſaccarum gignentium, appellantur Cannariæ, circiter annum Domini 1450. fratres Minores docuerunt ſuaue iugū Chriſti ſuſcipere. Eò miſſus S. Didacus Guardianus, qui multos ibi impios animaduertēs, multos Chriſto lucrifecit. hunc propter eximiam ſanctitatem Sixtus Quintus Pontifex Max. clarum miraculis in Sanctorum numerum adſcripſit.

Cùm autem ex Cannariis inſulis nauigatio ſit ad occiduos Indos, etiam hinc dirigenda eſt noſtra oratio ad nouum illum orbem: ad quem inueniendum, cùm antè ne de nomine quidem cognitus eſſet, patres Franciſcani plurimum contulerunt, inuentum Chriſti fide primi illſtrarūt. Neque enim hactenus ibi Chriſtus nominatus fuit; nec ſuper alienum fundamentum ædificarunt: ſed ſicut ſcriptum eſt, Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Paucis abſoluam de fidei Catholicæ propagatione apud Indos Occidētales, & Orientales.

Rom. 15. 21.

Chriſtophorus Columbus nauticæ rei peritiſſimus, cum de nauigatione ad Indos Occiduos inſtituendâ, apud Ferdinādum Hiſpaniæ Regem ageret; nec ei, vt in re nouâ atque incertâ, multum fides tribueretur: duos fratres Franciſcanos valde eum iuuiſſe, refert R. P. * Franciſcus Gonzaga: Columbo, inquit, cùm rem aperuiſſet Regi, fuere maximo adiumento commendatitiæ litteræ à fratre Ioanne Pireno Franciſcano prouinciæ Bæticæ, ad patrem F. Ferdinandum à Talabricâ, Regis & Reginæ Confeſſarium datæ. Quibus perlectis Pater Ferdinandus, cum Reu. Petro Gonſaluo à Mendoza Archiepiſcopo Toletano, qui plurimùm apud præfatos Reges valebat,

Orbis nouus Occiduus operâ fratrum Minorum inuentus.

* Hiſt. de orig. Seraph. relig. par. 4.

ſeriò egit: amboque ſimul, præfati Columbi propoſitum vtrique Regi pro viribus commendarunt. Tunc Columbus inſtructis tribus ſpeculatoriis nauibus, milite & commeatu, quartâ Auguſti, anno Chriſti 1492. ſoluens, ad inſulam nomine Haiti appulit, quam in poteſtatem redactam, Hiſpaniolam appellatam voluit. Mox inde, orbi noſtro allatis quibuſdam rebus inuiſis, ad Hiſpaniam reuerſus, lætiſſimæ rei nuncius lætiſſimus. Poſt paululum expugnatâ inſula, F. Ioannes Pirenus, de quo ſupra commemoraui, cum aliquot familiæ noſtræ patribus, ad eas partes nauigauit. atque illi omnium primi ad vicina regna Mexicana tētanda, fuere auctores. Dictum de his in Elogiis in diuum Franciſcum ex * Hieron. Plato.

*Lib. 3. de bono ſtat. relig. c. 30

Carolus Quintus Imperator, à quo nouum illum orbem Carolinum vocant, circiter annum Domini 1523. è noſtro conuentu Brugenſi in Comitatu Flādriæ, tres inſignes fratres natione Belgas, ablegari ad regna Mexicana curauit, quorum hæc nomina: F. Ioannes de Tecto, quondā Guardianus Gandenſis, F. Ioannes de Aora: & tertius Laicus, horum ſocius, F. Petrus de Mura, dictus de Gant; quod Gandaui in Flandria natus eſſet. hæc ipſa commemorat R. P. Franciſcus Gonzaga initio deſcriptionis prouinciæ S. Euangelij, quæ cœpit in regno Mexicano. Sed dignum prorſus fuerit verba ipſius fratris Petri Gandenſis hic adſcribere, ex eius epiſtola, quam habemus ab illo ſcriptam ad Belgas anno Domini 1529. hæc eius verba: Nati in hac regione, ſunt homines optimæ complexionis & naturæ: ad quiduis agendum parati, & maximè ad fidem noſtram recipiendam. Verùm hoc habent mali, quod ſeruilis ſunt conditionis, nihil agentes niſi coacti: amore autem aut bonitate nihil: quod tamen non tam ex natura, quàm conſuetudine procedere videtur: videlicet quia numquam aſſueuerunt aliquid agere amore virtutis, ſed ſolùm metu & timore. Nam vniuerſa eorum ſacrificia, quæ erant occidere proprios filios, aut eos mutilare; ex maximo timore fiebant, non deorum amore. Dæmones enim huius regionis, qui Dij ab eis reputabantur; tam multi & varij erant, vt ipſimet eorum numerum ignorarent. Singulis rebus ſingulos deos conſtitutos eſſe credebant: vnum huic rei, alium alij præpoſitum exiſtimantes. vnum appellant deum ignis, alium deum aëris, alium Deum terræ. Alium appellant colubrum, alium vxorem colubri: alium ſeptem colubros, alium quinque cuniculos; & ita de

Et fidei Chriſtianæ ſubactus, primum à Belgis Fran-ciſcanis.

Epiſtola F. Petri à Gandauo è Mexico.

Mexicani mores.

Dij illorum multi, quibus homines immolabāt.

aliis ſine numero. Maxima autem deorum pars, nomina habet colubrorum atque ſerpentium. Et alij quidem dij ſunt virorum, alij mulierum, alij puerorum, alij totius mundi. Et eorum vni corda hominum ſacrificabant; alteri humanum ſanguinem, aliis filios ſuos, aliis coturnices, aliis paſſeres, aliis thus, papyrum, cereuiſiam, & alias huiuſmodi materias plurimas; iuxta varios ritus, & modos ſacrificiorum, quos ipſi dæmones exigebant. Quòd ſi ea quæ ab illis exigebantur, illi non obtuliſſent: interficiebantur ab eis, & deuorabantur corpore ſimul & anima. Atque ideo diis ſuis, qui veri ſunt dæmones, non ex amore, ſed ſolo timore ſacrificabant: certabantque hac ratione alter alterum ſuperare donis ac ſacrificiis, vt mortem poſſent euadere. Habebant etiam dij iſti magnum numerum religioſorum vel ſacerdotum, ſolâ puerorum carne veſcentium, & ſanguinem eorumdem bibentium, qui ſancti habebantur. Alij deorum ſacerdotes vxores non habebant, ſed earum loco pueros, quibus abutebantur: quod quidem peccatum, vſque adeò erat vulgare in his regionibus, vt tam pueri, quàm ſenes eo vitio eſſent dediti; imò pueri ſex annorum huiuſmodi interdum labe erant infecti. Sed (benedictus Deus) aliam viam multi nunc cœperũt ingredi, ſeſe ad Chriſtianiſmum cõuertentes, maximâ deuotione baptiſma poſtulant, confitentes peccata ſua. Et baptizauimus ego cum ſocio fratre meo, in hac prouincia Mexico, vltra bis cẽtena millia: imò adeo multos, vt mihi de numero conſtare non poſſit. Frequenter vna die baptizauimus quatuordecim millia hominum, interdum decem millia, interdum octo. Singulæ autem prouinciæ, loca, & parochiæ modò habent ſua templa & ſacella, tabulas pictas, cruces & vexilla, maximum erga Deum amorem & deuotionem atteſtantia. *quibuſdam intercilla*; Sic laboramus in illorum infidelium conuerſione ad fidem vnuſquiſque pro viribus, & ſpiritu ſuo. Mihi eſt officium docere, & prædicare noctes atque dies. In die, legere & ſcribere, ſimul & cantare doceo: nocte verò doctrinam Chriſtianam, & ſermones. Et quoniam terra iſta eſt admodum magna, & populus infinitus, & fratres euangelizantes pauci ad docendam tantam multitudinem: nos fratres collegimus in domibus noſtris filios principũ & magnatum huius regionis, ad erudiendum eos in fide Catholicâ, qui poſtmodum parentes ſuos inſtituunt. Nouerunt autem hi pueri legere, ſcribere, cantare, concionari, & diuinum officium more Sacerdotum peragere, quorum puerorum ego in hac ciuitate Mexico curam gero; ſuntque quingenti aut plures: eò quòd hæc ciuitas ſit caput regionis. Ex quibus pueris circiter quinquaginta excellentioris ingenij ſegregaui, quos ſingulis hebdomadibus doceo ſingulatim, quid dicendum erit & prædicandum Dominicâ ſequenti. Singulis autem diebus Dominicis hi pueri exeunt ciuitatem, & totam terram prædicando percurrunt, interdum ad quatuor, nonnumquam ad octo vel decem, ſubinde ad viginti & triginta milliaria, annunciantes fidem Catholicam, & per doctrinam ſuam populum præparantes ad baptiſmum. Et nos cum ipſis circumeuntes idola deſtruimus, & templa eorum diruimus ex parte vnâ, & ipſi ſimiliter faciunt ex parte alterâ; & templa Dei veri conſtruimus. Hoc modo, & in hac occupatione tempus noſtrum tranſigimus, quemuis laborem nocte ac die ſuſtinentes: vt populum iſtum infidelem tandem ad fidem Chriſti inducamus, &c. *Data eſt epiſtola hæc F. Petri de Gant. Mexico, ex cœnobio Sācti Franciſci, an. Dominī* 1529. *menſis Iunij viceſimâ ſeptimâ die.*

F. Petrus à Gandauo pueros erudit.

Multi baptizantur.

Puerorum carnes & ſanguinem edebant.

In maſculam venerē proclues.

Quorum ſcola & collegia iā Franciſcanis conſtructa.

Docti pueri à fratribus, aliis Chriſtum annunciant.

Magno fructu & feruore.

Et quidem anno ſalutis 1524. *poſt tres illos Franciſcanos Brugis miſſos, miſſus eſt etiam V. P. frater Martinus à Valentia cum duodecim ſociis inſtituti Franciſcani, tamquam Vicarius Summi Pōtificis (vt ſcribit Surius) à Carolo Cæſare eius nominis Quinto deſtinatus ad magnam illam meſſem Mexicanæ prouinciæ; qui cũ ſuis magnos fecit progreſſus, magnos fructus retulit. Idola omnia ex templis extrahebantur, Crucis Chriſti, B. Mariæ, & Diuorum imagines in templis ſtatuebantur. Euchariſtiæ Sacroſanctæ myſteria docebantur & credebantur. Miſſa offerebatur quotidie: reliqua Sacramenta adminiſtrabantur Catholico more: piè & purè Sanctum Euangelium annunciabatur. Sed operæ pretium fuerit nonnulla exſcribere, ex illius P. Martini epiſtola, quam ex illis locis miſit ad P. F. Matthiam VVeiſſen, Commiſſarium Generalem Ciſmontanum Ordinis Seraphici, data anno Domini* 1531. Nos quidem conſtituti ſumus in extremis mundi partibus, vbi Chriſti Euangelium à filiis & ſubditis veſtris primum

F. Martinus à Valētia illuc mittitur cum duodecim Franciſcanis.

Epiſtola eiuſdem.

cœpit

cœpit prædicari & noua fidei ſemina pullulare in arentibus antea ſulcis: quia riuos eius inebrians gratia Saluatoris, in ſtillicidiis eorum multiplicauit genimina eius. Nam (vere loquor, non hyperbolice) plus quàm decies centena millia Indorum ſunt à filiis veſtris baptizata: eorum quiſque, præſertim illi duodecim, qui miſſi ſunt vna mecum, plus quàm centum millia baptizarunt. Et omnes, præter me, didicerunt linguam Indorum: imò varias linguas eorumdem. Et prædicant eis, & inſtruunt innumerabilem multitudinem eorum. Et inter eos infantuli & pueri magnatum, & nobilium filij, largam nobis ſpem præbent, qui à fratribus noſtris inſtruuntur: in vitâ & moribus religioſe nutriuntur in noſtris cœnobiis, quæ iam fere viginti condidimus, & indies multiplicantur, & conſtruuntur ab ipſiſmet Indis feruidâ deuotione. Et habemus in habitaculis contiguis noſtris conuentibus pluſquam quingentos pueros, in quibuſdam aliquanto pauciores, in quibuſdam vero plures; qui iam in doctrinâ Chriſtiana ſunt inſtructi; & prædicant filij patribus ſuis, & in ambone publice concionantur miro modo. Et multi ex eis docent alios pueros, qui ſimul canunt horas Dominæ noſtræ quotidie, & ſurgunt eadem illa hora qua fratres: & in ſuâ eccleſia ſeorſum canunt Matutinas, & canunt ſolemniter Miſſas. Sunt enim tenacis memoriæ, valde dociles & perſpicaces, ſunt pacifici: inter eos numquam eſt rixa, nec iurgium. Loquuntur ſubmiſſa voce, oculis depreſſis. Mulieres fulgent incredibili honeſtate; & verecundia feminea naturaliter ineſt eis. Confeſſiones eorum, maximè feminarum, ſunt incomparabilis puritatis, & inauditæ claritatis. Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum abundanti lacrymarum effuſione ſuſcipiunt. Religioſos, præcipue fratres Minores, pro magno ducunt: quia primò eos cognouerunt, & per Dei gratiam, bonum exemplum ab eis ſuſcipiunt. *Data eſt hæc epiſtola ex conuentu fratrum Minorum Tlalmanalci, prope magnam ciuitatem Mexico, die 12. Iunij, anno milleſimo, quingenteſimo, triceſimo primo.*

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Mulieres [illegible] pudicæ.

R. Pater Martinus à Valentia obiit anno milleſimoquingenteſimo triceſimo quarto: cùm diem mortis prædixiſſet; poſitis genibus in oratione ſupplicans; & in contemplatione cæleſtium defixus. Corpus eius amplius triginta annis incorruptum permanſit, cuius videndi copia pluribus facta eſt. Multa miracula quotidie ex illo fiebant. At vero poſt annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum ſeptimum, cùm capſa, in qua corpus eius conditum fuerat, aperiretur; nihil eius in illa repertum eſt. quæſitum accurate, ne eſſet ſubreptum: ſed nihil potuit inueniri; quamuis Apoſtolicæ literæ hanc ſint datæ fuerint anno octogeſimo ſupra mille quingentos. Indi illum habent in maximo honore, velut Apoſtolum ſuum. & quæcumque eius aliquando fuerant, curioſe conquiſita, vti cæleſtes reliquias adſeruant, & colunt. Vbi morbis, peſte corripiuntur, illa admouent corporibus, & plerumque potiuntur optata valetudine. Hæc copioſe commemorat R. P. F. Franciſcus Gonzaga in deſcriptione prouinciæ Sancti Euangelij; vbi vitas, non prememoratorum dumtaxat enarrat duodecim, verum etiam aliorum, qui primi ex Ordine Seraphico barbaras regiones Chriſti doctrina imbuerunt. Breuiter comprehendit ſcriptor Romanus Thomas Bozius lib. 12. de ſignis Eccleſiæ Dei, capite 21.

P. Martini à Valentia [illegible].

Eius corpus incorruptum aliquandiu, poſtea non comparuit.

Indorum Apoſtolus.

Miracula eius.

Ceterùm notatu dignum quod P. Gonzaga refert, P. Martinum hunc, nouitium cùm eſſet, & quidem Laicus, diligentiſſimè librum Conformitatum Sancti Franciſci legiſſe, quo inflammatus ad amorem pietatis; vt ad ſummam virtutis, & ſtudium perfectionem tandem peruenerit. Et, heu ſtolidos! qui librum illum contemnunt! vt qui in rebus alienis cognoſcendis ſtudioſi, in propriis bruti & ſtolidi. Miſelli, curioſitatem ab exteris ad domeſtica reuocate. Nempe plus habes in proprio hortulo quod colas, & vſui ſit; quam quod in alieno videas nec proſit.

Conformitatum liber vtilis ad pietatem.

Viſum etiam adſcribere epiſtolam primi Archiepiſcopi magnæ vrbis Mexico, quam Abrahamus Ortelius orbis vrbium reginam omnium Noui vocat. Eſt enim eiuſdem argumenti cum præmiſſa, eratque eodem anno deſtinata, ad prædictum P. Commiſſarium Generalem, & ceteros patres in Capitulo Generali Toloſæ anno Domini 1532. congregatos. Reuerendi patres, notum vobis facimus, nos in magnis & aſſiduis laboribus in infidelium conuerſione eſſe occupatos. Ex quibus, præuiâ Dei gratiâ, per manus fratrum noſtrorum Ordinis Sancti Franciſci de regulari obſeruantiâ, baptizata ſunt pluſquam

Mexico omnium orbis noui vrbium regina.

Archiepiſcopi primi Mexicani epiſtola.

decies

decies centena millia hominum, quingenta Deorum templa deſtructa, & plus quàm viceſies mille figuræ dæmonum, quas adorabant, fractæ & combuſtæ. In multis enim locis ſtructa ſunt ſacella & oratoria: in pluribus arma decora & fulgida Sanctæ Crucis ſunt eleuata, quæ ab Indis adorantur. Et quod horrendum dictu, olim ſolitum erat in illa magna ciuitate Temiſtitan Diis annuatim vltra viginti millia puerorum puellarumque corda ſacrificare; iam illa humana corda, non dæmonibus, ſed altiſſimo Deo, per doctrinam & bonum exemplum fratrum, innumeras laudis hoſtias offerunt. Soli Deo ſit honor & gloria, qui in illis locis à filiis Indorum, quos apud nos habemus, reuerenter adoratur. Multa ieiunia & alia opera pænitentialia, multiplicatæ orationes, lacrymæ, & ſuſpiria ab ipſis fiunt, & emittuntur. Multi iſtorum puerorum bene legere, ſcribere, & canere ſciunt. Aſſiduè confitentur, & deuotiſſimè ſanctum Sacramentum ſuſcipiunt. Parentibus ſuis Dei verbum facundè proponunt, prout à fratribus didicerunt. Ad Matutinas horas nocte cum fratribus ſurgunt; & Virginis matris Dei, ad quam ſpecialem deuotionẽ habent, integrum officiũ dicunt, Idola parentum ſuorum accuratiſſimè explorant, & ad fratres fideliter adferũt: ei iuſcauſſa aliqui à parentibus ſunt occiſi, ſed viuunt laureati cum Deo. Vnaquæque domus Sancti Franciſci habet aliam domum ſibi coniunctam, pro docendis pueris; habet ſcholam, dormitorium, refectorium, & deuotum Sacellum. Sunt valde humiles, & fratribus obtemperantes: & eos plus quàm patres diligunt. Benedictus Deus per omnia. Inter fratres iſtos in linguâ Indicâ eruditos, eſt vnus laicus Petrus de Gante nomine, linguâ illâ facundiſſimè vtens, ſexcentorum puerorum, & ampliùs diligentiſſimam curam habens. *Hactenus ex epiſtola Archiepiſcopi Mexicani, qui vocabatur F. Ioannes à Zummarraga. Is venit in nouum orbem poſt omnes ſupra dictos, miſſus à Carolo Quinto Imperatore, anno Domini 1528. Inde rediens in Hiſpanias, omnium primus conſecratus Archiepiſcopus Mexicanus, reuertit Mexico anno 1534. Eius vitam & ſanctitatem magnam, Franciſcus Gonzaga in deſcriptione prouinciæ S. Euangelij enarrat, inter cetera adfert illud cuiuſdam in eum elogium;* O felicem vrbem! quæ talem Præſulem habere meruiſti! *In oppido Tezetlanzioc non admodum procul à Mexico, vnâ die confirmauit quatuordecim Indorum millia. Preſcius ſuæ mortis ſanctè mortuus eſt octogenarius, an. 1548. apud Clerum vniuerſum, proceres, plebem magno ſui relicto deſiderio. Tantus omnium luctus fuit, quaſi orbis adfuiſſet excidium. Corpus eius etiam nunc integrum & incorruptum habetur. Hic in epiſtolâ dilaudat fratrem Petrum à Gant, propter indefeſſum laborem in vineâ Domini. Nec immeritò: Nam ſucceſſor præfati Archiepiſcopi, dicere ſolebat in F. Petrum;* Non ego Mexici Archiepiſcopus ſum, ſed frater Petrus à Gandauo laicus Sancti Franciſci. *Quinquaginta ferè annis ſtrenuam operam præſtitit in fide Catholica Indos erudiendo. Illuc venit an. 1523. vixit vſq; ad annum 72. A primo tempore quo illuc fratres noſtri miſſi ſunt, ſola illa prouincia Sancti Euangelij aucta eſt, ſexaginta ſeptem monaſteriis fratrum Minorum. Deinde aliæ poſt alias in variis regionibus prouinciæ conſtitutæ, creſcente in dies fide Indorum & pietate. Si quis plura deſiderat, adeat P. Gonzaga, quem ſæpe citaui, item Thomam Bozium lib. 12. de ſignis Eccleſiæ Dei cap. 21. referunt, quanta pietate, quot prodigiis & miraculis in vita pariter & in morte primi illi fratres Minores apud Indos inclaruerunt.*

Ab his, initia hæc Chriſtianæ religionis nouus orbis habuit. Inde verò (*quod* * *Surius tradit*) paucis annis tot baptizabantur, vt alij ſepties dena centena millia, alij quater decies dena centena millia in ſolo illo Mexicano regno, Chriſto nomen dediſſe retulerint, *& poſt pauca*; In archiuis Caroli Cæſaris lectum eſt vnum quendam ſacerdotem ſepties centena millia hominum baptizaſſe, alium ter centum millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores. In ſolo Mexico referunt multi ſummâ fide digniſſimi viri, triginta fuiſſe dynaſtas, quorum quilibet habuerit ſub ſe centum millia hominum, aut circiter. Et ex eâ vrbe non licebat recedere ad ſuas prouincias niſi regis permiſſu, ac relictis ſiue filiis, ſiue fratribus in ciuitate obſidum loco. Et quod dictu horrendum eſt, mille plerumque homines vno die in ciuitate Mexicana immolabantur. *Ad hæc facit quod ante Surium ſcripſit Amandus Zirickſeus in fine Chronici, vbi de Carolo Quinto; circiter annum Domini 1519. in quo finit;* Vſque adeò ibi propagatur indies & confirmatur per Catholicos viros fides Catholica, vt ferè cum Eccleſiâ Latinâ comparari poſſit Eccleſia illa Indiana. *Et ò diuinam prouidentiam! Septimo anno poſt natum in Germania*

Ibi viginti millia cordium puerorum dæmonibus immolabantur annis ſingulis.

Nunc vita aliorum, & mores.

Franciſcanorum cœnobia habent adiuncta collegia pro tenerioris inſtitutione.

Mexicani Archiepiſcopi laudes.

Vnâ die quatuordecim millia confirmauit, ſanctè moritur.

F. Petri à Gandauo encomium.

Ad ann. Christi 1538.

Quàm valde fides Chriſtiana augeatur apud Indos Occidentales.

Illorum Eccleſia Latinæ noſtræ poteſt æquiparari.

Dogma Lutheranum a Martino inductum ... nouo orbe frater Martinus a Valentia ſanctitate & miraculis illuſtris, tandem ... fidem, & fidei doctrinam prædicauit & ſtabiliuit, quam Nouatores Europæ noſtræ nimis faſtidioſè repellunt. Sed ſummus Deus ſpretis illis contemptoribus, barbaris illis gentibus ſuam gratiam offert. Et, (vt magis ei conſtat mundus) quo illi plus per deteriorem ... ſummumque fidem & obſeruantiam Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, hoc ipſa apud exteros augetur magis. Non fruſtra ſcriptum eſt; Ipſi me irritauerunt in vanitatibus ſuis, & ego prouocabo eos, in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos. Sic lucem ſolis, domo excludere poſſumus, oſtio occluſo; nec tamen ipſam lucē, vel minimum ... ſplendeat, obſcurare: ſic gratiam Dei recipere in libertate eſt arbitrij; ipſam vero quin alijs luceat, non poſſumus impedire. Potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Rom. 10. Matth. 3. 9.

Itaque iſti ſunt viri, per quos tibi Euangelium Chriſti, Mexico, reſplenduit, noui orbis regina, vt prius errore, ſic nunc religione diuinâ: & quæ eras diſcipula ſuperſtitionis, facta es magiſtra veritatis. Ab iſtis quoque ceteri pietatis riuuli per totum illum orbem deriuati. Suffragatur R. P. Franciſcus Gonzaga in deſcriptione prouinciæ S. Euangelij, his verbis; Ab hoc loco Aquilonem verſus magnæ quotidie regiones inueniuntur: quò ſemel iam atque iterum Hiſpani cum inſtituti noſtri fratribus profecti ſunt; prius anno Chriſti 1580. cum tres patres Franciſcani ob fidei Catholicæ prædicationem ſunt à barbaris interfecti. Iterū anno D. 1582. F. Bernardinus Beltran cum exploratoribus eo conceſſit: qui inde reuerſus, multarum & magnarum habitationum quæ in eâ ſunt enarrationem nobis tradidit. Homines illi vſque adeò religionis noſtræ ſunt appetētes, vt noſtris eo profectis, ſignificarent facturos ſe vberem ſementem, quo multis Hiſpanis (quos Caſtillas ipſi vocant, & ingenti numero ad ſe venire optant) toto itinere alimenta ſuppeditent. Venit Antuerpiam venerandus pater Hiſpanus anno 1590. qui amplius quadraginta annos in habitu fuit Mexico, hic inter cetera nobis retulit, in eodem illo tractu, nouas regiones, diuerſos populos, ingentes vrbes, ſtudio Hiſpanorum & fratrum noſtrorum detegi, quæ cum maximis vrbibus comparari queant.

Hæc pars Americæ ſeptentrionalis eſt: de meridionaliore nunc pauca dicenda, in qua Peruuia, illuc etiam propagatum Euangelium a fratribus ex Mexico, teſtatur R.P. Gonzaga in deſcriptione prouinciæ duodecim Apoſtolorum in Peru conſtitutæ. Illius regionis vrbs primaria eſt Lima, quod ſignificat, Regum ciuitas: illic ſedes regia, & Cancellaria totius regni, eſtque Archiepiſcopalis ſedes, cui ſubeſt prima Epiſcopalis Quito, a qua prouinciæ fratrum Minorum nomen inditum ſub nomine Sancti Franciſci de Quito. Mirum eſt quod de eâ ſcribit R.P. Gonzaga in deſcriptione illius prouinciæ; Ea ciuitas ſub lineâ æquinoctiali conſtituta, præter antiquorum opinionem frigidâ potiùs quàm calidâ aurâ gaudens, temperatiſſima, amœniſſima omnium armentorum, auium, & fructuum feraciſſima eſt. Ibi ædificatum eſt Franciſcanis cœnobium, an. Domini 1534. vbi omnium primus habitatum venit Franciſcanus Belga Mechlinienſis, F. Iodocus de Rycke, patre Iodoco de Rycke, matre Ioanna de Marſelaer editus. Is dedit ex Quito epiſtolam ad ſuos anno 1556. cuius exemplum nobis communicauit nobilis vir Georgius T'ſerclaes, dominus de Myerbeeck, cuius F. Iodocus auunculus fuit; ex qua viſum nonnulla exſcribere, vel ad confirmationem eorum quæ dixi. Is ſcribit ad P. Guardianum Gandenſem; Noſcat tua Reuerentia me reſediſſe in ciuitate diui patris noſtri Franciſci de Quito, viginti duobus annis: in his partibus meſſis magna; meſſores non habentur, cum tamen omnes fidem ſitiant. Ciuitas hæc de Quito participat de æquinoctio, & aliquando de Auſtro, per anni circulum temperata hæc prouincia; quemadmodum finis Aprilis, ibidē ſic per anni circulum. Longum foret hominum illorum conditiones & mores enarrare. Quamuis barbari & ſine litteris, tamen natura habent optimas conſuetudines. Inter ipſos pauper nō inuenitur: quam pauperes omnes in victu & veſtitu. Apud hos tanta iuſtitia, & rectitudo viuendi vt ſuperent illos qui legibus, & libris, & litteris abundant, inſtituuntur. Omniū rerum creatorem affirmant, quem venerantur quidem, ſed Soli ſummam venerationem exhibent. Diuinationes, ſuperſtitiones, & ſimilia abundant inter eos. Sunt ingenioſi, & facilè litteras addiſcunt: canere item & ludere inſtrumentis muſicis. Oremus Deum, vt mittat operarios in hanc Domini nouam vineam; & nos conſeruet in ſalute animæ & corporis, & tandem Domino annuente cæleſtibus perfruamur. Tantæ ſunt noſtræ occupationes, vt hanc epiſtolam ſine impedimento ſcribere nequiuerim, & paullo poſt,

Quæ ſub torrida zona temperatiſſima eſt.

Epiſtola F. Iodoci de Rycke, qui ibi primus ex Franciſcanis.

Peruuianorum mores

Et religio.

Belgæ Fratres [illegible] omnium [illegible] in [illegible].

Ego ſum primus Franciſcanorum qui hanc ciuitatem diui patris Franciſci incolui: & hinc reliqui omnes Conuentus & Cuſtodiæ principium habuerunt.) Conſodalem habeo F. Petrum Goſſeal à Louanio, profeſſum Brugis in prouinciâ Flandriæ, qui in hunc vſque diem comes indiuiduus extitit; hic apud omnes in veneratione eſt, &c. *Data ex Conuentu de Quito an. 1556. 12. Ianuarij.*

1. Reg. 2. 8.

Fratrum Minorum magna in orbe nouo frequentia.

Conſiderenus nunc eſt, accurate omnia perſequi: tetigiſſe ſufficeret, Franciſcanos eſſe primarios cardines, ſuper quos Dominus poſuit orbem illum nouum & magnum. R. P. Franciſcus Gonzaga, deſcribens prouincias in Mexico & Peru, eſſe in illis regionibus recenſet non minus decem prouincias fratrum Minorum, præter eam quæ in Cannarum eſt [illegible]*, demptis etiam Cuſtodiis: quæ etſi aliquot habeant monaſteria, tamen proximarum numero non cenſentur. Atque vt illa inuenias amplius* [illegible] *cœnobia Franciſcanorum, multa* [illegible] *ſororum S. Claræ, & profitentium Tertiæ regulæ ſancti Franciſci. Sed neque illas fratrum noſtrorum manſiones computat inter monaſteria, vbi manent pauci fratres, ad docendum* [illegible] *(vnde vocat illas* [illegible]*,) natiquè iuſto fratrum numero* [illegible]*, Conuentus appellare non* [illegible]*. Sed Conuentus* [illegible] *dicuntur, tam frequentes ibi ſunt; vt facile* [illegible] *ſuperent. Sunt* [illegible] *fratres commode viuant. Itaque* [illegible] *Dei, talibus* [illegible]*, apud occiduos populos breui temporis interuallo* [illegible]*.*

Indi Orientales primum à Franciſcanis Chriſti fide imbuti.

De Orientalibus [illegible] *dicendum: quia in Elogiis dictum ſit. Nam eo* [illegible] *tempore, quo orbis Occidui regna,* [illegible]*, auſpiciis Emanuelo* [illegible] *rege, ad Indiam Orientalem, in Aſia, anno ſalutis* [illegible] *quingenteſimo,* [illegible] *fratres miſſi ſunt, doctrina & pietate præſtantes. Ab* [illegible] *Ordo Diui Franciſci per eas regiones diffuſus, multi piſcatores* [illegible] *vtens* [illegible] *aliis viam aperuit, & fregit glaciem, vt ad vicina regna facilius penetrarent, vbi multi alterius inſtituti operarij, Dominicani, Auguſtiniani, Patres Societatis Ieſu, vndecima horâ poſt omnes in vineam Domini vocati, poſt eos quidem, ſed (etiamſi gemat inuidia) fortaſſe plus omnibus laborantes, nobiſcum vnà magnam operam nauare non deſinunt. De* [illegible] *Philippinis & aliis prætereo, quando etiam ad regnum Chinarum fratres noſtri peruenerint; vt multis oſtendit R. P. Gonzaga in deſcriptione prouinciæ Sancti Gregorij. Nec eſt hic obiter* [illegible]*: ſatis benignam materiam quæ ſcriptoris* [illegible] *potius, quam deneget. Verum noſtris* [illegible] *Dei iudicio non tam verborum, quam* [illegible] *habebitur ratio, & omnia manifeſtabuntur.) hactenus* [illegible] *ſunt,* [illegible] *Deo bene iuuante ſemper, plurimum facere, minimum de ſe loqui.*

Chinarum regnum Franciſcanis peragratum.

De martyribus Ordinis Minorum.

Et quidem ſeminarunt illi Franciſcani illos agros ſemine verbi diuini; ſed vt creſceret melius, etiam ſanguine ſuo abundè rigarunt. Habuit iſte Minoritarum hortulus iam inde ab initio flores ſuos, & nunc etiam habet. numquam albicantia lilia defuere, numquā purpurea roſa. In caſtis operibus candidus, in martyrum cruore purpureus. Principes in acie noſtrâ fuere quinque fratres, S. Berardus cum ſociis: quorum pugna & triumphus, ſimul etiam hiſtoriæ reliquorum Sanctorum Ordinis noſtri, vita comite, Dei munere, aliquando [illegible]*. Hi ſeptimo anno ante mortem D. Franciſci, Marochij in Africâ pro fide Chriſtianâ certantes, de Saracenis triumpharunt. Rurſum alij ſeptem fratres, S. Daniel cum* [illegible]*, item in Africa, & ipſi Victores, contra Saracenos pro Chriſto mortem oppetentes, illuſtrem* [illegible] *victoriam, cruento prælio, magno triumpho. Et hi duodecim Primores noſtri milites, inter Diuos relati ſunt. Anno Chriſti trigeſimo ſupra milleſimum ducenteſimum duo fratres Minores Hiſpaniam ſuo ſanguine purpurarunt: de quibus* * *Petrus Radulph. hæc ſcribit:*

In Africa.

In Hiſpania

* Lib. 2. hiſtor. Seraph. relig.

Frater Ioannes Sacerdos, & frater Petrus, viri ſanctitate clari, in Hiſpaniam progreſſi, venerunt in regnum Arragoniæ, cui præerat Azotus Chriſtianorum hoſtis. Hi zelo fidei incenſi, & deſiderio martyrij, Valentiam vrbem ingreſſi, verbum Dei prædicant, falſitatem Mahumetis damnantes: quos comprehenſos, & incarceratos, conatur Azotus blāditiis à fide Chriſti auertere, ſed fruſtrà: quare in forum adductos, decollari iuſſit. Azotus à Iacobo Aragonum rege pulſus Valentiâ, cum ad ſe paullū rediiſſet, diuino illuſtratus lumine, per fratres Minores conuerſus eſt ad Chriſtum; & de morte fratrum dolens, Palatium ſuum in celeberrimum cœnobium Minorum conſtruxit.

Iſidem.

Cum Fridericus Secundus Imperator ab Innocentio Quarto excommunicatus, perſequeretur Eccleſiam Romanam, & quotquot cum eâ faciebant, maximè verò Franciſcanos ex voto & regula, fidei & obſeruantia Romanæ Eccleſiæ acerrimos propugnatores: duos illorum litteras Pontificias deferentes, ſuſpendio necari iuſſit. quod etiam memorat Petrus Radulph. & non ita multo poſt, omnes fratres Minores idem Fredericus expulit Apuliâ: quòd populum hortarentur ad mandata Pontificia exſequenda. Multi fratrum paſſim occiſi à Saracenis in Palæſtinâ, Babylonia, & Ægypto, plures in Tartaria locis

varijs:

varris : item in VValachiâ, Ruſsiâ, Bulgariâ. de quibus *Bartolomæus Piſanus agens, ſic ſcripſit ante circiter ducentos annos; Vltra trecentos fratres habuit hic ordo, per quos Deus signa eſt operatus & miracula; & vltra octoginta quinque ſunt martyrio coronati. Petrus Radulphius lib. 2. hiſtor. Seraphicæ Relig. cùm agit de Cuſtodiâ Lituania, teſtatur, Vilnæ ſepultos eſſe triginta ſex Franciſcanos martyres: quorum opem implorans R. D. Ioannes Archiepiſcopus Electus Kyouienſis, acutiſſimâ febre correptus, facto etiam pro voto, cõualuit, an. Dom. 1543. ſed quo anno illi ſint paſsi, non commemorat. quorum neque Bartolom. Piſanus mentionem facit: opinor poſt eius ætatem illos vixiſſe. Quatuordecim illorum Vilnæ ſunt trucidati, de quibus prædictus Ioannes Kyouienſis in carminibus ſuis, pro recuperatâ valetudine gratulans, cecinit in hunc modum;

E quibus eximios manibus poſt terga reuinctis,
Tres crucis horrendæ compoſuere neci.
Et cruce confoſſos (heu quam miſerabile dictu!)
Immerſere vndis Velia magne tuis.
Tum cædunt gladiis reliquos, flammiſque perurunt:
Funditus vt perimant nomina, Chriſte, tua.

Apud Indos vtroſque.

Apud Indos Occidentales in Chriſti fide propagandâ, non pauci Franciſcani trucidati fuere, tum etiam apud Orientales, circiter triginta. in quos Hieron. Badeſius compoſuit hoc carmen:

Vos, ô, qui primùm extremos properaſtis ad Indos:
Vt noſſent verum pectora cæca Deum:
Quàm bene pro tali veſtrum pietate cruorem
Fudiſtis! maior ſe feret inde ſeges.
Nequicquam ferro proſcinderet arua colonus,
Semine ni grauidos ſpargeret imber agros.
Cernitis vt magno creſcat iam fœnore meſſis:
Et veſtrâ vberior ſit labor ille nece.

Martyres huius ſæculi in Angliâ, & Galliis.

Exſcripſi ex Thom. Bozij libr. 12. de ſignis Eccleſiæ Dei, capit. 22. vbi nominatim recenſet plurimos martyres Ordinis noſtri, qui pro Catholicâ Religione hoc ſæculo mortem fortiter obierunt. In Angliâ & Hiberniâ triginta ſex: in Galliarum Prouinciis numerantur ferè ſexaginta. Et ſi meſſem Gueſianis temporis recordemur, opinione plures nobis abſtulit in iſtâ Belgicâ. Habuit prouincia Flandriæ, item prouincia Colonienſis fortes Agoniſtas, & pugiles inuictos. Denique noſtræ prouinciæ inferioris Germaniæ recenſentur viginti duo, qui diuerſis in locis, ferro, laqueis, igne, aliiſque tormentis, diuturnis etiam & productioribus pœnis intereuntes, glorioſiſſimum viuendi finem acceperunt. de quibus cùm alii ſcripſerint, alij etiam nonnulla nobis promittant, pluribus non ago: obiter memoraſſe ſatis eſt.

Item in Belgica.

Ad Theologos & Doctores propero, qui in Ordine Seraphico inclaruerunt. *Auctor firmamenti trium Ordinum D. Franciſci teſtatum reliquit, ante annos circiter centum, ſe recenſuiſſe nonaginta celebres Theologos, qui Magiſtrum Sententiarum ſcriptis, & editis libris vtiliter explicarunt, & commentando illuſtrarunt. Numerantur ſexagintæ, velut qui *lectulum Salomonis ambiunt fortes ex fortiſsimis Iſrael: omnes tenentes gladios & ad bella doctiſsimi. Principem locum tenet Alexander ab Hales, Doctor doctorum appellatus à doctis: Doctor ipſe Theologiæ & Iuris vtriuſque. In philoſophiâ nemini ſecundus. Totam Scripturam ſacram doctè expoſuit. Edidit (teſte *Petro Radulphio) in Pſalmos Dauidis doctiſſimos commentarios, qui falsò aſcribuntur Hugoni à ſancto Theodorico. Item egregium tractatum de Cõceptione B. Mariæ Virginis: in quo docet, & defendit liberam fuiſſe ab originali peccato. Inter omnia opera eius, Theologiæ Summa excellit, quam iuſſu Innocentij Quarti Pontificis conſcripſit. Methodum talem nemo ante illum vſurpauit: ipſe inuenit, & artem hanc omnibus Scholaſticis Theologis tradidit. Diſtinxit in quatuor partes Summam Theologiæ, quam, ſcribit *Petrus Radulph. Alexander Quartus adprobauit per bullam à ſeptuaginta Doctoribus ſubſcriptam, atque appenſis ſigillis ſubſignatam. Auditores eius fuêre ſanctus Thomas Aquinas, & ſanctus Bonauentura. Addit & hoc auctor firmamenti trium Ordinum diui Franciſci: Licet omnes Doctores ſcribentes ſuper ſententias, communiter hunc Alexandrum ſequantur: tamen ſingulariter ſanctus Thomas ab Aquino ipſum in omnibus ſuis ſcriptis ſequitur tanquam diſcipulus Magiſtrum. multaque ab eo piè furatur, maximè in Secunda Secundæ, vt dicit Magiſter Ioannes Gerzon, & Stephanus Brulifer. Propter raram eruditionem Alexander ab eruditiſſimis temporis ſui, Fons vitæ meruit appellari. Multa alia compoſuit opuſcula, quæ hic non recenſeo. Si lubet adi Trithemium, Sixtum Senenſem, firmamenti auctorem: illi collegerunt, & hæc ego ex illis.

Theologi in Ordine S. Franc.
*Par. 1. vbi de illuſtr. viris Ordin. S. Franc.
*Cant. 3. 7.
De Alexandro ab Ales, eius, & operum.
*Lib. 3. Hiſtor. Seraph. relig.
Ipſe fons Scholaſticorum.
*Indid vbi de Alex ab Hales.
Fons vitæ dictus.

S. Bonauentura S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus

De S. Bonau. operibus.

ſcopus Albanenſis, Alexandro præceptore tantum profecit, vt verè Doctor Eccleſiæ Seraphicus & verè ſit, & meritò vocetur. De quo plura non dico, niſi quæ tradit auctor firmamenti trium Ordinum, ſæpè citatum; Scripſit ſuper quatuor Sententiarum libros valdè egregie, præſertim ſuper ſecundum. Item pulchram poſtillam ſuper Lucam. Item aliam egregiam ſuper Ioannem. Scripſit etiam Sermones ſuper Euangelia & Epiſtolas Dominicales per totum annum. Scripſit & ſuper Geneſin. Item ſuper Eccleſiaſten. Item compendium Theologiæ. item plurima Quodlibeta. Præter hæc autem ſcripſit circiter trecenta parua opuſcula. Hunc Doctorem Magiſter Iohannes Gerzon ſuper omnes alios Doctores, in pleriſque locis extollit: & in quodam loco dicit. * Neſcio ſi vnquam talem doctorem, ſicuti Bonauenturam, habuerit ſtudium Pariſienſe. Super eâ re plura verba hic non pono: plura teſtimonia in Elogiis in D. Bonauenturam productura, ante hiſtoriam vitæ eius, de illius ſanctitate & eruditione.

Par. 1. vbi de illuſtri bus viris Ord. Seraphici.

Trecenta circiter opuſcula præter nata.

* Vide inf. in cap. 11 § 1. vbi locus citatur.

De Richardo à Mediâ-villâ.

Richardus à Mediâ villâ in Scripturis diuinis exercitatiſſimus, ſicut in Iure Pontificio, & Philoſophia ſæculari. Multa ſcripſit, quorum præſtantiſſima, quæ in libros Sententiarum. Refert * auctor Firmamenti, ſententiam eſſe multorum, Omnes alios doctores excellere in Quartum Sententiarum. Obijt anno Domini 1280.

Vbi ſup. par. 1.

De Ioanne Scoto.

Ioannes Scotus ab ingenij acumine & præſtanti eruditione dictus Doctor Subtilis: quem vt opiner non Scotum natione fuiſſe, ſed Anglum, * facit Petrus Radulphus ita ſcribens; Ex catalogo illuſtrium ſcriptorum maioris Britanniæ, colligunt humili loco natum in villâ Emylden, quæ in Anglia eſt; quod Oxonij conſtare dicunt ex antiquis codicibus Marlonenſis collegij, vbi ille multos prælegit annos. vtcumque ſit, fuit vir admirandæ eruditionis & ſubtilitatis: vt in grauiſſimis ſtudiis nullus vel acrior, vel ſubtilior fuerit vnquam; cui, ob excellentis ingenij ſubtilitatem, & ſubobſcuram differendi profunditatem, Græcè Σκότος nomen inhæſit veriùs, quàm à regione. Quomodo (Sen. ſcribit *) Heraclito cognomen Scotinon fecit orationis obſcuritas. Adeò profundus (inquit Trithemius) vt eius ſcripta paucis ſint penetrabilia, & ob id quoque minùs vſitata. Vixit anno Chriſti milleſimo trecenteſimo.

* Lib. 1. hiſt. Seraphic. relig.

* Ep. 12.

De Scriptor. Eccleſiaſt.

D. Franciſco Maronio.

Franciſcus Maronius Ioannis Scoti auditor, in Theologiâ Scholaſticâ ſuo tempore omnium calculo præſtantiſſimus habitus. Magiſtri ſubtilitates auxit; &, teſte * Petro Radulpho, Actum Sorbonicum Pariſijs prior inſtituit; in cuius rei memoriam actus ipſe à Franciſcano incipitur, finitur à Dominicano. Scripſit multa ſubtiliſſime, maximè in Quatuor libros Sententiarum. Abiit è vitâ anno Domini 1324.

* Lib. 3. Hiſt. Seraphic. relig.

Non eſt propoſitum Theologos omnes ceterarum ætatum commemorare: multo plures enituerunt per ſcripta, ante tempora illius noſtri recenſoris, quos tamen omittit, & poſt illum ætatem non pauci exſtiterunt, quos ille neſciuit. Non meminit Nicolai Orbellij, non Nicolai Niſſeni, neque Stephani Bruliferi: quæ tamē in manibus verſantur Scoticæ Theologiæ candidatorum. quibus (tam candide ſcribit * Thomas Bozius de his talibus) ſi linguarum, hiſtoriarumque cognitio fuiſſet: illos ego, inquit, non in terrâ natos, ſed cælo delapſos dicerem. Quòd verò hac parte nos abundemus, ætatis eſt felicitas ac temporum, non ingenij præſtantia. Hodierni ſcriptores (liberè dico? ſed verè) priſcis eruditione non præſtant: ſed, vt eſt facilis inuentis addere: Diuæ illi cultum quendam ornatiorem adhibent, ſicuti pictores noui, antiquis imaginibus nouos colores: vel vt cupediarij, propter delicatiores, cibis per ſe bonis condimenta adijciunt ad ſaporem. Quoniam (quod ſcribit D. Auguſtinus *) inter ſe habent nonnullam ſimilitudinem, veſcentes atque dicentes: propter faſtigia plurimorum, etiam ſicut ipſa, ſine quibus viui non poteſt, alimenta condienda ſunt. Itaque vt in tabernis alij interdum atque alij præſidere videntur inſtitores mercibus vendendis; merces quidem eædem manent, ſed alij alios eas oculis gratiores proſtituere norunt: ſic eadem doctrina noſtrorum cum veterum documentis; ſed noui noſtri, methodi & cultioris ſermonis elegantiam addunt & ornatum.

* Lib. 6. de ſignis Eccl. Dei, c. 4.

Noui iſti antiquis nõ doctiores, ſed elegantiores.

* 4. de Doctr. Chriſt. cap. 11.

Hæc de Scholaſticis Theologis: nunc de his qui ſacras litteras interpretati ſunt, magno fructu paucis abſoluam. Communiter omnes Theologiæ Scholaſticæ, ſacræ Scripturæ ſtudium adiunxerunt: ſed de his mihi ſermo, qui in hac parte illuſtriores fuere. Nicolaus Liranus contemnentur a contemnendis, qui cœleſtem manna dedicerunt, imitari non poſſunt. Quid de eo ſentias, docet Abbas Trithemius; Vir in Scripturis ſanctis ſtudioſiſſimus, & longa exercitatione peritus. Hebraicâ linguâ ad perfectum inſtructus. ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus; nec minùs conuerſatione, quàm ſcientiâ venerandus. Scripſit in ſacris voluminibus multa præclara opuſcula, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis deuênit: quæ quàm vtilia, quamque neceſſaria ſint

De Nicolao Lirano.

De ſcript. Eccleſiaſt.

omni-

omnibus ſacram Scripturam diſcere cupientibus, nemo meliùs nouit, quàm qui ſe in eorum lectione exercitarit. Sunt autem qui eum ob eloquij ſimplicitatem æſtiment contemnendum, qui mihi videntur vani & imperiti, ac ſacræ ſcientiæ ſalutari philoſophiâ indigni: quoniam & ſimplicitatem Eccleſiaſticam vituperant, & verba non res amplectuntur. *Audi alterum doctum virum, non etiam domeſticum teſtem* * *Sixtum Senenſem, Liranum magnopere commendantem, inquit;* Nicolaus Liranus Scholaſticæ Theologiæ profeſſor, & ſententiarum eius expoſitor non ignobilis: tantâ quoque diuinarum Scripturarum verâ, purâ, ac germanâ intelligentiâ, præditus, vt in eis exponendis, nullum eruditiſſimorum Theologorum ſui temporis habuerit parem. Edidit in ſingula tam veteris, quàm noui teſtamenti volumina, Scholaſticæ Poſtillæ libros octoginta quinque; ſtudioſis ſanctarum Scripturarum, ac præcipue tironibus ad maiora properantibus non vtiles ſolum, ſed valde etiam neceſſarios, *&c. Item cùm de præcipuis expoſitoribus ſacrarum litterarum legendis ſententiam fert, illis Liranum adiungit his carminibus:*

[illegible] lib. 3. Bibl Sanc.

Hiſtoriam Hebræis, & Græcis fontibus hauſtam
Hieronymo diſces duce.
Allegorias, Anagogenque recludent
Origenes, Ambroſius.
Exponent ſenſus formandis moribus aptos
Chryſoſtomus, Gregorius.
In dubiis, aliâque locis caligine merſis
Aurelius lucem feret.
At breuis & facilis non eſt ſpernenda tironi
Lirenſis expoſitio.

Ben Perein 13 Gen in fine ei diſputat.

Itaque, Audiat lector, nemini contemnendum, mihi quidem certè valde probatum ſacrarum litterarum explanatorem Liranum. *Multa eximiè ab eo ſcripta: ſed nonnullus nimium ſibi ſaperda, & illum contemnet, & omnem veterem letteraturam; noctuæ ſimilis, hunc odit ſolem, amans ſuarum tenebrarum, in quibus vtcunque ſolus volare cupit.*

De Petro Aureolo.

Nec mihi prætereundus Petrus Aureolus *Archiepiſcopus Aquenſis, S. R. E. Cardinalis: inter cetera ſcripſit* Compendium omnium librorum ſacræ Scripturæ, *quo Georgius Ederus in Oeconomiâ ſuâ Bibliorum, valde ſe adiutum non diſſimulat, ſed libere fatetur his verbis:* Cœpi de ſacrorum Bibliorum artificio ſummatim explicando diligentiùs inquirere. In qua cogitatione, cum vt par erat, diu multumque verſatus eſſem, en mihi non fortuitò, ſed quod conſtanter credo, non abſque Dei quodam nutu, in manus venit libellus verè aureus conſcriptus primùm à probatiſſimæ eruditionis & ſanctitatis viro Petro Aureolo; poſteà verò à doctiſſimo viro Iacobo Wimphelingo, magno Germaniæ Theologo, Dom. Ioanni Eckio dicatus: qui quod toties mihi euenire optaueram, prima ſtatim fonte pollicebatur, Compendium videlicet Bibliorum; hoc eſt, vtriuſque Teſtamenti, atque adeò totius ſacræ Scripturę epitomen. Quo ſemel atq; iterum perlecto, magnâ cum voluptate cognoui, diuinum hunc virum, illud prorſus ipſum, quod olim apud Ciceronem Craſſus de ipſâ Iuris prudentiâ propoſuit, in hac noſtrâ Theologiâ Chriſtianâ, non tantùm pari dexteritate conatum; ſed maiori etiam laude aſſecutum fuiſſe, quàm ab vllo ferè poterit exſpectari. Nam ſacroſanctum illud diuinæ Scripturæ corpus fere totũ in ſuas primùm partes; ipſas deinde partes in ceteros libros, hos in capita ſiue genera, capita verò in verſiculos, tanquam generum ſpecies; & tandem verſiculos in ſingula ſæpe paullò grauioris ponderis verba, tanquam ſpecierum differentias, tanto artificio partitus eſt, vt tam huius terrenæ, quàm illius æternę & immortalis Eccleſiæ formam, atque adeò Bibliorum, non ſummam, atque adcomprehendiſſe, ſed etiam artem quandam tradidiſſe videretur. Mirabar profectò vehementer, vtiliſſimum hoc opus adeò noſtris hominibus eſſe incognitum: quòd fere nullam anteà audiuiſſem, neque auctoris, neque libelli tam excellentis fieri mentionem, qui digniſſimus erat, meo quidem iudicio, vt eum exercitatiſſimus aliquis Theologus, quaſi poſt liminiò reductum, in perfectiorem paullò reſtitueret formam, & ſummis illuſtraret eloquentiæ viribus. &c. *Hactenus nobilis ſcriptor Georgius Ederus initio Oeconomiæ Bibliorum ad lectorem ſtudioſum. At, quod Ederus optauit, Cle. Stephan. Nouellum Theologus Pariſienſis præſtitit: repurgauit, tabulis analyticis illuſtrauit. Lege, relege, qui ſacra Biblia voles proſicere.*

Aureus olim libellus, Cõpendium Bibliorum.

Artem Theologiæ cõplectens.

De Franciſco Ximenes.

Franciſcus Ximenes *ſanctæ Romanæ*

Eccle-

Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, edidit ad Leonem Decimum Pontificem vetus & nouum Teſtamentum, linguâ Hebraicâ, Chaldaicâ, Græcâ, & Latinâ, ingentibus ſumptibus, ſed non pœnitendis. quod opus multis laboribus, maximâ diligentiâ Compluti impreſſum in Hiſpaniâ, accitis vndique earum linguarum peritiſſimis; ex Vaticanâ, & Mediceâ, Venetorumque Bibliothecis caſtigatiſſimis exemplaribus, vndecumque etiam aliis conquiſitis, nullâ ſumptuum aut laborum habitâ ratione. Adiecit vltimo loco in fine operis, Dictionarium copioſiſſimum Hebræorum, Chaldæorum, & Græcorum vocabulorũ. Complutenſia Biblia vulgò dicuntur. Hæc toto orbe Chriſtiano vulgata, fecere, vt ad illorũ exẽplaria codices multi Hebræi, Græci, Latini caſtigati, & in integrum reſtituti ſint. Plura ſi de his voles, adi * Bibliothecam Sixti Senenſis, ex quâ hæc libaui. Inſtituit Academiam Complutenſem; collegiis, gymnaſiis, opibus multis auxit, vectigalibus & annuâ pecuniâ inſtruxit. Inter cætera vnum eſt arte & magnificentiâ omnibus aliis facilè antecellens, vbi ſepultus eſt, ante ſummam aram, ſarcophago inſcripto hoc Epitaphio;

Complutẽſia Biblia variarum linguarum is edidit.

* Lib. 4. vbi de Scrip. Eccleſiaſt.

Complutenſem Academiam inſtituit.

Condideram Muſis Franciſcus grande Lyceum:
Condor in exiguo nunc ego ſarcophago.
Prætextam iunxi ſacco, galeamque galero:
Frater, Dux, Præſul, Cardineuſq; pater.
Quin virtute meâ iunctum eſt diadema cucullo:
Cùm mihi regnanti paruit Heſperia.
Obiit Arandæ A. ∞. IↃ. XVII.

Denique infinita opera Franciſcanorum in S. Scripturam videbis, ſi vel obiter inſpexeris, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis memoriæ tradiderunt.

Leuiter quoque tranſibo, ac tantummodò perſtringã auctores noſtros, qui tractauerunt de Caſibus conſcientiæ*. Auctor Firmamenti trium Ordinum S. Franciſci enumerat octo patres Iuris vtriuſque peritiſſimos, qui Summulas Iuris, & de Caſibus conſciẽtiæ compoſuerunt, è quibus P. Monaldus, P. Durandus, P. Petrus à Saxoniâ, P. Aſtexanus ab Aſtâ, auctor ſummæ Aſtexanæ, fuere celebriores. Sed plures noſtrâ tempeſtate emerſerũt: de quibus ego Minoridis meis præ cæteris cõmendo duos, Alexãdrum ab Arioſtis, & Ioſephi Angles Valentini Flores Theologicarum quæſtionum in Quartum Sententiarum. Alexander Enchiridion ſcripſit, & Minorica Elucidatiua caſuum conſcientiæ, quæ potiſſimùm ſpectant ad Minores. Ioſephus tam dexterè conciliat diſſenſus Scholaſticorum, & difficiles caſus adeò manifeſtè explicat, & exponit, vt nihil ampliùs deſideres. Legite vos Franciſcani: gratiam mihi aliquis habebit, certè debebit pro indicio.

Qui de Caſibus cõſcientiæ.

* Par. 1 vbi de illuſtr. vir. Ord. Seraph.

Habet quoque hoc ſæculum noſtrum ſuas gemmulas, quæ Seraphicum Ordinem nobiliter illuſtrarunt: nec omnes recenſebo, ſed qui notiores: vt Franciſcus Titelmãnus, Alfonſus Caſtrenſis, Adamus Saſboldus, Michael à Medina, & qui cæteris antecellere videtur Andreas Vega. Hic magnũ theſaurũ nobis reliquit, nempe De Iuſtificatione doctrinã vniuerſam, libris quindecim abſolutè traditam, & contra omnes omnium errores, iuxta germanam ſententiam orthodoxæ veritatis, & ſacri Concilij Tridentini præclarè defenſam. Sic liber inſcribitur. Et quidem ſanctus Franciſcus ſub ſignis ſuis Andream ſemper habuit, nec ille vnquam ſui ducis ſigna reliquit: attamen video Coloniæ impreſſum anno ſalutis ſeptuageſimo ſecundo ſupra milleſimum quingenteſimum, Minoridæ nomine ſuppreſſo; quam ignominiam etiam paſſus eſt noſter Henricus Harphius, item Coloniæ excuſus anno ſexageſimo quarto. Boni viri! apud vos ignominioſum Minoridarum nomen? an hoc ſolum apud hoſtes malè audit? Et vos audite. Carthuſiani, Dominicani, Patres Societatis Ieſu, Franciſcani, & reliqui Ordines inſtructis, infeſtis ſignis in hoſtes incurrunt: nec quiſquam inuidioſior hæreticis, niſi bello melior. Nomen in fronte libri lectorem non alliciet, ſed neque deterrebit, cui veritatem quærere cordi eſt, & tenere. Quid igitur? factum inuidioſè eſſe interpretaris? abſit à candido pectore: ſed tamen videri poteſt non nimis cãdido. De Harphio benè habet: velut poſtliminio receptus in caſtra Minorum, editus Romæ anno octogeſimo ſexto, Sixto Quinto Summo Pontifici eiuſdem Ordinis, dedicatus. Et Andream Vegam huius eſſe inſtituti, non incelebris ſcriptor. † Michaël à Medina, & ipſe frater Minor, teſtatũ reliquit talibus verbis; Andreas Vega Minorita libris quindecim, cõtra Caluin. & quoſdam alios hæreticos, decretum Concilij Tridentini de Iuſtificatione, tam dextrè defendit, & hæreticas inſanias tam potenter fundit; vt non immeritò eius immaturam mortem Catholici doleant. Adi illum, recenſet multos celebres doctoſque viros ex Ordine Minorum: quorum memoriam ob ſingularem eruditionem, & opera præclara, omnes excipient anni conſequentes.

Docti ex noſtro Minorida.

Henricus Harphius Franciſcanus.

† Lib. 1. de rectâ in Deum fide cap. 4. Et Andreas Vega.

Cæterùm, vt paulisper animum aduertas & aures, te oro benignè Lector. Doctrinam de Iuſtificatione compoſuit Cornelius Muſſus; Doctrinam de Iuſtificatione expoſuit Andreas

Vega

Vegā, vterque Franciſcanus, vterque in Concilio Tridentino Theologus ſummus. De Cornelio Muſſo ſic ſcribit Michaël ab Iſſelt; Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bitontinus, à Paulo Tertio ad Concilium Tridentinum miſſus Doctrinam de Iuſtificatione in ordinem redegit, defendit, & determinauit, tantâ cum omnium admiratione, vt Prælati reliqui dicerent, Spiritum ſanctum mirabili modo in illo fuiſſe operatum. Nec fruſtrà addam, quæ ibi ſubiunguntur ex Bernardino Tomitano in laudem ingenij, eruditionis, & eloquentiæ illius viri. hæc eius verba; Eſt fons præceptorum, Schola ſententiarum, Ærarium diſciplinarum, Oceanus legum, rituum, conſuetudinum, & nominum propriorum, quę in ſacris Scripturis celebrantur. Et paullo poſt ita de linguâ Cornelianâ; Teſtes mihi in hac re erunt (procul enim à me ſit omnis adulatio) animæ illæ ſanctæ, mundo nuper tam charæ, nunc cæli ornamenta, felicis memoriæ magnificus D. Caſpar Contarenus, qui poſteà in Cardinalium collegium eſt cooptatus; & Reuerendiſſimus Bembus: duo lumina clariſſima, vnus philoſophiæ, alter linguarum; qui Cornelium noſtrum audientes, dicere ſolebant, ipſum ſibi nec Philoſophum videri, nec Oratorem, ſed Angelum, dicendo cuncta mundo perſuadentem. (rurſus in fine) cuius incredibilem induſtriam numquam tacere poterit Tridētum, cuius claritudinem numquam tempus, aut memoria hominum delebit, cuius excellentiam numquam extinguet inuidia.

Andreas Vega doctrinam Conc. Trident. de iuſtificatione expoſuit.

Iam verò de Andreâ Vegâ, vir magnus Petrus Caniſius, Societatis IESV, honorificè ſcribit in epiſtolâ; quâ Erneſto Bauaro Principi Electori, Leodienſi Epiſcopo dedicat libros Andreæ de Iuſtificatione, cum ita præfatur; Nihil eſt dubium, variis modis de Iuſtificatione iam pridem diſputari; & hoc quæſtionis genus, in Eccleſiâ, vt grauiſſimum, ſic & ampliſſimum eſſe: in quo viri ſapientes & docti perſæpe ſoleant deſudare. Nam hic præcipuus doctrinæ Chriſtianæ locus exiſtit, qui in verbo Dei ſe nobis paſſim offert, & ſcriptis Apoſtolicis ſedulò inculcatur; quique à piis pro dignitate nunquam poteſt expendi atque pertractari. Deinde multis interpoſitis ſubiungit; Etſi verò multi multorum Catholicorum de Iuſtificatione commentarij circumferuntur, qui & cum laude ſcripti ſint, & vtiliter euoluantur: attamen operæ me pretium in primis facturum ſperaui, ſi ex Theologis omnibus deligerem vnum, nec eum quidem vulgarem, de Iuſtificatione, tum dextrè, tum eruditè, tum copioſè ſcribentem, qui vno volumine comprehenſus, in lectorum gratiam euulgetur. Prodeſt enim vehementer, de hoc trito quidem, ſed difficili & amplo argumento ſelecta quædam exſtare, quæ & ſtudioſis ſatiſfaciant & pios commonefaciant ſæpe; & bonam quidem hominum partem aduerſus eos, qui latè & perniciosè graſſantur errores, ſalutaribus velut antidotis poſſint præmunire. Ac paullo pòſt; Illud dicam, permagni ſanè referre, vt ad manum habeamus quorumdam teſtimonia ſcripta, qui velut oculati teſtes Actionum Tridētini Concilij, coràm adfuêre: vt horum etiam ſententiâ & interpretatione, nobis & poſteris explicatiora reddantur, quæ ſunt in eâdem Synodo conſtituta. Eoque charior in hoc opere nobis Vega eſſe debet, qui Tridenti doctiſſimos Theologos, & ſapientiſſimos Patres tunc differentes audiuit, cùm de Iuſtificatione multis eſt menſibus acerrimè diſputatum: ipſeque cum diſputantibus aliis ſua ſenſa ſtudioſiſſime contulit. ex cuius viri ſcriptis, docti facilè deprehendent, quàm fuerit idem in eruendâ confirmandaque veritate laborioſus; quàm prętereà ſolers & exercitatus in quæſtionibus obſcuriſſimis atque grauiſſimis examinandis, quas illè quidem ad normam verbi Dei liben-ter reuocare conſueuit; ſed ita, vt ſimul exponat, quid & antiquiores, & recentiores Theologi de re propoſita iudicarint. hæc Caniſius: qui bonam operam præſtitit, vt Vegā noſter correctior, tutior que in nomine Principis magni appareret: ſed quia publicè intereſt, viſum mihi tantum virum aſſerere & vindicare inſtituto D. Franciſci, cuius ille profeſſor & vixit & obiit. Nam vt nemo pretioſos vniones deripi ſinit ſuæ corollæ: ſic quidem nec nos hortulo noſtro excerpi tales flores.

Ipſi Theologus in Côc. Trident.

Concionatorum quoque frequentia & eloquentia numquam defuit inſtituto D. Franciſci: in quibus etſi non eadem omnibus vis dicendi; pluſtrimos tamen fuiſſe, & eſſe conſtat, qui audit ores trahant, teneant, & quo volunt moueant, & inflectant; à ſuperbiâ ad modeſtiam, ab illecebris illos ad caſtitatem, à pecuniarum ſiti ad diuitiarum contemptum, denique ab amore mundi, ad Chriſti & rerum æternarum ſtudium ferunt. [illegible] lingua S. Franciſci! vnicâ concione ad ordinem trahens quingentos nouitios eoque amplius: ſcilicet Spiritu ſancto plena, medullas cordis penetrat,

De Concionatoribus.

S. Franciſci in dicendo efficacia.

& in magnam admirationem audientes conuertens. Quid de Antonio à Paduâ? * Tanta hominum multitudo ad eum confluebat, vt templa non caperent, in campis illum dicere oportuit: vt triginta hominum millibus summo etiam silentio virum ſanctum audientibus. Quid valde mirum, cùm iuſſu Pontificis Summi, Romæ concionaretur diuerſis gentibus populiſque, qui ad indulgentias illas conuenerant promerendas: viſum eſt prodigium Spiritus ſancti in illo renouari, quo olim * Apoſtolos in Pentecoſte illuſtrauit. Nam ſinguli audierunt, & intellexerunt idioma gentis & regionis ſuæ, cunctis ad tantum miraculum ſtupentibus. Sanctum etiam Bernardinum à Senis, ſic concionando valuiſſe narrat hiſtoria; vt quocumque loco ac tempore dicturus eſſet, non otioſi dumtaxat, ſed opifices etiam, & omnes alij tabernis & domibus occluſis, ad eum concurrerent. Factum aliquando, vt Græci intereſſent cuidam Concilio, quos ille cupiebat in fide confirmare Catholicâ; ſed non poterat linguæ illius imperitus. Supplex orat Spiritum ſanctum, vt qui Apoſtolis dediſſet omnium linguarum notitiam, largiretur Græcis intelligentiam eorum quæ eſſet dicturus. Spiritu feruens, multaque in Deum fiduciâ fretus, ſuggeſtum conſcendit; concionatur de Catholica fide, tam eruditè; vt admirabilitatem ſui magnam omnibus faceret Græcanicus ſermo, quo vſus fuerat, nec tamen callebat.

Omnibus exemplis illuſtrius, & neſcio an vnquam auditum, quale de F. Bertholdo Germano ſcriptum reliquit Ioannes Auentinus, in hæc verba; Bertholdus Franciſcanus, Reginoburgio ortus, clarus integritate vitæ: atque Chriſtianæ eloquentiæ orator inſignis fuit: ſexaginta amplius millia hominum eius conciones frequētaſſe litteris proditur. Eius ſepulchrum adhuc, non ſolùm incolis, ſed & Vrbis venerabile, Reginoburgij in templo Franciſcanorum oſtenditur. Tranſcripſi ad verbum ex Epiſtolâ cuiuſdam ſcriptoris ad Ioan. Antoniū Vellerum Societatis Ieſu presbyterum, cui formula nouitiorum fratris Dauidis ab Auguſtâ Ordinis Minorum, ſcripta ante annos ampliùs trecentos, dedicatur, quam vir doctus & pius mirifice commendans, Medullam Euangelicæ perfectionis appellauit. Sed & * Petrus Radulphius de illo viro hæc memoriæ tradidit, Bertholdus prædicator inſignis, in ciuitate Ratiſponâ ſuperioris Alemaniæ viguit. dum ibidem ſacras ad populum conciones haberet, quædam mulier ſpiculo veritatis proſiliente percuſſa, tanto dolore compuncta eſt, vt ſubitò ſpiritum exhalauerit. Populo tumultuante B. Bertholdus ſilentium indixit; & eo ceteriſque iuſſu eius orantibus, à morte liberata eſt.

Illud quoque, cùm de concionatoribus eſt ſermo, non omittam, quod de S. Antonio à Paduâ traditur * hiſtoria. Sub concione eius (quam in agro habuit ob frequentiam populi) immanis orta tempeſtas, fulgura & tonitrua, & pluuia ad fugam populum compellebant: quod ille cernens, inquit, Sitis bono animo, nec vos loco moueatis: ne gutta quidem pluuiæ quemquam veſtrum cōtinget. Atque ita illis manentibus euenit. pluuia, grando copioſe profuſa è cælo, omnes illos intactos reliquit, nec quidem locum vbi erat concio madefaciens, cùm tamen aqua ad inſtar muri circumſtagnaret. * Simile ſcribitur feciſſe, B. Ioannes ab Aluernâ. pluuia deſcendens vniuerſam terram irrigauit, ſuggeſto intacto & loco, vbi vir ſanctus concionem habebat ad populum. Sed & ſanctus Bernardinus Senēſis aliquando ſub dio concionans, labentem imbrem, qui populum frequentem abigebat, crucis ſigno continuit, repreſſitque tantiſper dum verba faceret. Finitâ concione, cùm populus domum rediiſſet; tanta vis imbrium proruit, vt putaſſes velut vrnis effuſos.

De Iohanne Capiſtrano, comite & ſocio ſancti Bernardini hæc Krantzius. Iohannes in Germaniam deſcendit, prædicans magno zelo verbum Dei in Auſtriâ, Bauariâ, Sueuiâ, Turingiâ, & Saxoniâ. Nā in ciuitate Magdeburgēſi, in nouo foro, maximâ ad illum confluente multitudine, cùm eſſet Germanicæ linguæ non gnarus, Latino ſermone prædicabat Latinis, in tertiam horam; populo ſolis geſtibus eius, quos ante non viderat, ſatis vehementer promoto. Aderat ex Germanis ſui Ordinis Fratribus vir æquè doctus, qui poſt illum non minore tempore dicens, interpretabatur populo quæ ille dixiſſet. Moti ſunt omnes, & vſque adeò permoti, vt feminæ abuſum in ornatu; viri ludos, quibus tempora perdunt, ſchacorum, alearumque, in vnum contulerint, & in eodem loco igne ſubdito cōcremarint. Hartmānus Schedel ſcribit ſe Capiſtranum pusillum corpore Nurmbergæ vidiſſe, ætate ſenectâ, annos quinque & ſexaginta natum: ſiccum, aridum, exhauſtum, ſolâ cute neruiſque & oſſibus compactum: lætum tamen, & in labore fortem; ſine intermiſſione ſingulis diebus prædicantem, altas ac profundas materias abſoluentē. Hieron. Platus annum circiter [illegible]. cccc. vnâ excurſione duodecim infidelium millia, & multos præterea à ſchiſmaticos Eccleſiæ aggregauiſſe. Multa fecit prorſus admiranda, inſpice vitam eius.

* Vitæ c. 12.

Ib. c. 15. De S. Antonio à Paduâ: quem concionantem omnes nationes intellexerunt.

* Act. 2. 11.

Cap. 27. & ſeq. in vitâ. S. Bernardini oratio. Cap. 38.

A Græcis intellectus.

Bertholdū concionantem audiūt ſexaginta hominum millia.

* Lib. 1. hiſt. Seraphi. [illegible] relig.

S. Antonij [illegible]

* Cap. 18.

* Pet. Radulph. l. 2. hiſt. Ser. Relig. Ioannes ab Aluerno, ſimile præſtitit.

In vitâ cap. 46. Et S. Bernardinus ſigno crucis pluuiam retinuit.

De Ioanne Capiſtrano. Lib. 11. Saxon. c. 36 & li. 12. Metrop. cap. 19.

Magdeburgi quod egerit.

Sexta mil[illegible] di [illegible]

* Lib. 2 de bono ſtat. relig. c. 30.

Ano-

d by Google

Auctorum memoria celeberrimi concionatores floruerunt: inter quos Bernardinus Feltrenſis ſuo ſæculo principem locum tenet. Patauij inſtituit montem pietatis anno 1491. ſiue potius (inquit * Radulphius) Mare pietatis, & Mammonam Pauperum Chriſti. * Bernardinus à Buſtis illi æqualis, tum doctrinâ & dicendi præſtantiâ ſimilis, ſcribit, Bernardino Feltrenſi Vincentiæ concionante, in aëre viſos Angelos plures, quàm eſſent homines in terrâ, qui attentè audiebant verbum Dei. Quantus fuerit Bernardinus à Buſtis, norunt qui legunt ſermones eius, quibus Roſarij nomen præſcripſit. Paullò pòſt incláruit Bernardinus Aquilanus Concionator Apoſtolicus: qui (teſtatur * Petrus Radulph.) Fragrantem omnium virtutum odorem ſpirans, roſamque & lilium, imò florum omnium odoramenta excellens, miraculis cum vitæ ſanctitate fulgens, multa opera ad Concionatores maximè ſpectantia, Latinè ac Italicè ſcripſit. inter ea Peregrinum, in Saluatoris noſtri memoriam, qui ei in peregrini formâ apparuerat. Obiit An. 1503. ætatis 83.

Sed etiam noſtro æuo ſanè quàm præclara lumina fulſerunt. Prior tempore Franciſcus Vice-dominus Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimus, eloquentiâ fuit admirabili: quod eo mirabilius, quia in ſermone familiari balbus, ſed in docendo, nullus eo promptior aut facundior. huic magna laus à magno viro Cornelio Muſſo, qui Suggeſti delitias, & Citharam noſtræ ætatis appellare conſueuit; * quod teſtatur Radulph. De Muſſo ſuprà dixi: illud tantùm addam, quod de eo Radulph. ſcriptum reliquit, Splendidum illud lumen, priſcum illum concionandi modum, Baſilio Magno vſitatum; multis poſteà ſæculis exſtinctum, primùm apud Italos reuocaſſe. Is ab anno duodecimo ætatis publicum ſacrarum concionum munus aggreſſus, effectus eſt Concionator celeberrimus, & cunctis admirandus: imò concionatorum ſæculi noſtri columen. Quid melliflua illa Suada Franciſcus Panigarola? In dicendo ita eminuit, vt omnes ad ſe pertraheret: omnes tam auidè audirent, vt nemo à concionantis vultu oculos auerteret; omnes ſtuperent dulciſſimi ſermonis eloquentiam vernantem. Et hos nobis dedit Italia. In Germaniâ, præter alios F. Ioannes Ferus notior: cuius ſuaui eloquentiæ beneficium Maguntia obliuiſci non debet. Auguſta Vindelicorum & Reti confines, Bauari, Tirolenſes gratiam habent, certè debent magno viro Ioanni Naſo: cuius operâ & laboribus, opida aliquot in Chriſtianâ religione confirmata, nonnulla ad fidem reducta, multi mecum ſciunt. Sed & Hiſpania nobis inſignes viros tulit, Didacum Stellam, Philippũ Diez, & alios tales ſtellas in hoc cælo, magna etiam lumina, quæ dies noſtros clarius illuſtrarunt.

De Belgicæ prouinciis, nihil opus eſt verbis, cùm adſunt teſtimonia rerum. Vt valli contra hoſtes ſtatuuntur illiſque obiiciuntur fortiſſimi antagoniſtæ: ſic illi aſcenderunt ex aduerſo, ſteteruntque in prælio, in die Domini. Vita, lingua, & ſanguis, quem pro religione ſuderunt, in iſtâ Gueſiorum barbarie, teſtantur viros illos fuiſſe. De noſtrâ Prouinciâ inferioris Germaniæ obiter dicam, illius fuiſſe fratrum noſtrorũ Cœnobia triginta duo ante iſtos motus: & pleraque, à quibus tum opida tũ Pagi vicini, ſingulis annis, mille amplius conciones habuerũt. Et nunc exſtãt, quæ opidanos, & ruſticos quotannis paſcũt, ducentis, trecentis concionibus ſupra mille. & pro certo eſt, rebus pacatis olim illam Belgicæ partem, quâ prouincia noſtra eſt, (Brabantiam, Hollandiam, Zelandiam, Vltraiectenſem ditionem, Friſiæ, Gelriæque minimam partem complectens) non minus viginti concionum millibus in ſingulos annos eruditam. Cetera quæ in Confeſſionibus excipiendis, & aliorum Sacramentorum adminiſtratione, monendo, exhortando, conſulendo, multorum bono, à Fratribus iam olim facta, & quæ nunc fiunt, ſtudio prætereo: quis quamquam magna iſta, imò maiora ad ſalutem generis humani haberi non poſſunt; tamen conſuetudine iam pro nihilo habentur. Quot opida, quot pagi vix audiunt Chriſtum prædicari, niſi à Religioſis! Sæpe vbi cùm Paſtores fugantur, aut fugiunt, tutòque omnibus adeſſe non poſſunt, illi adcurrunt. Vt canes venatici latè explorant feras, in ipſa dumeta ſiluarumque receſſus ſe inſinuantes, quò venatores ipſi accedere nequeunt: ſic illi quoque. Et, ô boni viri, vos rogo; Eſtne otioſus Ordo S. Franciſci? aut vmquam ab initio fuit? Recollige paucis, quæ ſuprà de Summis Pontificibus ex hoc Ordine; de Purpuratorum Patrum S. R. E. Cardinalium, & frequenti Prælatorum coronâ; de Regibus, Principibuſque viris qui hunc Ordinem adornarunt, ſiue potiùs eo adornati, ſunt dicta. Item quid Minoritæ in finibus orbis terrarum, in Aſiâ, in Africâ, denique in orbe nouo, patrarint, & modò præſtent; quot etiam hic Ordo purpureis martyrum roſis, quot vernet albicantibus Confeſſorum liliis; quàm multis denique ſummis Theologis, eximiis Doctoribus, Concionatoribus celeberrimis, quaſi micantibus ſtellis hoc cælum fulgeat, quàm ſtrenuam bonamque operam pauperes illi & mendici in Repub. Chriſtianâ nauent: videbis illos Deo multis. Itaque ſi attendis animum, & merita recte æſtimas, ex ipſâ re, poſſe affectu, non ſanctè ac Franciſcus dicitur ſuſtentare Eccleſiam ... fortè hæc dicta; quia pauca ſcripta hactenus à noſtris: plus in agendo, quàm ſcribendo operæ collocarunt. benigna alioquì materia ſe offert, cui propoſitum erit res noſtras extendere. At * Nullum

Margin notes: * Lib. ... Hiſt. Seraph. relig. — Bernardinus Aquilanus Concionator ... — * vbi ſup. — * Lib. 9. Hiſt. Seraph. relig. — De Franciſco Panigarola. — Ioannes Ferus. — Ioannes Naſus. — Ab inferioris Germaniæ prouincia Franciſcanis habita concionum viginti millia quotannis. — Alia multa bona ab illis, quæ conſuetæ vilia. — Diſcurſus recollectio.

Senec. 2 de Benefic. ca. 28.

eſt tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas poſſit. Nullũ tam anguſtum, quod non bonus interpres extendat. Numquam deerunt cauſſæ querendi, ſi beneficia à deteriore parte ſpectaueris, *quâ gemmâ hæc conſigno.*

IN CAPVT IV.

§.3. Cùm orabitis, dicite Pater noſter.] *S. Franciſcus interpretatus eſt Dominicam orationem eos paucis; mole, non pondere, quæ hic adſcribo ex Bartolom. Piſano.*

Confor. fruct. 12 & Firm. triũ ord. par. 1. *Orationis Dominicæ expoſitio.*

PATER NOSTER; Creator, Redemptor, Saluator, & Conſolator noſter.

QVI ES IN CÆLIS; in Angelis, in Sanctis; illuminans eos ad tui cognitionem: quia tu Domine lux es, inflammans eos ad amorem tuum diuinum: quia tu Domine amor es, inhabitans & implens eos ad beatitudinem: quia tu Domine ſummum Bonum es, & æternum bonum, à quo omne bonum, ſine quo nihil eſt bonum.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM; Clarificetur in nobis notitia tua: vt cognoſcamus quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas maieſtatis, & profundum iudiciorum.

ADVENIAT REGNVM TVVM; vt tu regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum: vbi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna.

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT IN CÆLO ET IN TERRA; vt amemus te ex toto corde, te ſemper cogitando; ex totâ animâ, te ſemper deſiderando; ex totâ mente, omnes intentiones noſtras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus noſtris omnes vires & ſenſus animæ & corporis in obſequium tui amoris, & non in aliud expendendo; vt proximos noſtros amemus ſicut noſipſos, omnes ad amorem tuum trahendo; de bonis aliorum ſicut de noſtris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini vllam offenſionem dando.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE; dilectum Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum da nobis in memoriam, & intelligentiam, & reuerentiam amoris, quem ad nos habuit, & eorum, quæ pro nobis fecit, dixit, & ſuſtinuit.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA; per tuam miſericordiam, & ineffabilem paſſionis dilecti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & beatiſsimæ Mariæ Virginis, & omnium electorum tuorum merita & interceſsiones.

SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS; & quia non plenè dimittimus, tu Domine fac nos plenè dimittere: vt inimicos propter te veraciter diligamus, & pro eis apud te deuotè intercedamus: nulli malum pro malo reddamus, ſed omnibus in te prodeſſe ſtudeamus.

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM; occultam vel manifeſtam, ſubitam vel importunam.

SED LIBERA NOS A MALO, præterito, præſenti, & futuro Amen.

Ad omnes Eccleſias & Cruces, ſe humiliter proſternebãt.] *Iohannes Molanus;* Rectiſsimè in viis publicis eriguntur Crucis ſigna & Sanctorum imagines, iuxta definitionem ſecundæ * Nicænæ Synodi. Nam ſi pagani Mercurium, vt eſt apud * Clementem, viæ, viciniæque præfectum ſtatuebant: quanto magis à nobis conuenit Sanctorum imagines in viis poni, vbi eorum patrocinium requirimus? Hinc in foro erigi iuſsit Conſtantinus Crucis ſignũ: quod, vt * Chryſoſt. habet, vbique celebrari videre licet, in foro, in ſolitudine, in viis, in mõtibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigiis, & inſulis. Itaque Crux in viâ poſita, ad omnes clamat illud Ieremiæ; O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.

* Lib. 2 de hiſt. ſac. ima c. 25. *Crucis ſigna in viâ quid doceant.* * Act. 2. * Or. ad Gen.

* Homil. Quòd Chriſtus ſit Deus.

Thren. 1. 12.

5. Ordinem fratrum de pœnitentiâ.] *Hac cauſſâ inſtituit eos S. vir. Canarij auſpicatum eſt prædicare Euangelium Chriſti, tam certus Dei reuelatione, ſe ſuoſque ad munetu iſtud datos eſſe. Itaque (vt ſcribit Bartol. Piſanus) ibi* tanto prædicauit feruore, vt omnes caſtri illius mares, & fœminæ eum ſequi vellent, quibus ait, Non faciatis: quia ego ordinabo pro ſalute veſtrâ, quid agere debeatis. & ex tunc cogitauit inſtituere Tertium Ordinẽ, qui dicitur fratrum & ſororum de Pænitentiâ. * *Thomas Bozius;* Cùm videret Laicis non eſſe niſi vnam viuendi inter Chriſtianos normam præſcriptã; vt aliquos ex his ſeligeret, qui haberent, vbi vellẽt, ſanctiorem viuẽdi formam; regulas quaſdam,

Tertius Ordo pœnitentium.

Confor. fruc. 10.

* Lib 9. de ſignis Eccleſ. Dei cap. 5.

leges-

exercitique speciales his præſcripſit, ſuoſque præfectos attribuit omnium primus, diſtinctumque veſtitum, * Reuerendiſſimus P. Franciſcus Gonſaga tradit anno ſalutis milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo, hunc Ordinem à S. Patre Franciſco inſtitutum; ab Honorio Tertio confirmatū, à Gregorio Nono, Innocētio Quarto, Nicolao Quarto, multis auctū fauoribus & priuilegiis. Hiſtorias Sanctorum qui ex hoc ordine inter Diuos ſunt relati, alius liber promittit.

6. Clara ipſarum plantula prima.] Ordo ſecundus, quem S. Franciſcus inſtituit virginibus, arctius Chriſto ancillari cupientibus, cœpit anno ſexto à conuerſione S. Franciſci, An. ſalutis 1212. vt * S. Antoninus commemorat. & à Clarâ primâ plantulâ dicitur Ordo S. Claræ, de cuius ſanctitate habes in hiſtoriâ vitæ eius. De Sororum S. Claræ frequentiâ, capite præcedenti dictum.

Qui quotidianis ſuccreſcentes profectibus, viſque ad fines orbis terræ.] De multitudine fratrum inſtituti D. Franciſci ſupra abunde, ad paragraphum quintum capitis tertij. Frequentiæ illius cauſſam adfert S. Bonauentura à paupertate, quam beatus Franciſcus fulcrum & baſim Ordinis ſuo ſubiecit, vti rerum & virtutum ſeruatricem. * Ludouic. Granaten. ad ea quæ in Elogiis, hæc addit. In eo etiā Dei prouidentia mirabiliter elucet: qui cùm præcipuus huius inſtituti auctor fuerit, eam mentem cunctis mortalibus immiſit, vt audito nomine Franciſci, nauiculatores, piſcatores, ſtabularij, publicani, atque omne poſtremùm genus hominum ſtipem cunctis eius ſectatoribus porrigant, nullumque ab eis vectigalis aut tributi genus exigāt. Quodque mirabilius eſt, immanis Turcarum natio, non modò nihil ab eis (quemadmodum ab aliis fidelibus) tributorum exigit: ſed ſtipem etiam, & eleemoſynam petentibus præbet, quod ego planè quoddam miraculi genus à diuinæ prouidentiæ curâ profectum eſſe non dubito. Nec minus miror, eundem paupertatis ſpiritum & amorem, qui in B. Patre præfuit, ad eius quoque filios permanaſſe. Cùm enim omnes omniū Ordinum homines, qui in toto orbe verſantur, omni ſtudio aurum quærant, aurum ſitiant, ac pænè adorent, paupertatemque per ſaxa, per ignes fugiant: plurimos in hoc ſanctiſſimo ordine viros ac feminas reperire licet, qui contra omnium mortalium vota ac deſideria, maiori ſtudio paupertatem, quàm illi diuitias quærant, &c. Neſcio ſitne rectius dictum ab alio in hanc ſententiam, quam à Seneca: Magnæ diuitiæ ſunt, lege naturæ compoſita paupertas. Lex autem illa naturæ, ſcis quos nobis terminos ſtatuit. Non eſurire, non ſitire, non algere, vt famem ſitimque depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, nec ſuperciliū graue, & contumelioſam etiam humanitatem pati. Non eſt neceſſe maria tentare, nec ſequi caſtra. Parabile eſt quod natura deſiderat, & expoſitum. Ad ſuperuacua ſudatur. Illa ſunt quæ togam conterunt, quæ nos ſeneſcere ſub tentorio cogunt, in aliena littora impingunt. Ad manum eſt, quod ſat eſt. Cui cum paupertate bene conuenit, diues eſt.

9. Fratrem Pacificum.] Scribit Ioannes Molanus, operâ B. Pacifici, multa monaſteria exſtructa in Franciâ: inter quæ Lenſenſe, Atrebatenſe, & Valencenenſe, cuius poſtremi initium multâ virorum nobilitate fuit decoratum. Fuit verò inter eos nobiliſſimus Iudocus de Maternes, ante conuerſionem gubernator Montenſis; qui cognatum ſuum ad eundem Ordinem trahens, fundatorem vidit cœnobij Gandenſis. Obiit Pacificus Lenſij, ſiue Lendy, & ſepultus ibi in monaſterio ab illo exſtructo.

10. In loco S. Mariæ de Portiunculâ, ad Generale Capitulum.] De hoc dictum ſuprà, ad §. 4. cap. tertij vbi de Ordinis Minorum incrementis.

11. Viuendi formam per Dominum Innocentium approbatam, diſponeret per ſucceſſorem eius Honorium in perpetuum facere roborari.] Cap. 3. præcedenti, in fine §. 8. S. Bonauentura commemorat Innocentium Tertium Pontif. Regulam S. Franciſci adprobaſſe; idque anno Pontificatus eius 13. vt * Gonzaga ſcribit, qui fuit an. ſalutis 1211. & hæc erat prima regula. hic verò, quā legis ab Honorio Tertio confirmatam, ſecūda eſt, in compendioſiorem formam redacta, cui Franciſcani omnes profeſſione nos obligamus. Et vides ſuggerente Spiritu Dei ſcriptam; & per incuriam perditam, rurſum poſt ieiunia & preces, velut ex ore Dei reſcriptam, quam Honorius confirmauit anno Pontificatus octauo (teſte S. Anton.) qui fuit ſalutis 1223. S. Birgitta de regulâ S. Franc. diuinitus indicatum, Chriſto dictatam auctore, ſingula eius verba à Spiritu ſancto eſſe, dixi in Elogiis.

IN CAPVT V.

§. 4 Mulierum familiaritates.] Sanctus Martinus pulchrè in hanc rem apud Seuerum Sulpitium. Mulier virorum caſtra non adeat, acies militum ſeparata conſiſtat; procul femina in ſuo degens tabernaculo ſit remota: contemtibilem enim

Margin notes: Hiſt. par. 2. c. 21. c. 7. — Conc. de S. Franc. art. 1. de paupertate Fratrum Minorum propagatrice. — Epiſt. 4. [illegible] — Natales Belgij ad 10. Iul. Pacificus in Belgio monaſteria aliquot exſtruxit. — * De orig. Seraph. rel. par. 1. — Regula S. Franciſci Dei Spiritu ſuggerente ſcripta. Hiſtor. par. 3. tit. 24. c. 7. §. 4. — Dialog. 2. cap. 11.

enim reddit exercitum, ſi virorum cohortibus turba feminea miſceatur.

De recollectione matutina & veſpertina.

§. 7. Qui perfectioni vitæ inuigilant, quotidianis debere ſe lacrymarum emundare fluentis.] *De recollectione offert ſe occaſio vt differam fuſius. Duplex ea nobis, matutina & veſpertina. Matutinam voco, quæ poſt nocturnas preces ordinariè, aliàs ipſo diei exortu, agitatur ante omnes actiones. Veſpertina, poſt Completorium, antequam nos quieti damus. Diſtinctè de vtraque agam. ipſa res poſtulat, & magnum bonum inde proueniens, ſi ritè & rectè ſeruetur. Et profectò numquam intermittenda bono viro, qui viam virtutis inire, progredi & feliciter finire cupiat. Diuus Hieronymus ſcribit Pythagoricorum præceptum eſſe*, Duorum temporum quàm maximè habendam curam, manè & veſperi, id eſt, eorum, quæ acturi ſumus & eorum quæ geſſerimus. *Nimirum à Deo agendi capienda primordia, in Deum deſinendum. Pulchrè S. Ambroſ.* In Chriſti nomine omnes actus noſtri dirigendi ſunt; & ad ipſum totius vitæ noſtræ commotio referenda: quia, ſicut ait Apoſtolus, In ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus. Sed & cùm veſpera diē claudit, ipſi debemus per pſalterium laudem dicere, & gloriam eius modulatâ ſuauitate concinere: quo operum noſtrorum conſummato certamine veluti victores requiem mereamur, & laboris quædam palma ſit ſoporis obliuio. Hoc vt faciamus, fratres, non ſolùm docemur ratione, ſed etiam monemur exemplis. Nonne videmus minutiſſimas aues, cùm illuceſcentem diem aurora producit in quibuſdam nidorum cubiculis, variâ dulcedine perſonare? & id ſtudioſè agere priuſquam procedant, vt Creatorem ſuum, quia loquelâ nō poſſunt, ſuauitate demulceant? Et quemadmodum vnaquæque earum, quoniam confeſſione nequit, modulis prodat obſequium, ita vt videatur ſibi deuotiùs gratias agere, quæ dulciùs perſonauit, hoc etiam peracto diei curſu ſimiliter facere. (*Sic colligit alibi.*) Quis igitur non erubeſcat ſenſum hominis habens, ſine Pſalmorum celebritate diem claudere: cùm etiam minutiſſimæ aues ſolemni deuotione, & dulci carmine, ortus dierum ac noctium proſequantur? *Omni tempore benedicendum, laudandum ſummum Deum, ſacræ litteræ docent, ſiue vel etiam ſine intermiſſione orandum. Oratio verò complectitur, non ſolùm laudes Dei, & gratiarum actionem, ſed & petitionem, & poſtulationem. nec ritè à nobis poſtulari quod expedit poteſt, niſi quod deſideretur in nobis probè ſciamus. Opportuniùs verò numquam nos ipſos ſcrutari, inſpicere, poſſumus, quàm cùm nobiſcum ſumus, cùm à ſomno ſurgimus, cùm ad ſomnum concedimus. Itaq; oportet quidē ſemper orare, ſed maximè tamen manè & veſperè. Iam verò perfectiſſimam eſſe orationem, cùm petimus cognitionem noſtri primùm, deinde Dei,* * *paullò poſt exponam fuſiùs, producto inſigni loco S. Auguſtini. Non poteſt autem quis ſe noſſe, Deum multò minùs, niſi vocato ad rationem animo, acta dies & agenda ſtudioſiſſimè recolat; quod quo pacto debeat fieri, ſub exemplo eleganter docet B. Ephrem*; Negotiatores ſumus ſpirituales, ô dilectiſſimi: conſiderate quæ dico. Negotiator per ſingulos dies lucrum, ſeu diſpendium ſupputat: & ſi ſe detrimentum ſuſtinere intelligat, feſtinat, ac ſollicitudinem adhibet, quomodo damnum ipſum recuperet. Ita & tu, dilectiſſime, per ſingulos dies, veſpere & manè diligenter conſidera, qualiter ſe habeat ratio mercimonij tui, &c. *Eiuſmodi exercitio probos religioſos purgari & proficere debere, accuratiſſimè docuiſſe maiores noſtros teſtatur docetq; B. Dorotheus; nempe* rimari, ac perſcrutari diligentiſſime, quonam pacto tempus exegerimus, quid commiſerimus, nū in aliquâre deliquerimus. Si, *inquit*, ita ſolicitus fueris, ſaluabis mercimonium tuū, & Domino tuo placebis, & tibimetipſi vtilis eris. *Atque hac ratione (auctore S. Bernardo)* ipſum fontē ſuum, id eſt, mentem de quâ oritur, purificat cōſideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat. Poſtremò diuinarum rerum pariter & humanarū ſcientiam confert. Hæc eſt quæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, ficta, & fucata explorat. Hæc eſt quæ agenda præordinat, acta recogitat: vt nihil in mente reſideat, aut incorrectum, aut correctione egens.

Apol. 3. aduer. Ruff. c. 10.

Serm. 43.

Act. 17. 28.

Ab auium exemplo.

Lib. 5. hexaem. c. 12.

Pſal. 33. 2. Luc. 18. 1. 1. Teſſ. 5. 16.

* In c. 13. §. 2.

In monitis. Et mercatorum.

Serm. 11.

Lib. 2. de conſideratione.

Summo mane offerenda Deo primitiæ cordis & oris.

Sed quoniam à luce dies incipit, ordiemur & nos à recollectione matutinâ: quâ mens collecta in ſe, & ad varios caſus obfirmatus animus feliciter diem tranſigere queat. Ipſe Dauides hortatur ſuo exemplo; Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua ſuper ſperaui. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. *Similiter eius filius Salomon, cum Deo loquens*; Quoniam oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis te adorare. * *S. Ambroſius*; Graue eſt enim ſi te otioſum inſtratis radius Solis orientis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara

Pſal. 118. 147.

Sap. 16. 28.

* Ser. 19 in Pſal. 118.

ferat oculos ſomnolento adhuc torpore depreſſos. Arguit nos tanti temporis ſpatium ſine vllius deuotionis munere, ac ſacrificij ſpiritalis oblatione feriatâ tranſmiſſum. An neſcis, ô homo quod primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi meſſis, quotidianus ibi fructus. Occurre ergo ad Solis ortus, vt te Oriens inueniat iam paratum: ne lumina tua madido adhuc ſopore mergentia, primus diei fulgor exagitet. *Priſcis Chriſtianis hoc ſolemne & quotidianum fuiſſe ſcribit* *Plinius Secundus ad Imperatorē Traianum:* quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem; ſeque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitū appellati abnegarent; quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe. *Tertullianus Plinij ſcriptum in* *Apologetico aduerſus Gentes refert: illumque cum Proconſulem Bithyniæ ageret, etiam diligentiſſime in Chriſtianos inquiſiſſe: tamen* nihil de ſacris eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo, & ad confœderandam diſciplinam; homicidium, adulterium, fraudē, perfidiam, & cetera ſcelera prohibentes. *Vides quo pacto illi animum compoſuerint, & ſenſus perduxerint ad firmitatem? Mentem præparare neceſſe eſt, vt cum tentationum procellæ & tempeſtates incurrunt, turbare non poſſint, & mouere. Igitur omnibus obſeruandum, quod exemplo ſuo docuit regius Pſaltes,* Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. *In quem locum hæc D. Ambroſ.* Diuiduus ſenſus: aut quia vias ſuperiores meas cogitaui, plenas lapſus atque peccati: & ideo vt remiſſionem peccatorum poſſem mereri, morum conuerſione, ſtudioque virtutum auerti pedes meos in teſtimonia tua; vt iam nō meis greſſibus, quibus ante ſum lapſus, ſed teſtimoniorū tuorum itineribus ambularem, quò tuorum ſemitæ mandatorum me errare non ſinerent, nec veſtigium in deuia & tortuoſa deflecterem. Hic ergo vnus ſenſus eſt. Alius autem ita: Cogitaui vias meas, non ſuperiores, ſed futuras: vt ante, meos actus cogitationibus præuenirem, ne inconſultâ operatione progreſſus aliquid in ipſis actionibus offenſionis inciderem. vt ſi agere aliquid velim, ante cogitem, vtrum agendum ſit illud quod deſidero, aut quo agendum modo. Similiter ſi alloquendum; vtrum alloqui debeam: deinde publicè an ſecretò loqui, præſentibus aliquibus, aut nullis. Sicut illud eſt, *vt ſi velis fratrem corripere, primò ſolus corripias; ſecundò, præſentibus duobus aut tribus teſtibus; tertiò, ſi non audierit, coram Eccleſia.* Itaque ſi prætermiſſo ordine velis coram Eccleſiâ fratrem increpare, quem antè monere debueras, erratum ipſe cognoſcis. Omnia igitur cum cogitatione facito, vt non te pœniteat aperti oris tui. An verò ſi viam ingreſſus, cùm veneris ad compitum aliquod (ita enim appellatur plurimarum velut quidam concurſus viarum) ſi neſcias quod iter ingredi debeas, ſtas tamen & cogitas ipſe tecum, vtrùm primam, an ſecundam, an tertiam, an quartam, vel certè quintam. ſi ita eſt, viam eligas quam ſequaris: nec putas prius adoriendum iter, quàm animo definieris, & pleniore mentis intentione decideris. Stas igitur cogitans, quæ ſit via quæ in ciuitatem ducat, ad quam tibi putas eſſe pergendum. Quanto igitur magis animo debes ac mente conſiſtere, qui ad regnum cæleſte contendis, & cogitare tecum, quia non omnis via illò ducit, non omnis via illò dirigit ad Hieruſalem illam quæ in cœlo eſt. Sunt viæ quæ malos exitus habent; & quas diaboli tentamenta triuerunt: & ideo exitus earum exitus mortis ſunt. Hæ nempe ſunt viæ, de quibus legiſti in Prouerbiis; quia ſunt viæ quæ videntur viro rectæ eſſe; vltima autem earum aſpiciunt in profundum inferni. Eſt autem via anguſtior illa, quæ ducit ad Dei regnum. Voles ergo eam ingredi viam quæ ad Deum ducit, nō circumſpicies, non tecum ipſe tractabis, non conſiderabis, ne facilè capiaris affectu, ſi viæ latitudine prouocatus ingrediaris iter, quod ad inferna deducat? *Paulò poſt.* Cogitandum eſt igitur quid geramus. Vbi enim pręcedit cogitatio, maturitas operationis adhibetur. Itaque pes iſte, fidei veſtigium eſt, quem meditatione perpenſa à corporalibus motibus, ad teſtimonia diuina deflexit. Quid igitur proſit cogitare antè, quod poſteà facturus ſis, docet verſiculus qui ſequitur; Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. Vbi cogitatione quis præuenit quod acturus eſt, ſemper paratus ad agendum eſt, ſemper tutus & validus: vt non queat ſubitâ aliquâ accidentium offenſione turbari. Nulla enim ſlabra ſcopuloſæ nimis ambitionis

excu-

Epiſt. 97.

Exemplo priſcorum.

*Cap. 2.

Qui mentem confirmabant aduerſus omnes turbellas.

Ser. 8 in Pſal. 118.

Matth. 18. 15.

Simile elegans.

Cap. 14. 12.

Matth. 7. 14.

Pſal. 118. 148.

Iacula præuiſa minus feriunt.

Digitized by Google

excutiunt; nulla procella atque tempeſtas iniuſtæ inuaſionis exagitat; non petulantis oculus meretricis illaqueat. Si perſecutio ingruit, inuenit iam paratum: vt vbi poſſit eſſe perturbatio ſalutis incertæ, ibi ſperata ſacri coronа certaminis, prouidâ futuri meditatione demulceat. Ideoque mentem ſuam præparare debet: vt cùm iſta acciderint, turbare ſe non queant. *Hactenus S. Ambroſius. Porrò autem quoniam* * numquam ſatis dicitur, quod numquam ſatis diſcitur, *addam Sapientiæ Romanæ parentis ſaluberrimum præceptum de re eadem. Multa ab ipſo bene dicta refero, quia non illius modò, ſed publicæ ſunt voces. hæc ait;* * Inſpicere debemus primùm noſmetipſos: deinde quæ aggredimur negotia; deinde eos quorum cauſa aut cum quibus agendum eſt. Ante omnia neceſſe eſt ſeipſum æſtimare: quia fere plus nobis videmur poſſe, quàm poſſimus. Alius eloquentiæ fiduciâ prolabitur, alius patrimonio ſuo plus imperabit, quàm ferre poſſit. Alius infirmũ corpus laborioſo oppreſsit officio: quorumdam parum idonea eſt verecundia rebus ciuilibus, quæ firmam frontem deſiderant; quorundam contumacia non facit ad aulam. Quidam non habent iram in poteſtate, & illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert. Quidam vrbanitatem neſciunt continere, nec periculoſis abſtinent ſalibus. Omnibus his vtilior negotio quies eſt. Æſtimanda ſunt deinde ipſa quæ aggredimur; & vires noſtræ cum rebus quas tentaturi ſumus, comparandæ. Debet enim ſemper plus virium eſſe in actore, quàm in pondere. Neceſſe eſt opprimant onera, quę ferẽte maiora ſunt. Quædam prętereà non tam magna ſunt negotia quàm fœcunda, multumq; negotiorum ferunt. Et hæc fugienda ſunt, ex quibus noua occupatio multiplexq; naſcitur: nec accedendum eò, vnde liber regreſſus non ſit. His admouenda manus eſt, quorum finem aut facere, aut ſperare poſsis. Certè relinquenda quæ latiùs actu procedunt, nec vbi propoſueris deſinunt. Hominum quoque delectus habendus eſt, an digni ſint quibus partem vitæ noſtræ impendamus; an ad illos temporis noſtri iactura perueniat. Quidam vltrò officia noſtra nobis imputant. Athenodorus ait, ne ad cœnam quidem ſeiturum ad eum, qui ſibi nil pro hoc debiturus ſit. Puto intelligis, multo minùs ad eos iturum qui cum amicorum officiis paria in menſâ faciunt, qui fercula pro congiariis numerant: quaſi in alienum honorem intemperantes ſint, deinde illi ſint teſtes ſpectatoreſque. Non delectabit popina ſecreta. Conſiderandum eſt, vtrum natura agendis rebus, an otio, ſtudio, contemplationique ſit aptior: & eò inclinandum, quò te vis ingenij defert. Male enim reſpondent coacta ingenia: reluctante natura irritus labor eſt. *Claudo hæc verbis S. Ioannes Chryſoſtomi;* * Si in matutinis hæc meditemur, cũ multa fiduciâ procedemus ad opera, ſi Deum prius propitium fecerimus occurſu & ſupplicatione. Nihil habebimus inimicum: quod habes deridebis, propitiũ habens Deum. Bellum eſt in foro, pugnam quotidianam exhibent negotia, tẽpeſtas & procella. Armis itaque nobis opus eſt: magna verò armatura oratio. Opus eſt ventis à puppi, opus omnia diſcere, vt diei ſpatiũ abſq; naufragiis & vulneribus tranſigamus. Multi namque per ſingulos dies ſcopuli, & frequenter illiditur ſcapha, atque ſubmergitur: propterea nobis opus eſt oratione, matutinâ præſertim & veſpertinâ.

Et quidem hoc modo animus eſt aptandus ſummo mane: ne caſuum perturbet varietas, ſed aduerſus incerta ſit certus. Verum quoniam plerumque inſtabilior, & plurimis diſtentus, ſui obliuiſcitur animus ſæpe: non attendit ſemper propoſiti conſilium, neque quod tranſuerſum a rectâ deflectit regulâ, & regiâ illâ viâ. Itaque ſub veſperum animum collige, & cauſſam apud te dicito, ſcrutans totum diem, dicta omnia factaq; remetiens. Hoc docet ſapiens Romanus; * Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum; Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? quà parte melior es? Deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet quotidie ad iudicem eſſe veniendum. *In eandem ſententiam Diu. Chryſoſt.* * Conſtitue ſuper conſcientiã iudicãtem rationem, & in medium omnia patrata propone. Animæ tuæ peccata ſcrutare, & pœnas exige diligenter, & dic; Quamobrem hoc & hoc auſa es? Et ſi hæc quidem fugiat, aliena verò diſcutiat, dic ad eam; Non de his te iudico: non pro his veniſti te purgatura. Quid enim ſi ille malus quare tu hoc & hoc admiſiſti; noli accuſare: tua conſideres, non aliena; & eam in, hanc agas anxietatem continuè. Poſteà ſi nihil quod dicat habeat, ſed refugiat: dilania flagellans eam, quaſi quan-

Side notes:

* Sen. ep. 27.

1. De Tranquil. an. c. 4. 5. 6.

Inſpicere primum debemus noſmetipſos.

Deinde quæ aggredimur negotia.

Poſteà quorum cauſſa.

* Hom. 41. ad Antiochen.

Sub noctem animus ad rationẽ vocandus quotidie.

* Sen. lib. 3. de ira c. 36.

* Hom. 46. ad Antiochen.

damancillam insolentem & [illegible] tem. Et quotidie huiusmodi flumen [illegible] continue, & ignis flumen tormentis [illegible] neniferum vermem, tormentaliqua. (Quodam interposito.) Cum autem hæc ex- aminaueris, adit nemo, nemo tumul- tuetur, sed ficut iudices sub tectis iudicat ſedentes, ſic & tu pro velis, quietis tem- pus & locum inquire. Et cum cœnatus ſurrexeris, & ſis recubiturus, iſta tunc diſcerne; Hoc tibi tempus idoneum: Hoc locus autem lectus & cubiculum. Hoc & Propheta iuſſit, dicens; Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus ve- ſtris compungimini. Et paruorum magnas exige pœnas, ne magnis vm- quam approximes. Si per ſingulos hoc feceris dies: cum fiducia ſtabis ante tremendum illud tribunal. Pau- lus namque purus eſt factus: & propterea di- cebat; Si nosipſos indicaremus, non iu- dicaremur. * Ideo quantum potes te ipſum coargue, inquirente, Accuſatoris primum partibus fungere, [illegible] inde iudicis, nouiſſime deprecatoris. [illegible] * Quòd ſi quotidie peccauerimus & [illegible] tare D. Chryſoſtomi monitum) & [illegible] noſtram contuderimus; num [illegible] tem ſenſerimus, ſicut continuò [illegible] ra accipientes & deſipientes, ita mortemque ſibi accerſunt. ita nos ineuitabile nobis ſupplicium continuâ ſenſus carentiâ attrahemus.

Pſal. 4.5.

Vt iudicio Dei ſecure ſiſtamur.

1. Cor 11. 32.

* Sen. Epiſt. [illegible]

* Ser. de pœnit. & confeſ.

† Ibid. [illegible]

7. Non eſt ob amorem luminis, quod habemus commune cum muſcis.] Dydi- mo, omni litterarum genere exculto. [illegible] Antonium cum hoc Dydimo in [illegible] quium veniſſe; eiuſque doctrinam [illegible] intelligentiam cum perſpexiſſet [illegible] x iſſe; Nihil te conturbet, Dydime [illegible] corporeorum oculorum [illegible] ſenſu oculorum corporeorum [illegible] lis. Nam quamuis tales oculi [illegible] muſcis & culicibus tribuuntur [illegible] mundum, tibi prorſus deſint [illegible] tari plurimùm debes, quod illos [illegible] oculos, quibus cernitur, quibus [illegible] Deus ipſe cernitur, quibus comprehenditur [illegible] ritiſſimum eius lumen [illegible]

8. Ab aure vſque ad [illegible] cura protracta.] [illegible] cura [illegible] ne & in noſtris [illegible] infirmitate, [illegible] Ita hodie dolet caput, [illegible] caute- dolent renes, [illegible] in capite. pro [illegible] corporis putredine [illegible] rium quodammodo [illegible] Loquitur de Circumciſione Chriſti, Saluatoris,

Sermone 3. de Circumciſ. Domini.

Nec ignis ardorem ſenſi.] In libro * Sapientiæ legimus; Creatura tibi factori deſeruiens exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos; & lenior fit ad bene- faciendum pro his qui in te confidunt.

Apud eremum S. Vrbani.] Cur ita dicatur, diſſerit Ioannes Molanus lib. 3. de hiſto- ria ſacrarum Imaginum cap. 19. opinionem ſuam adferens, nihil ponit.

Vinum efficitur optimum, quod fue- rat aqua pura.] Refert * Mariol. Peſaurus Sanctum Franciſcum de Trabebonante cum eccleſiam apud locum [illegible] tempore, fontem totum in ædificare æſtiuo [illegible] commutaſſe. Operarij enim po- optimum; nec exſpectabant fratres qui vinum te- ſcebant allatum. Tum B. Franciſcus ad fon- tem ibi vicinum perrexit; & ibi facta oratione, fontem crucis ſigno cùm ti- gnaſſet, aqua ipſius fontis in vinum optimum eſt conuerſa. quæ conuerſio ad hoc vſque durauit. Ibidem ſcribit etiam acetum ab illo in vinum commutatum.

* Sap. 16.

* Mariol. in chron. [illegible]

IN CAPVT VI.

1. OMNIVM virtutum cuſtos & decor humilitas.] * Hugo à ſan- cto Victore; * Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris. Ecce mel humilitatis, cum dulcedine manſuetudinis. Sicut e- nim mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diuerſitati- bus ſpecierum: ſic ex humilitatis dul- cedine condiuntur omnia genera vir- tutum.

* Lib. 3 de clauſ. anim.

* Matt. 11. 29.

4. Non tam præeſſe voluit, quàm ſubeſſe.] Magnifice hic à S. Patre commenda- tur obedientia. & rectè: quia docente * B. Au- guſtino, Ea virtus in creaturâ rationali mater quodammodo eſt omnium, cu- ſtoſque virtutum: quandoquidem ſic facta eſt, vt ei ſubditam eſſe ſit vtile: perniciosum autem ſuam, non eius à quo creata, facere voluntatem. Nec Deo tantummodo obediendum, verùm etiam homi- bus: ſedque exemplo Chriſti Filij Dei, qui fuit ſub- ditus parentibus. * Origenes: Si Ieſus Filius Dei ſubiicitur Ioſeph & Mariæ: ego non ſubiiciar Epiſcopo, qui mihi à Deo or- dinatus eſt pater? non ſubiiciar presby- tero, qui mihi Domini dignatione præ- poſitus eſt? Nec talis penſenda ſublimitas & humi- multo præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſuper- biâ. Audi Minoridarum pædagogũ * Felix hæc ſeruitus, imò glorioſa libertas, quâ quis ſponte in regiam venditus ſeruitutem, Deum

* S. Bonau. Spec. diſc. lib. 1. cap. 4.

L

Digitized by Google

Deum & eius Vicarios potius, quàm ſe-ipſum, ſuper ſe regnare conſtituens, ſuæ prorſus renunciat voluntati. *Eius rei cauſſam præcipuam reddit* * *alibi*; Vt homo qui ſub Deo eſſe noluit peccando, & ita ſuperbiendo gratiam Dei perdidit, ſatisfaciat ei ſubiiciendo ſe homini propter Deum: & ita per humilitatis meritum gratiam Dei recuperet, quam amiſit. *Porrò autem de propria voluntate, matre inobedientiæ, nota eſt. S. Bernardi ſentẽtia*; Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. *Hanc peſtem vt euitarent veteres monachi, obedientiæ ſe iugo penitus ſubdiderunt: nam præcipua monacho hæc & prima virtus, quæ in Chriſto maximè fulſit.* Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, *&c. S. Ambroſius*; Conſidera ô homo quid legas! Non laborauit Apoſtolus potentiam Chriſti probare, ſed obedientiam prædicare; ſed demonſtrare, quãta ſit humilitatis gratia, quantus eius profectus! Si putas quòd Chriſto profuit humilitas ſua: cui ergo non proderit? ſi illum exaltauit, quem non augebit?

* Ptr. proſec. ling. lib. 2 c. 19.

* Ser. 1. de teiut. Domini. *Voluntas propria infernum facit.*

Phil. 2. 8. *Obedientia præcipua monachi virtus.*

Ser. 30 in Psal. 118.

Duo referam humilitatis, & incredibilis propemodum obedientiæ magna miracula, ad excitandam virtutum æmulationem, ex Sulpicio Seuero. quibus obedientiæ meritum & virtus cognoſcetur. Cùm quidam ſæculi actibus abdicatis, monaſterium magnæ diſpoſitionis ingreſſurus, cœpiſſet rogare; Abbas cœpit ei multa proponere: graues eſſe iſtius diſciplinæ labores; ſua verò dura imperia, quæ nullius facilè valeret implere patiẽtia. aliud potiùs monaſteriũ, vbi facilioribus legibus viueretur, expeteret; nõ tentaret aggredi, quod implere non poſſet. Ille verò nihil his terroribus permoueri, ſed magis ita omnem obedientiam polliceri, vt ſi eum Abbas in ignem ire præciperet, non recuſaret intrare; quam illius profeſſionem vbi magiſter accepit, non cunctatur probare profitentem. Caſu clibanus propter ardebat, qui multo igne ſuccenſus, coquendis panibus parabatur. exũdabat abruptis flamma fornacibus; & intra camini illius concaua, totis habenis regnabat incendium. hoc igitur aduenam illum iubet magiſter intrare, nec diſtulit parère præcepto. Medias flammas nihil cũctatus ingreditur: quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, ceſſere venienti. Separata natura, fugit incendium: & qui putabatur arſurus, velut frigido rore perfuſus, ſe ipſe miratus eſt. Sed quid mirum, ſi tuum Chriſte tironem ignis ille non attigit? vt nec Abbatem pigeret dura mandaſſe, nec diſcipulum pœniteret imperio paruiſſe. qui eo die quo aduenerat, dum tentaretur infirmus, perfectus inuentus eſt: meritò felix, meritò glorioſus, probatus obedientiâ, glorificatus eſt paſſione.

1. Dial. 13.

Cuius vi & potentiâ caminum ardentem ingreſſus non vritur.

Dan. 3. 50.

In eodem autem monaſterio factum, id quod dicturus ſum, recenti memoriâ ferebatur. Quidam itidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat, cùm prima ei lex obedientiæ poneretur ac perpetem polliceretur ad omnia vel extrema patientiam: caſu Abbas ſtoracinam virgam iam pridem aridam manu gerebat; hanc ſolo fixit, atque illi aduenæ id operis imponit, vt tam diu virgulæ aquam irriguam miniſtraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in ſolo arente viuiſceret. Subiectus aduena duræ legis imperio, aquam propriis humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo fere milia petebatur. Iamque emenſo anni ſpatio, labor non ceſſabat operantis; & de fructu operis ſpes eſſe non poterat: tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertio demum ſuccedentium temporum labente curriculo, cùm neque nocte, neque interdiu aquarius ille ceſſaret operator, virga floruit. Ego ipſam ex illâ virgâ arbuſculâ, quæ hodieq; intra atrium monaſterij eſt ramis virentibus, vidi; quæ quaſi in teſtimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides poſſit, oſtendit. *Hactenus Sulpitius. Sic ſolent antiqui (quod vtinam imitemur in fingendis noſtris nouitijs)* * patres ſeniores non loqui ab initio fratribus recepta, ſed magis diſtorta: & ſi viderint quę diſtorta ſunt facere, iam eis non loquuntur niſi quod expedit, ſcientes quoniam in omnibus obedientes ſunt.

Sulpit. ibid. 13.

Et lignum aridum vireſcit.

* Vitæ pat. par. 2. l. de diſcret.

Quamuis autem obedientia cuique religioſo ſummo opere colenda ſit, tamen beatus Franciſcus rarò per obedientiam præcipiendum eſſe cenſebat; nec primò fulminandum iaculum, quod debet eſſe extremum. Ad enſem, inquit, non citò manus mittenda eſt. Nam auctoritas imperandi in teme-

temerario præceptore, quid eſt aliud, quam gladius in manu furioſi? *hæc* Speculum vitæ S. Franciſc. & * Bartholom. Piſan.*

* Cap. 48. Conform. [illegible] 12 &

6. Dominus Oſtienſis Ordinis Minorum Protector, & promotor præcipuus, Gregorius Nonus.] *Venerenſi arbores adplanæ in [illegible] tamen adſurgere non poſſunt; propagantur autem & fructificant comprehenſis ſed amentis & [illegible] quibus fulciantur: ſic Ordines Religioſorum habuere ſuos fautores, quorum patrocinio ſubauxerunt. Primus Ordinis Seraphici protector fuit, Hugo dictus, ſiue Hugolinus: poſteà Pontifex Maximus, Gregorius Nonus. adeò dilexit Ordinem, vt [illegible] habitum geſtauerit, que vt commemorat Bartholom. Piſan.* Addit Petrus Radulph. in habitu S. Franciſci ſepultum. De quo [illegible] infrà in cap. 15. ad § 7. Fuit vir [illegible] & doctus; libros Quinque Decretalium compoſuit, & digeſſit.*

* Confor. [illegible] lib. 2. [illegible]

7. Viri fratri.] *Fuit iſte frater Pacificus, de quo ſuprà. Bartol. Piſan. Conſ. fruc. 8. & alibi.*

8. Humilitate victus Epiſcopus.] *Inſigni exemplo docemur Clerum à nobis obſeruandum, & cum eo ſedes ſtandam pacem perpetuo de qua [illegible] monitum S. Franciſci ex Speculo vitæ eius:* Dicebat fratres Minores in adiutorium Clericorum miſſos ad animarum ſalutem: vt quod in illis inuentum minus, ſuppleatur à nobis. quilibet autem recipiet mercedem, non ſecundum auctoritatem, ſed ſecundum laborem. Scitote fratres, *inquit*, quòd Deo eſt gratiſſimū animarū lucrum; & hoc melius poſſumus cōſequi cū pace, quam cū diſcordia Clericorū. Si autē ipſi ſalutem impedirent, ipſorum Dei eſt vltio, & ipſe retribuet eis in tempore. Ideo que ſubiecti eſtote Prælatis, ne quantum ex nobis eſt, malus zelus conſurgat. Si filij pacis fueritis, clerum & populum lucrabimini: & hoc acceptabilius Deo, quam populum ſolum clero ſcandalizato lucrari. Tegite, *inquit*, lapſus, & multiplices ipſorum ſupplete defectus. & cum hoc feceritis humiliores eſtote. *Præclara doctrina, [illegible] tamen [illegible] dapis opipara in [illegible] eadem hæc Bartholom. Piſan. Conſ. fruct. 12. cap. 17. in monitis S. Franciſci.*

Inc. 4 [illegible]

Cap. 14.

10. Demones in Chriſti militem.] *M. Marulus*; Quis autem perfectionem vitæ profeſſus in ædibus magnatum ſecurè verſari poterit, ſi Seraphicus Franciſcus eam ob cauſſam, diuino permiſſu dæmonum verbera pati meruit? Apud Leonem S. Crucis Cardinalem dies aliquot moratus, pœnā ſuſtinuit, & culpam agnouit illicoque diſ-

[illegible]

ceſſit, atque ad monaſterium rediens, rem quæ ſibi contigerat, vt ceteri caue[illegible]rent, indicauit. Quis quippe qui [illegible] egreditur, lupi morſibus patet. Magnus ille Antonius, dicere ſolebat, aquam piſcibus alimento eſſe, ſolitudinem autem monachis afferre ornamentum. atque illos cum continētem attingant, vitam amittere: hos autem ſimiliter cum vrbes adeant, monaſticam grauitatem perdere ſolere. Interpretare vocabulum monachi, *inquit B. Hieron.* hoc eſt nomen tuum, quid facis in turba, qui ſolus es? Et hoc ego non [illegible] rate vel mercibus, nec quaſi [illegible] fluctuum præmoneo: ſed quaſi [illegible] naufragio eiectus in littus, [illegible] timida nauigaturis voce denuncio. In illo æſtu, Charybdis luxuriæ ſalutem vorat; ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, Scylla renidens libido blanditur. Hic barbarum littus, hic diabolus pirata [illegible] vincula capiendis. Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licet in modum [illegible] æquor arrideat, licet [illegible] elementi ſpiritu [illegible] magnos hic campus montes habet, intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite. Crux antennæ figatur in frontibus; tranquillitas iſta tempeſtas eſt. *Nota, nota, pio & religioſo [illegible] non egrediendum; ſed amplectendum, [illegible] in loco, [illegible] fortiter que durandum [illegible] tem ſtabilitas [illegible] extra velle.* Non eſt à bono, [illegible] Siquidem diabolicum illud commentum eſt aduerſariis [illegible] artificio vti [illegible] ſtabilitatem [illegible] pline noſtræ [illegible] religioſi huius vitæ [illegible] peruertendū [illegible] ſupra [illegible] illecebri [illegible] inſtabilibus [illegible] noxios ludet [illegible] randum eſt cuique, [illegible] loquitur, intimitque [illegible] ni ſui vitia diligenter [illegible] rigat. Sedata ſiquidem [illegible] conſiſtitur, virtutis [illegible] certiſſimum. At verò diſcurſus & frequens peregrinatio conceptam animo deuotionem iſto ſuo flatu ac reſtaturum [illegible] varietatumque [illegible] lat, diſſipatque. Pulchrè Sen. Frequens migratio inſtabilis animi eſt. coaleſcere otio non poteſt, niſi deſinat circumſpicere & errare: vt animum poſſis continere, prius corporis tui fugam ſiſte. Neque verò tamē propterea perpetuò eſt tanquam

Epiſt. 69

[illegible]

quam in cuſtodiâ permanendum: ſed quandocumque & res poſcit, & conſcientia non reprehendit, liberè eſt fidenterque prodeundum; ita tamen vt modus teneatur, & praua omnis ſuſpicio euitetur. *Abſcondamus igitur nos in otio, ſed* * *& ipſum otium abſcondamus*: quæ ea optimum non iactare otium ſuum. Iactandi autem genus eſt, nimis latere, & à conſpectu hominum ſecedere.

*Sen ep. 68.

IN CAPVT VII.

Paupertas perfectionis radix.

*§. 1. huius cap.

De amore paupertatis.] *Pulchra connexio humilitatis & paupertatis: cùm ſuperiore capite de humilitate egiſſet ſcriptor noſter, aptè ſubiungit de paupertate, quam* * *S. Franciſcus appellat* humilitatis fomentum, perfectioniſque radicem. *Pauperes vt plurimùm modeſti, & animo abiecto, non item diuites. Et quia vir ſanctus oderat ſuperbiam, reſpuit diuitias, è quibus ſuperbia & faſtus.* * *S. Auguſt.* Nihil eſt quod ſic generent diuitiæ, quomodo ſuperbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermen ſuum. Et alius eſt vermis mali, alius piri, alius fabæ, alius tritici: vermis diuitiarum ſuperbia. *Item Seneca;* Inflant animos, ſuperbiam & arrogantiam pariunt, inuidiam contrahunt: eò vſque mentem alienant, vt fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet.

* De ver. Dom Ser. 5. co. 10.

Ep. 87. *Diuitiarum vermis ſuperbia.*

§. 1. Cuius eſt fructus multiplex, ſed occultus.] *Rurſus in hanc ſententiam Seneca;* Multis ad Philoſophiam obſtitêre diuitiæ; paupertas expedita eſt, ſecura eſt. Cùm claſſicum cecinit, ſcit non ſe peti: cùm aliqua conclamatio eſt, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. Aut ſi nauigandum eſt, non perſtrepunt portus, nec vnius comitatu inquieta ſunt littora. non circumſtat illum turba ſeruorum, ad quos paſcendos tranſmarinarum regionum eſt optanda fertilitas. Facile paſcere eſt paucos ventres, & bene inſtitutos, & nihil aliud deſiderantes quàm impleri. Paruo fames conſtat, magno faſtidium. Paupertas contenta eſt deſideriis inſtantibus ſatisfacere. *O paupertatis quàm ignotum bonum eſt!* * *Epicurus;* Honeſta res eſt, læta paupertas. Illa verò non eſt paupertas, ſi læta eſt. cui enim cum paupertate bene conuenit, diues eſt. non qui parũ habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert quantum illi in arcâ, quantum in horreis iaceat, quantũ paſcat aut fœneret, ſi alieno immnet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computet? Quis ſit diuitiarum modus quæris? primus, habere quod neceſſe eſt; proximus, quod ſat eſt. *Facile ſat erit, ſi tibi Fabricij mens, quæ cupiditatibus noverat imperare, de quo* * *Gellius, ex Iulio Hygino, qui* Legatos dicit à Samnitibus ad C. Fabricium Imperatorem pop. Rom. veniſſe; & memoratis multis magniſque rebus, quæ benè ac beneuolè poſt redditam pacem Sannitibus feciſſet, obtuliſſe dono grandem pecuniam, oraſſeque vti acciperet, vtereturque: atque id facere Samnites dixiſſe, quòd viderent multa ad ſplendorem domus, atque victus deſieri, neque pro magnitudine, dignitateque lautum paratumque eſſe. Tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos, & infrà deinceps ad nares, & ad os, & ad gulam, atque inde porrò ad ventrem imum deduxiſſe, & Legatis ita reſpondiſſe; Dum omnibus illis membris quæ attigiſſet, obſiſtere atque imperare poſſet, numquam quidquam defuturum: propterea pecuniâ, quâ nihil ſibi eſſet vſus, ab iis, quibus eam ſciret vſui eſſe, non accipere. *Plerique tales profani diuitias contempſerunt. En Franciſcane quos imitere! Et quod illi virtutis duntaxat, tu non facies amore & exemplo pauperis Chriſti? Diſce non pudendam Euangelicam paupertatem, ſed neque impoſſibilem: cùm maior illa in iſtis profanis, quàm ſumma nonnullis paupertatis profeſſoribus.* Vt (*optimum S. Auguſtini documentum*) Chriſtiani intelligant ſe nullâ ob hoc ventilari oportere iactantiâ, id faciendo pro obtinendâ ſocietate Angelorum, cùm pęne tale quid illi fecerint pro conſeruãdâ gloriâ Romanorum.

*Si voluntaria, & læta.

*Sen. ep. 2.

*1. Noct. Att. c. 1. *Qualis Fabricij.*

Talis erit, cùm te cupiditates non ſubegerint.

Lib. 5. ciuit. 18.

Verùm ſcio hæc pleriſque oneri, quibus ipſa paupertas grauis eſt. Incommoda eius & moleſtias viriæ multis exponunt. At, non in paupertate vitium eſt, ſed in paupere. Illa expedita eſt, hilaris, tuta. Nihil deeſt auibus. Pecora in diem viuunt. Feris ad alimenta ſolitudo ſua ſufficit: & non magis vobis læta erit & iucunda paupertas? Qui ſecus ſentiunt, opinione laborant. Præclarè ab Epicuro dictum eſt, Si ad naturam viues, numquam eris pauper: ſi ad opiniones, numquam eris diues. Congeratur in te quicquid multi locupletes poſſederũt; vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura veſtiat; & eò diuitiarũ opumque perducat, vt terram marmoribus abſcõdas; & non tantùm habere tibi liceat, ſed calcare diuitias. accedant ſtatuæ & picturæ, & quicquid ars vlla luxuriæ laborauit: maiora

Nec paupertas tã grauis quàm diuitiæ.

Idem ep. 16.

cupe-

cupere ab his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt: ex falsâ opinione naſcentia, vbi deſinant non habent; nullus enim terminus falſo eſt. Viâ eunti aliquid extremum eſt, error immenſus eſt. *Pone opinionem hanc ex animo: videbis breuiſſimam ad diuitias, per contemptum diuitiarum, viam eſſe; & magnas diuitias ad legem naturæ compoſitam paupertatem. Nec ideò tamen damno diuitias, aut diuites reprobo. Scio meliorem diuitem modeſtum, paupere ſuperbo. Nec raro diuitias his ſalutis eſſe, aliis periculo.* Non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud quod paupertatem nobis grauem fecerat, & diuitias graues fecit. Quemadmodum nihil differt, vtrùm ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces; quocunque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transferet: ſic nihil refert, vtrùm animus æger in diuitiis, an in paupertate ponatur; malum ſuum illum ſequitur. *Ceterùm habeant opes dominos ſuos, ſiue illi habeantur ab opibus: nos deſiderat mendicare cum Chriſto. Affatim diues eſt, qui cum Chriſto pauper* eſt.

Idem ep. 17.

Hieron. ep. 1. ad Heliodor.

IN CAPVT VIII.

QVOMODO ratione carentia afficiuidebantur ad ipſum.] *A quinto paragrapho huius capitis, S. Bonauentura multa recenſet, de affectu beſtiarum in S. Franciſcum; atque miranda de ſenſu ouium, leporumque, auicularum adplauſu, luporum ſedatâ rabie, quæ tum hic, tum alibi narrantur. Exſibilant talia iſta nouatores:* & * hæc eſt eorum tota ratio, vt quod experti non ſunt, nequaquam eſſe poſſe, arbitrentur. *Et quidem creditur Appioni apud Agellium ſcribenti, ſe Romæ vidiſſe in circo maximo, à terrifico leone, recognito Androclo tum dato ad beſtias, pepercisse ſibi, tum caudam more adulantium canum clementer & blandè mouiſſe; hominiſque ſeſe corpori adiunxiſſe, cruraque eius, & manus propè iam exanimati metu, linguâ leniter demulſiſſe. Quamobrem? Stirpem ingentem Androclus veſtigio leonis hærentem reuulſit, conceptamque ſaniem vulnere intimo expreſſit, ſiccauit penitus, atque cruorem detersit. Ex eo die homo & leo in eadem ſpecu, eodemque victu viuere triennium. Sed poſtquam illum vita illius ferinæ pertæſum eſt: leone in venatum profecto, fugiens à militibus capitur Androclus, & ad dominum quem antè fugerat, ex Africâ Romam eſt deductus. Illo ſeparato, & leo ille captus eſt: qui in ſpectaculo hominem recognoſcens, gratiam beneficij & medicinæ retulit. At pro ideò cunctis petenti*bus, demiſſum Androclum, & pœnâ ſolutum, leonemque et ſuffragiis populi donatum. Poſtea, inquit Appion, videbamus Androclum & leonem tenui loro reuinctum, vrbe totâ circum tabernas ire: donari ære Androclum, floribus ſpargi leonem, omneſque fere vbique obuios dicere: Hic eſt leo, hoſpes hominis: hic eſt homo, medicus leonis. *Scribit Seneca leonem* [illegible] *ſpectaſſe in amphitheatro, qui vnum e beſtiariis agnouit,* cùm quondam eius fuiſſet magiſter, protexit ab impetu beſtiarum. *Ipſius eundem, de quo ſupra Appion, eſſe putat. Videlicet tam prodigioſe* [illegible] *potuit gratia beneficij & medicinæ:* [illegible] *tales numquam manſuefecit gratia Dei?* [illegible] *certè, & ſæpe facta talia, Sanctorum recenſent hiſtoriæ, imo & litteræ diuinæ teſtantur.*

Breuiter rem aperio. Ab initio mundi datum eſt homini dominium in cunctas beſtias, quæ in tribus elementis, terrâ, aquâ, aere. [illegible] *& reuerebantur Dominum.* [illegible] *tiam dignitatem illam amiſit* [illegible] *ille noſter mutatus eſt.* [illegible] *Dei conſeruauit imaginem* [illegible] *nouerunt, obſeruauitque.* [illegible] *cum turpauit: ille velut incognitum* [illegible] *auerſatæ ſunt.* Vide (inquit D. Chryſoſtomus) Adam cùm nondum peccaſſet, & eis tamquam ſeruis nomina imponentem. Poſtquam aſpectum peccato commaculauit, tunc beſtiæ eum non agnoſcebant, & quæ ſeruæ erant ei, hoſtes euaſerunt. Et quemadmodum canis, qui in domo eſt, ei ſeruit, qui cum alit, & cum timet ac reueretur; ſed ſi cum repente viderit vultu fuligine atrato, vel perſonatum, aggreditur tamquam alienum, & cogitat eum dilacerare: ita etiam Adam quamdiu purum ſeruauit vultum factum ad imaginem Dei, beſtiæ ei tamquam ſeruæ obediebant. Quando autem vultum fœdauit inobedientiâ; non agnoſcentes Dominum, tamquam alienum cum odio habebant. *Subiicit hiſtoriam Prophetæ, cui leones in lacu pepercerunt, quòd iuſtus eſſet: ſed illum Prophetam præceptum Dei violantem, leo interfecit. Itaque peccato autem in beſtias illud dominium noſtrum* [illegible] *acciderunt, minueruntque. Poſt* [illegible] *prauis affectibus, & reformata imagine, & ſimilitudine Dei, mirantes redeunt ad antiquam ſeruitutem, & reuerentiam. Audi diſertiſſimum Iudæorū.* Perpetuum bellū, quod eſt omnibus hominibus & omnibus beſtiis, vel terreſtribus, vel aquaticis, nullas admittit inducias. Hoc difficiliū nemo mortaliū, ſed ſolus Deus poteſt tollere, quoties aliquem ſalute dignum

3. Reg. 13. 24.

Philo de premiis & pœnis.

dignum æſtimat, mitibus, ſedatiſque moribus præditum, ſocietatis amatorem & concordiæ, qui aut prorſus neſciat inuidiam, aut eam maturè reliquerit, bona ſua libenter communicantem in vtilitatem publicam. Nam ſi tale bonum exoriretur in vitâ, poſſemus etiam ſperare tempus illud, quo feræ manſueſcerent, & ante omnia, ferini affectus, qui ſtabulantur in animâ. quo quid poſſit eſſe felicius? Alioqui nonne ſtultitia eſt, credere fore, vt effugiamus beſtias noxias, cũ in nobis ipſis feritatem augeamus indies? Non deſperandum igitur manſuefactis noſtris moribus, poſſe cicurari animalia. Tum demum, opinor, leones, vrſos, pardos, & Indicos elephantos, atque tigrides, ceteraque inuicti roboris, à ſolitario victu tranſitura ad ſociabilem, paullatim depoſitâ ferociâ; & more gregalium latura conſuetudinem hominum, cum quâdam velut erga dominos, magiſtroſque ſuos reuerentiâ. Nonnulla etiam eò proceſſura, vt heris geſtu, caudaque adblandiantur in morem catellorum Melitenſium. Tunc & ſcorpiorum ſerpentumq; venena ceſſatura, ceterorũque reptilium. Omnia hæc bonum virum, tamquam ſacrum vererentur violare, virtutis ergo à Deo ſuſceptum in tutelam ſuam ac gratiam. *Theologi veteres in hac ipſâ re multi, quos prætereo: vnicam V. Bedæ ſententiam adducens, quâ hæc concludo;* In teſtimonium primæ creationis, legimus viris ſanctis atque humiliter Deo ſeruientibus, & aues obſequium præbuiſſe, & rictus beſtiarum ceſſiſſe, & venenum non potuiſſe nocere ſerpentium. *Originalis iuſtitiæ, & innocentiæ reparatæ indicium, obedientia eſt creaturarum.*

Pietas & innocentia recuperabile.

In Hexaëm.

IN CAPVT IX.

§. I. CONTVEBATVR in pulchris pulcherrimũ: & per impreſſa rebus veſtigia proſequebatur vbique dilectum.] *Mundus ſpecimen eſt operationis diuinæ: quia dum opus videtur, operator præfertur. Eleganter docet Origenes;* Deum cognoſci duobus modis, per Scripturam & creaturam. Non enim aliter in nobis diuina cognitio renouatur, niſi per diuinæ Scripturæ apices, & creaturæ ſpecies. Eloquia diſce diuina, & in animo tuo eorum concipe intellectum, in quo cognoſces verbum ſenſu corporeo. Formas ac pulchritudines perſpice ſenſibilium: & in eis intelliges Dei verbũ. Et in his omnibus nil aliud tibi veritas declarabit, præter ſeipſum, qui cuncta fecit. *In omnibus aliquod ſui veſtigium impreſſit, quòd accuratè conſiderantem ducat in cognitionem aliquam creatoris. Ex operibus cognoſcitur artifex: &* Dei inuiſibilia à creaturà mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Nam (*vt inquit B. Theodoretus*) per ea quæ videntur, factorem inuiſibilem cogitamus: ita & cum arcam ſcamnumque videmus, nequaquam ea fabrum lignarium, ſed fabrilia opera eſſe dicimus. Nauigium quoque affabrè compactum cernentes, non illud ſolum miramur atque ſuſpicimus, ſed illius opificem quamuis abſentem, quàm maximè laudamus. Tum ſi monile, aliudve collare ornamentum videmus egregiè factum, aurifici laudem ſuam deferimus: ita & in mundi fabricam oculos intendentes, illius quidem magnitudinem pulchritudinemque miramur, quæque vbertim ex eâ ſe fundit, rerum vtilitatem. Intellectus autem noſter, omiſſis huiuſmodi qualitatibus, ad opificem illum procurrit, qui hæc omnia ſapienter exſtruxit. *Huc ſpectat quod de S. Antonio tradunt Eccleſiaſtica hiſtoria: rogatum à quodam id temporis pro Sapiente habito, quo pacto poſſet vitam ſuſtentare in illâ vaſtâ eremi ſolitudine, librorum ſolatio deſtitutus; reſpondiſſe;* Meus liber, ô Philoſophe, eſt natura rerum à Deo conditarum: quæ quotieſcumque animo lubitum ſit meo, libros ipſius Dei ad legendum ſuppeditat. *Nam teſte magno Baſilio;* vniuerſa hæc mundi moles, perinde eſt ac liber litteris exaratus, palàm conteſtans ac deprædicans gloriam Dei; illiuſque auguſtiſſimam maieſtatem, arcanam alioqui & inuiſibilem, abundè enuncians intellectili creaturæ. *Itaque miraculum diuinæ maieſtatis eſt inſigne, vt per ipſum Dei ſapientia manifeſtetur.* Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat; opus ſuum ipſe implet: quia nec natura ſine Deo eſt, *nec vlla ſine diuinitatis indicio. Et tu itaque non ſemper habes & in terram ſis demiſſus: ad diuina te erige, & totâ mente conſurge, exemplo ſancti Franciſci, videt oues, videt agniculos: mox ferebatur in contemplationem Chriſti, veri agni, qui abſtulit mundi peccatum;* qui ſicut ouis ad occiſionem ductus, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum.

Deum cognoſcitur per Scripturam & creaturam.

Hom. 2. in diuerſos.

Rom. 1. 20.

Serm. 3. de curat. Græc. affec.

Socr. 4. hiſt. Eccleſ. 18.

Natura rerum liber eſt.

Hom. 11. in hexa.

Sen. 4. de Ben. 8.

Bon. 8. §. 5. 6

Ex quo Deū intelligat.

Iſa. 53. 7.

Ad auricularum musicam sestilantium & vn conuenientium, assurgebat ad diuinorum contemplationem, & laudes creatoris: qui eos vestit, alit, seruat & gubernat nutu sua prouidentia. Vim ignis conspicatus, lucē, & pulchritudinem: statim illum qui ignis cōsumens est, *ruminabatur. Quicquid morbe vides, pars operis est diuini: & si sensum more piorū exercitaueris, omnia auctorem suum praeferūt, & repraesentāt. Scripsit de hac re S. Bonauentura librum elegantissimum, hoc titulo,* Itinerarius mentis in Deum. *Docet sanè quàm eruditè, à conditione omnium rerum assurgere in contemplationem Dei conditoris.*

Deut. 4. 24.

§. 2. Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis.] *Testatur Cornelius Iansenius S. Franciscum, cùm sacra Eucharistia in tremendis illis mysteriis ostendebatur, solitum precari;* Domine Deus, cælestis Pater, respice in hanc gloriosam Christi tui faciem, & miserere mei. *Com. in Concordiam Euangel. cap. 135. ad illa verba, Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo.*

Oratio S. Franc. ad eleuationē S. Eucharistiæ.

6. Vt Soldani Babyloniæ.] *Thesaurus Geograp. Abrahami Ortely magnam illam Babyloně, in quâ regnauit Nabuchodonosor, Assyriæ principē vrbem fuisse scribit; ruinas eius videri & antiqua fragmenta, in quibus scriptum,* Babylonia. *Item Ptolomaeo Babyloniam esse vetustissimam Ægypti ciuitatem, aliam à Cairo: sed duo hæc oppida in vnum iuncta ex Iosepho Iudæo, locum dici Letuspolim in quo à Cambyse posteà Babylon ædificata sit. Liber Vitas Patrum par. 2. lib. de humilitate, cuius initium Abbas Antonius; non procul ab initio, memorat B. Arsenium egisse* decem annos in loco qui dicitur Throhě, supra Babyloniam contra ciuitatě Memphis, *quam in Ægypto esse constat. Vtrum Babyloniæ Soldanus fuerit quem Vir sanctus adiuit, nō planè dicitur. Verum ex his quæ Iacobus à Vitriaco scribit cap. 32. Occidentalis historiæ, constat Soldanum Ægypti fuisse locus citatur §. seq. nam & ipse Soldanus Babyloniæ dictus est, cap. 12. Vita S. Ludouici regis Galliar.*

7. Prædicto Soldano prædicauit Deum trinum & vnum.] *Operæ pretium fuerit adscribere, quæ S. Antoninus narrat ex Iacobo Vitriaco Cardinale in Ierosolymitanâ historiâ, quā conscripsit, inquiens;* Vidimus primum Ordinis Minorum fundatorem, Francinum (*sic vocat*) nomine, virum simplicem & litteratum, dilectum Deo & hominibus, ad tantum ebrietatis diuini amoris excessum & feruoris spiritum raptum fuisse, quòd, cùm ad exercitum Christianorū, ante Damiatam in terrâ Ægypti deuenisset, ad Soldani Ægypti castra intrepidus, & fidei clypeo communitus, accessit. Quem cum in viâ captum tenuissent Saraceni; Ego, inquit, Christianus sum: ducite me ad dominum vestrum. Hunc adductum cernēs bestia illa crudelis, aspectu eius in mansuetudinem conuersa est; & per aliquot dies, ipsum sibi, & suis Christi fidem prædicantem attentissimè audiuit. Tandem metuēs ne aliqui de exercitu suo, verborum eius efficaciâ ad Christum conuersi, ad Christianorum exercitum transirent: cum omni reuerentiâ & securitate ad nostrorum castra adduci præcepit, dicens ei; Ora pro me, vt Deus illam fidem & legem, quæ sibi magis placet, dignetur inspirare. *Sed tamen facta est S. Francisco copia, quocumque vellet, [illegible] pergere caussâ prædicandi Euangelij, dato [illegible] tesserâ quadam à Soldano publicâ, & symbolo, siue tesserâ quadam sanè quod memoriæ commendetur. Interim contigit dignum sanè quod memoriæ commendetur. Dum S. vir in illâ terrâ, comitatus vno socio peregrinaretur, decem aliis Euangelij gratiâ alio ablegatis: mulier quædam pulcherrima ipsum ad venerem sollicitauit. Ille verò quasi cōsentiens, Eamus, inquit, & ostendam tibi lectum pulcherrimum. ignem magnum demonstrans, in quem nudus se iniecit. Vocat ad se impudicam illam, Accede, inquiens, fruere splendido lecto & florido. Illæsus ab igne magno prodigio, mulierem non solum à libidine, verum etiam ab impietate retraxit ad Christum. Factum prorsus simile in aulâ Frederici II. Imperatoris. Ibi à concione, quam habuit vir sanctus, [illegible] contra libidinem & venerem, in quam nimium procliues aulici illas inuitauit ad cœnam Franciscum. Post solum in cubiculum introductum, scortum ad turpitudinē illectabat, ad quæ, ceu adlectum, [illegible] emisit, in quo decubuit, ad concubitum, iuuenculam per [illegible] meretricē inuitauit ad concubitum cùm omnia integra & illæso iecit in fugam. Imperator B. virum integrè steterat, maximè las obseruasset, videns quem illudere statuerat, Soldanum ad ab igne corpore, & venerari. Ceterùm Franciscus admirari cœpit, meritis sancti conuersum, à B. Francisco illum sub mortem, & baptizatum, comes Bartol. Christianam pietatem missis duobus fratribus, S. Francisci c. 74. Bartol. morat Speculum vitæ S. Francisci c. 74. Bartol. Pisanum Conform. fruc. 39. vbi fusius, quæ de Soldano tetigi, narrantur.*

Baro. vita S. Franc.

Scorti B. [illegible]

Bart. Pisan. Conform. fruct. 39.

Soldanus [illegible] à B. Franc. [illegible] baptiz.

IN CAPVT X.

§. 1. ORATIONIS gratiam viro religioso desiderandam super omnia.] *In eandem sententiam D. Chrysostom.* Quemadmodum sol lucem præbet corpori: sic animæ lumen est precatio. Proinde si cæco damnosum est non intueri solem: quanto grauius damnum est homini Christiano, si non assiduè deprecetur, neque Christi lucem oran-

Lib. 1. de orando Deum.

Oratio quanto [illegible]

orando in animum ſuum inducat? *addit poſt pauca:* Quiſquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit aſſiduè frui, is mortuus eſt, & vitâ carens, experſque ſanæ mentis. *quibuſdam interpoſitis.* Itaque cùm videro quempiam non amantem orandi ſtudium, nec huius rei feruidâ vehementique curâ teneri: continuò mihi palàm eſt, eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere. Rurſus vbi quem conſpexero inſatiabiliter adhærentem cultui diuino; idque in ſummis damnis numerantem, ſi non continenter orauerit; coniecto talem omnis virtutis firmum eſſe mediatorem, ac Dei templum. *Denique ſic concludit;* Decet igitur nos cum precatione vitæ curſum peragere, atque hac mentem aſſiduè rigare. Siquidem hoc omnes homines non minus opus habent, quam arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, niſi bibant humorem radicibus: neque nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe grauidi, niſi precibus irrigemur. Quapropter oportet & ſtratis relictis, diuino cultu præuenire ſolis exortum, & cùm ad menſam accedimus, & cùm nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin potius oportet ſingulis horis vnam precationem offerre, vt orandi curſus, diei curſum æquet. *De Oratione hæc talia obuia paſſim, plura non addo.*

Vt arbuſculas humores

6. Orante autem illo, ſubitò Abbas inſolitum calorem.] *Vanus quidam adoleſcens, ad preces S. Elizabeth adeo incaluit, vt moribus in melius mutatis, Minorita factus, mundo renunciauit, habes in hiſtoriâ vitæ S. Elizabeth cap. 24.*

8. Vt minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet.] Magni, mihi crede (*inquit Seneca*) & ſupra humanos errores eminentis viri eſt, nihil ex ſuo tempore delibari ſinere. *Vtinam & nobis ex illo quicquam perdere non vacet! ſed multa perimus.* Nam quædam tempora eripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt. Turpiſſima tamen eſt iactura, quæ per negligentiam fit: & ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui pretium aliquod tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc enim fallimur, quòd mortem proſpicimus: magna pars eius iam præteriit. Quicquid ætatis retrò eſt, mors tenet.

De breu vitæ 7. Temporis maxima habenda ratio. Epiſt. 1.

Omnia aliena ſunt, tempus tantùm noſtrum eſt. In huius rei nimis fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit, ex quâ expellit quemcunque vult. Sed tanta ſtultitia mortalium eſt, vt quæ minima & viliſſima ſunt, certè reparabilia, imputari ſibi cum periere patiantur, nemo iudicet quicquam debere, qui tempus accepit: cùm interim hoc vnum eſt, quod ne gratus quidem poteſt reddere. *nec el ipſum, ſocordiâ & deſidiâ contritum vllo pretio reparare, cuius tamen ſanè quàm prodigi ſumus.* Omnia licet quæ vnquã ingenia fulſerunt, in hoc vnum conſentiant; numquam ſatis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia ſua occupari à nullo patiuntur: & ſi exigua contentio eſt de modo finium, ad lapides & arma diſcurrunt; in vitam ſuam incedere alios ſinunt: imò verò ipſi poſſeſſores eius futuros inducunt. Nemo inuenitur, qui pecuniam ſuam diuidere velit: vitam vnuſquiſque quàm multis diſtribuit! Aſtricti ſunt in continendo patrimonio: ſimul vt ad temporis iacturam ventum eſt, profuſiſſimi in eo, cuius vnius honeſta auaritia eſt. *Quemadmodum cælum fallit aſpicientem, cum velocitatem ſuam ſub ſpecie ſtantis, atque immotis operis abſcondit; ita temporis eſt iactura latens; non videtur, tamen in curſu ſemper eſt.* * Fluit & præcipitatur: antè deſinit eſſe quàm venit. Nec magis moram patitur quàm mundus, aut ſidera, quorum irrequieta ſemper agitatio, numquam in eodem veſtigio manet. *Conſeramus tandem in vſus noſtros tempus. Res omnium pretioſiſſima eſt, pene nullum eius pretium eſt. A profano rurſus tu Chriſtiane diſces maximam temporis habendi rationem.* Titus filius Veſpaſiani (*Sanctus Hieronymus ſcribit*) qui in vltione Dominici ſanguinis ſubuerſis Hieroſolymis, Romam victor ingreſſus eſt; tantæ dicitur fuiſſe bonitatis, vt cùm quadam nocte ſerò recordaretur in cœnâ, quòd nihil boni die illâ egiſſet, dixerit amicis; Hodie diem perdidi. Nos putamus nobis non perire horam, diem, momenta, tempus, ætatem, cùm otioſum verbum loquimur, pro quo reddituri ſumus rationem in die iudicij? Quòd ſi hoc ille, ſine lege, ſine Euangelio, ſine Saluatoris & Apoſtolorum doctrinâ, naturaliter dixit & fecit; quid nos oportet facere? *Non debet eſſe tolerabilis nobis iactura temporis, tacitum damnũ, & irreparabile.* Nemo reſtituet annos: nemo iterum te tibi reddet. Ibit quâ cœpit ætas: nec curſum ſuum aut

Cuius tamen pretium nullum.

Sen. de breu. vitæ 8.

** Indid. c. 10.*

In cap. 6. epiſt. ad Galat. Sueton. Tito 8. Titus imper. diem ſe perdidiſſe dolet

Annos nemo referet. Sen. de breu. vitæ 8.

reuocabit, aut ſupprimet. Nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis ſuæ; tacita labetur. Non illa regitur imperio; non fauore populi longiùs proferet. Sicut miſſa eſt à primo decurret; nuſquam diuertet, nuſquam remorabitur. Quid fiet? tu occupatus es: vita feſtinat. Mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum eſt. Poteſtne quiſquam, dico, hominum eorum qui prudentiam iactant, & operoſius occupati ſunt, quàm vt meliùs poſſint viuere? Impendio vitæ vitam inſtruunt, cogitationes ſuas in longum ordinant: maxima porrò vitæ iactura, dilatio eſt. Illa primumquemq; extrahit diem, illa eripit præſentia, dum vlteriora promittit. Maximum viuendi impedimentum eſt, exſpectatio, quæ pendet ex craſtino. Perdis hodiernum, quod in manu fortunæ poſitum eſt diſponis: quod in tuâ, dimittis. Quò ſpectas, quò extendis? Omnia quæ ventura ſunt, in incerto iacent. Protinus viue: clamat ecce maximus vates, & velut diuino furore inſtinctus, ſalutare carmen canit;

Iud. c. 9.

Singula momenta fructuoſè occupanda.

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit.

Quid cunctaris, inquit, quid ceſſas? Niſi occupas, fugit: cùm occupaueris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis, vtendi velocitate certandum eſt; velut ex torrente rapido, nec ſemper caſuro, citò hauriendum eſt. Itaque ſic ordinandus eſt dies omnis, tamquam cogat agmen, & conſummet, atque expleat vitam. *Poteſtne quidpiam elegantius aut piùs [illegible] de temporis pretio doceri? Habenda proſus ratio temporis. Nemo æſtimat: tamen inæſtimabile eſt.* Et adeo debet *ſeruare diligentius, cum neſcias quando deſiciat. Tunc ſanè [illegible] vellevitam incipere, cum deſinit: & inde [illegible] inchoare quo pauci perduxerunt, nimis eſt ſerum, & humanæ noſtræ mortalitatis obliuionis argumentum.*

Idem ep. 12.

9. Puerulum quendam dormientem beatus Franciſcus excitare videbatur. *Vincentius Beluacenſ. etiam exanimem [illegible] memorat, puerulum Ieſum in præſepio, quem vir ſanctus complexans, reſuſcitauit.* Non immeritò, *inquit*, ſuam Dominus Ieſus Chriſtus infantiam recolenti, in huiuſmodi formulâ, nec abſurde monſtrauit: quippe qui in multorum cordibus, per obliuionem quaſi ſopitus & mortuus, per beati Franciſci doctrinam, & exemplum euigilans, ad memoriam eſt reductus.

Lib. 11. Spec hiſt. c. 107.

Hic oportune mihi quæſtio vetus, & [illegible] multis arbitrata, expedienda videtur; Num Franciſcanis, quique ſextâ feriâ ex voto ad ieiunium obligati, liceat carnibus veſci in Natali Chriſti, cum in ſextam feriam inciderit. Non [illegible] ieiunandum, habet receptus mos Eccleſiæ [illegible] *Epiphan.* In die Epiphaniorum, hoc eſt, apparitionis & aduentus, quando natus eſt in carne Dominus, ieiunare non licet, etiamſi cõtingat vt ſit Quarta, aut Proſabbatum. [illegible] *Priſcillaniſtas, tali die ieiunantes,* [illegible] hanc *aſſerens,* vt per omnia ſint à [illegible] fidei vnitate diſcordes: & dies qui à nobis in lætitiâ habetur, ab illis in [illegible] ducatur. *Sed aliud eſt, quod pro recepto [illegible] ſeruatur; aliud quod ex deuotione [illegible] Hæreticorum impietates execrantur* [illegible] *pietatis velantur:* [illegible] *hæreſio. Igitur* [illegible] [illegible]

[illegible] Peccas frater, diem Veneris vocans, diem quo natus eſt nobis puer: volo, inquit, quod & parietes in tali die, ſi fieri poteſt, comedant carnes; & ſi non poſſunt, ſaltem exterius liniantur. [illegible] *Scribit* [illegible] *qui non ieiunant* [illegible] *confirmationem* [illegible] *qui non comedendi carnes conſuetudo* [illegible]

[illegible] Fœnum præſepij reſeruatum à populo, mirabiliter ſanatum [illegible] *Sulpit. Seuer.* [illegible] *Sacræ virgines* [illegible] *in ſecretarum vbi* [illegible] *loca, vbi* [illegible] *vir beatus* [illegible] *quieuerat,* [illegible] *in quo quieuerat, rat.* [illegible] *poſt dies paucos, partitur.* [illegible] partem

Dial. 2 c. [illegible] *S. Martini* [illegible]

partem ſtraminis, quam ſibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem ſpiritus erroris agitabat, de certo ſuſpendit. Nec mora, dicto citius eiecto dæmone, perſona purgata eſt.

IN CAPVT XI.

§.1. SCRIPTVRARVM profunda miro intellectus ſcrutaretur acumine.] *De Theologiâ ſanctâ Franciſci agitur: quæ cuiuſmodi fuerit, elegantiſſimè docet Ludouicus Granaten. ſic ſcribens;* Theologia duplex eſt: altera, quæ ſpeculando; altera, quæ experiendo Deum agnoſcit. Et illa quidẽ ſpeculatiua, ſiue ſcholaſtica; hæc verò (vt ita dixerim) affectiua, ſiue myſtica nuncupatur, quòd videlicet occulta ſit, & à paucis cognita. Cùm autem præcipuus huius Theologiæ magiſter Spiritus ſanctus ſit, is primum quidem hominis intellectum ſapientiæ dono colluſtrat; deinde caritatis virtute voluntatem vehementer incendit: quæ ſic incenſa, ineffabilem diuinæ bonitatis, & ſuauitatis dulcedinem odoratur, & quodammodo deguſtat; cuius guſtu atque ſuauitate intellectus percipit, quàm ſuauis ſit Dominus, quàm dulcis, quàm pius, quàm benignus. atque hoc modo intellectus ab ipsâ volũtate quodammodo erudiri atque inſtrui dicitur.

Cap. 2. de S. [illegible] Scholaſtica & Myſtica.

Eſt autem magnum inter vtramque Theologiam diſcrimen. Illa enim ad intellectum, hæc magis pertinet ad voluntatem. Illa cognoſcit Deum, iſta diligit. Illa ſpeculatur diuina, hæc amplectitur. Illa tanquam ex auditu cognoſcit Deum, hæc quodammodo odoratur atque deguſtat. Illam docet lectio, iſtam vnctio. Illa diſcitur in ſcholis, hæc in ſecreto diuinæ contemplationis. Quâ ex re, duos in hac duplici Theologiâ proceſſus intelligimus. In priori namque (quam Speculatiuam nuncupamus) præcedit quidem intellectus actio, & ſequitur in piis hominibus, motus voluntatis. In poſteriori autem (quam Myſticam appellauimus) poſt hanc priorẽ intellectus operationem antecedit quidem volũtatis actio, & ſequitur in intellectu noua quædam diuinæ ſuauitatis cognitio. In illa enim intellectus dirigit voluntatẽ: in hac voluntas erudit ac dirigit intellectum, qui quodammodo foris ſtans, ipſo voluntatis guſtu & experimento, diuinæ bonitatis ſuauitatem agnoſcit. hoc enim illę Prophetę verba innuunt; Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Prius enim guſtare, deinde videre iubet: vt intelligamus, ex volũtatis guſtu intellectum erudiri, & immẽſas diuinæ bonitatis & ſuauitates opes addiſcere. Vt enim deguſtato nouo aliquo cibo, guſtus ipſe saporẽ eius oſtendit intellectui: ſic poſteaquã volũtas diuinæ bonitatis dulcedinem nuſquam antea perceptam deguſtauit; intellectus hoc experimento doctus, qualis ea, quantaque ſit, agnoſcit. Quo fit vt cùm duo animæ noſtræ pedes ſint, quibus in Deum imus, intellectus videlicet ac voluntas; in priori illâ Theologiâ, pes intellectus præcedit, quem ſequitur voluntas: in poſteriori verò, voluntas ipſa, eo modo quo diximus, præcedit, quam deinde noua illa cognitio ſequitur intellectus. Hæc eſt myſtica Theologia, quæ Spiritus ſancti magiſterio addiſcitur, quæ inter omnes ſcientias principem locum tenet, in quâ rudis omnium litterarum Franciſcus tantum excelluit, quantum flagrantiſſimo caritatis ardore incenſus fuit. per quam non tam legendo quàm amando, diuiniſque beneficiis atque deliciis fruendo, immenſas diuinæ bonitatis, caritatis & ſuauitatis opes agnouit. *Exiſtimo hæc ſine fructu legi non poſſe: nec operam me cùm exſcriberem perdidiſſe.*

Diſcrimen [illegible].

Pſal. 33. 9.

Myſtica S. Franc. Theologia.

Legebat quandoque in libris ſacris.] *Quâ ratione ſtudium nobis inſtituendum ſit, quid ſpectandum, paucis verbis exponit. Et operæ pretium me facturum puto, ſi de ſtudio S. Theologiæ, cui nobis potiſſimum incumbendum eſt, paullò vberiùs diſſeruero:* * vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine, quæque noſſe oporteat. Quo ordine: vt id priùs quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio: vt id ardentiùs, quod vehementius ad amorem. Quo fine: vt non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad ædificationem tuam vel proximi. *Cauſſa mihi ab ipſa Regulâ noſtrâ quæ nos ad commendum haud ſegniter mutat. Imò (auctore S. Bonauenturâ)* Prædicationis officium ex regulari profeſſione Ordini annexum eſt, & etiam Confeſſionis: quæ notitiam requirunt ſacræ Scripturæ, quæ ſubtili indiget in plerisque locis expoſitione: ne ex imperitiâ, errores pro veritate doceamus, neceſſe eſt nobis ſacræ Scripturæ habere ſtudium & magiſtros. Hæc enim ſcientia non ſolùm vtilis eſt ad aliorum eruditionem, ſed etiam ad propriam inſtructionem: vt ſeruus Dei ſciat ſeipſum

De ratione ſtudy S. Theologia.

* Bernard. Serm. 36. in Cant.

Cap. 9. Quæſt. in Reg. 1.

Quod vtile valde, imo neceſſarium.

ſuum bene regere: virtutes à vitiis diſcernere, & notitiam Dei, & futurorum præmiorum clariùs intelligere, & in omnibus cautiùs & fructuoſius conuerſari. Nam & Apoſtolus hortatur Timotheum ad lectionis ſtudium; & Sanctorum nobis diligentia in ſanctarum ruminatione Scripturarum frequenter commendatur. Veritas enim fidei, & vitæ ſanctitas, non aliunde quàm ex Scripturarum fonte hauritur, ſine quibus impoſſibile eſt quemquam ſaluari. *Alia ſubiungit vir ſanctus, quæ velim à noſtris altè conſiderari, hoc maximè ſæculo feraciſſimo hæreſeon & ſectarum; vt mirum ſit, ſtudia iſthæc ſalutaria adeò negligi, pretia vilere: cum* ſublatis ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia pereunt. *Iam verò ſtudiis ſublatis, quem fructum expectes? tibi non diſcis, aliis non prodes. Et qui obſecro,* poteris te ipſum ſaluum facere (*quod Apoſtolus ſpectat*) vel eos qui te audiunt? *Quo pacto docebis quod non didiceris?* * *At* qui in doctrinæ ſermonibus fuerit innutritus, priùs quidem ipſe adiuuatur: & in quo alios adhortatur, ſeipſum emendat & inſtituit.

1. Tim. 4. 16.

Tac. 11. Ann.

1. Tim. 4. 16

* Theophylac. in illa verba Apoſt.

Ceterùm tu mihi, ſat ſcio, abuſum obiicies: at ego ſcientiam reuoco ad vſum. Abuſus non à doctrina, ſed ab animo non probè inſtituto. Et talis detrectatio ferè eorum, qui doctrina oretenus exerciti, animum bonis artibus non induerunt, *ſegne otium ſpecioſo nomine velantes. Non placent mihi eæ litteræ, quæ ad virtutem non proſunt: ſed tamen doctrina valde facit ad prudentiam & virtutem. Recognoſce exempla Sanctorum Ordinis Seraphici (aliena prætereo) fateare neceſſe eſt, ſanctos illos alioſque viros inde doctrinam hauſiſſe, acceptâ, virtutem perfeciſſe. Nam vt oculi ab aere circumfuſo lumen accipiunt, ſic mens à doctrinâ. Dic, quæſo te, quando maximè floruit Ordo noſter? Nonne quando ſub ſanctis Patribus ſacra ſtudia ſpiritum & ſanguinem recipiebant? cum ſcientia virtuti ſummo opere iungebatur, tum vehementer toto orbe fructificauit. At poſtquam* otium ſine litteris, mors, & viui hominis ſepultura, *pleroſque tenuit; en quò deuecti illi! quàm deſpecti, quàm nihil agunt in magnâ illâ meſſe, & vineâ Chriſti! Eruditio maximum eſt hominibus in hac vitâ ornamentum: ceterum his qui abutuntur, pernicioſa: nec ideò tamen contemnenda. Ignis, cibus, ferrum, naturâ bona, pro abutentium iudicio, pernicioſiſſima: & doctrina in rebus humanis optimum, abuſu eſt peſſimum. Præpoſteri homines & inſulſi obtrectatores ab abuſu. Forſitan tales,* omnes ſui ſimiles eſſe optarint, vt priuata eorum ignorantia communis ignoran-

Abuſus nocet.

Tac. 15. Ann.

* Sen. ep. 83.

Vſus ſaluberrimus.

Nazian. ora. in laude Baſilij.

tiæ tenebris obtegatur; ne quiſquam ipſorum inſcitiam prodat & coarguat.

Pertinaciter ſtudendum eſt; quo à nobis propellatur vt languor à corpore, ſic ab animo imperitia. Cleanthes dicebat, homines imperitos ſolâ formâ diſtare à beſtiis. [illegible] virtutem, *maximè remota iniquitate, & [illegible] probatis opinione. Studium ſine pietate [illegible] Franciſco diſplicuit, omnibus bonis diſplicet.* Sed poſt *diligentem exercitationem omnium* quæ *Regula & inſtitutum poſtulant, animum* ad ſacras *litteras adplicare: vita oppoſitam* [illegible] & virtuti; *quicquid legeris ad mores* [illegible] ferre; *diſcere, vt quæ verba fuerint, opera ſint:* hoc eſt, *lectio, vita;* [illegible] doceas; *eiuſmodi ſalutare ſtudium* [illegible] Nemo *probus poteſt improbare, nec* [illegible] dem *non probare. Porro autem vt fructuoſum ſit* ſtudium, *tria præcipuè mihi videntur obſeruanda, quæ in gratiam fratrum noſtrorum* [illegible] ſacris *auctoribus diſtinctè exponam.* [illegible] Quo *modo adparatu* [illegible] cedas; *Alterum, quem ſcopum ſtudiorum* collimes; *Poſtremum, quos Scriptores potiſſimum legas.*

[illegible]

Digitized by Google

Quæ facie- [illegible] intelli- [illegible] ar- [illegible].

loquentium intelligere, priùs detergere & abluere viuendi diſciplinâ animam debet, & ad Sanctos accedere cum ſtudiorum factorumque ſimilitudine, vt illis conſuetudine vitæ paris familiaris redditus, quæ ipſis à Deo reuelata ſunt, cognoſcat. Neque enim ea (*addo ex Ioanne Caßiano*) vt eſſent nobis incognita, Spiritus S. gratiâ promulgata ſunt: ſed velamine peccatorum cordis oculos obnubēte, redduntur obſcura; quibus rurſus naturali redditis ſanitati, ipſa ſanctarū Scripturarum lectio, ad contemplationem veræ ſcientiæ, abundè etiam ſola ſufficiat: ſicut oculi iſti carnales ad videndum nullius egent, ſi fuerint à ſuffuſione vel caligine cæcitatis immunes. *Chriſtiana* *igitur diſciplina (*ſancto Auguſtino doctore*) eis, qui illam noſſe deſiderant, ſimul geminum ordinem ſequi iubet: cuius vna pars vitæ, altera eruditionis eſt. *Pietas præeat, ſequetur ſcientia: iunget vtramque Theologus probus.* * Qui enim vel vitæ probitate ſolùm, vel ſolâ doctrinâ præſtant, ij mihi nihil à luſcis differre videntur, qui in magnâ ſunt deformitate, ſiue alios inſpiciant, ſiue ab aliis inſpectentur. At quibus vtraque laude clarere, ac velut ambidextris eſſe contingit: hi nimirum omnibus numeris abſoluti ſunt, ac deinceps æternæ vitæ beatitudine perfruentur.

Lib. 1. In ſtit. monaſt. 34.

S. Auguſt. lib. 2. de Ord. 8. to. 1.

Innocentia & ſcientia beatum faciunt.

Greg. Nazian. Orat. in laudem S. Baſilij.

Hæc de vitæ puritate: iam de precibus addendum, quibus opus eſt, vt Sanctæ Theologiæ arcana percipias & penetres. Sæpe orādum, imò preces aſſiduè ſtudio præmittendas, Sancti viri verbo docent & exemplo. Audi Franciſcanum veterem B. Rogerium; Quando tu vis legere, antequam librum aperias, debes cor tuum ad Deum dirigere, & dicere; Domine iſte viliſſimus ſeruus tuus, indignus omni bono tuo, vult ingredi ad videndos theſauros tuos; placeat tibi, vt eum introducas, & des ei in his verbis ſanctiſsimis te cognoſcere, vt te diligat; & tantum dies ei diligere, quantum dabis ei cognoſcere; nec des amplius cognoſcere quàm diligere: quia non vult te cognoſcere, niſi vt te diligat. talis mens, *inquit*, primâ libri apertione ſtatim inueniet Deum ſuum, *omnis ſapientiæ fontem & auctorem. Audi veteriorem Theologum Beatum Ephrem, haud diſsimiliter admonentem;* Si quis ad ſedendum ac legendum, ſiue etiam ad alium legentem audiendum ſe parat: primùm oret Dominum, dicens; Domine IESV Chriſte, aperi aures atque oculos cordis mei, vt audiam & intelligam, & faciam voluntatem tuam. Non abſcondas à me mandata tua: ſed reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ. *Vis fructum orationis cognoſcere? Sanctus Auguſtinus edoceat;* Quando seriò ſtudetur, & Dominus puro corde oratur: plurima quæ cognitione digna ſunt, ipſo Deo inſpirante magis, quàm hominum aliquo commonente perdiſcentur. *Itaque diligentia noſtra, ab oratione fidiſsimâ ſcientiæ adiutrice deſeri nunquam debet: ſed (quod in Ambroſio Origenis diſcipulo Diuus Hieronymus commendat)* diebus & noctibus lectio orationem excipiat, & oratio lectionem. *Talis exercitatio, non ſolùm parat eruditionem, verùm etiam Dei gratiam conciliat & amicitiam: imò præſentem tibi reddit & familiarem. Sanctus Ambroſius;* Illum alloquimur cùm oramus; illum audimus, cùm diuina legimus oracula. *Sanctus Auguſtinus,* Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare & legere.

Sit item in precibus aſſiduus Theologiæ candidatus.

Bart. Piſan. Confor. fruct. 8.

De armatura ſpir. cap. 3.

Pſal. 118. 18.

Epiſt. 130.

Lectio orationi commiſcenda.

Epiſ. 18. ad Marcellam.

1. Off. 20.

Ser. 112. de temp.

De apparatu ad Sanctæ Theologiæ ſtudium, tantum eſt. Alterum ſequitur de ſcopo, quem mihi quidem diuinus Apoſtolus monſtrare videtur, cum inquit; Hoc faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt; *quando tibi attenderis & doctrinæ. Dico, priùs tibi ſtudendum, deinde aliorum bono & ſaluti. De priori multa in ſacris litteris: illud tantùm adfero ex Dauide;* Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo. *Sanctus Ambroſius;* *Quærendum primùm, deinde intelligendum, perſcrutandumque omne legis myſterium, & in corde cuſtodiendum. Qui autem intelligit & ſcrutatur, ſcrutando in ſemitam mandatorum deducitur. *Vnde rurſus paullo pòſt ſubiungit:* Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: & exercebor in iuſtificationibus tuis. *In quem locum eleganter item Sanctus Ambroſius;* Pulcherrimus ordo iſte, vt primò meditemur, & eorum præceptorum quæ diligimus, fit nobis aſſueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cæleſtium, operis boni vſus inoleſcet. Nam ſicut meditationi verborum, finis memoria eſt; vt quæ meditamur verba teneamus: ſic meditationis præceptorum cæleſtium, intentio vel finis operatio eſt, actuſque directus ad implenda præcepta diuina, *quorum merces beatitudo eſt ſempiterna. Itaque ſi hic conſiſtis, ad ſalutem tibi ſufficit. At ſi vlterà progredi iubet, exemplo Sancti Franciſci, non contentis ſua ſalute duntaxat, alios etiam*

Theologiæ ſcopus.

2. Tim. 4. 16.

Pſal. 118. 34.

* Ser. 5. in Pſal. 118.

Seipſum ſaluum facere.

Ser. 6 in Pſal. 118.

lucrari optimum rati: hoc eſt optimum, quod in Sanctorum principe Chriſto poſſumus imitari. Multis modis docti rudioribus antecellunt. * Sancta quippe ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt & quantum ædificat vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat. * Daniel in fine ſacratiſſimæ viſionis ait, iuſtos fulgere ſicut ſtellas; & intelligentes, id eſt, doctos, quaſi firmamentum. Vides quantum inter ſe diſtent iuſta ruſticitas, & docta iuſtitia? Alij ſtellis, alij cælo comparantur. quamquam iuxta Hebraicam veritatem, vtrumque de eruditis poſſit intelligi; ita enim apud eos legimus; Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *In magnâ illâ regenerationis die,* Magiſtri habebunt ſimilitudinem cæli (*quod alibi ſcribit Sanctus Hieronymus in duodecimum Prophetæ Danielis caput commentatus*) & qui alios erudierunt, ſtellarum fulgori comparabuntur. Non enim ſufficit ſcire ſapientiam, niſi & alios erudias; taciturnuſque ſermo doctrinæ alium non ædificans, mercedem operis recipere non poteſt. *Sit igitur ſtudiorum noſtrorum ſcopus & velut alia meta, cum nobis ſolis diſcimus, piè & ſanctè viuere; cum aliis etiam operam noſtram impendimus, rectè docere: hoc eſt, nos ſaluos fieri, & qui nos audiunt, vt Sacra Theologia ſit adiutrix, duxque viæ ferentis in cælum, & velut* Aurea Cathena *quæ nos ad Deum trahat.* * Ad hunc enim ea cum intelligentiâ tendit; ſolaque efficit, vt Deus ſincerè à nobis percipiatur atque ſeruetur.

Tertium eſt, vt præſcribam Theologiæ candidato auctores, ordine & delectu legendos. * *Illud primum,* Cupiditas diſcendi dirigenda eſt, ne ipſa ſe impediat. Nec paſſim carpenda ſunt, nec auide inuadenda vniuerſa: per partes peruenitur ad totum. Aptari onus viribus debet: nec plus occupari, quam cui ſufficere poſſumus. *Alioquin, vt alibidem philoſophus per egregiè tradidit,* onerat diſcentem turba, non inſtruit: multoque tutius eſt paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. *Saluberrimum Senecæ præceptum in pectus demitte;* Illud vide ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquod vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui vbique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properanter tranſmittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non conualeſcit planta, quæ ſæpe transfertur. Nihil tam vtile, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit librorum multitudo. Itaque cum legere non poſſis, quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. Sed modo (inquit) hunc librum euoluere volo, modo illum. Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare; quæ vbi varia ſunt & diuerſa, inquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege; & ſi quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi. *Compoſiti animi & ſtudioſi fructuoſi indicium eſt, certis ſe addicere ſcriptoribus & probatis.*

Probatos aliquot diſtinctè tibi [illegible] *ego cenſeam* præ *ceteris legendos, quo in hoc ſtudio, iudicium meum ipſe* [illegible] *dictum mitto.* Ante omnes Liber ſacerdotalis (ita vocat ſanctus Ambroſius literarum ſacrarum volumina) diligenter legendus, non duo modo, ſed cum Memoria teneri ſtudioſo. Alfonſus Aragoniæ, Neapolitanusque Rex ſæculi Theologiæ (*auctor* [illegible]) gloria conſpicuus, quod Biblia quater & decies cum Gloſſis & Commentariis perlegiſſet. Proinde illa ita non tantum memoriæ inſculpſit, vt non verborum etiam, ſed longum, etiam audientibus res, ordinem abſque libro, ſi ille Rex inter recitare potuerit. *Ipſe regum & ornamenta plurima hoc negotio; quanto magis ſepoſitis in ſtudia hic potuit verſari illuſtris viſus ornamentum eſt liber diuinæ; ac velut inſtrumenta, ſcientia tibi abſque ſalutem parat.* Fa-*quibus* (*inquit Diuus* Ioannes Chryſoſtomus *homilia* [illegible] *de Lazaro*) quamcumque exercent artem, ante omnia, ha-

Te alios
* Hieron. ep. [illegible] ad Paul
Cap 12.3.

* Nazian orat. 1. de pace.

Sen. ep. 110 [illegible] cupiditas dirigenda.

Idem 1 de tranq. vitæ 9.

Epiſt. 2.

[illegible]
Lib. 3.

habent integra & parata ſua inſtrumenta. Neque etiamſi fames & inopia premat, eorum facilè quicquam vendiderint: illis enim diuenditis, ars vniuerſa ipſis inutilis eſt.

Organum diuinæ ſcripturæ.

Quēadmodum illis, artis inſtrumenta ſunt, malleus, incus, forceps: ſic & nobis artis inſtrumenta ſunt Apoſtolorum ac Prophetarum libri, omniſque Scriptura diuinitùs inſpirata. Et quemadmodum illi per alia inſtrumēta, quicquid faciendum ſuſceperint, perficiunt: ita ſanè & nos per hos fabricamur animam noſtram, deprauatamq́; corrigimus, & inueteratā renouamus. *Nec noſtram tantummodo, verùm etiam aliorum. Atteſtatur Apoſtolus*;

1. Tim. 4. 16.

Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. *Magnus ſacræ Scripturæ lectionis aſſiduæ fructus & vtilitas.*

* Chryſoſtomus hom. 13. in 1. ad Timot.

* Nam qui doctrinæ innutritur miniſterio, prior ſibi, inde aliis emolumenta conquirit. Dum enim alios admonet, ſeipſum quoque compungit. Iſta profectò Timotheo dum loquitur, omnes ſalubriter admonet. Quòd ſi ei qui mortuos excitabat hæc monita edidit: quid iam nos miſeri dicturi ſumus?

Mat. 13. 52.

Sed & Chriſtus eum qui proferret de theſauro ſuo & noua & vetera, homini patrifamilias ſimilem dixit. id quippe ipſe maximè omnium feciſſe deprehenditur,

* Act. 22. 3.

* qui ad pedes Gamalielis paternâ inſtructus eſt lege: ac poſtmodum lectioni intentiſſimè operam dedit. Nam prior ipſe fecit quod alios monuit.

Idem hom. 35. in Gen.

Alibi Diuus Chryſoſtomus ſalubri exemplo ad Sacræ Scripturæ lectionem exhortatur;

Act 8. 27.

Barbarus ille, reginæ Æthiopum Eunuchus, qui in tantâ erat gloriâ, & curru vehebatur, illo tempore lectionem non negligebat: ſed Prophetam in manibus habens, magnum adhibebat ſtudium, & neſciens quid in libris contineretur; ſed afferebat quicquid in ſe erat, nempe ſtudium, alacritatem, attentionem. Cogita enim obſecro, quantum erat, neque in itinere lectionem negligere, & præſertim ſedentem in curru! *Quid? Sanctus Athanaſius etiam Virgini hanc legem praſcribit, ita inquiens*;

Lib de Virgin.

Non abſcedat ab ore tuum verbum Dei. Sit autem illud opus tuum omni tempore. Meditare in ſacris Scripturis. Habe Pſalterium & Pſalmos diſce. Oriens ſol videat librum in manibus tuis. *Similiter B. Hieron. Nepotianum adhortatur*;

Epiſt 2.

Diuinas Scripturas ſæpiùs lege: imò numquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas.

Tit. 1. 9.

obtine eum, qui ſecundùm doctrinam eſt fidelem ſermonem: vt poſſis exhortari in doctrinâ ſanâ, & contradicentes reuincere. *Rurſum ad Furiam.*

Epiſt. 10.

De Scripturis ſanctis habeto fixum verſuum numerum: iſtud penſum Domino tuo redde. Nec antè quieti membra concedas, quàm calathum pectoris tui hoc ſubtegmine impleueris.

Attentè legendum.

Quâ autem attentione ſacra Biblia nobis verſanda ſunt, pulchrè docet beatus Ephrem;

De armatura ſpir. cap. 8.

Cùm legis, intentiſſimè lege, atque diligenter, cum multâ conſtantiâ, verſum bis terque ponderans, & penetrans ſenſum. Neque ſtudeas libri folia voluere: verùm, vt dixi, bis terque, ac ſæpiùs eundem repete verſum, vt ipſius intelligentiam conſequare. *Siquidem*

Opus imperf. hom. 42. in Mat.

ex diligentiâ lectionum, naſcitur ſcientia Dei: ignorantia autem negligentiæ filiæ eſt. *Ioannes Damaſcenus*, Diligentiâ & labore, & indultoris Dei gratiâ, omnia diriguntur. Qui enim petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.

Lecta cottidianâ meditatione figendo.

Opus etiam fuerit diligenter lecta, attentâ ruminatione recolere, ne neglecta fiant. Memoria firmanda eſt quotidianâ rememoratione. D. Hieronymus;

Ep 22. ad Euſtoch.

Noctibus bis terque ſurgendum: reuoluenda quæ de Scripturis memoriter retinemus. *Item Sacrorum Antiſtes Auguſtinus ſcribit*;

Lib 1 de Ord. cap 3. to. 1.

Solitum ſe amore inueniendi veri, primam aut vltimam dimidiam ferè noctis partem, cogitare peruigilem: nec ſe patiebatur à ſeipſo quocunque modo auocari. *hoc ipſum quoque præcipiebat adoleſcentibus*, vt aliquid & præter codices ſecum agerent, & apud ſe habitare conſuefacerent animum. *Quod ipſum in ceteris ſtudiis proficere volenti obſeruandum erit. Sic oportet*

Hier. ep. 1 ad Heliod. Ep 10. ad Furiam.

lectione aſſiduâ, & meditatione diuturnâ pectus noſtrum bibliothecam Chriſti facere.

Auctores boni etiam legendi.

Poſt Scripturas ſanctas (*D. Hieronymus ita præcipit*) doctorum hominum tractatus lege, eorum dumtaxat quorum fides nota eſt: non neceſſe habes aurum in luto quærere.

Neoterici legendi.

Theologi tibi legendi; Veteres, noui: ſed præmittendi Neoterici, qui aui mores, ſectas diſſectas educeant. vt Hoſius, Alfonſus Caſtrenſis, & alij, quorum princeps Bellarminus in Controuerſiis. Apud iſtos ſparſa, hic in vnum condu-

xit;

xit; inſtar omnium eſt. Denique Scholaſtici, qui variam doctrinæ ſupellectilem, magnamque copiam ſubminiſtrant: hi inuentis nouam quandam addidere lucem, ordinem, diſpoſitionem, perſpicuitatem, obſcuriora Patrum illuſtrant, ſingula preſsè & articulate docentes. Vtroſque legendo, abſolutus Theologus efficietur. Nam ex illis quaſi materiam; ex his tamquam formam mutuatus, Potens erit exhortari in doctrinâ ſanâ; & eos qui contradicunt arguere; quod eſt Chriſtiani doctoris præcipuum inſtitutum. Scholaſtici diligenter prælegendi. Peſſimè conſulunt iuuentuti, qui abſtinent & deterrent. Et tibi maleconſultum, ſenties tuo malo, ſi neglegis. Ex imperitiâ, Scholaſticorum contemptus, aut ſcabie ab hæreſi affricta. Prorſus ſchola Theologiæ inuiſa hæreticis: ſed hoc magis exiſtimo ad refellendas hæreſes efficaciorem. Quid de ſermone cauillaris? * Dictum eâ de re ſatis: modo * Sancti Ambroſij auream addo, accommodamque ad tales reſponſionem; Si Orator, illorum qui phaleras ſermonum ſequuntur, negat in hoc fortunas poſitas eſſe Græciæ, hoc an illo verbo vſus ſit, ſed rem ſpectandam putat; ſi ipſi Philoſophi eorum qui totos dies in diſputationibus conſumunt, minùs Latinis, eo receptis vſi ſermonibus ſunt, vt propriis vterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, ſpectare myſteria, quibus vincit ſermonis vilitas? Nec de his plura: quæ tamen ſi velis, ad librum octauum Locorum Theologicorum Melchioris Cani te mitto. adi: non leges ſine fructu.

Tit 1.9.

Et Scholaſt.

* In cap 3. §. 8.

* In cap 2 Luc.

Licet illis ſermo incultior.

Magnum Scholaſticorum vides exercitum? ego etiam duo turbam: ſed cum delectu probatos legendos præſcripſi. En tibi beatum Thomam ab Aquino, omnium calculis abſolutiſſimum Theologum: cuius ſcripta multitudine, varietate & facilitate explicandi adeò excellunt, vt ob eam cauſſam nomen Doctoris Angelici iure ſit adeptus. Si autem ſubtiliores Theologiæ cupido tibi ſubeat, Ioannem Scotum frequenta: quem multi prædicant arcanum Theologiæ Theſaurum. Sed de Sancto Bonauenturâ quid cenſeam rogas? Non ago cenſorem ſine ſuffragio: ſed quod ſummus Theologus, Ioannes Gerſon olim cenſuerit, recenſeo; Si quæratur à me (inquit) quis inter ceteros doctores plus videatur idoneus; reſpondeo ſine præiudicio, quòd Dominus Bonauentura: quoniam in docendo ſolidus eſt & ſecurus, pius, iuſtus & deuotus. Præterea recedit à curioſitate quantum poteſt, non immiſcens propoſitiones extraneas, vel doctrinas ſæculares, Dialecticas aut Philoſophicas, terminis ſcholaſticis obumbratas, more mul-

Sed cum delectu.

De examinat. doctrinar. Laus S. Bonauen.

torum: ſed dum ſtudet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem & religioſitatem affectus. Vnde factum eſt, quod ab [illegible] Scholaſticis (quorum proh dolor! maior eſt numerus) ipſe minùs exiſteret frequentatus; cùm tamen, nulla diuinior, nulla ſalubrior, nulla ſublimior ac ſuauior pro Theologis ſit doctrina. [illegible] alio loco ſcribit: Velut condimentum [illegible]. Nec admirari ſufficio, qualiter patres & fratres Minores dimiſſo tanto doctore (qualem neſcio ſi vnquam ſtudium Pariſienſe habuerit) conuerterint ſe ad neſcio quos nouellos, &c. [illegible] principes [illegible] exercita, aliquem [illegible] hæreas & immoreris: vt feliciter [illegible] Theologiam ſuperſtruas & conſummes, ſublimem Priſcorum [illegible] mentis [illegible].

Solum memorare Scholaſticis, [illegible] ſterile ſtudium, ignauum plerumque Theologiæ [illegible] rum Traditionum, quæ [illegible] ſunt animaduertendæ. Nec [illegible] niſi ex Patribus. Hæc duo ita [illegible] nexa atque continenta, vt diuelli [illegible] ſociari non poſſint. Doctrina [illegible] rum Patrum, & Eccleſiæ Traditiones [illegible] neceſſarium Dei verbum [illegible] hominum commentarios [illegible] rem? (Eleganter docet [illegible]) Audiatur antiquitas: & quod nos illud [illegible] is alteri ſuſpecti non poſſimus [illegible] omnium ſeculorum veneranda [illegible] ties. Chriſto propior, ab hac [illegible] motior, decidat arbitrio. Non poteſt [illegible] cere cum hæreticis, qui Patres euoluit [illegible] cile hæreticus admiſerit inconcuſſam Patrum auctoritatem, ſed explodit: quia ſtantibus illis concidit. Inſpice ſacra Concilia contra errores & hæreſes celebrata, & Sanctorum lucubrationes: videbis hæc via ingreſſos, nouas doctrinas refutaſſe. Intelligebant enim viri Sancti atque prudentes, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem filiis conſignarentur. Noſque religionem non quà vellemus ducere: ſed potiùs quà illa duceret ſequi oportere. Idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ ac grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare. Ducatum quippe præbet nobis religio, non nos religioni: Nec maiorum ſenſa quà volumus trahimus: ſed potius quà illa trahunt retrahantque ſequemur. Ad Patres igitur cum acceſſeris, facile [illegible] hæreticorum conficies. Antiquitate retentâ, nouitas explodetur. Vt prorſus neceſſaria ſit Theologo, accurata & diligens veterum lectio Theologorum.

Vincent. Lir. contr. hæreſ. [illegible]

De

Viri prælegendi, veteriores an nouatores.

De ordine in euolendis Patrum monumentis ſeruando, ſententiæ variant: ego diſtinctè reſpondeo, Rudiores à D. Bernardo velim incipere, & deinceps ad veteriores procedere: ſed doctioribus, qui inſpiciunt ac penetrant, quæ alti illi viri paucis verbis tranſmittunt, cenſeo, antiquiſſimos primæ ætatis Scriptores ante omnes perlegendos. Vt propiùs acceſſeris ignem, hoc caleſces magis: ſic illi te doctiorem ſanctioremque facient, ſi familiares tibi effeceris, in quibus adhuc recens Christi ſanguis ferbuit calidus. Illi Apoſtolicorũ dogmatum centores: ab illis velut per manus accepit, quod ſemper tenebit beata Apoſtolorum ſucceſſio. Ex illis fontibus aquæ doctrinæ Christianæ puriùs hauriuntur. Itaque me indice, ante omnes leges beatum Ignatium, *qui (teſte * Diuo Hieronymo)* Chriſtum *vidit, & (* Baron. ſuffragante) ſcripſit ante Areopagitam; certiſſimus teſtis Chriſtianæ & Apoſtolicæ doctrinæ. In illius epiſtolis, eius temporis Orientalis Eccleſiæ facies propemodum viua repræſentatur, adeò vt non tantum res tunc geſtæ, ſed & Eccleſiaſtica diſciplina, & mores, & Apoſtolicæ Traditiones Apoſtolicarum Eccleſiarum, velut in tabulâ quadam penicillo manus eruditæ habeantur expreſſæ. Quæ Petrus & Paulus Antiochenos docuerant; quæ eidem cum beato Ioanne Aſiæ Eccleſiis tradiderant; quæ eadem Eccleſiæ ſuſceperant atque ſeruârant; eadem hæc Sanctus Ignatius ſuis epiſtolis inculcans, illis aſſeruanda præſcribit. &, (quod Euſebius commemorat)* primùm vt hæreſes, quæ iam tum primò naſci & emergere cœperunt, maximè præcauerent, admonuit: deinde hortatus eſt, vt Apoſtolorum Traditioni mordicus adhæreſcerent. quam quidem aſſeueranter teſtificatus, quò tutiùs poſteritati reſeruaretur, neceſſariò ſcriptis mandandum exiſtimauit. *In quibus manifeſte videbis in Eccleſiâ Chriſti Ordinem Hierarchicum, Miniſtrorum diuerſorum Eccleſiæ officia diſtincta, publicos conuentus, Sacratiſſimæ Euchariſtiæ adminiſtrationem, Sacrificij noſtri ritus, diei Dominici obſeruationem, aliarum etiam feſtiuitatum celebrationem, Quadrageſimæ ieiunium, viduarum cœtus, Deo ſacratarum Virginum collegia, virginitatem ſuam Deo conſecrantium: & id genus multa, quæ à Catholicis conſtantiſſimè ſeruantur. Ad illum Lapidem Lydium audacter prouocamus omnes nouatores: cuius vel vno duntaxat aſpectu facilè intelligent, quàm diſſimilis Eccleſiæ facies, ab idolo portentoſiſſimo, quod in dies cudunt, recuduntque. Poſt hunc adi magnum illum Sacrorum Antiſtitem, ac verè Myſten* ſanctum Dionyſium Areopagitam, *Diui Pauli diſcipulum, Apoſtolicorum diſcipulorum Symmyſten: quem propter ſublimem Theologiam, vere* Cæli volucrem *cum beato * Chryſoſtomo appellaueris. Poſt ſacrorum voluminum Canonem, nihil diuinius accepiſſe videtur Eccleſia monumentis illius, & ad ſtabiliendos ritus diuinorum Sacramentorum nihil efficacius.* Sancti Martialis & Polycarpi *epiſtolas non præteribis: facile etiam in paruis floribus mella inueniet diligens apis, quibus fauos ſuos expleat.* Iuſtinus Philoſophus *verus, & Martyr, inter alia docebit, non heſternum ritum Sacrificij Chriſtiani: & vſum fuiſſe & morem iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, adorandi ad orientem, quò Eccleſiæ & oratoria noſtra reſpiciunt; conſignandi quoque dextrâ ſigno viuifico crucis fidelium frontes. Varias quæſtiones eius ſi diligenter inſpexeris, videbis Scholaſticos noſtros ad eius imitationem, Theologiam per quæſtiones digeſsiſſe.* Irenæus *Sancti Polycarpi diſcipulus,* omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator, *oſtendet Simonem Magum omnium hæreticorum eſſe patrem; & hos, mali illius corui, mala eſſe oua. Studioſiſſimè tibi obſeruandi illi priſci, qui ex profeſſo contra hæreſes ſcribunt: ſic facile cognoſces, cunctas hæreſes noſtri temporis, non nouas, ſed veterum hæreticorum damnatas hæreſes & ſepultas, ab iſtis eſſe refoſſas. Poſt Sanctum Irenæum in hoc genere excelluit Epiphanius, poſt quem beatus Auguſtinus. Diligenter animaduerte. Nam vera eſt illa, magno Doctore beato Hieron. digniſſima ſententia;* Hæreticorũ perfidiam expoſuiſſe ſuperaſſe eſt. Clemens Alexãdrinus *non zizania profert & faces: ſed cum aliis ſalutaribus documentis præcepta tradit ad vitam Chriſtianam benè beatèque inſtituendam: cuius diſcipulus* Origenes *plurima ſcripſit, bona & mala. Fuge venena, mella collectu-rus.* Tertullianum *ſcio hominem Eccleſiæ non eſſe: tamen præclara reliquit, quibus religionem, veteres mores, ritus Eccleſiaſticos validiſſimè vindices & ſtabilias. Premit aduerſarium & ligat fortiſſimis argumentis. Et quis tandem Nouatorum audebit libellum illum de Præſcriptionibus aduerſus hæreſes confutare, quem pro Romanis & Catholicis conſcripſit? Sternit ani noſtri cunctos hæreticos. Tu quiſquis es antiquitatis amator, auidè lege. Quid dicatur æſtima, non à quo: ſciens* quæ optima ſunt eſſe communia. Cyprianus *Africæ decus & delitiæ, illum velut magiſtrum auidiſſimè legere ſolebat; magnus ille Epiſcopus & glorioſiſſimus martyr, non pœnitentia deprauator, ſed Pamdora illius (ſpeculare vos hæreticorum fidem ſic appello) quam noui* Dij *illi, ſuis donis miram in modum ornant, acerrimus profligator: quicquid de hæreticis rebaptizandis purgandum habuit,* glorioſâ martyrij falce purgatum eſt. Sanctus Hippolytus *Epiſcopus Portuenſis, tempora noſtra præſenſiſſe videtur Æternitatis Antichriſto. An non videmus* myſteriũ iam operari iniquitatis? *Facit habere* characterem

in

Primo ætatis recenſentur Patres, quorum primus S. Ignatius.

* De ſcript. Eccleſ.

* Annal Eccl. 10. 2.

3. Eccl. hiſt. cap. 30.

S. Dionyſius Areopagita.

* Anaſtaſ. Bibliot. ep. ad Carolum Cal. Imp.

S. Martial. & S. Polycarpus.

S. Iuſtinus Philoſophus Martyr.

S. Irenæus.

Epiſt. 54.

Clemens Alexãdrinus.

Origenes.

Tertullian.

Sen. ep. 12.

D. Cyprian.

Auguſt. ep. 251.

S. Hippolyt.

2. Theſ. 2. 7.

Apoc. 13. 16.

in dexterâ manu: ne pretioſam crucem in fronte & membris pingant; cunctaque negent, quæ ab Apoſtolis accepta hactenus retinuit Apoſtolorum beata progenies. Eccleſiarum ſacra adeò inſtar tugurij, vbi pretioſum Chriſti corpus & ſanguis non exſtat; Liturgiæ exſtinctio, ſilentium Pſalmorum, ſignificant Antichriſtum in foribus eſſe. hæc ille prænunciauit, tu in præcordia dimitte. Optatus Mileuitanus, Athanaſius, Hilarius, Hæreticorum furorem & tyrannidem exponunt; hi Arrianorū, Optatus Donatiſtarum: quos ſi diligenter verſaueris, videri tibi poterit ſpiritus ille duplex, ſed peſſimus Arrianorum & Donatiſtarum, ſuper eus noſtri hæreticos, quieuiſſe dicam? imò quieta mouiſſe, totum orbem conturbaſſe.

S. Athanaſius. S. Hilarius.

Ad mediæ ætatis Scriptores venio, primùm eloquentiſſimos Græcos patres, Baſilium Magnū, Gregorium Nazianzenum, nobile illud par amicorum, Gregorium Nyſſenum Baſilij fratrem, Ioannem Chryſoſtomum, Cyrillum vtrumque Ieroſolymitanum & Alexandrinum, Theodoretum, totamque Orientalis Eccleſiæ ſcholam, concionatoribus aſſiduè frequentandam. Baſilius inſtar puriſſimi fontis, dulcis incedit & placidus: totus in exercitatione virtutum, & formandis moribus monaſticis. Gregorius Nazianzenus, cothurnatus ſublimiori genere vtitur dicendi. Mouet vehementer, & lacrymas excutit. Et vitæ laude nemo illi præſtat; ſic orationis grauitate facilè ſuperat omnes. Ioannes Chryſoſtomus verè os aureum & eloquentiæ flumen, omnibus concionatoribus perpetuò legendus. & (Diuus Auguſtinus ſic ſcribit) Si acutum, & feruens adſit ingenium, faciliùs adhæret eloquentia legentibus, & audientibus eloquentes, quàm eloquentiæ præcepta ſectantibus. Poſt Græcorum Patrum ſcholam Ioannes Damaſcenus clarè tibi aperiet pluſquam barbaricum Iconoclaſtarum furorem, comprimetque.

Mediæ ætatis patres Græci.
S. Baſilius.
S. Gregorius Nazianzen.
S. Ioannes Chryſoſt.
4. Doct. Chriſt. c. 3.

Latini quatuor Eccleſiæ Doctores etiam adeunde niterentes illi fluuij, paradiſum Eccleſiæ ſalubriter irrigantes: in quibus non ſolum commorandum, verùm etiam immoriendum, æqui iudices exiſtimant. Quicquid lubet, ex his fontibus plenis manibus hauries. Si vis legere Latinè, quod vetuſtiores Græci ſcripſere Græcè: habes ſanctum Ambroſium, diuinâ eloquentiâ clariſſimum virum. Sacræ Scripturæ reconditos ſenſus & difficiles interpretationes facilè exponet, Diuus Hieronymus, oraculū quondam orbis terrarum: cuius doctrinâ in nomine & adiutorio Domini, tantū in linguâ Latinâ Eccleſiaſticę litterę adiutę ſunt, quantū vnquā anteà potuerunt. Sanctum Auguſtinum, lumen illud, quis pro dignitate prædicare poterit? illud Os, fiſtulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni! Tot tantaque opera poſteritati reliquit, & quidem in omni genere doctrinarum, vt quidam dicere ſolitus ſit: Mentitur qui te totum legiſſe fatetur. Gregorius Magnus Romanus Antiſtes, plenus ſalubrium documentorum, Chriſtianæ pietatis non verba tractat, ſed opera. Tum in arboreum folia quæris, ſed fructus: ſic in illius ſcriptis non verborum pompam, ſed puram morum ſanctimoniam. Habes & Leones Magnos, Paulinum, Proſperum, Vincentium, Fulgentium, Venerabilem Bedam, cum ſua Doctorum Scholâ: qui Theologicam diſciplinam viâ & ratione tradentes, quatuor hos Eccleſiæ Latinos Doctores, maximè verò diuum Auguſtinum ſecuti ſunt.

Latini quatuor Doctores.
S. Ambroſ.
S. Hieron.
Aug. ep. 29.
S. Auguſt.
Paulin. ep. 31. inter Aug.
Rupert. de [illegible] Spiritu S. cap. vi. S. Gregor. Magnum.

Poſtremâ ætate Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Petrus Cluniacenſis, Sacramentariorum noſtrorum voluntariam inſaniam reſcindunt: & dum Berengarium ad palinodiam efficaciſſimis argumentis adigunt, Caluiniſtarum pertinaciam iure condemnant. Anſelmus, Bernardus, Rupertus, Richardus à ſancto Victore, & plerique alij hac tempeſtate inclaruerunt, quos paucis annis elapſis ſecuti ſunt Doctores Scholaſtici, illos Scoteri [illegible] ſtudium exordientes Theologiæ. Maximè refert, ſaltem ſuprà commonſtrauimus, ſi non omnes, quam ſuccinctè, à quibus ſacra Theologia dum omnium ætatum Patres aliquot legiſſe; quo fiat manifeſtum, in ſtatu doctrinæ & in moribus, A Petro cœpit, ſuper quem vit Eccleſia Catholica conſentiens. A Petro cœpit, ſuper quem Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificaturum promiſit, vnâ ſibi ſemper conſentiens, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Ab illo fonte hoc flumen. A fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Petrus Apoſtolus cum cæteris docuit, quod accepit à Chriſto. primæ ætatis Patres eandem doctrinam tradidere ſuis filiis: quam, poſteri velut acceptum Catholicæ fidei talentum in hunc vſque diem ſollicitè cuſtodiunt & ſeruant. Illa perpetua vnitas, idemque ſenſus, certiſſimum eſt, * Veræ diſciplinæ & magiſterij argumentum: vbi eadem à ſe inuicem, nec à maioribus diſſentiunt. Et * quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum ſed traditum. Iam verò omnium ætatum, Orthodoxorum Patrum omnium vnanimem conſenſum pertinaciter contemnere; quæſo te, rectene ſentientium eſt? imò cum damnatis Donatiſtis dicentium, non quod eſt, ſed quod volumus ſanctum eſt? Et vbinam illud Apoſtoli; Depoſitum cuſtodi? Quid eſt depoſitum? Vincentius Lirenenſis exponit; id eſt, quod tibi creditum, non quod a te inuentum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenij, ſed doctrinæ, non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis, rem ad te perductā, non à te prolatam,

Poſtremæ ætatis præcipui Patres.
Omnium ætatum aliquos legiſſe iuuat.
Mat. 16. 18.
Pſal. 45. 5.
Cypr. de vnitate Eccleſ.
Athan. ep. de Nic. Concil. Nicæn.
Tertull. de præſ. c. 28.
et videtur vnanimem ſenſum in omnium.
Aug. ep. 48
1. Ti. 6. 20.
Cont. hær. 27.

tam,

De præſcript. aduer. hær. 6.

tum, in quâ non auctor eſſe debes, ſed cuſtos, non inſtitutor, ſed ſectator, non ducens, ſed ſequens. * Nihil ex noſtro arbitrio inducere licet (*præclarè ad Tertullianum*) ſed nec eligere, quod aliquis de ſuo arbitrio induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignauerunt. *Veritas ab initio eſt, antiqua eſt: nouitas nomine & re ipſa poſteriorem ſe arguit.* Poſterior noſtra res non eſt, immo omnibus prior eſt: hoc erit teſtimonium veritatis vbique occupantis principatum.

Argumentum veritatis, quò antiquior. Iudid. 13.

Epiſtolæ decretales *Summorum Pontificum, eorum præcipuè qui Apoſtolica tempora proximi floruerunt, magnâ attentione legendæ: vel maximè Traditiones Apoſtolicas tibi ingerent, quarum tanta fuit ſemper in Eccleſiâ auctoritas, vt olim ſoleat dici;* Traditio eſt: nihil quæras ampliùs. *In omni lectione hæ tibi ſtudioſiſſimè obſeruandæ: quòd maximè faciant ad hæreſes reuincendas. Adhibebis quoque Concilia: quia (auctore Vincentio Lirinenſi)* hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, vt quod priùs à maioribus ſolâ traditione acceperat, hoc deinde poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret. *Ex his intelliges Eccleſiaſticos Canones, quorum cognitio neceſſaria, qui ad excipiendas confeſſiones ſe applicant. Cùm autem illi Canones, tum ex Decretalibus epiſtolis, tum variis Conciliis, necnon Patrum documentis, voluminibus* Iuris Canonici *comprehenſi ſint: prorſus operæ pretium mihi facere videntur, qui libris illis non admodum magnis ſeriò incumbunt. Confeſſiones audire, pœnitentias iniungere, ſine iuris peritiâ, vix quiſquam poteſt. Vt poſſis, adde qui de Caſibus conſcientiæ accuratiſſimè ſcripſerunt: & hi multi, ſed præſtare cæteris Doctorem Nauarrum, ſententia eſt Doctorum.*

Epiſtolæ Decretales Pontificum.

Chryſoſt. hom. 4. in 2. ad Theſ.

Cont. hær. 27. *Concilia.*

Ius Canonicum.

Liber Viuentium *reſtat, quem tibi valde commendo,* Hiſtoriam *dico: ſic vocat nobilis hiſtoricus Nicetas Choniates.* Actæ vitæ ratio, ſiue ſacta & iuſta, ſiue nefaria & iniuria, obituſq; ſiue felix, ſiue calamitoſus, clarâ hiſtoriæ voce prædicatur. Quamobrem haud ab re Liber Viuentiũ appellabitur hiſtoria; rerumque geſtarum deſcriptio tubæ clangor, quo iam olim mortui, velut è ſepulchris excitati, in medium producuntur. *Theologo hiſtoriarum cognitio vtilis eſt, imò neceſſaria. Audi magnum Theologum Alanum Copum;* A rebus ſacris & Theologiâ, diuelli hiſtoria non poteſt, ſine quâ infans eſt planè Theologus: vt & hic dici poſſit, quod olim de naui reſpondit Iureconſultus; Si diuidas, perdes. Quare nos multo rectiùs Theologo, quàm eam olim ſuo Oratori Cicero, attribuemus. Et, ſi verum dicere velimus, quid aliud ferè tota Scriptura eſt, quam perpetua quædam hiſtoria? vt prudenter quidem noſtri fecerint, qui ad controuerſorum hodie dogmatum explicationem, hiſtorias quoque adhibuerint. Quod cùm Euangelici viderent; & illud prætereà, huiuſmodi exempla ad perſuaſionem, excitandoſque ingenuorum hominum animos magnam vim habere, quaſi viuam quandam Scripturæ interpretationem: ad huiuſmodi ſe hiſtorias, quæ, Catholicam veritatem valde illuſtrant, peruellendas, atque ſiniſtrâ & malignâ quadam deprauatione contaminandas, magno ſtudio contulerunt. *Quid hic faciet Theologus, cognitione hiſtoriarum deſtitutus? Ad ſummam,* omnes viri docti conſentiũt rudes omnino Theologos illos eſſe, in quorum lucubrationibus hiſtoria muta eſt. *De quâ re cùm præclarè ſcripſerit Melchior Canus, de locis Theologicis librum vndecimum; & nuper vir eruditus* Ioannes Bernartius, *(quocum mihi magnus, propter ſpectatam modeſtiam, & raram eruditionem, vſus & amicitia) duos libros* De vtilitate legendæ hiſtoriæ, doctè *in primis & eleganter: nihil eſt neceſſe quicquam de his ampliùs, ex noſtrâ monetâ proferre. Adito illos fontes, & ſi qua te ſitis tenet huius rei, facilè explebitur.*

Liber Viuentium Hiſtoria. Initio hiſtoriæ.

Theologo neceſſaria. Præfat. ad lectorem in Dialog.

2. De præc.

Melch. Can. l. 11. de loc. Theol. c. 2.

Ante omnes arbitror præmittendum Euſebij Cæſarienſis Chronicon, (*quod vtinam correctum haberemus*) *à beato Hieronymo Latinitate donatum: cui ipſe multa immiſcuit, & ad ſua tempora perduxit. eius filum Proſper excepit, ſicut Proſperi, ſequentes Palmerij. Ante omnia velim te ſummatim deguſtare totius orbis hiſtoriam: hoc ex illo Chronico aſſequeris, ſimul etiam vt memoriâ omnia teneas.* Facilius enim ſingula inſidunt circumſcripta; *his faciliùs quoque notitia latior inducitur. Deinde* Ioſephus Iudæus *diligenter legatur,* Grauis auctor *ſancto Baſilio,* Græcus Liuius *beato Hieronymo. Ioſephi magna ſemper auctoritas fuit, etſi habeat nonnullos errores. Poſteà tibi adeundi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores,* Euſebius Cæſarienſis, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Euagrius; *Ioanne Chriſtophorſono interprete; qui alias aliorum interpretum editiones ſuſpectas eſſe docebit, imò deprauatas. Subiungendus* Nicephorus Caliſtus, *& qui Corpus vniuerſæ hiſtoriæ conſcripſerunt, præſertim Byzãtinæ,* Ioannes Zonaras, Nicetas Choniates.

Hiſtorici præcipui enumerantur. Chronicon Euſebij Cæſarien.

Sen. ep. 31. *Ioſephus Iudæus.*

Hom. 8. in fame & ſicci. Epiſt. 28. 13.

Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Et Byzant.

Nice-

In notis ad cap. 9 lib. 1. Politicor.

Nicephorus Gregoras. Nicetas parum adhuc vulgò notus (*ſcripſit Iuſtus Lipſium*) ſed digniſſimus notitiâ. Nicephorus Gregoras hiſtoriam & filum narrationis eius excepit, vel hoc nomine legendus, quòd pleraque eius hiſtoria ab ſuo noſtro nō diſſidet: imò lites diſſenſuſque in Sacris reperies, haud diſſimiles hodiernis. *Probi hi: qualem etiam vellem* Laonicum Chalcacondylam *de rebus Turcicis: ſed eius lectione tibi interdixit Appendix ad Catalogum librorum prohibitorum.*

Hiſtorici Latini pauci.

Latini hiſtorici qui extent pauci & breues: vt Seuerus Sulpitius, Paullus Oroſius, Caſſiodorus, Beda, *& plerique poſteriores. Non eſt meum de illis ferre ſententiam: cùm ſciam Diuum Hieronymum ſcribere*, legendos etiam malos, vt bona eorum eligamus, vitemuſque contraria, iuxta Apoſtolum dicentem; Omnia probate, quod bonum eſt tenete. *Non pleroſque grauiter erraſſe: tamen de omnibus pronuntiandum exiſtimo, quod Bernartius meus de ſolo Tacito;* Vt vinum non eſſe deſinit, ſi guttulæ in eo aquæ: ſic nec iſtorum hiſtoriæ probæ, ſi eis nonnullæ maculæ. *Qui ſint probatæ fidei auctores multis docet Melchior Canus libr. 11. de Locis Theologicis capite 6. quò te mitto.*

Epiſt. 76. to. 2

1. Theſſ. 5. 21.

Lib. 1. de vt. leg. hiſt.

Cæſar Baronius omni laude maior.

Sed inoffenſo pede, vt hiſtoriarum campum percurras, neceſſe eſt Cæſarem Baronium *legere diligenter: omnibus palmam eripit, quotquot hactenus in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ quidquam tentarunt. Sequere illius arbitrium & in illius ſententiam pedibus & manibus diſcede. Nam præterquam quòd Eccleſiæ perduelles validiſſimè proſternit: dubiis etiam & controuerſis certitudinem, adfert, tenebris lucem. Meritò de illo canit vir doctus Ioannes Bochius vrbis Antuerpienſis à Secretis;*

In to. 2. Annal. Eccl. C. Baron.

Omnia Cæſareo cedunt inuenta labori,
Veris falſa, ſacris vana, vetuſta nouis.

Lib. 11. loc. Theolog. 2.

Et Hiſtoria profana Theologo vtilis.

• Nec hiſtoriam ſolùm Eccleſiaſticam, ſed eam etiam quæ ab Ethnicis auctoribus eſt ſcripta, Theologo contra aduerſarios fidei vtiliſſimam eſſe, *teſtatum reliquit Melchior Canus, ipſe Theologus ſummus*: & rudem eſſe omnino in hiſtoriis gentilium, aut inertiſſimæ ſegnitiæ eſt, aut faſtidij delicatiſſimi. *Probus miles latè omnia explorat; & tranſit in aliena caſtra, non tanquam transfuga, ſed tanquam explorator. Quid tibi cum alieno, inquis? audi;* Quod verum eſt, meum eſt. *Multa in illis profanis vera, pulchra, erudita, quæ res Chriſtianas mirum*

Sen. ep. 31.

in modum amplificant & exornant. Veluti
plantis, quibus propria virtus eſt, fructu pulchro imo ſcatere, foliis nihilominus ramis coniuncta quendam ferunt ornatum: ſic & anima, cui præcellens quidem veritas fructus eſt, non ab re tamen exteriore ſapientiâ circumdatur, ſicut foliis quibuſdam vmbram fructui, ac aſpectum non intempeſtiuum præbentibus. *Hac ratione docet S. Baſilius,* Poetis & oratoribus, & omnibus hominibus vtendū, vnde futura ſit aliqua vtilitas, quæ ad animæ faciat ædificationem. *Qui iudicio præditi ſunt, & ex illis multa bona colligent, ex illa facultate diſcernendi: multa bona* *non bonis. Adpoſitè ad hanc rem Sanctus Theodoretus;* Ipſis apibus hanc natura legem inſtituit, vt non ſolum floribus qui ſunt dulces inſidant, ſed qui etiam amarulenti: cùm tamen ſolam dulcedinem hauriant, amaritiem autem auerſentur, ac ex diuerſis qualitatibus, amaris videlicet, acerbis, auſteris, acutiſque, mel, quod hominibus dulciſſimum eſt, conficiant. Harum itaque & nos exempla ſectati, ex illis amarulentis pratis, dulce nobis ac perquam vtile mel componimus. Ac veluti corporum curatores è venenatis feris atque ſerpentibus, ſalutares medicinas conficiunt; deque ipſis viperis, alia quidem reiicientes, alia verò elixantes, multos harum rerum præſidio morbos propellunt: ita & nos Poëtarum, Hiſtoricorum, Philoſophorumque monumenta verſantes, alia ex iis vt noxia & peſtifera declinamus; alia verò ſparſim noſtræ inferentes doctrinæ, auxiliarem nobis ac ſalubrem curationem adferimus. *Probatiſſimos hiſtoricos recenſet Iuſtus Lipſius in Notis ad caput nonum libri primi Politicorum: Profeſſiùs differendo proponit Ioannes Bernartius, libro primo de vtilitate legendæ hiſtoriæ. Ad illa nomina iſta: ſatis ſuperque te inſtituent non ſolum, verùm etiam ad fructum, & Virtutem ex Ethnicorum ſcriptis acquirendam, animum vehementer accendent. Plutarchus valde ab illis probatus præconio noſtro non eget, ſed iudicio: dignus ſi quis alius concionatore ſcriptor. Veteriores Græci Patres multa ex illo vſurpant. Nam, (vt Lipſius ſcribit)* iudicium mirificè format, & diffuſâ ac planâ quadam ſcribendi viâ ad virtutem vbique & prudentiam ducit, ſed ad illam magis.

Sicut folia fructum & ſertant & obumbrant.

Lib. 1. de cui Græc. affec. in fine.

Plutarchus commendatus.

Not. In. c. 9. 1. Polit.

Quoniam verò de profanis iam agimus; oportunè hic Annæum Senecam *Pietatis ſtudioſo commendabo, quem res ipſa commendat, & virtus, velut Romanæ ſapientiæ parentem.*

Annæus Seneca pietatis ſtudioſo legendus. Epiſt. 16.

Quod ipſe de philoſophiâ dicit, facit; Animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat: ſed ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum. *Lege & relege, opera non pœnitebit.*

Cap. 15.

Sanctus Bonauentura legit, & ex illo multa ſuis libris inſeruit. Quinetiam Concilium Turonenſe Secundum, ſententiam eius honorificè citat. Vtiliſſimam illius lectionem teſtatum facit Iuſtus Lipſius, his verbis:

Electa c. 26.

Annæus Seneca frequenter mihi in manibus eſt: vt ego ſentio, non ſine fructu. Siue enim doctrinam quæro, multa inuenio in ritibus priſcis recondita: ſiue ſapientiam; Deus bone, quid ad mores, & ad vitam ſcriptum vmquam præclarius? Qualis ille, & quàm Romanus vbique animus! quæ tela aduerſum caſus ſubminiſtrat, & ipſam mortem! quomodo vitia eripit, inſerit virtutes! Fatendum eſt, in cacumine Olympi montis conſtitutus mihi videor cùm illum lego: ſupra ventos & procellas, ſupra omnes res humanas.

Vitia minuit, auget virtutes.

Quotquot eſtis veri virtutis amatores, nec tam boni videri vultis, quam eſſe; Romani Philoſophi ſcholā frequentate.

Sen. ep. 108

Qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur: qui in vnguentariâ tabernâ reſiderunt, & paullo diutiùs cõmorati ſunt odorem ſecum loci ferunt. *Et qui apud hunc Philoſophum aſſidui ſunt, trahent aliquid ad minuenda vitia, virtutes augendas. Illud etiam accedet; acriores reddentur ſtimuli ad rectè viuendum, ex Ethnicorum ſcriptis, quàm noſtratium. Et prorſus erubeſcendum, cùm ſubit animo, non ea perſpicere, ſiue etiam non perficere pectus Euangelicâ luce illuſtratum, quæ perſpecta ſunt iis, imò & perfecta, quibus ſola naturæ ſcintilla præluxit.*

At enim omnes iſtos, inquis, quis poterit euoluere? qui habeat rationem temporis, nec bonum otium conterat ſocordiâ & deſidiâ. Scio præſcripſiſſe me, diſcendi cupiditatem dirigendam eſſe, ne ſeipſa impediat: ſed induxi te in magnum iſtum Senatum litteratorum. Difficile eſt omnes amicos habere; principes ac præcipuos tibi concilia, & familiari amicitiâ coniunge. Velut apes non omnibus floribus ſimiliter inſidunt, neque ex iis ad quos accedunt omnia auferre conantur, ſed quantum ipſis ad opus neceſſarium fuerit comprehendentes, reliquum dimittunt: ſic tu potiſſimos eliges. Ingenium tuum tecum ipſe metire, & humeros tuos libra: cognoſce quid ferre valeant, quidve recuſent.

Multa leges qui habet rationem temporis.

Senec. ep. 108.

Non quantum vis, ſed quantum capis hauriendum eſt. *Illud in pectus tuum dimitte;* plus prodeſſe, ſi pauca præcepta ſapientiæ teneas, ſed illa in promtu tibi & in vſu ſint: quàm ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.

Idem 7. de ben. 1.

Incipe modò & perge. Nihil feracius ingenio humano, ſi rectè colatur. Bonum tantùm habe animum, capies quantum voles. Quo plus recipit animus, hoc ſe magis laxat.

Id. ep. 108

Quòd vitæ breuitatem, & anguſtiam temporis excuſes, nihil eſt. Sicut amplæ & regiæ opes vbi ad malum dominum peruenerunt, momento diſſipantur; at quamuis modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ ſint, vſu creſcunt: ita ætas noſtra benè diſponenti multum patet.

Id. de breu. vitæ cap. 1.
Nec vitam breuem, breuiorem facis.

An etiam obtuſum ingenium nobis obtendes? Acuetur; ſi Hebræum audis ſapientem; Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non vt priùs, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur: & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.

Eccleſ. 10. 10.

In quæ verba pulcherrimè ſcribit Diuus Hieronymus: Si ſe, inquit, aliquis viderit per negligentiam amiſiſſe ſcientiam Scripturarum, & acumen ingenij eius fuerit obtuſum, & conturbatus nequaquam manſerit, qualis eſſe iam cœperat, euenit quippe interdum, vt cùm modicum ſcientiæ quis habuerit, elatus in ſuperbiam, diſcere deſiſtat & legere; & paulatim ex eo quod nihil ei additur, ſubtrahatur, & vacuum diſciplinis pectus remaneat, ferrumque quod acutum fuerat, hebetetur; otium enim & deſidia quaſi quædam rubigo ſapientiæ eſt. ſi igitur quis hoc paſſus fuerit, non deſperet remedium ſanitatis, ſed vadat ad magiſtrum, & rurſum inſtruatur ab eo: & poſt laborem, & induſtriam, ſudoremque nimium, valebit ſapientiam recipere. labore, & ſudore, & induſtriâ, & quotidianâ lectione, ſapientiam conſequetur.

Labor improbus omnia vincit.

Semen quod ſpargitur, quamuis exiguum ſit, cùm occupauit idoneum locum, vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur. Idem facit labor & conſtantia: eruditio, in opere creſcit. At ſicut artium in ſuo quoque genere, mater eſt inſtantia: ita nouerca eruditionis eſt negligentia.

Ambroſ. ep. 1.

Macte animo: quæſo te, in hoc iuuenili vere fac ſementem, quò aliquando in mortalitatis facias meſſem. *Prudenter ille ſapiens Romanus monet, quod te animaduertere obſeruatè velim;* Turpe & ridicula res eſt elementarius ſenex. Iuueni parandum, ſeni vtendum eſt. *Vt apes colligunt æſtate, quibus hyeme viuant: ita nobis in tempore eſt haben-*

Io. Ber. de vtil. leg. hiſt. 1.
In tempore ſtudendum.

Senec. ep. 36.

habenda ratio ſituatorum & temporis: qua percurſa vtilitatem, ſtudiumque tum ſolis, tum aliis adſerant, & æternam ſalutem. Apes frequenter meminit in hoc de ſtudiis tractatu: claudam quoque dictâ aptâ ſimilitudine ab apibus, & quidem ex Seneca, quem vt tibi valde commendo, ita ſæpius ingero, & dilaudo. Nec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus; altera res contriſtabit, & vires exhauriet: de ſtilo dico: altera ſoluet ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandũ: vt quidquid lectione collectum eſt, ſtilus redigat in corpus. Apes (vt aiunt) debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quicquid attulere, diſponunt ac per fauos digerunt; &, vt Virgilius noſter ait,

Epiſt. 84. *Lectio & ſcriptio alternanda*

liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

* Apes debemus imitari, & quæcumque ex diuerſâ lectione congeſſimus ſeparare: melius enim diſtincta ſeruantur. Deinde adhibitâ ingenij noſtri curâ & facultate, in vnum ſaporem varia illa libamenta confundere: vt etiam ſi apparuerit vnde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quàm vnde ſumptum eſt, appareat; quod in corpore noſtro videmus, ſine vllâ operâ noſtrâ, facere naturam. Alimenta quæ accepimus, quàm diu in ſuâ qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt; at cùm ex eo quod erant mutata ſunt, tunc demum in vires & in ſanguinem tranſeunt. Idem his, quibus aluntur ingenia, præſtemus: vt quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe: nec aliena ſint, ſed concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter, & noſtra faciamus; vt vnum quiddam fiat ex multis, ſicut vnus numerus fit ex ſingulis, cũ minores ſummas & diſsidentes computatio vna comprehendit. Non vides quàm multorum vocibus chorus conſtet? vnus tamen ex omnibus ſonus redditur. Aliqua illic acuta eſt, aliqua grauis, aliqua media. accedunt viris feminæ, interponuntur tibiæ: ſingulorum illic latent voces, omnium adparent: fit concentus ex diſſonis. Talem animum noſtrum eſſe volo, vt multæ in illo artes, multa præcepta ſint, multarum ætatum exempla, ſed in vnum conſpirata. *Hoc ipſum de choro dico, quem pietatis ſtudioſi, veri Philoſophi nouerunt, vbi pietatis & eruditionis ſuauiſſimus concentus, ſcientia & virtutis: vt (quæ ſumma ſumma eſt) doctrina & opera*, omnia ſacta dictaque inter ſe congruant, ac reſpondeant tibi, & vnâ formâ percuſſa ſint. *Alioquin* multo melius eſt è duobus imperfectis, ruſticitatem ſanctam habere quàm eloquentiam peccatricem, *ſcientiam vanam.*

* Paullò poſt *Lectio in locos communes digerenda, & ſeparanda.*

Sen. ep. 84. *Summa ſummorum de ratione ſtudij.*

Hier. ep. 2.

10. De verbis Domini aliquod ſcriptum manu ipſius.] *Id latius Bartolomæus Piſanus, ac fratrem Leonem ſcriptum hoc deſideraſſe ſcribit*; Scriptura hæc erat ſigno Thau ſignata; Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te; oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui; conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Dominus benedicat fratrem Leonem. *Priora verba ex libro Numeri, quibus Deus præcepit Sacerdotes bene dicere filiis Iſrael; quod ipſum manibus extenſis faciebant. Aaron ſummus Sacerdos peracto ſacrificio, quod in Leuitico ſcribitur;* Extendens manum ad populum, benedixit ei. *Nec dubium, imò certum, illis verbis, ex præcepto Domini*, qui locutus ad Moſen, dixit; Loquere Aaron, & filiis eius; Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis; Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem; Inuocabuntque nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. *Nota, nota, vſum ſigni Crucis, cum inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, ad benedictionem dandam à Sacerdotibus, iam tunc adumbratum fuiſſe: quod clarius intelliges ex verbis Petri Galatini, quæ viſum mihi adſcribere*; Cùm ſummus Sacerdos populo benediceret ex Dei præcepto; ambas manus ante faciem ſuam protenſis tenebat: cum verò nomen Dei Tetragammaton proferebat; tres mox vtriuſque manus digitos, pollicem, indicē, & medium altiùs erigebat, reliquoſque duos in palmam depreſſos habens; & ſic nomine illo prolato, tres ſtatim eiuſdem digitos inſimul vniebat, vt veteres Thalmudiſtæ tradiderunt. quod nullam aliam ob rem fieri inſtitutum eſt, niſi vt diuinarum perſonarum Trinitatem; diuinæque naturæ vnitatem, per nomen illud deſignari, palàm oſtenderetur. *Sed & Chriſtus Dominus aſcendens in cælum*, eleuatis manibus ſuis benedixit diſcipulis. *quomodo? Audi* * *Ioannem Molanum*; Aut ritu Aaronico

Confor. fruct. 18.

Num. 6. 24.

Leu. 9. 22.

Num. 6. 24. *Benedictio Sacerdotalis veteris Teſtam.*

Epiſt. ad Io. Reuchlin.

Benedictionum Chriſtianarum ſignificatio.

Luc. 24. 50.

* de imaginib. c. 14.

nico, aut Chriſtiano: *poſteriore modo benedixiſſe vero ſimilius eſt. Ab illo tempore inoleuit vſus ſigni Crucis ſub inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis. Nec Sacerdotes tantum hoc ritu benedicebant, verùm etiam Chriſtiani omnes, ſeipſos, alios, tum omnia in vſu cotidiano: vnde & de Sancto Franciſco ſigni Crucis maximo cultore, ſcribitur paragrapho ſequenti.*

Quæ in nomine Domini cum ſigno crucis datur.

13. Signo crucis facto, in Chriſti nomine benedixit.] *Nec hic ſolùm; ſæpiſſimè talem benedictionem vſurpaſſe teſtatur totius vitæ hiſtoria. Benedictionem verò, boni alicuius, ſiue ſalutis bonam precationē, & votum intelligo: quæ aptiùs peti, dariue non poteſt, quàm in nomine Domini, à quo omne bonum: vnà cum illo ſigno, quod repræſentat, nos à maledicto liberatos, aſſertos eſſe ſaluti, per Chriſtum, qui* factus pro nobis maledictum (quia ſcriptum eſt; Maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret, in Chriſto Ieſu. *A Saluatore noſtro benedictio hæc, ſalutare hoc ſignum vim habet aduerſus omnia mala, aduerſus ipſos dæmones: quos * vel ſola crucis in aëre deſcriptio profligat & vincit. Hæc à multis egregiè tractata ſcio: ſed vnum tantùm adferam è B. Ephrem priſco ſcriptore, ad vſum frequentem viuifici ſignaculi, nos grauiter admonente;* Pingamus in ianuis, atque in frontibus noſtris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum ſignum. Armemur inſuperabili hac Chriſtianorum armaturâ. Ea enim victrix eſt mortis, fidelium ſpes, lux orbis terræ, paradiſi reſeratrix, profligatrix hæreſeon, dæmonum expultrix, monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna ſalutariſque cuſtodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternum. Hanc ô Chriſtiane, armaturam diebus ſingulis, & noctibus, horis atque momentis, in omni loco circumferre non deſinas, nihil ſine ipſa perficias: ſed ſiue dormias, ſiue iter agas, ſiue euigiles, ſiue operi inſiſtas, ſiue manduces, ſiue bibas, ſiue maria nauiges, ſiue tranſmittas flumina; hac te loricâ contege, membraque tua omnia ſalutari ſigno exorna atque circumducas, ne accedant ad te mala. Hoc enim ſigno conſpecto, aduerſariæ poteſtates conterritæ, trementeſque recedunt. *Itaque mirum non eſt humani generis & ſalutis hoſtes, dæmones excitare multos inimicos crucis Chriſti, qui ſalutare crucis ſignum irrideant, & velut magiam execrentur, vt idolomaniam deteſtentur.* Princeps enim mundi huius (*inquit Sanctus Ignatius, Martyr & Epiſcopus, Diſcipulus Apoſtolorum, qui Chriſtum vidit*) lætatur quando quis negat crucem: interitum enim ſui agnoſcit confeſſionem eſſe crucis. Hoc enim eſt trophæum contra eius poteſtatem, quod videns expaueſcit, & audiens timet. Initium enim ei fuit damnationis, (*addit paucis interpoſitis*) Crux Chriſti, initium mortis, initium perditionis. Idcirco & in quibuſdam vt crucem negent facit, vt paſsionem erubeſcant, mortem opinionem vocent, natiuitatem & ortum ex virgine circumcidant, naturam ipſam diffament quaſi impuram & ſceleratam. Iudæis auxiliatur ad negationem, Græcis ad calumniam magiæ, hæreticis ad imaginationem. *Dicam paucis. Hoc ſpectat diabolus, vt ſublatâ Chriſti memoriâ, e Chriſtianis fiant Antichriſti, Iudæi, Athei.*

Gal. 3. 13.
Deut. 21. 23.

*Nazian. carm. ad Nemeſiū.

De vera pœnit. c. 3.

Eius vis & magna potentia.

Epiſt. ad Philippen. *ſtauli hoſtes Cœmis*

IN CAPVT XII.

S. Franc. hortatur aues ad laudem Dei.

§. 3. **A**VES vt verbum Dei audirent, ſollicitè admonuit.] *Concionatur auiculis, ad laudem creatoris hortatur. Rides? nimirum facilè malignitas inuenit, quod vellicet. Ride & ipſum Dauidem nedum auiculas, ſed etiam beſtias omnes, omnes creaturas ad Dei laudem inuitantem;* Laudate Dominum de terrâ, dracones, & omnes abyſſi. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. Beſtiæ, & vniuerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ. *Sed & tres pueri in camino illo Babylonis benedicentes Domino, totum vniuerſum inclamabant ad benedicendum Domino, etiam auiculas:* Benedicite omnes volucres cæli Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula. *Grauiter docet beatus Chryſoſtomus, Sanctos Deum laudaturos, aſciſcere ſibi ſocios laudis: qui etſi in animes ſint, laudant tamen Deum; quia ad laudem eius nos ſuâ pulchritudine inducunt. Vide Homiliam eius in Pſalmum centeſimum quadrageſimum octauum.*

Pſal. 147. 1.

Dan. 3. 80.

Mirandum eius prætextu inuentione fuit.

4. Audite verbum Dei, tenentes ſilentium.] *Sic & alibi concionaturus coaxantibus ranis ſilentium impetrauit. Auctore * Sancto Ambroſio;* Frequens ſermo eſt, cum plurima ranarum murmura religioſæ auribus plebis obſtreperent, Sacerdotem *.

* Beat. Pet. Confeſ. ſiue ij. * Lib. 3 de virgin. ...

tem Dei præcepiſſe vt conticerent, ac reuerentiam deferrent ſacræ orationi; tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieuiſſe. *Non irridenda hæc, ſed miranda: beſtias facere, quod debebant homines, nec tamen volunt, in conuentibus, in orationibus publicis.* Silent paludes, homines non ſilebunt? Et irrationabile animal recognoſcit, quod per naturam ignorat. Hominum tantam eſſe immodeſtiam, vt plerique deferre neſciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati, *valde eſt deplorandum. Sed pleraque talia viros ſanctos feciſſe, littera ſacra atteſtantur. Nec modò viris beatis beſtias obediſſe; ſed ipſa etiam elementa ad nutum paruiſſe. Ioſue Soli indixit ſolſtitium, lunam iuſſit ſtare, rapidiſſimum cæli curſum retinuit verbo. Elias ignem cælo demiſit, Iordanem flumium pallio diuiſum, ſiccis tranſiuit veſtigiis. An negabimus homini perfecto, qui ad innocentiam reuenerit, in quâ Adam ante peccatum, dominium in creaturas recuperare poſſe? O miram iſtam Nouatorum Theologiam! De hominibus loquens Seneca vidit, quod Chriſtianus non videt;* Si vis tibi omnia ſubiicere, te ſubiice rationi. Multos reges, ſi ratio te rexerit. *Et tu rationi ſubiicere; illa Deo: Deus tibi ſubiiciet omnia, ſecundum illud;* Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cæli, & piſces, &c.

Ibidem.

Ioſ. 10. 13.

4. Reg 1.10 Ibid. 2. 8.

Epiſt 37. *Deo ſubiecto, ſubiiciuntur omnia.* Pſal. 8.

5. In nomine ſerui Dei Franciſci.] *Quidam ſtudens ſilentium præcepit hirundini garrienti. Sic teſte Sulpitio Seuero, aliquis Sancti Martini diſcipulus in eius nomine, cani importunè oblatranti.* In nomine, inquit, Martini iubeo te obmuteſcere. cani hæſit latratus in gutture: linguam vt abſciſam putares, obmutuit: ita parum eſt ipſum Martinum feciſſe virtutes. Credite mihi, quia etiam alij in nomine eius multa fecerunt. *Cur non eâdem ratione in nomine S. Franciſci?*

Silentium indictum beſtiis in nomine Sanctorum. 3. Dialog. c. 4.

7. Cùm non humanæ inuentionis ornatum prætenderet.] *Vt noſtri,* non ſecundùm artem ſcripſerunt, ſed ſecundùm gratiam, quæ ſupra omnem artem eſt: *ita non ſecundùm artem dixerũt viri diuini ſed* * prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis; *enim gratiâ* * ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi. Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes. *Sanctus Auguſtinus;* Elegit diſcipulos, quos & Apoſtolos nomina-

Amb. epiſt 63. * Act 2. 4. * 1. Cor. 1. 21. *Sancti ſecundùm gratiam ſcripſerunt, & dixerũt, quæ ſupra artem.* Lib. 18. de ciuit. c. 49.

uit, humiliter natos, inhonoratos, illitteratos: vt quicquid magnum eſſent & facerent, ipſe in eis eſſet, & faceret, *vt initio Eccleſiæ, ſic in noſtri ordinis conuerſione. Semper dicendum;* Non nobis Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. *At nunc plerique litterarum intemperantiâ nimium laborant; contra ſapere quantum eſt opus, ſapientia eſt.* Plus ſcire velle quàm ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt. *Illud ſpecta, ne tam doctus habeare, quam ſis bonus, Scientia nocet, ſi non rerum cupiditatem facit, ſed ſui. Seneca;* Magno impendio temporum, magnâ alienarum aurium moleſtiâ, laudatio hæc conſtat; O hominem litteratum! Simus hoc titulo ruſticiore contenti. O virum bonum!

Pſal 113. c.

Sen. ep. 88

Ibid.

20. Chordam apud ſe quâ cinctus fuerat ſanctus pater.] *Eius attactu ægri ſanantur. Ludouicus Granatenſis;* Amplificat Lucas in Actis Apoſtolorum Pauli miracula his verbis: Virtuteſque non quaslibet operabatur Deus per manus Pauli: ita vt ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicinctia: & recedebant ab eis languores. Magnum hoc certe diuinæ bonitatis & charitatis erga fidele ſeruum indicium; qui ſic non ipſum modò, ſed ſudaria etiam quibus is narium ſordes tergebat, hoc tanto honore afficeret. Verùm hic aliquid video mirabilius. Nõ enim ſolam ſancti viri chordam Dominus, ſed aquam etiam quæ chordam tetigerat, hac tantâ virtute donauit. Quanta ergo illa Dei bonitas & charitas! quantum illud Sanctos ſuos honorandi deſiderium; quando illa etiam, quæ eorum ſemicinctia tetigerunt, ſic honorare dignatus eſt!

Con. 4. de S. Franciſ. Act 19. 11. *Chorda S. Franciſci virtus & efficientia.*

Chordam vocat funem, quo vir beatus cingebatur. De quo Diuus Bonauentura; Dum audiret Euangelium, vbi Chriſtus Diſcipulis prohibuit poſſidere in zonis pecuniam, reiectâ corrigia, pro cingulo funem ſumit. *Commemorat Speculum* * *vitæ ſancti Franciſci, Beatum Dominicum a Sancto Franciſco petiiſſe chordam, quâ cinctus fuerat: licet difficulter, obtinuit tamen,* & ſub interiori tunicâ cinxit, ac deinceps deuote geſtauit. *Quâ ratione Diui Pauli ſudaria & ſemicinctia admouebantur aliorum corporibus, eâdem beatus Dominicus geſtaſſe credi poteſt chordam Sancti Franciſci: cuius attactu tanta beneficia in multos conferebantur. Primordia hæc mihi videntur ſodalitij Chordigerorum. Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo*

Cap 3. §. 1.

* Cap. 42. *Quomodo Dominicus ſe per iuſcinxit.*

nono,

nono, in Italiâ cùm eſſem, accepi à fratribus noſtris prædicari Veronæ, & aliis locis, indulgentias, quibus potiebantur quotquot acciperent Chordam Sancti Franciſci ex præſcripto, & deuotè geſtarent. Sed non ſine motu: multis res ignota, etiam ſuſpecta & illicita arbitrata eſt. Vicit tamen veritas: & inuentum à Leone X. facultatem datam fratribus Franciſcanis, communicandi ſæcularibus, & cuiuſuis inſtituti alterius Religioſis, & Eccleſiaſticis perſonis, chordam Ordinis Sancti Franciſci. Ipſis verò, fune Franciſcano vitè accepto, & in Chriſti memoriam, funibus pro peccatis noſtris ſoluendis conſtricti, cinctis, magna fit gratia delictorum, multæ indulgentiæ impertiuntur. Non vidi diploma Pontificium; ſed paucis verbis ſubindicat Compendium Priuilegiorum fratrum Minorum, ſic habens; Leo X. conceſſit, quòd viri deferentes imaginem Conceptionis beatæ Virginis, & mulieres ſcapularium eiuſdem Ordinis cum prædictâ imagine, eaſdem gratias obtineant & conſequantur, quas conſequuntur & conſequi poſſunt deferētes chordam fratrum Minorum, & corrigiam S. Auguſtini. *Sixtus V. An. Chriſti octogeſimo ſexto ſupra milleſimū quingenteſimum, proprio motu inſtituit Archiconfraternitatem Chordigerorum; quam certè maximis donauit Indulgentiis, confirmauitque hoc Diplomate:*

** Indulgentia Leonis X. in geſtatione Chordæ Franciſcanæ.*
In Indulgen. quo ad ſæcul. 7. nu. 4.

De Chordigerorum Archiconfraternitate Xiſti V. diploma.

XISTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Diuinæ charitatis altitudo eminentiſſima, & ſummi amoris Seraphici inexhauſta bonitas, quâ ab æterno & ante mundi conſtitutionem, * in charitate perpetuâ dilexit nos; ac, vt nos ſibi obſtringeret * in funiculis Adæ, id eſt naturæ, gratiæ, & gloriæ, ad ſe trahere voluit; videns protoplaſti culpâ peccatorum funibus circumplexos, & ad ſe clamantes, * Propitius eſto ſorti, & funiculo hæreditatis tuæ: non modò nos vinctos ſuos non deſpexit, ſed in fortitudine educendos, de mendicitate, & ferro diiudicans, In funiculis ſecundi Adæ, inquit, traham eos. Et vt inſolubiliùs noſmet ſibi vinciret, tenaciuſque obſtringeret, Filium ſuum Redemptorem noſtrum, (cuius diuinâ diſponente gratiâ, meritis licet imparibus, in ſacroſanctâ Eccleſiâ vices gerimus) filium Adæ factum, quaſi funiculum, diuinitate, anima, & carne contextum, ac de cælis ad terras protenſum, * iuſtitiæ cingulo in omni vitâ ſuâ ad lumbos præcinctum, ſuâmet ſolius interiùs charitate vinctum, licet funibus impiorum pro ſuâ voluntate ligatum, vſque ad mortem crucis tradidit, & traxit: vt ſic nobis victis, & in peccatorum funibus vinctis, * fieret ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Licet autem tantæ charitatis ardor inextinguibilis eſſe debuiſſet, refriguit tamen. Vnde frigeſcente mundo, & in funiculis Euæ (quæ ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ) denuò conſtricto, ad denuò inflammanda corda noſtra, Pater miſericordiarum & luminum, famulum ſuum beatum Franciſcum miſit, & in tam largâ dulcedinis benedictione præuenit; vt non modò virtutum prærogatiuis & meritis celebrem fecerit, ſed & in carne ipſius ſacra Chriſti ſtigmata renouauerit, & mira crucis myſteria, ligamina, & paupertatem, multiformiter in eo ad viuum demonſtrauerit: adeò vt vere Chriſtus Franciſco inferre poſſit, * Semitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti. Vnde & factum eſt, vt meritis dicti Beati Franciſci, ſacroſancta mater Eccleſia, fœtu nouæ prolis amplificata, ac multorum Sanctorum eius inſtituti meritis, virtutibus, doctrinis, exemplis & miraculis aucta; nec non quamplurimis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, Cardinalibus, Regibus, & Summis Pontificibus decorata, non poſsit ad eius deuotionis, & imitationis ſectanda veſtigia non eſſe propenſa. Nos pariter qui à teneris annis ſingularem erga eumdem Beatum Franciſcum (gloriâ noſtrâ) ſemper geſsimus deuotionis affectum, & indies ſemper accreuit, & cuius cinguli, & amictus inſtituti, & Ordinis, pro Dei gratiâ & noſtrâ voluntate pro poſſe imitatores, alumni, & ſerui fuimus, ac fuiſſe gloriamur; conſiderantes populorum deuotionem, & propenſionem erga tantum virum, & quo deuotionis affectu æmuletur, & paſsim anhelet plebs omnis, geſtamen ſaltem funiculi eius. & quaſi non contenta, quòd tot tantique vtriuſque ſexus Chriſti fideles ad inſtituta trium Ordinum ipſius, ob deuotionem ad tantum patrem, relicto mundo tranſierint, totam velit in Sancti Franciſci imitatione, & amo-

**Ier. 31. 3.*
**Oſe. 11. 4.*
**Eſth. 13. 17.*
Oſe. 11. 4.
**Iſa. 11. 5.*
**1. Cor. 1. 30.*
1 Ioan. 2. 16.
Pſal. 138. 3

amore immergere : idcirco cum pro aliquali repenſione amoris noſtri erga tantum patrem, nuper ad ampliorem decorem inſignis & celebris Eccleſiæ domus eiuſdem Sancti Franciſci Aſſiſienſis, Ordinis fratrum Minorum Conuentualium nuncupatorum; in quā quidem Eccleſiā, ſub illius altari maiori corpus eiuſdē Sancti Franciſci requieſcit; ac diuini cultus & piorum operum augmentum, ipſiuſque Sancti Franciſci honorem & venerationem, ac animarum Chriſti fidelium ſalutem, vnam Archiconfraternitatem vtriuſque ſexus Chriſti fidelium, qui chordam per fratres dicti Ordinis geſtari ſolitam, ex illorum deuotione, à Superioribus eiuſdem religionis cinctam & ſuſceptam deferent, & illâ cingentur, ſub eiuſdem Sancti Franciſci inuocatione in ipſa Eccleſiā, & ad dictum altare motu proprio erexerimus, & inſtituerimus : ac vt confratres Chordigeri dictæ Archiconfraternitatis ad pia opera exercenda propenſiores redderentur, ac ad Eccleſiam & altare huiuſmodi deuotionis cauſâ confluerent; eiſdem vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pœnitentibus & confeſſis, dictam chordam, quæ priùs à Superioribus dicti Ordinis benedici debeat, ad reuerentiam & memoriam eiuſdem Sancti Franciſci gerentibus, ſacraque communione refectis, Archiconfraternitatem ipſam ingredientibus, primâ die illorum ingreſſus, ac in mortis articulo ipſorum, nomen Ieſu ore vel corde inuocantibus, ac etiam vere pœnitentibus & confeſſis, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem, per alias litteras noſtras conceſſerimus. nec non dilecto filio Clementi Bontadoſio moderno, ac pro tempore exiſtenti Ordinis Miniſtro Generali, vt quaſcumque Confraternitates vtriuſque ſexus Chriſtifidelium Chordigerorum huiuſmodi, in quibuſcunque Eccleſiis domorum, Ordinū fratrum tam Minorum Conuentualium, quàm de Obſeruantiâ, & Capuccinorum nuncupatorum, vbicunque & in quibuſuis mundi partibus erigere & inſtituere, illaſque poſtquam erectæ fuerint, præfatæ Archiconfraternitati, cum omnibus & ſingulis indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus ac relaxationibus, aggregare, ipſaſque indulgentias Confratribus illarum communicare & concedere valeret; plenā & omnimodam facultatem & auctoritatem conceſſerimus, eaſdemque Confraternitates erigendas ex tunc, prout ex ea die, & e contra, dictę Archiconfraternitati aggregauerimus, & indulgentias huiuſmodi Cōfratribus illarum communicauerimus, ac litteras prædictas, nullo vnquam tēpore, de ſurreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, ſeu quopiā alio defectu notari, impugnari, retractari, aut reuocari nullatenus poſſe, ſed ſemper validas & efficaces futuras, ſuoſque effectus plenarios ſortiri debere decreuimus aliàs, prout in dictis litteris pleniùs continetur. Ne autem de præmiſſorū validitate vllo vnquam tempore dubitari contingat, noſtram denuò in præmiſsis auctoritatem interponere, ipſiuſq; Archicōfraternitatis authoritatē extēdere, ac pium dictorū Confratrum Chordigerorum propoſitū ampliùs promouere, eoſque ſpiritualibus muneribus, Indulgētiis videlicet & peccatorum remiſſionibus proſequi cupientes; ſupplicationibus dicti Clemētis hac in parte inclinati, Inſtitutionem huiuſmodi Apoſtolicâ auctoritate præfatâ, tenore præſentiū perpetuò approbamus & confirmamus: ſupplētes omnes & ſingulos tam iuris quam facti defectus, ſi qui interuenerint in eiſdē. Ipſam Archicōfraternitatē in caput omniū Cōfraternitatū Chordigerorū huiuſmodi, vbilibet inſtitutarū & inſtituendarū, etiam perpetuò, auctoritate & tenore præmiſſis erigimus & inſtituimus; omneſq; & ſingulas indulgētias, & peccatorū remiſſiones & relaxationes, Relig. & Ordini frat. Minorū huiuſmodi, per quoſcūq; Rom. Pontif. prædeceſſores noſtros, ac nos conceſſas; quoad eas dūtaxat, quæ non ſunt hactenus reuocatę, nec ſub illis reuocationibus comprehenſæ, eiſdē auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò approbamus, & cōfirmamus, ac illis perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus; illaſq; Archiconfraternitati & Confratribus Chordigerorū huiuſmodi ſub eiſdem modo & formâ, quibus illę Religioni & fratr. pręfatis cōceſſæ fuerūt, dūmodo (vt pręfertur) nō fuerint reuocatę; etiā perpetuò cōcedimus, elargimur & cōmunicamus. Nec non de omnipotētis

Eam inſtituit ad altare S. Frāciſci Aſſiſij.

Illi, vbique locorum Cōfraternitates aliæ chordigerorum, incorporantur.

Denuo approbat & confirmat.

Ordini Seraphico indulgentias conceſſas elargitur & auget ipſos Chordigeros.

Dei miſericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, vtriuſque ſexus Confratribus Chordigerorum huiuſmodi, præter Indulgentias Religioni præfatæ conceſſas, in mortis articulo, nec non quoties proceſſionibus Archiconfraternitatis Chordigerorum huiuſmodi ſingulis menſibus fieri ſolitis interfuerint; eiſdem quidem Confratribus plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem perpetuò concedimus: aliis verò non Confratribus, qui proceſſionibus huiuſmodi interfuerint, centum annos de iniunctis eis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus. Ac præfatis confratribus, qui aliis dictæ Archiconfraternitatis proceſſionibus, aut dum beatæ Mariæ, vel quoduis aliud diuinum officium per ipſos Confratres Chordigeros recitabitur, interfuerint; ac quoties ſanctiſſimum Chriſti corpus dum infirmis defertur, vel defunctum ad ſepulturam adſociauerint; aut alicui miſerabili perſonæ ſubuenerint; vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu aliquod horum fecerint: toties centum dies de eis iniunctis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, etiam miſericorditer in Domino relaxamus; eiſdemque Confratribus Chordigeris, vt indulgentias & peccatorum remiſſiones præfatas, per modum ſuffragii pro fidelibus, qui in gratiâ Dei deceſſerint, conſequi & impertiri valeant. Nec non quaſcumque Confraternitates vtriuſque ſexus Chriſti fidelium Chordigerorum huiuſmodi, in quibuſcunque Eccleſiis domorum, tam Minorum Conuentualium, quàm de Obſeruantiâ, & Capuccinorum, nuncupatorum, fratrum præfatorum in quibuſcumque mundi partibus & locis, pro tempore erigendas & inſtituendas, poſtquam erectæ & inſtitutæ fuerint, Archiconfraternitati illorum aggregandi, illiſque omnes & ſingulas eorum indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & relaxationes communicandi, & concedendi plenam liberamque facultatem præfato, ac pro tempore exiſtenti Generali dicti Ordinis Minorum Conuentualium, auctoritate & tenore præfatis concedimus. Non obſtantibus præmiſſis ac noſtrâ de indulgentiis ad inſtar non concedendis, & quibuſuis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque, prçſentibus perpetuis futuris tẽporibus valituris. Volumus autem quod præſentium tranſumtis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, & ſigillo pro tẽpore exiſtentis Miniſtri, vel Procuratoris Generalis Ordinis fratrũ Minorũ Conuẽtualium huiuſmodi, vel cuiuſuis perſonę in dignitate Eccleſiaſticâ cõſtitutę, aut Canonici alicuius Cathedralis Eccleſię, munitis, eadem prorſus fides adhibeatur vbique locorum & gentium, in iudicio, & extrà, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationum, erectionis, conceſſionũ, aggregationis, elargitionis, cõmunicationis, relaxationis, decreti & volũtatis infringere, vel ei auſu temerario cõtraire. Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicę milleſimo quingenteſimo octuageſimoſexto. Non. Maij, Pontificatus noſtri anno 2.

Item aliis condonationibus.

Quæ aliis ſodalitiis Chordigerorum communicabitur.

Vides hanc gratiam deliberatam factam magis aſpectu hominum degentium extra Ordinem diui Franciſci, quàm ipſorum Franciſcanorum? Ad pietatem illis calcar ſubdendum à fratribus, & veluti trahendi ad amorem virtutis. Pleriſque indigent ope alienâ, non ituri ſi nemo proceſſerit, ſed benè ſecuturi. Neque ſolo nos otio nostri debemus conſeneſcere; ne tam vita otioſa ſit quàm ignaua. Res qui fugit & homines, velut timidum atque iners animal metu deliteſcens, non aliis viuit, nec quidem ſibi. Pulchrè noſter Seneca; Non continuò ſibi viuit, qui nemini. Adeò tamen pro- magna res eſt conſtantia, & in propoſito ſuo perſeuerantia; vt habeat auctoritatem inertia quoque pertinax. *Adeò pietas ſacrum quiddam eſt & venerabile: vt etiam ſi quid illis ſimile eſt, mendacio placeat.*

Decipimur ſpecie recti. Epiſt. 11.

Sed ad propoſitum. Nouatores Democriti noui valdè hic [illegible], quò improbitatem ſuam demonſtrent apertè, & inſaniam. Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam: vir autem ſapiens vix tacitè ridebit. *De talibus non* conte- *laboro: cùm* fatigati deſierint contemnere, contemnentur. *Sed Catholici (ſi ma-*

Eccl. 21.

Idem 33. [illegible]

Contemptores contemnuntur.

(ſi modò tales) & magni viri, doctique, qui
bet arrodunt, (ſæpius obſeruaui nona ſine ma-
gna mente) quo loco habendi ſunt? Grandi
ſupercilio, ac faſtidioſè inquirunt vel, ut retra-
ctanter; Verum rectè, conſultè, prudenter iſtius-
modi Indulgentias Pontifex largiatur. Nem-
pe delecti illi, quibus liceat ſuâ Cenſoriâ virgu-
lâ arreptâ cenſere de Sede ſupremâ, quæ a ne-
mine alioquin iudicari debet. Bonâ fide, homi-
nes, vobiſne cerebrum in capite, an in calce eſt?
Scilicet niſi conſultis iſtis, nec quicquam rectè
Chriſti Vicarius decernet. Nihil eſſe ſuperua-
caneum, nec haberi debere, quod multum iu-
uet ad ſalutem generis humani, nemo ſana
mente negare poteſt. Et multa licet talia ha-
beamus, numquam tamen nimis multa. Vt in
pharmacopolio quamuis varia ſint medicamen-
ta ad corporum ſanitatem, tamen nil nimium
eſt, quod ad illam iuuat: ſic in Eccleſia valetu-
dinario non eſt ſuperuacaneum quod prodeſt ad
ſalutem. Quamquam hoc etiam alte conſide-
randum, Sodalitium Patrum Dominicanorum
cum Roſario illo Beatæ Mariæ, è quo nobiles illæ
Sodalitates Societatis Ieſu fruticant; item Cor-
rigiam Patrum Auguſtinenſium; Cingulum
Patrum Carmelitarum, Funiculum iſtum in-
ſtituit Dius Franciſci, Grana illa (quæ voca-
mus) Benedicta, & alia huiuſmodi, ſymbola
eſſe, ac velut teſſeras communicationis Eccleſiæ
membrorum cum capite: hoc eſt, piorum cum
Petri ſucceſſore. Agnoſcuntur tales per iſta ſi-
gna Catholici: & agnoſcunt Romanum Pon-
tificem Chriſti Vicarium in terris, Eccleſiæ ca-
put, cui claues datæ regni cælorum, ligandi
ſoluendique poteſtas. Conteſſeratio hæc, & [Mat. 16. 19.]
communio cum Romano Pontifice, ab omni æuo
habita eſt certiſſima nota hominis Chriſtiani.
At ſymbola iſta parui facere, contemnere, quid [*Diffluunt latenter communionem cum Pontifice Romano.*]
aliud eſt quàm paulatim inducere contemptum
Principis ſacrorum, atque adeò diſſenſum cum
Petri ſucceſſore? Nonne hæreſes temporis no-
ſtri hoc ipſum machinantur? In hoc vnum enim
conatus earum, vt ab arbore fractus ramus,
germinare non poſſit, & riuus a fonte præciſus,
areſcat. Nimirum diſceſſio proprium eſt opus [2. Theſ. 2. 3.]
hominis peccati, filij perditionis. & myſte-
rium iam operatur iniquitatis, quo
occultiùs, hoc peſtilentiùs. Hoſtem apertum vi-
tare potes, falſos fratres non potes. Facilior [Cypr. de vnit. Eccleſ.]
cautio eſt, vbi manifeſtior formido
eſt: & ad certamen animus ante præ-
ſtruitur, quando ſe aduerſarius profi-
tetur. Plus metuendus eſt, & cauen-
dus inimicus cùm latenter obrepit,
cùm occultis acceſſibus ſerpit. Sic
occultè venenum ſerpens infundit, quoties con-
ſenſum hunc ſalutarem membrorum Eccleſiæ
cum capite latenter diſſuit. Contemptores
igitur tales aut ipſam rem non intelligunt, non

aſpiciunt, aut certè incorrupti Catholici la-
beri non poſſunt. Si autem hæc noſtra
confeſſio Apoſtolatus iudicio com- [24. q. 1. c. hæc eſt.]
probatur: quicumque me culpare
voluerit, ſe imperitum, vel maleuo-
lum, vel etiam non Catholicum, ſed
hæreticum comprobauit.

IN CAPVT XIII.

§. I. MONS Aluernæ.] *Hic in Etruria Apennino, mediam Italiam diuidente: inſtar prærupti ſcopuli aliorum montium ſuperat iuga. Variè appellatur. Martyrologio Romano Mons* Aluerniæ. *Polydoro Vergilio* Auerna. *Sabellicus** Lauernam vo*cat, & Franciſcus Maurus Minorita in libris quatuordecim Franciſciados, quos Heroicis verſibus in laudem ſancti Franciſci ad Coſmum Medicem Ducem Etruriæ, conſcripſit. De Sullâ Plutarchus ex Lucullo hæc memorat;* Cùm ad bellum ſociale cum exercitu mitteretur, tradit apud Lauernam in ingentem ſinum terræ labem deſediſſe, ex quo grandem ignem erupiſſe, & lucidam flammam ad cælum extuliſſe. *Sitne idem locus, viderint quorum hæc talis profeſſio; mihi equidem non videtur. Porrò* Lauerna *olim Romanis Dea habita fuit, in cuius tutelâ fures eſſe putabantur, ab eâ dicti Lauerniones. Et Romæ porta Lauernalis olim, ab æde Lauernæ propinquâ. Famam eſſe ſcribit* Franciſcus Maurus, raptores & prædones in Lauernâ monte quandoque frequentes conſediſſe, finitimis & viatoribus infeſtos, quibus de altiſſimo monte proſpectus ad omnes vias. hæc eius verba;*

[*De Aluernâ monte.*]

[Ad 17. Sept. Deinuen. rer. 7. c. 4.]

[* Enn. 9. Lib. 6.]

[*Fur & Lauerna.*]

[* In Sullâ.]

[* Lib. 12. Franciſciados.]

[*A Lauernioniſtur & graſſatoribus.*]

Ex illo (quando antra nemus, late-
  bræque profundæ
Rupis inacceſſæ) loca tuta nocenti-
  bus eſſe.
Sæpè hic conuentum diræ fecêre
  cateruæ
Raptorum; prædaſque loco aſſue-
  uêre recentes
Partiri ſecum, & lætè conuiuere
  rapto.

Sic de S. Franciſco & illo monte ante F. Maurum cecinit Bapt. Mantuanus;

Vmber erat. coluit Tuſcæ montana
Lauernæ, Quæ furum tutela fuit. [Lib. 10. Faſt.]

Nunc etiam in ipſo monte videtur turris, furum & prædonum carcer. Itaque à Deâ Lauernâ furum tutrice, Lauernam montem appellatum licet opinari. pono hoc, non adfirmo, quamquam Petrus Radulphius ſcribit nonnulles in hac opinione eſſe. Orlandus Catanæus vir nobilis ex opido Cluſinorum in agro

[Lib. 1. Hiſtor. Seraph. relig.]

[*Donat S. Franciſco.*]

Cluſentino, qui prope abeſt ab eo loco, montem hunc Sancto Franciſco dedit; qui paullo pòſt impreſſione ſtigmatum in beati viri corpore nobilitatus, dictus eſt Mons Angelorum: *quòd Angeli frequentes eo loci conuerſarentur, & montem in tutelam accepiſſent. Multa præterea de hoc monte ſcribuntur, quæ non perſequor: ſed mitto te ad Speculum vitæ Sancti Franciſci; quod ſcioli reiiciunt quidem, ſed imperitè: cùm Cæſar Baronius in notis ad Martyrologium Romanum* * *illius auctores fratrem Leonem, fratrem Ruffinum, & fratrem Angelum, honorificè citare non vereatur. Inter alia dignum notatu, hunc montem in Saluatoris Christi paſſione, cùm terræ motu quateretur, & petræ ſcinderentur, etiam diſciſſum eſſe. quod* * *Bartholom. Piſanus teſtatum relinquit, item* * *Robertus à Licio,* * *Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis. Item Petrus Rodulphius libro ſecundo* * *hiſtoriarũ Seraphicæ Religionis pluribus etiã exponit, quæ de ſacro hoc monte attigimus.*

Mons Angelorum appellatus.

* Ad 4. Octob. & ſtē Barth. Piſan Conform. fruct. 8.

Ruptus in Christi paſſione.

* Conſor. fruct 31.

* Ser 44. de Sanc. c. 3.

* Tom. 1. Annal ad ann Christi 34.

* Cap. 10. § 3.

2. Cùm igitur Seraphicis deſideriorum ardoribus ſurſum ageretur in Deum.] *Tradit Diuus Bonauentura, ſanctum Patrem viſum nocte orantem manibus expanſis in figuram crucis, toto corpore ſubleuari à terrâ, fulgente illuſtratum nubeculâ. Id contigiſſe ſæpenumerò cùm in multis locis, tum etiam in monte Aluernæ, Speculum vitæ Sancti Franciſci commemorat. Frater Leo eius aſſiduus comes ſæpe vidit eleuatum aduſque medium fagorum, quæ ibi multa & procera. nec rarò iam altè, vt aciem oculorum eius effugeret. Vidit etiam in illo monte beatum virum flexis genibus, erectâ facie, manibus in cælum deductis, cum Deo colloquentem, frequentiſſimè hæc verba repetiuiſſe;*

S. Franc. orans nubecula ſubleuatur in aerem.

In medio libri.

QVID ES TV DOMINE? ET, QVID SVM EGO? *Aliquando ſic,* Quid es tu dulciſſime Deus meus? &, Quid ſum ego vermiculus, & paruus ſeruus tuus? *Flammam etiam, cùm hæc diceret, coruſcam à ſummo cælo ad caput eius radiantem, ad quam beatus Franciſcus iter manum extendit, nonnulla verba prolocutus. hæc qualia fuerint, ipſe vir ſanctus fratri Leoni expoſuit his verbis;* Cùm hæc videres, *inquit*, erant mihi aperta duo lumina: vnũ de cognitione Creatoris, & aliud de cognitione meiipſius. Quando dicebam, Quid es tu Domine? &, Quid ſum ego? tunc eram in quodam lumine contemplationis, in quo videbam abyſſum infinitæ bonitatis diuinæ, & profundum lacrymoſum vilitatis meæ. Propterea dicebam, Quid es tu Domine? ſumme ſapiens, ſummum bonum, ſumme clemens, vt viſites me, qui ſummè vilis, & vermiculus vnus, modicus, abominabilis, & deſpectus? Illa verò flamma fuit Deus, qui in illâ ſpecie mihi, ſicut Moſi in flammâ ignis loquebatur. *Ter iubente Deo manum duxi in ſinum, & reduxi ad flammam. Tres aureos nummos Deo dante, magnos qualibet vice & pulchros in ſinu repperi, iuſſu Dei, Deo obtuli. & ſtatim intellegi datum eſt, Trinam oblationem ſignificare;* Auream obedientiam, altiſſimam paupertatem, & ſplendidiſſimam caſtitatem: *ſunt etiam* tres Ordines à beato Franciſco inſtitutos. *quod Bartholomæus Piſanus ſcribit. Pauca complexus ſum hiſtoriam, pluribus exponit Bartholomæus; Piſanus Conform. fructus vndecimi. Ex quibus exſcripſiſſe videtur S. Antoninus tertiâ parte hiſtoriæ, tit. 24. cap. 7. § 9.*

Cum Deo loquitur.

Exo 3. 2

Cui tres aurei offert.

Verùm maximè refert Patris noſtri exemplo operam dare, & intendere animum conſiderationi horum duorum cognitionis Dei & ſui; quæ prorſus neceſſaria homini Chriſtiano, qui valet eſſe perfectus. Pauca ingeram tibi: & dabo ſapienti occaſionem, vt addatur ei ſapientia. Noſſe ante omnia ſummum illud Numen (quatenus homini datum) oportet; & cognitum piè pureque venerari. *Nam* Abſque notitiâ ſui Creatoris, omnis homo pecus eſt. *Quamobrem Sãctus Bernardus rectè docet* * per omnia, & in omnibus præferendam, & vel ſolam, vel maximè colendam, quæ ad omnia valet, pietatem. Quid ſit pietas quæris? vacare conſiderationi. Dicas forſitan, in hoc diſſentire me ab illo, * qui pietatem definiuit cultum Dei. Non eſt ita. Si benè conſideras, illius ſenſum meis expreſſi verbis, etſi tamen ex parte. Quid tam pertinens ad cultum Dei, quàm quod ipſe hortatur in Pſalmo, Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus? Quod ſanè in partibus conſiderationis præcipuum eſt. Quid denique tam ad omnia valens, quàm quæ ipſius quoque actionis partes, benignâ quâdam præſumptione ſuas facit, præagendo quodammodo, & præordinãdo quæ agenda ſunt. Neceſſariò ſanè, ne fortè, quæ & præuiſa, & præmeditata poterant eſſe proficua, præcipitata magis periculo fiant. *Sed quia* Deum nemo vidit vnquam, *quia* lucem inhabitat inacceſſibilem (*vt ſe Ectorreedem*) A te tua conſideratio inchoet, ne fruſtra extendaris in alia te neglecto. Quid tibi prodeſt ſi vniuerſum mundũ lucreris, te vnũ perdens? & ſi ſapiens ſis, deeſt tibi ad ſapiẽtiam, ſi tibi non fueris. Quantũ verò? vt quidem ſenſerim ego, totum.

Prou. 9. 9.

Lipſ. 1. Polit. 2.

Cognitioni Dei ſtudendum.

Hier. Ep. 3. ad Heliod. cap. 3.

* Lib. 2. de Cõſiderat.

* Aug. 4. Ciuit. c. 23.

Pſal. 45. 11.

Ioan. 1. 18. 1 Tim. 6. 16.

Lib. 2. de Conſiderat.

Et cognitioni ſui ſtudendum.

tum. Noueris licet omnia myſteria, noueris lata terræ, alta cæli, profunda maris: ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam non ſtructuram faciens. Quicquid exſtruxeris extra te, erit inſtar congeſti pulueris, ventis obnoxium. *Itaque attende tibi ipſi*: & homo cùm ſis, id fac ſemper intelligas.* Quia primùm decet (*ſuffragante magno illo Antonio*) rationabilem virum cognoſcere ſemetipſum: deinde vt cognoſcat ea quæ ſunt Dei, & vniuerſas gratias quaſcumque ſemper cum eo facit. Atque hoc modo (*inquit melliſluus Bernardus*) erit gradus ad notitiam Dei, cognitio tui. & ex imagine tuâ quæ in te renouatur, ipſe videbitur; dum tu quidem reuelatâ facie gloriam Domini cum fiduciâ ſpeculando, in eandem imaginem transformaris, de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. *Vtraque cognitio neceſſaria tibi ad ſalutem*. Nemo abſque ſui cognitione ſaluari poteſt. de quâ nimirum mater ſalutis humilitas oritur, & timor Domini; qui & ipſe ſicut initium ſapientiæ, ita eſt ſalutis. Nemo abſque illâ cognitione ſaluatur, qui tamen ætatem habeat ac facultatem cognoſcendi; quod propter paruulos loquor & fatuos, quorum alia ratio eſt. Quod ſi ignoras Deum; poteritne ſpes eſſe ſalutis cum Dei ignorantiâ? Ne hoc quidem. Nec enim potes amare quem neſcias, aut habere quem non amaueris. Noueris proinde te, vt Deum timeas: noueris ipſum, vt æque ipſum diligas. In altero initiaris ad ſapientiam, in altero & conſummaris: quia initium ſapientiæ timor Domini eſt, & plenitudo legis eſt charitas. Ceterùm ſi nos ignorantia Dei tenet (*rurſus vſurpo verba ſancti Bernardi*) quomodo ſperamus in eum quem ignorâmus? Si noſtri? quomodo humiles erimus, putantes nos aliquid eſſe cùm nihil ſimus? Scimus autem, nec ſuperbis, nec deſperatis partem eſſe vel ſocietatem in ſorte ſanctorum. Intuere ergo nunc mecum, quantâ curâ & ſollicitudine ambas iſtas repellere à nobis ignorantias debeamus; quarũ omnis peccati altera initium parit, altera conſummationem! ſicut duarum è regione notitiarum, initium ſapientiæ vna, perfectionem altera gignit: illa timorem Domini, iſta charitatem.

* Ep. 3. ad Arſenoitas.

Ser. 36. in Cant.

Sine quâ nemo ſaluatur.

Idem ſer. 37. in Cant.

Pſal. 110. 10.

Rom. 13. 10.

Serm 37. in Cant.

Benigna materia hæc, non tamen proſequor: ſatis tamen dicam Ethnicis etiam Dei cognitionem & ſui valde commendatam fuiſſe. Tradit Plutarchus, atque ex eo Euſebius Cæſarienſis, in Apollinis Delphici propylæis inſcripta hæc duo, Es, &, Noſce teipſum. Apollo enim vnumquemque, qui huc accedit, ſicut ſalutans affatur hoc dicto,

NOSCE TEIPSVM:

quod profectò non minùs valet quàm ſalue. Nos viciſſim Deo reſpondentes,

EI,

dicimus. Quo dicto vt verũ, vt ſolidũ & ſolum, ad ſolũ illum pertinens vocabulum, Quòd ſit, ei tribuimus. Nobis nihil ſuppetit vt ſimus: ſed natura mortalis omnis, in medio ortus & interitus poſita, viſionem præbet, & opinationem exilem, & vacillantem ſui. Quòd ſi cogitationem ad prehendendam eam intenderis, ſicut vehemens aquæ circumplexus, comprimendo in vnum, & ſtringendo diffluentem amittit, quam comprimit. Ita ſi motionum tranſeuntium cuiuſque exactam perſpicuitatem conſectetur ratio, aberrat modò in ortum eius, modò in occaſum: nec poteſt quicquam quòd conſiſtat vel verè ſit, corripere. Amnem enim haud queas, vt eſt apud Heraclitum, bis eumdem ingredi, neque naturam mortalem bis attingere in vno tenore: verùm mutationis pernicitate & celeritate diſſipatur, & vice verſâ coit, accedit, & recedit. Vnde nec ortus eius, vt ſit, conſequitur abſolutè, quòd numquam deſinat generatio nec cedat: ſed ex ſemine, perpetuâ conuerſione fœtum efficiat, inde infantem, tum puerum, mox adoleſcentem, hinc iuuenem, pòſt virum, ſenem, decrepitum, primas perimens generationes & ætates, ſuccedentibus. Non modò enim, vt dixit Heraclitus, ignis mors aëris eſt ortus, & aëris mors aquæ ortus: verùm id in nobiſipſis longè cernas clariùs. Interit enim vir vbi ſeneſcit; periit iuuenis, quando vir euaſit; puer, quando iuuenis; quando puer, infans; atque heſternus in hodiernũ diſceſſit; hodiernus in craſtinum exſpirat. Manet nemo, neque eſt vnus: ſed circa vnam viſionẽ, & communem imaginem circulante & labſante materiâ, efficimur multi. Qui enim, iidem ſi maneremus, aliis nunc duceremur, alias diuerſa diligeremus, aut odiſſemus, admiraremur,

De dictione Ei, apud Delphos Euſeb Cæſar. 11. De præpar. Euang. cap 12.

Eſſe nobis nõ ſuppetit.

Cùm inſtar amnis fluxamus ſemper.

Et variamus.

carperemus? Imò aliis vtimur ſermonibus, aliis animi motibus: quòd neque ſpeciem, neque formam, neque ſententiam retineamus vltra eandem. Neque enim ſine variatione conſentaneum ſit aliter affici nos, neque eſt, qui varia, idem. Quòd ſi idem non ſit, neque eſt: ſed ſtatim hoc ipſum variat, quod fiat alius ex alio. Mentitur autem ſenſus ignorantiâ eius, quod eſt, eſſe quod apparet. Quid igitur illud eſt, quod reuerâ eſt? Æternũ, quod neque oritur, neque obit, cui tempus viciſſitudinem affert nullũ. Siquidẽ eſt tempus quid mobile, vnaque cum materiâ quæ in motu eſt, menti repræſentatur: perfluitque perpetuò, neque eſt ſolidum ſicut vas, ortus & occaſus tempus. De quo quidẽ cùm dicatur poſterius, prius erit & fuit; eſt confeſſio ſtatim rem non eſſe. Nam eſſe affirmare id, quod nondum extitit, aut iam deſiit eſſe, ſanè quàm ineptum & abſurdum eſt. Cui autem temporis portioni cogitationem intendimus, quando loquimur, inſtat, præſens eſt, nunc: hoc rurſus mirè excutiens ratio amittit. Extruditur enim in futurum & præteritum, ſicut cernere qui vult acie, quod longè diſtat. At tempori idem, quod menſuram agenti accidit; vel menſura eſt natura, cuius nihil eſt quod duret, aut ſit: ſed quæ naſcuntur omnia & cadunt eâ duce, cum tempore commiſta ſunt. Vnde nefas eſt quicquam eius, quod eſt, dicere fuiſſe, aut eſſe futurum. Hæ namque inclinationes quædam ſunt, traiectioneſque, & variationes eius, quod conſiſtere, in eo quod eſt, nequit. Verùm dicendum; Eſt Deus: neque vllo circumſcriptus tempore eſt, ſed eſt ſæculo immoto, & à tempore & inclinatione libero; quo nihil eſt vel prius, vel poſterius, vel recentius, ſed vnus eſt, & vno tempore inſtanti perpetuum compleuit. Atque ſolùm eius natura reuerà eſt id, Quod eſt, non præteritum, nec futurum, nec exorſum, nec deſiturum. Sic illum debemus venerabundi ſalutare, & ad id aſſuefacere nos: *& huic ſtudio aſſiduè incumbere, vt Deum noſcamus, & nosipſos: ſiue etiam exemplo ſancti Franciſci, Deo nosipſos opponere, & committere inter ſe, Quod eſt, & Quod non eſt; ſtupore & reuerentiâ Dei. Ille verè eſt, per omne æuum, idem, æternus, ſummus, beatiſſimus, optimus maximus: homo verò non eſt, vt qui nunquam in eodem ſtatu permanet, mortalis, fragilis, imbecillus, pelagus omnium calamitatum & miſeriarum.*

Atque idco uei ſumus.

Nec tempus eſſe dicendum eſt.

Deus ſolus eſt, vno inſtanti perpetuum complens.

Scio equidem non eſſe neceſſe in luto aurum quærere: *ſed tamen ad ornatum tabernaculi Domini iuuant ſpolia Ægyptiorũ. Sanè cùm mens Ethnici hominis ſolâ naturæ ſcintillâ illuſtrata, alta hæc & diuina potuit videre: tibi iudicandum relinquo, à nobis quid poſtulet religio Chriſtiana? An illum hominem putabimus, aut præditum mente humanâ, qui ſe nec quicquam inſpicit, ſed in terram procumbens, illam modò ſpectat, non cælum, ad cuius contemplationem excitati ſumus? haud arbitror. Talem ſi hominem exiſtimas, aſſentior, cùm hominis viliſſimam partem intuearis, corpus ſcilicet ab humo ſumptum.* At non es is, quem forma iſta declarat: ſed mens cuiuſque, is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. *Vilior hæc portio à terrâ, illa nobilior è cælo, ab ipſo Deo originem ducit. Agnoſce itaque dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, oculos & mentem in cælum erige, vilitatem terrenam ſperne. Prorſus* quàm contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit!

Te inſpice: & te ſupra te erige.

Cic. Som. Scip.

Sen. præfat. lib. 1. natur. quæſt.

Ad propoſitum redeo. Non eſt quòd Apollo, ſiue mauis, immundus dæmon dictis illis tanquam ſuis glorietur: vſurpauit è ſacris litteris, verum Dei cultum (vt eſt gloriæ diuinæ honoriſque auidiſſimus) in ſe transferre cupiens. Alienis coloribus ſe pinxit, & ſicut graculus plumis ornauit alienis. Conſtat ante Sapientes Græciæ, quos hoc dictum Apollini dedicaſſe auctor eſt Plutarchus, dictum à Deo, ſcriptum à Moſe; Ego ſum qui ſum. Ait, Sic dices filiis Iſrael. Qui eſt, miſit me ad vos. *Quærebat de nomine Dei Moſes: Deus reſpondit, rem exprimens, non appellationem;* Ego ſum, qui ſum. *&*, Qui eſt * quoniam nihil tam proprium Dei eſt, quàm ſemper eſſe. *Rurſum ſcimus ipſum Moſen, cùm Deum precaretur,* Oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te; *ſcire deſideraſſe (quatenus homini fas eſt) eſſentiam, & naturam Dei. Iam vides è quo fonte ad Ethnicos deriuauerit exiguus ille apud eos riuulus de ipſo nomine diuino* Eſſe: *quod omnem bonitatem, perfectionem, beatitatem complectitur, & comprehendat: vt mirum non ſit, cum nobis ſanctis beatum Franciſcum ſummo deſiderio optaſſe, cognoſcere quid ſit Deus;* Hæc eſt vita æterna *(inquit Saluator noſter)* vt cognoſcãt te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Sed illud etiam ſanctiſſimum:* Noſce teipſum, *nobis acceptum ferre profani debent. Primum*

Ante omnem Græcorum ſapientiam Deo reddenum.

Vbi ſup.

Exod. 3. 14.

Eſſe.

* Amb. in Pſal. 41.

Exod 33. 13.

Ioan. 17. 3.

Etiam illud cognitum, Noſce te ipſum.

Deut. 4. 9. *ouum Moſes dixit*, Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſollicitè. *vbi Septuaginta legunt*, Attende tibi ipſi (*in quod extat inſignis homilia Diui Baſilij Magni*, Cap. 7 & 8. *quam pro bonâ parte in Latinum Sanctus Ambroſius libro ſexto hexaëmeron tradux it.*) *Ex hoc loco vſurpaſſe Ethnicos*, Noſce te ipſum, *Author eſt idem Ambroſius*,* *& Procopius* *Gazæus vetus ſcriptor. Quin etiam Salomon diuinum oraculum ſecutus* *ſcripſit in Canticis Canticorum*; Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum; *his verbis, Moſis exemplo, nos ad cognitionem noſtri inuitans*. Itaque noſce te ipſum (*ſcribit Ambroſius*) non, vt ferunt Apollinis Pythij, ſed Salomonis ſancti eſt. Quod niſi feceris, (*Origenes ſic exponit*) iubeo te exire, & in vltimis gregum veſtigiis collocari: & iam non oues, neque agnos, ſed hœdos paſcere; illos ſcilicet qui pro prauitate & laſciuiâ, à ſiniſtris ſtaturi ſunt regis in iudicio præſidentis. Et cùm tibi introductæ in cubiculum regium, oſtenderem quæ ſumma ſunt bona, ſi non cognoueris temetipſam, oſtendam tibi etiam quæ ſunt vltima mala, *&c*. Ecce ſic maledicetur homo (*ait Sanctus Bernardus*) qui ignorantiam Dei habere inuentus fuerit. Dei, dicam, an ſui? Vtrumque ſine dubio. Vtraque ignorantia damnabilis eſt, vtralibet ſufficit ad perditionem. Vis ſcire quia ita eſt? Sed de Dei minimè dubitas; ſi tamen conſtat tibi, non aliam viam eſſe æternam, quàm vt Patrem cognoſcas Deum verum, & quem miſit Ieſum Chriſtum. Audi ergo ſponſum liquidò & apertè, in animâ etiam animæ ignorantiam condemnantem. quid enim dicit? Non vtique ſi Deum; ſed ſi ignoras te, inquit, &c. Patet ergo quia * ignorans ignorabitur, ſiue ſe, ſiue Deum ignorare contingat.

* Lib. 6. Hex. 6.
* Ser. 2 in Pſal. 118
In 4. Deut.
* Cant. 1. 8
Vbi ſup. Hom. 2. in Cant. to. 7 Hieron.
Ignorantia Dei & ſui maximè perniciosa.
Hom. 15. in Cant.
Io. 17. 3.
* 1. Cor. 14. 38.

Fugemus itaque ab animo noſtro noxiam hanc inſcitiam: pectoribus apertis hauriamus diſciplinam, à beato patre præſcriptam. Nec leuiter tantæ rei inſiſtendum: toto impetu nitamur ad ſapientiam, quæ petenda ab his duabus ſcientiis. Quoties pro conſuetudine, & Ordinis Seraphici more vetuſto, etiamnum ſeruato, precibus operam damus, & præcipuè in recollectione matutinâ & veſpertinâ, deſcendamus in hoc altum, cognitioni tum Dei, tum noſtri, grauiter incumbentes. Nec ſufficiat nobis, huic veræ ſapientiæ ſtudiò, minimum temporis tanquam occupatis impendiſſe: cuncta momenta ſibi aſſerat, ancameratis cæteris neglectis & repulſis. Iaculatorias preces, velut ſagittas è pharetrâ pectoris noſtri, per dies, per noctes, indeſinenter in Deum emittentes, ſicut breuiſſimè ita perfectiſſimè cum beato Auguſtino ex intimo pectore oremus, Deus ſemper idem, nouerim me, nouerim te.*

Orandum ſemper vt te noſcas & Deum.
2. Soliloq. 1. tom. 1.

2. Quodam manè circa feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis.] *De admirandâ, & inauditâ omnibus ſæculis ſacrorum ſtigmatum inſcriptione, digito Dei viui, in corpore Sancti Franciſci, nunc agitur. Primùm de tempore, deinde de auctore, poſt de formâ. Biennio antequam ex hac abiret vitâ, ſtigmata illi impreſſa, Sanctus Bonauentura ſcribit: ſed illius ætate, de die non conſtabat. Poſt annos quinquaginta ſex, quàm Sanctus Franciſcus ceſſit naturæ, anno ſalutis noſtræ milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo (vt teſtatur Bartolomæus Piſanus) reuelatione diuinâ edoctus fuit quidam ſanctus frater laicus*; ſummo diluculo in die Exaltationis ſanctæ Crucis, *Angelum hunc, ſignum Dei viui accepiſſe; cùm ab Heraclio Imperatore, à Perſis aſſerta Chriſti Saluatoris Crux, in monte Caluariæ magno honore reſtituta fuit. Meminit huius indicij & reuelationis Sanctus Antoninus in hiſtoria. Bonauenturam verò obiiſſe anno Chriſti milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo quarto, in ipſo Concilio Lugdunenſi, cuius ipſe bona pars fuit; auctor eſt nobis Petrus Galeſinius, in hiſtoriâ vitæ eius.*

Stigmata S. Franciſco quo die impreſſa.
Cap. 13. §. 1.
Conform. fruct. 31.
Tert. par. Hiſt. tit. 24. c. 7. §. 4.
Cap. 14.
De eo auctore.

Qui formâ Seraph ſex alas habentis, & in crucem ſuffixi viſus eſt, non aliquis cæleſtis ſpiritus fuit, ſed (quamquam id manifeſtè Sanctus Bonauentura non adfirmet) ipſe Chriſtus, qui (teſte Bartolomæo Piſano) Sancto Franciſco ſtigmata inſculpſit; id quod beatus vir ſupradicto fratri laico indicauit his verbis; Chriſtus ſicut vulnera in cruce ſuſcepit, ita manibus ſuis benedictis in corpore meo impreſſit; primò manibus, deinde pedibus, poſteà lateri, *vehementiſſimo corporis cruciatu*.

Conform. fruct. 31.

3. In manibus eius & pedibus ſigna clauorum: dextrum quoque latus quaſi lanceâ tranſfixum.] *Dictum in Elogiis, non ſigna, nec cicatrices fuiſſe, ſed patula vulnera, & perfoſſa, perpetuum manantia ſanguine, corporis patentes aperturas. Ad ſanguinem ſiſtendum quotidie alligari debuiſſe, teſtatum faciunt boni auctores*, * *Speculum vitæ Sancti Franciſci*, * *Bartholomæus Piſanus; quos ſecutus* * *Sanctus Antoninus ſcribit in hæc verba*; Fratri Leoni ſoli, tamquam fideliori amico, beatus Franciſcus ſua ſacra ſtigmata committebat

Qua forma.
* In medio libri
* Confor. fruct. 8
* 3. par. tit. 24. c. 7. §. 9

* *Linteola intelligit.*

tangenda; vt nouas * petiolas apponeret, amotis aliis ſanguine cruentatis. Nam qualibet die, inter clauos illos mirabiles, & carnem reliquam, ad tenendum ſanguinem, & mitigandum dolorem, tales illi petiolas renouabat. Die verò Iouis de ſerò, & per totum diem Veneris, nullum apponi remedium permittebat: vt illo die crucifixionis, in ſacris ſtigmatibus ſentiret crucifixi dolores. *Quæri poteſt de vulnere lateris, fueritne hians vulnus & apertum, cùm inquit Sanctus Bonauentura;*

Hoc §. 3.

Dextrum quoque latus quaſi lancea transfixum, rubrâ cicatrice obductum erat. *Videri poteſt non apertam fuiſſe plagam; quia cicatrix propriè dicitur ſignum vulneris obducti. Tu verò ne hoc putes: quia paullo pòſt de eodem vulnere ſic loquitur;*

Cap. 15. §. 2.

Inuenta quoque fuit patentiùs in ipſius corpore, non inflicta humanitus, neque facta; plaga vulneris lateralis, inſtar vulnerati lateris Saluatoris. *Nec exiguum illud, ſed adeò magnum, tres vt caperet digitos. Suffragatur etiam Sanctus Bonauentura;*

Cap. 13. §. 10.

Vnus frater (*inquiens*) qui ei ſedulè miniſtrare ſolitus erat, cùm piâ cum cautelâ, vt ad excutiendum extraheret tunicam, induxiſſet: attentè reſpiciens vidit plagam; cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam viſu quàm tactu, vulneris quantitatem agnouit. *Vtrùm longum fuerit, non adfirmem. Scribit quidem Sanctus Bonauentura,* quaſi lanceâ transfixum: *ſed tamen vides multas lanceas non latâ aut planâ cuſpide, ſed rotundâ præpilatas. In mortuo corpore rotundum fuiſſe, idem auctor eſt ſic ſcribens;*

Cap. 15. §. 2.

Erat vulnus lateris rubeum, & ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum, roſa quædam pulcherrima videbatur. *Nota hic, tum etiam ſuprà citatis locis, vulnus dictum. & an in mortuo contractum corpore ac rotundum, in viuo longum fuiſſe liceat opinari, tu cogita.*

Cap. 13. §. 10.

Vulnera itaque ſcias fuiſſe cruenta, quinque illas plagas: è quibus ſemper ſtillabat ſanguis, maximè verò è latere. Nec minutim id, ſed in tantum ſæpè, vt beati viri tunica, & ſubligaculum cruore infecta ruberent. Ceterum ſtudiosè animaduertendum eſt, clauos, non tres modò, ſed quatuor fuiſſe: duos in manibus, in pedibus totidem. Si qua fides Sancto Bonauenturæ, prauior ego in illorum partem, qui quaternos Chriſti crucifixi clauos opinantur. Inſpice hæc verba; Franciſcus lætabatur

Claui quatuor ei infixi.

Indid. §. 2.

quidem in gratioſo aſpectu, quo à Chriſto ſub ſpecie Seraph cernebat ſe conſpici: ſed crucis affixio compaſſiui doloris gladio ipſius animam pertranſibat. Admirabatur quamplurimum in tam inſcrutabilis viſionis aſpectu: ſciens quòd paſſionis infirmitas, cum immortalitate ſpiritus Seraphici nullatenus conueniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino reuelante, quòd ideo huiuſmodi viſio, ſic diuinâ prouidentiâ ſuis fuerat præſentata conſpectibus; vt amicus Chriſti prænoſceret, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis, totum in Chriſti crucifixi ſimilitudinem transformandum. * Diſparens igitur viſio, mirabilem in corde ipſius reliquit ardorem: ſed & in carne non minùs mirabilem ſignorum impreſſit effigiem. Statim namque, in manibus & pedibus apparere cœperunt ſigna clauorum: quemadmodum paullo antè, in effigie illâ viri crucifixi conſpexerat. Manus enim & pedes, in ipſo medio, clauis confixæ videbantur, clauorum capitibus in interiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus & eorum acuminibus exiſtentibus ex aduerſo. Erantque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra: ipſa verò acumina oblonga, retorta, & quaſi repercuſſa, quæ de ipſâ carne ſurgentia carnem reliquam excedebant.

* Indid. §. 3.

Chriſtus facie Seraph, crucifixus ei viſus quaternis clauis: Franciſcus autem totus erat in eius ſimilitudinem transformandus, & mox transformatus fuit. ſinguli claui ſingulis manibus ac pedibus eius infixi: quod mihi quidem videtur certiſſimum argumentum quaternis clauis Chriſtum crucifixum. Hunc, iſte * Alter Angelus aſcendens ab ortu ſolis, habens ſignum Dei viui, *ad Chriſti Saluatoris tormenta in memoriam reducenda, repræſentat.*

Apoc. 7. 2.

Miracula horumce vulnerum, & clauorum, breuiter colligamus ex auctoribus bonis, maiorem vt faciant ſui admirabilitatem. Itaque

Vulnerum & clauorū miracula. S. Bonau. c. 13. & 15. Bart. Piſan. Confor. fruct. 11. S. Bernardinus Quadrag. ſerm. 60. Robert. à Licio. Serm. de S. Franc.

1. *Primum eſt illud; Vulnera fuere in medio manuum, & in medio pedum. Nec ſicca, ſed ſanguinem ſemper ſtillarunt. atque id quidem aſſeruimus eſſe ſatis. Nec exigua ea aut parua, ſed velut magnis perfoſſa clauis, qualibus rei in crucem ſuffigi ſolent.*

2. *Alterum eſt. In medio vulnerum claui infixi. quod etiam patet ex proximè citato loco*

loco Sancti Bonauenturæ.

3. Nec illi ferrei, ſed ferrei ſimiles, nigri, quadam, fortes, ſolidi, capitati, cuſpidati ex quadam materia (ſuffragante Domino Alexandro Quarto ſummo Pontifice) de ſubiecto propriæ carnis excreuit, vel de materia nouæ creationis accreuit. Paulo poſt;

In Bullade Stigmat. 2. maii 2.

4. Claui illi ſolius manibus Chriſti fabrefacti, quos forma crucifixi Seraph videndum ſe præbuit; in Elogiis etiam ex Sancto Bernardino commonſtraui.

5. Etiam hoc obſeruauit Bartholomæus Piſanus, & Sanctus Bernardinus, non ſimpliciter cuſpides illas reflexas, ſed tanto ſpatio, vt inter cuſpides & pellem, digitus commode potuerit immitti.

Conform. fruct. 31. Serm. 66. Quadr. cap. 3.

6. Moueri poterant claui huc, illuc, in quamlibet partem: dum (inquit S. Bonauentura) à parte qualibet premerentur, protinus quaſi nerui continui & duri ad partem oppoſitam reſultabant.

Cap. 13. §. 2.

7. Amoueri non poterant, non extrahi. Sacrum Franciſci funus cùm efferretur, & vnà ſpectandum preberetur ſacratis illis virginibus Sanctæ Claræ prope à monaſterio Sancti Franciſci commorantibus; Sancta Clara (auctoribus Bartholomæo Piſano & Roberto à Licio) quâ pietate fuit in Sanctum Patrem, clauum vnum tentauit extrahere, non potuit.

Confor. fruct. 31. Serm de S. Franc. cap. 2. Ibidem apud B. Piſan

8. Manus & pedes quamuis vulnerati, & clauis confixi, tamen ſuo munere fungebantur. Digiti mobiles, manus agiles ad opus, ad iter pedes. Sed tamen ſcribit Sanctus Bonauentura; quoniam propter excreſcentes in pedibus clauos, ambulare non poterat, faciebat corpus mortuum per ciuitates & caſtra circumuehi; vt ad crucem Chriſti ferendam ceteros animaret.

Ca. 14. §. 1.

9. Numquam adhibuit aliquod medicamentum ad iſta ſua vulnera ſanguinolenta; nec vnquam putruerunt, aut putuerunt: imò (teſte Roberto à Licio) quod miraculum auget, erant illæ plagæ odore fragrantiſſimæ.

Ser. 1. de S. Franc. cap. 2.

10. Omnibus excellit, quod hiantibus illis vulneribus, ſanguine perpetuum manantibus, perfoſſo etiam latere & aperto, ſummo dolore, & cruciatu perenni, ducere vitam potuit amplius toto biennio: vt rectè colligat Robertus à Licio, prodigium hoc connumerandum inter maxima miracula Dei. & quod in Elogiis dixi; Magnæ debent eſſe deuotionis diuitiæ Chriſtianis, & ineſtimabiles religioſis delitiæ, in ſpiritualibus conuiuiis Eccleſiæ Orthodoxæ: cùm ex his ſincera fides Chriſti accipiat, quod etiam illi fuerint, paſſionis Chriſti, ſine extrinſeco perſecutore, conſortes, qui procius amore carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis voluntarie crucifigunt. Extat bulla Gregorij Papæ noni, eodem libro Firmamenti Trium Ordinum Diui Franciſci, part. 2. tract. 2. quâ aſſerit Sanctum Franciſcum ſacra hæc ſtigmata habuiſſe, & cum eis in templis pingendum eſſe.

Indid.

Num. 18. Ex Alex. Pap. IV. Firm. trium Ord. par. 2. tract. 2.

Porrò, fatendum ingenuo viro, alios etiam eſſe ſexus vtriuſque beatos homines, quos Dominus Deus ſtigmatibus ſacris cohoneſtauit; quod doctè grauiterque ſcribit vir eruditus Reuerendus Pater Vincentius Iuſtinianus Antiſtius, ex ordine Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Profeſſor, libello, cui hic titulus; Pro Diuæ Catharinæ Senenſis imaginibus diſputatio. quem alij ſi mecum legiſſent, aliter ſentirent, de re quandoque controuerſâ, nunc propemodum definita. Non eſt, quod Diuæ Catharinæ Senenſi nec aliis hanc gloriam negemus & inuideamus. Neque enim par eſt certis finibus Domini miſericordiam ita circumſcribere, vt quæ ſemel alicui Sanctorum contulit, nulli deinceps impertiri debeat: cùm liberaliſſima eius manus, quamlibet multa largiatur, minui & abbreuiari non poſſit. Verùm ingenuè quoque fatendum eſt, antehac (quod equidem ſciam) mortalium nulli, data ſtigmata, manuum in medio pedumque firmos clauos habentia, qualia ſacro Diui Franciſci corpori fuerunt impreſſa.

Aliis etiam Sanctis ſtigmata impreſſa.

Ludouicus Gran. Ser. de S. Fran.

Non qualia B. Franciſ.

Faceſſat igitur ſuperbia ſtulta pertinacia; & agnoſcentes errorem, ipſum vincamus, ne turpiter vincamur ab ipſo. Non eſt turpe, cum re mutare conſilium. Vir magnus mihique amiciſſimus ex Ordine Prædicatorum ſanctè adfirmauit, ſe vidiſſe brachium Sanctæ Catharinæ Senenſis, & in eius manu patulum vulnus.

IN CAPVT XIV.

§. 1. DICEBAT; Incipiamus, fratres, ſeruire Domino Deo noſtro; quia vſque nunc parum profecimus.] Egregiè dictum morte impendente; & dignum, ſi quod aliud, intimo pectori inſcribi. Mortales nos mortem ante oculos ſemper ponamus. Propè eſt vbique, licet ipſa tam propè ſe non oſtendat. Paremur ad mortem. Non poteſt ſtare paratus ad mortem, qui viuere non didicit. Nec viuunt, qui non Deo. Incipiamus vel tandem. Vixiſti hactenus in ſalo? Subduc te iſtis occupationibus: ſi minùs, eripe.

Ad mortem parari debemus, ſi bene volumus mori. Sen. ep. 19.

pe. Satis multum temporis ſparſimus: incipiamus in ſenectute vaſa colligere. In freto viximus: moriamur in portu. *Omnes æquè mortales, etiam ſi mors aliorum longiùs vitam paſſa eſt procedere, aliorum in medio flore præcidit, aliorum interrupit principia.* Mortem venientem nemo hilaris excipit, niſi qui ſe ad illam diu compoſuerit.

Idē ep. 30.

5. Beatus vir obdormiuit in Domino.] *De ſeculo & ætate beati viri, quando natus, quando mortuus, iam dictum initio huius Commentarij.*

Alaudæ iuſta facient S. Franciſ.

* Ex ſpecul vitæ S Franciſ. in med.

Natura illorum Minoribus imitanda.

7. Alaudæ aues.] *Aduolant in tectum domus, cantu & volatu ſancto viro tanquam iuſta facientes, & patri pio velut parentantes.* * *Diligebat omnes aues; ſed præ ceteris Alaudas: quòd in eis conſideraret multa imitanda bonis Minoritis & religioſis. Dicta hæc auis Galerita, ab elatis in capite plumis, ad galeri ſiue galeæ ſimilitudinem. Talem formam cuculli initio Ordinis fratribus fuiſſe,* * *ſuprà dictum eſt. Sed & colorem Alaudarum imitabatur in habitu, qualis illis in plumis, talem volebat in veſtibus fratrum, natiuum, terrenum: vt meminerint communis originis,* terræ de quâ ſumpti: quia (*Deus ita tulit ſententiam aduerſus Adamum*) Puluis es, & in puluerem reuerteris. *Ad hæc vbi illæ granum aliquod inuenerint ad eſcam, mox in cælum feruntur, cantu quaſi gratias agentes ſummo Deo omnium parenti & altori. Sic nos docent cælum petere, deſpicere terram. Non viuere vt edamus: ſed eſſe vt viuamus. Illud ſalutare monitum diuini Apoſtoli obſeruandum nobis;* Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis; omnia in gloriam Dei facite. *Ne in terris, ſed* noſtra conuerſatio in cælis ſit. *Hæc contemplabatur in Alaudis, hac cauſâ plurimùm amabat. Sed non item formicas, teſte beato* * *Ægidio: quòd nimium ſollicitè eſcas congregarent. quam ſolicitudinem improbat Chriſtus auium ingenium nobis ſequendum commonſtrans, inquit;* Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nónne vos magis pluris eſtis illis? *Denique paucis interpoſitis de liliis agri, quæ ſine vllâ ſuâ curâ creſcunt, veſtiuntur, ornantur; concludit,* Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. *Nimiam illam ſolicitudinem non ferebat, paupertatem Euangelicam Chriſti fratribus vehementer commendabat: nil defuturum promittens, quoad puram illam ſeruarent & illibatam. Tradit Bartholomæus Piſanus ad amorem paupertatis fratres ſolitum exhortari in hunc modum;* Quantum fratres declinabunt à paupertate, tantùm mundus declinabit ab ipſis: quærent, & non inuenient. Sed ſi dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet: quia mundo dati ſunt ad ſalutem. Commercium eſt inter mundum & fratres. Fratres debent ipſi mundo bonum exemplum dare: mundus autem debet eis prouiſionem neceſſitatum. Quando ipſi fratres retraxerint bonum exemplum, fide mentitâ mundus contrahet manus ſuas iuſtâ cenſurâ.

* Ad cap. 2. §. 1.

Gen. 3. 19.

1. Cor. 10 31.

Phil. 3. 20.

* Apud Piſan. Confor. fruct. 8. Dictorum S. Aegi. cap 9.

Matth 6. 26.

Formicas non item diligebat S. Franciſ. propter earum ſolicitudinem.

Confor. fruct 16

Nota, nota.

IN CAPVT XV.

§. 1. IN eccleſiâ Sancti Georgij cum omni reuerentiâ condiderunt.] *Eo loco corpus ſitum fuit: ſed cor eius & inteſtina in Portiuncula cœnobio, vbi exceſſit ex hac vitâ. in illud monaſterium hoc argumento, amorem & affectum teſtatum faciens, vt commemorat Bartholomæus Piſanus.*

Confor. fruct 32. & 34.

S. Franciſcus refertur inter diuos.

Lib. 8. Sex. cap. 4. & lib 7. Metrop. cap. 45.

6. Beatum Patrem catalogo Sanctorum adſcripſit.] *Quo ritu, ſcribit Albertus Krantzius;* Papa Gregorius veniens Aſſiſium, in conſpectu maximæ multitudinis, quæ deuotionis gratiâ eò confluxit, beatum Franciſcum canonizauit, his vſus verbis; Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & glorioſæ Virginis Mariæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ad honorem Eccleſiæ Romanæ; beatiſſimum Patrem Franciſcum, quem Dominus glorificauit in cælis, debito in terris obſequio venerantes; de conſilio fratrum noſtrorum, & aliorum Eccleſiæ Prælatorum, in catalogum decreuimus Sanctorum adnotandum, & feſtum diem obitus eius celebrandum. Statim Cardinales Te Deum laudamus incipiunt, & populi voces, laudem Chriſti excipiunt.

Papa de ſolio deſcendit, & cum Cardinalibus ſanctum corpus de tumbâ leuauit. *Diploma Gregorij Papæ Noni, quo Diuus Franciſcus inter Diuos aſſeritur relatus, hiſtoriæ vitæ Sancti Franciſci ſubnectimus.*

Corpus eius transfertur ad Baſilicam in eius honorem ædificatam.

7. Anno Domini, &c. ad Baſilicam in honorem ipſius conſtructam, corpus illud Domino dedicatum, tranſlatum eſt.] *De iſtâ Baſilicâ hæc ſanctus Antoninus tertia parte hiſtoriæ, titulo 24. cap.7. §. 6.* Elias Vicarius Ordinis poſt mortem beati Franciſci, Baſilicam miræ magnitudinis cœpit erigere extra muros Aſſiſij, in quadam voragine, quæ antè dicebatur Collis inferni: ſed cùm Dominus Gregorius Nonus primum lapidem in fundamento eius poſuiſſet, vocata eſt Collis paradiſi. *Pluribus hiſtoriam proſequitur Bartholomæus Piſanus Conform. fructus trigeſimi quarti. Illuc corpus Sancti Franciſci è templo Sancti Georgij tranſlatum hactenus manet, magnâ pietate frequentatur & colitur; longo tempore nemini viſum, tamen viſum.*

Non poſſum committere, quin opportunè commemorem ingens illud prodigium in funere Sancti Franciſci; quo ex multis mirabilibus haud facile quiſquam dixerit quidquam mirabilius fuiſſe. Funus illud erectum in pedes; apertis, ſublatiſque in cœlum oculis cœlum adſpicere; vulnera quoque illa ſanguine manare, viſum à Nicolao Quinto Pontifice. Ne verò tu de rei veritate addubites, quæ de his ſcripſit, ſiue potiùs exſcripſit Petrus Radulphius Epiſcopus Senogallienſis, adſcribam.

Lib 2 Hiſt. Seraph. relig.

EPISTOLA

FRANCISCI DE BAVTIO,

Ducis Andriæ, ad Andrienſium Epiſcopum, de prodigioſâ ſtatione funeris Sancti Franciſci.

SCRIPTVRVS ego ad te Pontificis Nicolai progreſſum, qui Seraphici Patris Franciſci corpus viſitauerat perſonaliter; veritus ſum ne vt parum inſtructus, tanquam imperitus à probis & grauibus viris arguar. Attamen quoniam in negotio, quod aggredior, non leuitate (vt ita dicam) aut temeritate aliquâ, quin potius reuerentiâ & deuotione fretus ſum, idcirco ad te admodum Reuerendum, hanc Epiſtolam etſi incultam, omni tamen veritate plenam, deſtinare curaui. ad te, inquam, qui poteſtate tibi creditâ, Eccleſiæ Dei partem gubernas, & regis. Noui enim (vt reor) te recentem ac viuam memoriam retinere eorum, quæ hîc modò ſubinſeruntur. Quapropter etſi in his, quæ per me ſcribenda ſunt, aliquid me prætermiſiſſe, vel plus ſatis addidiſſe perſpexeris; articulis tuis idipſum, tuâ ſolitâ benignitate & prudentiâ, quâ plurimùm polles, emendare & corrigere poteris. Noui enim ob imperitiam meam me fallere, ac falli poſſe in hoc negotio. Te autem, qui clauem Dauid ſolus habes, rogatum eſſe velim; vt *Apoc 3.7.
in hanc horam ſermonem rectum ac beneſonantem, in os meum concedere digneris: vt ea dignè dicere valeam, quæ infructuoſo ſilentio pertranſire nefas eſſet. Te, inquam, Dominum meum Ieſum Chriſtum ſupplex deprecor; ne huius rei per me enarrandæ deuotionis fructu caream, & expers ſim.

Iacobus quidem Laquidonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, dum Nonis Martij Andriæ eſſet; tuque & ipſe ſimul alloquentes, veſtros vultus admiratione non minimâ repleuiſtis. Quod cùm ego, qui ſimul aderam, intuitus eſſem, cauſſam tantæ admirationis tanquam curioſus à vobis perquirere cœpi. Eapropter Iacobus, qui mihi intimior erat, his verbis affatus eſt, vt ad me conuerſus diceret; Si quæ per tempora retroacta aures meæ expertæ ſunt, non ignorares, tibi quoque admirationis ineſſet cauſa. Ad quem ego; Quæſo, vt quæ audiſti ediſſeras. Tunc ille; Mallem (inquit) hoc me narrare, & per contritionem lacrymari, quàm in his cordis hilaritatem oſtendere. Cùm autem hæc ab eo audiuiſſem, auidiùs adorſus ſum hominem; & opportunam horam quæſitans, deprecatus ſum eum, dicens; O vtinam palàm abs te iſta citò docear. & ille; Libenter faciam, inquit: ſed magni ponderis res iſta eſt, & non omni homini aperienda. Attamen tu diligenter & attentè audi, & auſculta. Auſtergius quidam tituli ſancti Euſebij Presbyter Cardinalis, Beneuentanæque

vrbis

vrbis olim Archiepiſcopus, dum in extremâ valetudine eſſet poſitus, febrique validâ quàm maximè vexaretur, vt putaret ſibi vicinam mortem fore; nocte ſuperueniente, quæ finem languoris ſecum ferre videbatur: ſic enim viribus corporis deſtitui viſus eſt, vt vix crederetur eum ſuperuicturum in craſtinum. ego verò Iacobus, qui nimio amore hominem diligebam, cùm preſens eſſem, eiuſque miniſter; attentè ſuper eum vigilabam, flebamque. Ipſe verò ſic in extremis laborans, non minùs deuotè quàm piè, in hanc vocem prorumpens clamabat; O Franciſce! & aliquanto temporis interuallo facto, iterum id idem repetens clamabat, prout poterat, O Franciſce! Manè autem facto cùm pauluſculas vtcumque vires reſumpſiſſet, omni cum manſuetudine deprecatus ſum hominem, vt cauſam eiuſmodi inuocationis Franciſci mihi innoteſcere dignaretur. At ille; O Iacobe, quem (inquit) in amore tibi præferam? Porrò ſi alius interrogaſſet me de eiuſmodi rei cauſâ, forſitan non illam ei panderem: dicam tibi nihilominus, & tu attentè auſcultabis.

Auſtergij Cardinalis narratio.

Nicolaus huius nominis Pontifex Quintus, anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo nono, Beati Petri Apoſtoli Sedem ſtrennuè gubernabat. huic, dum Aſſiſij moram traheret, venit in mentem, vt beati Franciſci corpus oculis propriis inſpiceret. ob quam cauſam accerſitus eſt ab eo Dominus Petrus de Noceto. ad quem Pontifex; Vade, inquit, ad Guardianum loci huius: & meo nomine illi ſignificabis, me omnino viſitaturum eſſe, & viſurum beati Franciſci corpus. Iuit Dominus Petrus, & iuſſa ſibi impoſita perficiens reuerſus eſt ad Pontificem, dicens; Feci, beatiſſime Pater, quod mandaſti. Guardianus autem iis auditis ſermonibus, nimio pauore correptus eſt: ita vt in magno dubitationis agone fuerit poſitus. Ex vnâ enim parte contradicere non audebat voluntati ſummi Pontificis: ex alterâ verò verebatur, ne tam ſacrum & pretioſum pignus auferretur ab Ordine, veluti per alios priùs fuerat attentatum; & ipſe poſtmodum calumniam ſuſtineret à ciuibus. Ea-

Nicolaus Quintus [illegible] S. Franciſci corpus.

propter audiens Pontificem, modò huc, modò illuc, tamquam demens & vagus incedebat, celans animū ſuum. Cùm autem fortiter cogeretur, vt Pontificium impleret mandatum: petiit humiliter vt rem iſtam fratribus loci palàm facere permitteret Pontifex; qui poſtquam illos fuiſſet allocutus, ad Pontificem iterum reuerſus eſt, dicens; Obedientiam, prout Ordinis dignitas expoſtulat, tibi præbere parati ſumus, beatiſſime Pater, dummodo vnum iuxta beneplacitum noſtrum impleueris. Porrò ſi tui deſiderij cupis eſſe compos, tribus tantùm & non pluribus tecum aſſumptis, ad locum deſcendere neceſſe eſt. Quintâ verò noctis horâ adueniente, deſcendet tua Sanctitas; & oculis propriis conſpicies, quem ardenter videre deſideras. Quo audito; Nicolaus Pontifex, qui rectè & ſinceriter ſe gerebat in negotio, lætus, inquit, aſſentior. Gallicus verò quidam Epiſcopus, magnâ auctoritate vir apud Pontificem, hæc audiens, Pontificem allocutus eſt, dicens; Non tibi conuenit, beatiſſime Pater, horum fratrum aſſentiri voluntati, propter ſcandalum quod Eccleſiæ Dei aduenire poſſet. Ad quem ſummus Pontifex, Non ſic erit, inquit: quoniam rectè ac fideliter in hoc negotio pergo. Idcirco, Deo præſtante, mei deſiderij compotem me fore ſpero. His dictis, Pontifex Nicolaus elegit me Auſtergium, Petrum de Noceto, & præhabitum Epiſcopum Gallicum. Guardianum verò cùm tribus fratribus ſimul adeſſe mandauit, viſitaturis ipſis, & viſuris corpus beati Patris. qui nobis iuncti, ſuiſque indumentis depoſitis, horâ congruenti cùm adfuiſſemus ad paratum locum, amoti ſunt lapides, cum quibus ianua fabricata erat: graduſque marmoreos diligenter aſpeximus, quos & magno ſilentio deſcendimus. Et ecce oſtium ferreum habuimus obuium, in quo tres catenæ ferreæ ex ordine ſtabant, quæ illico fuerunt apertæ clauibus. Tunc Guardianus flexis genibus Pontificem allocutus, ait; Ingredere Pater ſanctiſſime. qui ſolus ingrediens, ante pedes ſancti corporis proſtratus humiliter, tam vehementer plorabat, vt fremitus audiretur à nobis.

Deſcendit in templū ſubterraneum.

Vbi corpus S. Franc.

Poſt-

Poſtquam vero Summus Pontifex conſecutus eſt, quod deſiderium ſuum flagitabat: ad ſe reuerſus introduxit & nos: qui cùm perueniſſemus ad locum, ſtupor equidem incredibilis omnes inuaſit. Vere inueſtigabiles viæ Domini; & iudicium eius ab omni humanâ cogitatione prorſus alienum. Quis vnquam audiuit, aut quis talia effatus eſt, vt corpus humanum per tot æua mortuum ſuper plantas propriis recte ſtaret? Sed non fuerat abbreuiata manus Domini. Erat autem locus ille, cernentibus nobis, inſtar paruæ eccleſiæ, habens tres * tribunas in teſtudine rectas. Media verò quæ ab interiori parte erecta erat, miro marmoreo tabulato fabricata videbatur: in cuius medio * laſtra marmorea poſita erat, ſupra quam ex orientali latere corpus illud ſacrum Franciſci Seraphici erectum ſtabat, facie ad occaſum tendens; & oculis eleuatis in cælum: manus verò coopertæ erant habitus manicis, & ſimul iunctæ, vt fratres ferre conſueuerunt. Erat autem corpus ita incorruptũ, quaſi eſſet primâ die poſitum: videbatur enim quaſi dormiens. Ex alio verò latere, alium erectum ſtantem vidimus, habitu B. Dominici indutum: qui & manus ſimul iunctas habebat cum articulis ſurſum iunctis, veluti mos eſt orantium: oculi verò eius ad B. Franciſci pedes intuebantur. Ambo autem ita lucidos & ſplendentes habebant oculos, vt nulla ad viuos eſſet differentia. Odor inſuper ſuauiſſimus talis erat, vt olfactus hominum numquam talem ſenſerit.

Rom. 11. 33.

Quod erectum ſtabat in pedes. Iſa. 59. 1.

* Fornices, ſiue teſtudines, & cameras.

* Baſis & pes columnæ.

Oculis apertis in cælũ.

Cùmque Summus Pontifex à lacrymis & gemitibus abſtinuiſſet, aliquantulum ad beati Franciſci pedes iterum procumbens, manu fimbriam eius veſtimenti extulit: nos verò ſine ſotularibus pedes aſpeximus. O igitur felices oculi, qui hæc videre meruerunt! O fortunati animi qui hæc meditari digni inuenti ſunt! Magna enim his fuerat collata gratia; vt in ſeruum liquidò aſpicerent, quæ in Deum minime videre poterant. Erat enim in pedis Sancti medio foramen, cum ſanguine ita recenti, ac ſi tunc mucrone pes fuiſſet confoſſus: cuius quidem rei aſpectu, ſingultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare poſſet animi motionem? animam præ deuotione liqueſcere? alienari ſenſum? & vires totas deſtitui? Omnes autem ante receſſum è loco, oſculum dedimus ſancto pedi, omneſque pariter ob odorem refocillati ſumus. Pes vero alius fimbria habitus operiebatur: nec nobis viſum fuit illum violenter arripere. Manus ſimiliter perforatæ vt pedes, cernebantur, recentem ſanguinem oſtendentes. O igitur memoria profunda noſtræ redemptionis, in ſeruo intueri, quæ in Redemptore priùs fuerant! O igitur ſacra vulnera, & dulci oſculatione digna, quæ poſt humanum lapſum in remedium data ſunt! Et quis noſtrum qui ibidem aderamus, auſus fuit amplius corpus ſacrum tangere, niſi ſolus ſummus Pontifex? Ipſe enim manus illius pretioſas deuotiſſime oſculatus eſt, oſculumque ſacro ori dedit. A quintâ verò noctis horâ, vſq; ad vndecimam illic manſimus, ſuauiſſimo odore repleti. Cum vero a narrantibus nũciatum fuit nobis, diem prope eſſe, doluit quàm maxime: viſum enim fuerat nobis per horam ibi fuiſſe.

Vulnus pedis cum ſanguine manans.

Item perforata manus cernebatur, & ſanguinolenta.

In illis verò tribunis, ſociorum beati Franciſci corpora tumulata iacent: vnuſquiſque enim locum ſuum poſſidet, vnus hinc, & alter hinc. ante oſtium verò loci iacet corpus illius eſtatici viri Dei, fratris Ægidij: quorum corpora abſque diminutione vllâ integra cernuntur, ſuauiſſimum odorem redolentia. Ad extremum autem cum magni animi fortitudine roborati, omnes inde receſſimus. Cardinalis verò Autergius, quem ſuperiùs memorauimus, quamuis in memoratâ infirmitate aliquantulum conualuiſſet in die, attamen nocte ſequenti naturæ debitum ſoluit. Nec eſt dubitandum, quòd tantus homo, à quo hæc quæ narrauimus, accepimus, dum ad vitæ perueniſſet extrema, compoſuiſſet mendacium, referens illa, quæ vera non eſſent. Affirmabat quoque antequam ſpiritum cælo redderet, quod Nicolaus Pontifex, dum e loco illo ſacro recederet, promiſiſſet Guardiano, & ceteris qui ſimul aderant, nulli mortalium palam facere quæ viderat, dum ipſe viueret. quamuis non paruipenderet illa manifeſta fieri apud homines deuotos & probos, qui non ſecundùm carnem ambulant.

Vera hæc.

Eiſdem temporibus nota.

Finis Epiſtolæ.

Hactenus Reuerendiſſimus Dominus Petrus Rodolphius Toſſinianenſis, Senogalienſis Epiſcopus. Fuit is aliquando a ſecretis Ordinis Patrum Conuentualium inſtituti Seraphici; & libenter

ſuum dedicauit Sexto Quinto Summo Pontifici. Ille talium rerum certiſſimus, niſi certa & indubitata ad Summũ Pontificem, eiuſdem etiam inſtitutis, perſcribere non potuit. Tradit etiam Petrus Radulphus Pium Quintum Pontificem optimum, aliquando mandaſſe Ioanni Pico Camerti, Ordinis Conuētualium Generali, (cui ipſe Petrus id temporis à Secretis erat) vt curaret aperiri cryptam, in qua S. Franciſci corpus, quod videre cupiebat. Foſſum eſt, laboratum eſt interdiu, internoctu, ſed fruſtra, inquit; Diuino numine factum eſt, ne tantus theſaurus pateret.

Vbi ſupr. lib. 2 hiſt. Seraph. relig.

De iſto funeris S. Franciſci magno miraculo, in hæc verba ſcribit vir eruditus, Thomas Bozius, Mirandum verò mihi prorſus illud videtur, quod de corpore S. Franciſci memoriæ eſt proditum, ſtare illud, nullius humanæ induſtriæ fulcris ſubnixũ, ſolâ diuini ſpiritus vi ſuſtentatum; facie tota, oculis, & manibus iunctis in cælum ſemper intentis, ſupplicantis in modum, nullâ vetuſtatis vi debilitatũ, nullâ temporis iniuriâ parte aliquâ incuruum. Id profectò tanti eſt, vt cùm ſit viuentium ſtare, defunctorum ſubitò humi procumbere: nemo tamē vel viuens inueniri adhuc potuerit, qui per annum perſtiterit in precibus immobilis. De Simeone quidem Stylita admirãda ſcribunt; de Machario, Iſaac, Syro, & eâ virgine, quę viginti & vno diebus, abſtracta a ſenſibus, perſtiterit in precibus immobilis, ſcribit Iacobus à Vitriaco Cardinalis: at miraculum huiuſmodi, nihil habet æquale, vel ſimile vllâ ratione, cum S. Franciſco.

Lib 15 de ſign Eccleſ 9.

Singulare miraculũ.

*Hæc de funere ſancti Patris. ex quibus facilè æſtimare poterit æquus iudex eius merita & ſanctitatem. Hac cauſâ viri ſummi Seraphicum Ordinem magno amore & honore proſecuti, familiari amicitiâ quoque ſibi coniunxerunt. Frequens in vitâ S. Franciſci mentio Greg. IX. Pont. Maximi: quia adiutor is Ordinis præcipuus extitit & fautor. * Primus etiam poſtulante B. Franciſco, ab Honorio III. datus Ordinis Protector: * quòd præſciret S. Franciſcus, & prænunciaret futurũ illum Summũ Pontificē. Creatus Pontifex, teſte * Bart. Piſano fuit* primus qui habitũ induit Ordinis, & pluries tulit. *& ſi qua fides Petro Radulph. ſe* cum eo ſepeliri mãdauit. *Nec is ſolummodo, verùm etiam Martin. IV. ſub mortem, Minoritarũ cucullo veſtitus, ita ſepultus fuit Peruſiæ in Eccleſiâ S. Laurentij, atque aliquanto pòſt, viſum eſt corpus eius (quod Piſanus tradit) integrũ & incorruptum, habitu illo incorrupto. Hoc ipſum imitati ſunt multi reges, quorũ aliquot recenſet * Robertus à Licio Epiſcop. Aquinatenſis: vt Iacobus Rex Aragoniæ, Alfonſus item Rex Aragoniæ, Fredericus Siciliæ Rex, Robertus quoq; Siciliæ Rex, frater germanus S. Ludouici Epiſc. Toloſatrũ. & pleriq; alij apud Bar. Piſan. Conf. fr. 8.*

* Bartol. Piſan. Confor. fruct. 8.
* S Bonau cap 6 §. 6.
* Ind l 2. hiſt Ser relig.
Habitum Franciſcanum Pontifices Summi ſub mortem induerunt in eo ſepulti.
Confor. fruct. 8.
Item multi Reges
* Ser. 46. de S. Ludouic. c 2.

Scio exſibilari eiuſmodi ritum ab iſtius ſeculi: ſed tamen nihil antiquius fuiſſe maioribus noſtris, quam ſub mortem, veſtem monaſticam petere, induere, & in eâ tumulari; ne domeſticis duntaxat teſtibus freti videamur, comprobabo ex hiſtoricis probatiſſimis. De Manuele Comneno Imperatore Conſtantinopolitano hæc tradit Nicetas Choniates. Imperator morbo correptus, admotâ ad arteriam manu, & pulſu pertentato, cùm alto ſuſpirio femur percuſſit, & monaſticum habitum poſtulauit. Quo dicto, cùm, vt fieri ſolet, tumultus eſſet ortus, & ſpiritualem veſtem nigro panno, omnis ornatus expertem, miniſtri neſcio vbi nacti mollibus & regijs veſtibus detractis, & aſpero illo diuinæ vitæ indumento illi induto, in ſpiritualem illum conuertunt militem; & galeâ thoraceque inſigniore ornatum, in cæleſtis Imperatoris catalogũ referũt. Ea lacerna, quippe breuior, crura heroici illius corporis nō tegebat: vt nemo qui id cernebat, à lachrymis ſibi temperaret, humanæ imbecillitatis cogitatione, & vilitate corporis in morte, quo animus tãquam teſtæ incluſus coaleſcit. Sic igitur & vitâ & imperio cedit. *Prorſus ſimile huic, quod de Theodoro Laſcari iuniore, Imperatore commemorat Nicephorus Gregoras;* Imperatorem annum ætatis ſextum & trigeſimũ agentem, moleſtus ac difficilis, & planè letalis morbus inuaſit: qui paulò ante obitum alacriter habitum monaſticum induit, & multos pecuniarũ aceruos ſuis manibus diſtribuit; ferуentique corde vim lachrymarum profudit, quibus animi vulnera, in tantæ neceſſitatis articulo, eluebat & curabat. *Itē de Andronico Iuniore, Imperatore Conſtantinopolitano hæc ſcribit:* Cùm grauiſſimis doloribus cruciaretur, & mente alienaretur; atq; id malum omnem medicorũ artem ſuperare, & de vita illius poſtridie actum fore videretur: iureiurando adſtãtes adegit, primùm vt ſibi monaſticũ cucullũ induerent, priuſquam vitâ exceſſiſſet. *Pleriq; alij maximi nominis viri ſimiliter fecerũt, & in habitu S. Franc. ſepeliri voluerũt. Teſte Laur. Surio,* fecit id Rodulphus Agricola, fecit Albertus Pius Carporũ princeps, fecit Chriſtophorus Longolius, viri ſummâ eruditione, in quibus ũ reprehendendũ eſt, (quemadmodũ impius facit Sleida.) quòd pio quodã animi affectu, in eo habitu mori voluerunt, vt ſuæ ſatisfacerēt deuotioni: quantopère non modò reprehendendus, ſed etiam execrandus,

Lib. 7. *Annales Imperatores Conſtantinopolitani in fine vitæ veſtem monaſticam ſunt induti.*

l. 3. hiſt. Rom.

l. 9. hiſt. Rom.

Et alij plerique.

In Com. ... 12. xxxix.

& diris

& diris omnibus deuouẽdus eſt Lutherus, & eius ſimiles apoſtatæ, qui habitum monaſticum petulantiſſimè abiecerunt. & cum illo ſimul omnem pudorem & religionẽ; habentes certiſſimam damnationem, quòd primam fidem irritam fecerunt. *Vides quo exemplo meliores ingenio, imò & principes viri, habitum monaſticum petant in publico ſine generis humani? Pietate inducti, & aſpectu gratia delictorum, qua ſit pys illis & religioſis. Indulgentias talibus elargitas habet compendium Priuilegiorum Ordin. Minorum, quas aſſcribere ſuperſedeo.*

Ver. habitus fratrũ, & ver. indulgentiæ quos ſæculares n. 6.

IN CAPVT XVI.

De S. Franciſci miraculis (qua publica Eccleſia vox (poſt eius obitum patratis, nunc agitur. De omnibus communiter ſcribit S. Bernardinus; (non dicerem, niſi teſtaretur vir ſanctus.) Vix eſt inuentus ſimilis illi, qui tot miraculis in vitâ, & in morte claruit, iam à ſtatu primitiuæ Eccleſiæ. *Multa perſcribit S. Bonauentura, non tamen omnia. Nonnulla adyciam, qua lectorem ducere queant in ſummam admirationem.*

Quadr. ſerm. 60. c. 1. ar. 1.

§. 2. De mortuis ſuſcitatis.] *quorum octo enumerat S. Bonauentura. Plures S. Antoninus;* Multos (*inquiens*) mirificè mortuos reſuſcitauit; quorum, etſi de pluribus non ſimus incerti, numerũ ad præſens non poſuimus: niſi quòd vndecim eſſe, à viris fide dignis accepimus. *Barthol. Piſanus miranda profectò commemorat, quæ mihi digna viſa tranſſcribere ad verbum.* In Legendâ fratris Bernardi de Bleſâ habetur, quòd frater cuiuſdam militis, qui miles B. Franciſcum hoſpitio acceperat, cùm eſſet in aquâ ſuffocatus, nec eius corpus poſſet inueniri; B. Franciſco orante, & corpus repertum, & homo à mortuis eſt reſuſcitatus. In ciuitate Interamnæ, vt mandatum eſt ſolemni memoriæ, tempore D. Papæ Nicolai Tertij, per publicum Notarium & teſtes; per ipſum reſuſcitatus eſt quidam nomine Ioannes: ſuper quem murus cadens ipſum extinxit; & tunc erat decẽ annorum. Cuius caſum audiens B. Franciſcus; & cùm à parentibus lamentabiliter plangeretur, ad domum eius acceſſit, & intrans per partem poſteriorem, vt non videretur, dictum puerum mortuum accepit, ac ſuper ſe ponẽs, eum, vocato proprio nomine, à mortuis reuocauit; illique prædixit, quòd filios nunquam haberet, & ſic euenit. Alium dicitur ſuſcitaſſe filium paruulum cuiuſdam nobilis, qui eum ad prandium inuitauerat.

Hiſt. 3 par. tit. 24. c. 2. §. 6.

Confor. fruct. 13.

S. Franciſc. vnãm mortuos reſuſcitauit.

paruulus ceciderat in cacabum, & conſumptis carnibus, præter oſſa quaſi nihil remanſerat: hoc depictum & ſcriptum in pluribus locis inueni. Sed de nullo præfatorum dominus Bonauentura in Legendâ maiori facit mentionem, *&c. Item commemorat alibi, puerũ quendam in fruſta (à diabolo, ſiue malo aliquo homine) conciſum, voto materno, & multis precibus vitæ reſtitutum. Sub finem illius Conform. fruct. 39. colligit triginta mortuos à B. Franciſco reſuſcitatos, ſingulos ibidem nominatim recenſens. Hoc ipſum breuiter repetit Confor. fruct. 40. de quibus tamen S. Bonauentura nihil commemorat. Plura multo eum patraſſe, quàm S. Bonauentura perſcripſerit, facilè animaduertet, cui vacauerit legere Bart. Piſanum.*

Confor. fruct. 39.

7. *Miraculum octauum, de oculis iniuſtè orbato, & à S. Franciſco ei redditis, addidi ex veteribus exemplaribus Pariſienſibus. Exemplar Romanum, Aloyſij, Surij non habent.*

10. *Sextum miraculum de fratre Nouitio, ope S. Patris curato à paralyſi & amentiâ, prædicti libri non habent, ſed adſcripſi ex duobus antiquis manuſcript.*

H Æ C *mihi viſum, ad vitam S. Franciſci notare, in Dei gloriam, in Sancti honorem; ſub cuius vmbrâ latemus, cuius reſpectu etiam hactenus ſumus. Hæc patri, hæc debemus meritis eius & virtutibus, communia vitia humani generis, ſupergreſſis. Et quidem nullâ gratiâ, aut ambitione hæc commentatus ſum, ſed bona tantùm conſcientiæ pretio: vt debito illi honoris officio vtcunque defungerer, tum etiam vt adferrem, quod decet veris honoribus adſpicientem, vitij fugam, virtutis incrementum. Nam hominibus modò vt placeam, ſtultiſſimũ exiſtimo, qui profligare contendo (certè debeo) omnem ambitionem. Scripſi mihi, mea ſaluti, non famæ. Nec enim laborandum in nomen, & gloriolam inanem ſcio. Introrſus mea, vt bona ſint, neceſſum eſt ſpectent: ipſum me, ipſum Deum, mentis omnis & operis arbitrum; & ſatis magnum alter alteri theatrum ſumus. At verò conſortibus ſtudiorum noſtrorum, ſi aliquis è lectione fructus, congratulabor. & id quidem ex animo vouero:* vt & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit. *Nec de fructu ſpem omnem abycio, nec omnibus omnia placitura confido. Periêre tres partes etiam Dominica ſementis: ſola quarta cadens in terram bonam, fructum tulit. ecquid nom ſi verborum meorum caduca folia pereant? ſed tamen fauente Deo, exiguũ aliquod ſemen ſparſum in bono ſolo, cõprehendet, ſe explicabit, fructificabitque.*

Quãobrem hæc ſcripta.

Ioan. 4. 36.

Matt. 13. 4

Habes igitur à nobis, Pater beate, ſermonũ noſtrorum primitias: quæ ſi ad virtutis, & ſanctitatis tuæ meritũ propè acceſſerint, beneficium id eſt tuum: te enim fretus hæc ſcripſi. ſin autem longè infra dignitatem tuam ſubſtiterint: quid facerẽ ego, nec oratione, nec ſtilo exercitatus? Tu verò nos talibus

tis inſpiceret: vt viam paupertatis & humilitatis tutiſſimam, certiſſimamque ad ſalutem, ingreſſi, alacriter tuo ductu percurramus. Huius rei gratiâ tibi flecto genua cordis mei, Chriſte Saluator; te ſupplex oro, fac nos ad quos reſpicias, pauperculos, & contritos ſpiritu, & trementes ſermones tuos. *Da fallacem ſæculi cognoſcere vanitatem: & exemplo Patris noſtri, vitæ ſupra mundum, ſupra res omnes humanas, magno animo deſpicere.* Infidæ ſunt opes, ſublimiumque thronorum & dignitatum faſtus, mera ſunt inſomnia. pulchritudo porrò breuis, atque fulgetri gratiæ ſimilis. iuuétus, nihil aliud quam temporis feruor; canities, triſtis vitæ occaſus. gloria, aer. nobilitas, vetus ſanguis. robur, cum apris commune. ſatietas, petulans. matrimonium, vinculum. liberorū copia, curæ neceſſariæ mater. orbitas, morbus. forum, vitiorum ſchola. artes, abiectorum hominum anguſtus alienus panis. Omnia deniq; mortalibus laborioſa ſunt, omnia humana metus, riſus, lanugo, vmbra, ros, flatus, volatus, vapor, inſomnium, fluctus, nauis veſtigium, aura; orbis quidam, perpetuâ conuerſione ſimilia omnia voluens; nunc ſtabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, mœroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus, ſecundiſq; rerum ſucceſſibus. Nec verò ſine magnâ ſapientiâ, hoc à te, ô Chriſte, conſtitutum eſt, vt res omnes huius vitæ incertæ atque inſtabiles ſint: nempe, vt rerum firmarum ſtabiliumque amore ac deſiderio inardeſcamus. Vnum hoc bonum, ac firmum eſt; nimirum ſublatâ cruce, hinc pedem efferre; lachrymas etiam fundere, atque ingemiſcere, mentemque diuinarum rerum ſtudio mancipare, cæleſtium bonorum ſpē pectore fouere: ita ſe comparare, vt Trinitatis ſplendor, qui puris animis impertiri ſolet, nobis illuceſcat. à ſtultæ inſuper carnis contagione mentem abrumpere; imaginemque illam, quam diuinitus accepimus, puram atque integram conſeruare: vitam ab hac vitâ alienam ducere, difficultates omnes huius vitæ, moleſtiaſque forti animo perferre: ac denique cum altero mūdo mundum hunc commutando, ad beatarum mentium patriam feliciter commigrare. *Hoc unum ſolum magnum donum, ô Chriſte Saluator! omnibus, ſanguinis tui lytro, & vita redemtis, gratiâ & fauore tuo contingat.*

Iſa. 66. 2.

Vanitas ſæculi. Greg. Naz.

Bonum verum ac firmum.

A M E N.

APPROBATIONES.

Opus hoc pio labore R. P. Henrici Sedulij Ordinis Minorum concinnatum ad Beatiſſ. Patris Franciſci vitam illuſtrandam, quia Eccleſiæ Dei ad Orthodoxæ fidei & bonorum morum promotionem plurimum conducet, ideo illud prælo dignum iudicaui. Mechl. Anno 1596. die triceſimo Decembris.

Laurentius Nagelmaker, Archidiaconus Mechlinienſis, librorum cenſor.

Vita Sanctiſſimi Patris Franciſci à ſancto Bonauentura piè conſcripta, R. P. Henrici Sedulii ope, & opera, a pluribus mendis repurgata, & eruditiſſimo commentario illuſtrata, vnà cum elogiis variorum adiunctis, nihil continet Catholicæ religioni contrarium, piis moribus noxium, quinimmo opus eſt pietate præclarum, digniſſimis monitis exuntum, vt ab omnibus legatur, & relegatur, dignum

Petrus Bernartius S. Theolog. Licentiatus, & Eccleſiæ Metropolit. Mechlinien. Canonicus.

Vt pium hoc opus, ſolerti induſtria R. P. Henrici Sedulij, verbi Diuini Concionatoris eximij, necnon Prouinciæ noſtræ Patrum Diffinitorum cum obedientia ſuſceptum & abſolutum, accedente etiam Cenſorum comprobatione, ſuo fructu non careat, rogo & ſuadeo edatur in lucem, in multorum ædificationem.

F. Gerardus Iacanus Prouinciæ Germaniæ Inferioris, Ordinis Minorum, Regularis obſeruantiæ Miniſter Prouincialis.

SANCTORVM

BERARDI, PETRI, ACCVRSII, ADIVTI, OTHONIS,

Ordinis Minorum,

A SARRACENIS MAROCCI PRO CHRISTI FIDE occiſorum, nobile martyrium.

Digitized by Google

LECTORI MEO.

SANCTORVM *quinque Fratrum, Martyrum primorum ex Ordine Seraphico, tibi, Lector amice, cruentos agones propono: quæ legenti, non oculis Grammaticis, ſed Chriſtianis, prodeſſe poſſunt, ſi res ipſas intueatur, & applicet ſibi. Breuis eſt hiſtoria: ſed vt in corpore paruo magnus animus reperitur; ſic ardens fortitudo hic, & virilis conſtantia ad obeundum mortem pro Chriſto, & veritate, noſtrâ tempeſtate lubricâ & vacillante, digna quæ legenda ſcribatur, & trahatur in mores.*

ELOGIA.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florent. ex Ordine Prædicatorum

1. DE voluntate Domini B. Franciſcus miſit quinq; fratres perfectiſſimos ad regnum Marochiorum, vt infidelibus legẽ ſpurciſſimam tenentibus Mahometicam, fidem Catholicam prædicarent. Qui illuc profecti, poſt miracula aliqua facta, cùm publice prædicarẽt fidem Chriſti, declarantes legem Mahometis, & geſta eius abominanda: à rege Marochiorum fuerunt in carcerem truſi, & viginti diebus eos ſine cibo & potu eſſe mandauit. Sed diuinâ fuerunt interea conſolatione refecti. Demum poſt multos & varios eorum cruciatus, ipſe rex crudeliſſimus, per medium frontis adacto gladio, manu propriâ eos interemit; corpora quoque eorum igni tradi fecit: ſed vim virtutis ſuæ oblitus eſt ignis, Deo illa corpora illæſa conſeruante; quæ poſtea honorifice à fidelibus ſunt ſepulta, & plura miracula ibi facta. *Hiſtor. part. 3. titul. 4. cap. 7. §. 1.*

Petrus Rodolphius Epiſcopus Senogallienſis, Ordinis Minorum.

2. Hi quinque Chriſti martyres, quaſi prima ſemina Seraphici Ordinis, pugnando fortiter, nullum ſupplicij ac mortis genus, pro aſſequendâ animarum ſalute, & nominis ſui immortalitate refugerunt: ſed tandem pro Chriſti gloriâ feliciter occubuerunt. *Lib. 1. hiſt. Seraphicæ religion.*

Ioannes Molanus, S. Theologiæ Doctor.

3. Quia zelo diuino ſuccenſi, & flagrantes amore martyrij, cùm ad prædicandum Chriſti Euangelium, ad partes infidelium transfretaſſent: à rege Marochij pro Chriſti nomine martyrio coronati ſunt. *Martyrol. Vſuard. ad 16. Ianuar.*

SERIES CAPITVM.

I. DESIDERIO *totius mundi conuertendi, S. Franciſcus Orientem petens Soldanum adit, hos mittit ad Occidentis Mahumetiſtas.*

II. Veniunt Colimbriam. Spiritu prophetiæ præuident ſuum triumphum, & reginæ Orachæ prædicunt mortem.

III. Petunt Hiſpalim, vnde captiui Marroccum abducuntur.

IV. A Saracenis abacti, deſiderio martyrij ſecundò Marroccum reuertuntur. Aquam à Deo miraculosè impetrant.

V. Grauiſſimè torquentur: ſed nec tormentis, nec blandimentis de fide Chriſtianâ poſſunt moueri.

VI. Ab ipſo rege immaniter trucidantur. Stupenda miracula ab eorum reliquijs.

VII. Martyrum meritis copia fit Chriſtianis redeundi in patriam, quos vnà aſportatæ eorum reliquiæ à magnis multiſq́; diſcriminibus terrá mariq́; præſeruauerunt.

VIII. Pœnas dant Sarraceni, & rex ipſe grauiter punitur. S. Antonius accenſus martyrum exemplo, & deſiderio martyrij, fit Minorida.

Breue Canonizationis Sixti Quarti Pontif. Max.

Commentarius ad horum martyrium.

SANCTORVM BERARDI, PETRI, ACCVRSII, ADIVTI, OTHONIS, Ordinis Minorum,

A SARRACENIS MAROCCI PRO CHRISTI FIDE occiſorum, nobile martyrium.

CAPVT PRIMVM.

Deſiderio totius mundi conuertendi, S. Franciſcus Orientem petens Soldanum adit, hos mittit ad Occidentis Mahumetiſtas.

SANCTVS Franciſcus Minorum Pater, & fundator inclytus, cùm diuinâ cerneret reuelatione, ſe & ſuos pro aliorum ſalute vocatos: etiam impiæ Mahometicæ legis obſeruatores, pro poſſe deducere ad lucem fidei cupiebat. Vnde, anno à ſuâ conuerſione vndecimo, multis cum periculis iter aggreſſus, vt Soldani adiret præſentiam, ad Miramolini regnum præſentes deſtinauit ſanctos: vt ipſe Orientis, illi Occidentis populis Mahumeticis, ſalutare Chriſti prædicantes Euangelium, quaſi totum ad Chriſtum conuerterent mundum. Hos autem potiſſime, Pater beatus diuinitus reuelatos elegit, in quibus diuina virtus, rerum geſtarum gloriâ, & ſplendidiſſimis actionibus illuſtrata clarebat. quibus, vt itineris laborem cum obedientiæ merito ſuſciperent, fratrem Vitalem, virum vtuque omni ſanctitate & diſcretione præcipuum, in Prælatum præfecit.

Quo anno ſunt miſſi.

Fr. Vitalis horum præfectus.

CAPVT II.

Veniunt Colimbriam, ſpiritu prophetiæ præuident ſuum triumphum, & reginæ Orachæ prædicunt mortem.

AT illi omnem ſpem & cogitatum in Dominum iactantes, & B. Patris pijs ſermonibus & orationibus confortati, iter aggreſſi, tandem in Aragoniam peruenerunt; vbi pater eorum Vitalis, diutini languoris morbo præuentus, diuinâ putans voluntate ſuum iter impediri, ceteros abire permiſit. Haud multo poſt interiecto tempore, Colimbriam Portugalliæ regni vrbem deuenientes, ad reginam Oracham nomine ſe contulerunt: apud quam per aliquot dies commorati, ipſius precibus deuotiſſimis victi, vt ipſius vitæ terminum demonſtraret, ſuppliciter Dominum rogauerunt. Factumque eſt, vt primò martyrij ſui ordinem, & deferendas ſuas Colimbriam reliquias, & ab eâ honorificè ſuſcipiendas, & poſteà vitæ ipſius exitum reuelarent, quod &

Fr. Vitalis morbo corripitur.

rei

rei demõſtrauit euentus. Siquidem poſt eorum ſacra oſſa, ab eâdem Reginâ, in monaſterio ſanctę Crucis de Colimbriâ condita; paucis euolutis diebus, matutinali horâ, iuxta ſanctorum vaticinium, deuota Regina debitum humanæ carnis exſoluit. Horâ verò eâdem, Petrus Ordinis Canonicorum monaſterij ſacriſta & Reginæ confeſſor, vir omni ſanctitate præclarus, præfatos quinque Martyres indicibili claritate circumdatos, & Minorum Fratrum multitudinem numeroſam, matutinales Horas, in ipſo ſanctæ Crucis templo decantantes vidit; intellexitq́; quòd ibi conuenerant, vt exſequiarum cultum debito honore præfatæ Reginæ impenderent. Et miranti de Reginæ tranſitu, vnus eorum dixit; De Reginæ tranſitu nihil dubites: nobis enim egredientibus nuntius tibi aderit. quod & ſtatim factum eſt: vt in hoc vno ſimul appareret, quod prælibati ſancti prophetiæ ſpiritu pleni fuerant, & præmonſtrata viſio authentica redderetur.

Regina moritur, vt illi prædixerã.

Glorioſè à morte apparuerunt.

CAPVT III.

Petunt Hiſpalim, vnde captiui Maroccum abducuntur.

IGITVR Apoſtolici viri ab ipsâ Reginâ recedentes, Alanguearium ad Sanctiam, Sanctij Regis filiam, Reginam vtiq; Deo deuotam peruenerũt. At illa ſecularibus veſtibus ſuperindutos (quia aliter non erat ipſis tranſeundi facultas) Hiſpalim, quæ nunc Sibilia dicitur, tranſmiſit. vbi ſæcularibus abiectis indumentis, ad infidelium * Meſquitam vt prædicarent acceſſerunt. Impetu autem facto repulſi, & verberibus pluribus laniati, non à concepto ſpiritus feruore deficientes, aulam ingreſſi, fidem Mahometicam damnantes, Chriſtum coram Rege prædicauerunt. Rex verò in furorem verſus, eos decapitari præcepit. Filius autem Regis naturali quadam pietate, illis compatiens, paterni furoris ardore compreſſo, vt maturiùs in his ageretur obtinuit. At Rex ſeniorum habito conſilio, poſt publicam Chriſtiani nominis, ex altâ turri, vbi primò retruſi ſunt, prędicationem; poſt etiam ſqualidi carceris oppreſſionem, ad ſe vocatos, miſericordiam pollicens, auertere nitebatur à Chriſto. cui illi; Vtinam tibi Rex miſericordiam, quam nobis præſtare niteris, maturiori vſus conſilio, ipſe tibi præſtares. Age quod malueris: corpora eripere potes, ſiderea loca animas detinebunt. Stat nobis firma promiſſio, & pro præſenti morte immortalitatis dono fouebimur. Tunc Rex, eorum immobilem animum cernens, Maroccum cum quibuſdam Chriſtianis deſtinauit. Inter ceteros verò qui Marocci morabantur Chriſtianos, erat Dominus Petrus Infans, Portugalliæ Regis frater, & Regis Maroccìorum ductor exercitus. hic in ſuâ fratres recipiens domo, pio venerabatur affectu. At illi quod facturi venerant cogitantes, omni ſublato timore, vbicumque collectos Saracenos videbant, Chriſtum prædicabant.

Veſtes mutant propter viarum diſcrimina.

* Sic templa vocant Saraceni.

Conſtanter Chriſtum annunciant Saracenis.

Marochium ducuntur cũ alijs Chriſtianis.

CAPVT IV.

A Saracenis abacti, deſiderio martyrij ſecundò Maroccum reuertuntur. Aquam à Deo miraculosè impetrant.

CONTIGIT autem ſemel, Regem Miramolinũ ipſos in legis ſuæ auctorem conuitia iactantes audire: qui nimio furore ſuccenſus, iuſſit cum impetu eos expelli, & ad Chriſtianorum terras, datis à domino Petro Infante comitibus, deduci. Verùm illi martyrij deſiderio flagrantes, dimiſſis in viâ comitibus, iterum Maroccum reuertuntur. quo audito, Rex irâ vehementer efferbuit, præcepitque vt teterrimo carcere concluſi, fame ſitiq́, interficerentur. Stant igitur beati vinculis innodati; & diuina ſuper infideles manus aggrauatur. Nam intenſi vltrà quàm humana patitur natura, calores, & aëris intemperies ſic infirmos effecit, vt iam clare cernerẽt, quòd pro ſanctis ſuis ſit diuina vltio inſecuta. ex quo Rex perterritus, à vinculis abſolutos illæſos abire permiſit. Mirabile dictu. Cùm per viginti dies fuerint ſine aliquo corporali cibo carceribus incluſi, ſolâ diuinâ virtute refecti; ſic inuenti ſunt fortes & alacres, vt meritò in ſtuporem conuerterent ſe videntes. iterumque ad Chriſtianorum plagas miſſi, relictis comitibus, ſecundò Maroccum redierunt. Interim contra ſibi rebelles Rex exerci-

Vindicta diuina Saracenos tangit.

Viginti dies incarcerati & ſine cibo, à Deo ſuſtentantur.

tum

tum mittit: & dominus Petrus Infans ſecum fratres adducit. Redeuntes autem cùm victoriâ Maroccum, Saraceni ſimul & Chriſtiani, per triduum aquam nô reperientes, nimio ſitis ardore cruciabantur. At Berardus: Sanctæ Trinitatis cultor, tanto compatiens hominum labori; oratione cum ceteris præuiâ, breui paxillo terram fodiens, aquâ à Domino impetratâ, iumentorum ſitim extinguit & hominum: in ipſo verò loco, nec fons ante viſus fuerat, nec pòſt.

Exercitui aquæ penuriâ laboranti aquam oratione impetrant.

CAPVT V.

Grauiſſime torquentur: ſed nec tormentis nec blandimentis de fide Chriſtiana poſſunt moueri.

REVERSI autem Maroccum, ſeruabantur ne prædicarent: ſed illi quadam ſextâ feriâ in publicum proruperunt: iuſſu Regis, cuidam Principi, qui aquæ miraculum viderat, decapitandi traditi ſunt, quos ille præcepit carceri mancipari. Ad locum igitur carceris adducti, alapis à miniſtris, & varijs ſunt opprobrijs ſaturati. Poſt triduum verò de carcere tracti, nudi & poſt terga manibus ligatis, duriſſimis flagellis afflicti, tandem impio iudici ſunt præſentati. At ille cernens eorum in fide conſtantiam, nullâ poſſe ratione mutari; iterum iuſſit duriſſimè tamdiu virgis & fuſtibus cædi, donec pœne viſcera apparerent & oſſa. à miniſtris etiam, feruente oleo & aceto vulneribus infuſis, per totam ſequentem noctem ſuper teſtas volutati ſunt; & à pluribus ſibi inuicem ſuccedentibus acerbiſſimè afflicti. Nocte verò illâ, cuſtodes magnam de cælo lapſam lucem videntes, & præfatos Sanctos cum innumerabili multitudine ſublimari, putauerunt diuinitus fuiſſe liberatos: ſed in carcere inuentos, ſuis fecit Rex tribunalibus præſentari. Miniſtri verò illos nudos trahentes, côtinuis flagris terga eorum & corpora nouiter flagellabant. Occurrit autem illis quidam Princeps, Mahumeticam ſuadens fidem: Otho verò illius perſuaſionem confutans, etiam in contemptum profanæ legis, in terram ſpuens, graui ab ipſo alapâ percuſſus eſt. At

Flagellantur crudeliſſimè.

Et ſuper teſtas rotantur.

Lux cælitus ad eos delapſa.

Forte conſtantiæ exemplum.

ille * verborum Domini nô immemor, alteram præbuit maxillam, dicens; Ignoſcat tibi Deus: quia neſcis quid facis. Ad impij demum Regis côſpectum adductis, ſic ad eos exorſus eſt; Eſtis ne vos impij illi, qui fidem veram vituperantes, ad tantam etiam inſaniam adducti, vt Dei nuntium blaſphemetis? At illi; O Rex, fidem veram minimè ſpernimus: tuam autem falſam, & eius iniquum conditorem omnino abhorremus; pro verâ autem & pati, & mori parati ſumus. Tunc Rex eos delicijs & voluptatibus, à Chriſtianâ veritate exiſtimans poſſe reuocari, pecunias & formoſarum mulierum, quæ aderant, delicias repromittit, ſi Mahumetis perfidiam reciperent, aliàs ſuo gladio trucidandi. Sed viri Dei immobiles animo, ad Regem conuerſi; Sint tibi, inquiunt, mulieres & pecuniæ: nobis autem ſit Ieſus Chriſtus. Adhibe vincula, carceres, ignes, tormenta & mortem; omnis nobis leuis eſt pœna, cùm de cæleſti gloriâ cogitamus.

** Mat. 5. 39.*

Spernunt pecuniam & mulieres.

CAPVT VI.

Ab ipſo Rege immaniter trucidantur. Stupenda miracula ab eorum reliquijs.

TVNC Rex tantam cernens in ſanctis conſtantiam, & immobile propoſitum, arrepto gladio, miniſter iniquitatis effectus, capita eorum per medium frontis amputauit. Et illi quidem optato iam potiti, poſt maximos perſecutionum aculeos, poſt ingentiſſimas ærumnarum moles, æternæ vitæ adepti brauium, martyrij coronâ dotati ſunt. Paſſi ſunt verò beati Martyres, anno Domini milleſimo ducenteſimo, vigeſimo, decimo ſexto Calendas Februarij, ante mortem beati Franciſci anno ſexto. Qui illorũ vt audiuit martyrium, tanto geſtiuit gaudio, tantâ perfuſus eſt lætitiâ, quòd facile exprimi non poſſet. Corpora autem eorum iuſſu Regis extra palatium proiecta, à Saracenis, ligatis pedibus extra vrbem varijs ludibrijs circa mœnia tracta, tandem penitus in partes conſciſſa, in campo relicta ſunt, vt beſtijs eſſent in cibum. Chriſtiani verò nocte ſequenti, ad colligendas ſa-

Capita illis ſecantur per medium frontis.

Quo anno moriuntur.

Inuident reliquiarum honori barbari.

cras . eliquias exeuntes, lapidibus à Saracenis ſunt repulſi. Sequenti vero die, quorundam conſilio, ne reliquię honorarentur à Chriſtianis vt ſanctæ; Rex igni comburendas decreuit: ſed igne copioſo accenſo, cùm in eũ Sanctorum corpora iactarentur, hinc inde flamma declinans, reliquit intacta. imo (quod dictu mirabile eſt) cùm vnum de capitibus in ignem pluries proiectum eſſet, diuina faciente virtute, de igne ſemper exſiliens, nec in capillis eſt læſum; & nunc cum pelle & capillis integrum demonſtratur. Poſteà verò Saraceni pretio ſumpto, ſanctorum Chriſti Martyrum reliquias Chriſtianis vendiderũt. Dominus autem Petrus Infans, Capellano ſuo & quibuſdam iuuenibus tradidit eas deſiccandas, aromatibuſq; condiendas. Cùm autem quidam fornicarius eò vellet accedere, immobilis factus in medio ſcalæ, vt ſibi ſuccurreretur, exclamauit. Qui confeſſione præmiſsà, de ſcalà deſcendens, loquelam amiſit: nec priùs recuperauit, quàm voto facto, ſuper pectus eius, vnum de ſanctorum capitibus poſitum eſt.

Aduerte iſta miracula ſanctorum corporum.

CAPVT VII.

Martyrum meritis copia fit Chriſtianis redeundi in patriam: quos vnà aſportatæ eorum reliquiæ à magnis multiſque diſcriminibus, terrà mariq; præſeruauerunt.

SANCTORVM autem reliquiæ dum ſic exſiccarentur, quodam appropinquante, vt eas ſolito more contingeret: ſic in aëre cum vmbone ſunt eleuatæ, vt non poſſent humano ſubſidio contingi. Qui ſtupefactus, & de fornicatione contritus & confeſſus, ſtatim valuit de ſublimi demiſſas reliquias cõtingere. Vnde factum eſt, vt in maiori reuerentià habitis, nonnulli à facinoribus abſtinerentne deprehenderentur. Demum eorũ capitibus cum carnibus in quadam thecâ argenteà depoſitis, oſſibus verò in aliâ, in ſuà capellà collocatis, præfatus Petrus Infans anxie ſanctos precabatur, vt redeundi in Portugalliam aditus Chriſtianis concederetur. Quorum meritis factum eſt, vt Rex ei ad Portugalliam redeundi, cum vniuerſà familià licentiam daret: tametſi

Impurus quidam abarcetur à Sanctorum reliquijs.

conſultius illi fuiſſet, vt eum occideret. Ipſe verò reliquias ſuper mulos poſitas, læto gradu inſequens, liberè ac ſine periculo de Saracenorum terrà exiuit. In itinere autem poſitus, ad quendam locũ peruenit, vbi immani atrocitate leonibus auditis, non paruus cunctis terror ingeritur: ſed ſacris reliquijs interpoſitis, omnis profectò mugitus & terror abceſsit. Inde ſolitaria & penitus inuia loca peragrantes, qua ſibi pergendum foret ignorabant. nec defuit diuina pietas humiliter ſupplicãtibus, quæ errantibus, Sanctorum meritis, viæ ducatum præbuit. ſiquidem iumentum cui ſacræ inſidebãt reliquię, Infans præire, & alios ſequi iuſsit: nulloq; ductore præcedente, Saracenorum inſidias, per inuia & aſpera euadentes, ad Septam vrbem, vbi ad transfretãdum parata erant nauigia, peruenerunt. Igitur naues conſcẽdentes, cũ ſequenti nocte ſanctorum patrocinio lumine de cælo delapſo, naufragiũ euaſiſſent, Hiſpalim deuenerunt. & vix ventis vela commiſerant, cùm ecce Regis nuntij, vt eos captiuos reducerent, ad litus applicuerunt: ſed his euaſis, ſecundis ventis Colimbriam tandem appulerunt. Ad ſacras autem reliquias ſuſcipiendas, Regina Oracha & populus vniuerſus cum iubilo exiens, in monaſterio ſanctæ Crucis Regularium Canonicorum, cum maximis, quę longum foret narrare ſolemnijs, ſepelierunt, vbi multis coruſcant miraculis. Ad eorum enim mirificam inuocationem cæci vident, claudi ambulant, muti loquuntur, leproſi mundantur, paralytici curantur, obſeſſi à dæmonibus liberantur: & varijs infirmitatibus detenti deſideratã obtinent ſanitatem. Ex ipſis quoque reliquijs, vſque hodie liquor ſanguineus & odoriferus manans, multis confert integram ſanitatem.

Reliquiæ oſtendunt viam aſperam, & ignotam.

Maximo honore ſepeliuntur.

Liquorem ſanguineum exſudant morbidis ſalutarem.

CAPVT VIII.

Pœnas dant Saraceni, & Rex ipſe grauiter punitur. S. Antonius accenſus martyrum exemplo, & deſiderio martyrij, fit Minorida.

NEc tacendum puto, grauem ſuper Saracenos diuini iudicij vindictam. nam ab eo anno, quo Sancti pal-

mam

Sterilitas & peſtis quinquennalis deuaſtat Saracenos.

Rex ipſe dat pœnas.

mam meruêre perennem, omnium pene rerum ſterilitas, & ſæua peſtis per quinquennium ſic in eos debacchata eſt, vt morbo incurabili inualeſcente, maxima pars gentis illius fuerit crudeli morte deleta. ipſius quoque impij Regis brachium dexterum, & dextrum latus totum vſque ad pedes, eo anno quo Sanctos interemerat, aridum ſic factum eſt & ſiccum, vt nulli deinceps vſui fuerit. Horum Sanctorum felici audito Martyrio, & viſis reliquiis, inclytus Chriſti confeſſor Antonius, tunc quidem illius monaſterij Canonicus, fidei feruore ſuccenſus & amore martyrij, ad Ordinem ſe tranſtulit Minorum. Gaudeat igitur Eccleſia, cæleſtium militum illuſtrata natali: gaudeat & ſacra Minorum Religio, Sanctorum Martyrum virtutibus laureata; & nouis micans ſanctorum ſplēdoribus, gratiarum Chriſto referat actiones, & ſanctorum Martyrum ſectetur veſtigia, ad laudem & gloriam Domini noſtri IESV Chriſti.

S. Antonius ex Auguſtiniano fit Franciſcanus.

S. D. N. SIXTI

PAPÆ QVARTI

BREVE

De celebranda anniuerſaria ſollemnitate Sanctorum quinque fratrum Martyrum ex ordine Minorum.

SIXTVS Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, vniuerſis Fratribus ordinis Minorum, dilectis filiis, vbicumque morantibus ſeu commoraturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm aliàs animo reuolueremus merita beatorum martyrum, Berardi, Petri, Othonis, Accurſij & Adiuti, qui ex Ordine fratrum Minorum, ſub quo & nos coaluimus, fuerunt; qui poſt multa tormenta ſub Rege Marochiorum, pro Chriſto mortem ſubierunt, & martyrij palmam glorioſè promerentes, plurimis miraculis in ipsâ morte & pòſt claruerunt; ex quo incenſus beatus Antonius de Paduâ, ex Ordine Canonicorum Regularium, in quo tunc erat, ad Ordinem ipſum Fratrum Minorum ſe legitur tranſtuliſſe: conceſſimus ex auctoritate Apoſtolicâ & benignitate, viuæ vocis oraculo, vt Fratres prædicti Ordinis Minorum poſſint publicè & ſollemniter celebrare in ſuis Eccleſijs, Miſſæ & Horarum Officium, de ſuprà memoratis ſanctis Martyribus. Verùm cùm frequenter aduerſarius humani generis, nitatur bona & ſancta opera perturbare: ne tam diuinum & pium opus poſſet aliquis in poſterum impedire: tenore; præſen-

Annuâ ſollemnitate decernuntur eſſe colendi

tium ex certa noſtrâ ſcientia, auctoritate Apoſtolicâ concedimus, quòd prædicti Fratres Minores, vbique, ſollemniter, & publicè, officium plurimorum Martyrum, pro ipſis, Berardo, Petro, Accurſio, Adiuto & Othone, ſub officio duplici maiore, ac etiam decimo ſexto Ianuarij, quâ die ab hoc ſæculo per martyrium deceſſerunt, liberè ac cum ſanâ & ſerená conſcientiâ dicere ac celebrare poſſunt. Inhibentes præfatâ Apoſtolicâ auctoritate, ne quis huic noſtræ conceſſioni audeat ſe opponere, non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcunque. Præterea quia difficile eſſet, præſens Breue ad omnia loca deferri: volumus vt illius tranſſumpto alicuius publici Notarij manu ſubſcripto, & ſigillo Generalis dicti Ordinis, vel Vicarij generalis Fratrum Minorum de Obſeruantiâ munito, ea prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ſi idem præſens Breue originaliter oſtenderetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die ſeptimo Auguſti. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo primo, Pontificatus noſtri anno decimo.

Digitized by Google

COMMENTARIVS
AD MARTYRIVM
QVINQVE FRATRVM
EX ORDINE MINORVM.

AVCTOR eſt Ioannes Molanus, in annotationibus ad Vſuardi Martyrologium, ad diem XVI. Ianuarij num. 4. hanc Quinque Martyrum noſtrorum hiſtoriam, à F. Ioanne Tiſerando, ex ordine D. Franciſci Doctore Theologo conſcriptam, quam ego in capita diſparaui. Surius reſcripſit Tom. 1. ad XVI. Ianuarij.

IN CAPVT I.

ANNO à ſua conuerſione vndecimo.] *Petrus Rodulphius lib. 1. Hiſtor. Seraphicæ Relig. memorat. beatū Franciſcum, præter duodecim primos ſocios, alios habuiſſe complures fratres, vitâ & ſanctimoniâ conſpicuos viros; atque hos ex eorū eſſe numero, quibus ſe comitem iunxerit, Miramolini regno prædicandæ fidei Chriſtianæ gratia deſtinatis.*

Ad Miramolini regnum.] *In Commentario meo ad caput 6. vitæ S. Franciſci, ex Cæſarij Heiſterb. [illegible], ſcripſi, ita vocari Miramomelinum, & Regem Marocci fuiſſe. Variè nominatur. Vincentio Beluac. lib. 31. Spec. Hiſtor. cap. 2. Mirmumelinum, quod interpretatur,* Regem regum. *Iiſdem vocat Matthæus Palmer. ad an. D. 1216. Platina Innocentio Tertio, nominat Hilumolinum, quemadmodo & Sabellicus Enneade 9. lib. 6.*

IN CAPVT III.

SAECVLARIBVS veſtibus ſuperindutos.] *Non inuſitato Patribus veteribus, in tali re, pietatis affectu, more. Tradit Theodoretus Hiſtoria Relig. 17. Abrahamum Epiſcopum ex Monacho, monaſticam mutaſſe veſtem in mercatoriam, ſpe conceptâ cauſſaium ad fidem conuertendi.*

Infidelium Meſquitam.] *Fanum ſuum ſic indigitant Saraceni, in quod, niſi decreto capitis periculo, Chriſtianum ingredi non eſt, ſi Chriſtianus perſeuerat.*

IN CAPVT IIII.

MARTYRII deſiderio ſecundò Marochū elegerunt.] *Sunt qui hæc [illegible] D. Franciſcus martyrio conſequendo ter ſe contulit ad Saracenos, quod S. Bonau. ſcribit vita eius cap. 9. §. 4. & ſeq. Arguunt etiam iſti Chriſtum Saluatorem, quod in horto ſe militibus vltrò præbuerit, qui illum captum venerant. Equidem ſcio D. Chryſoſt. hom. 3. in Epiſt. ad Hebræos, cauere, ne nosmet periculis præcipitemus, ſed fortes eſſe debere, cum venerint: idem tamen homil. in Iuuent. & Max. Iulianus deſertoris verbis collaudare videtur Chriſtianos, quod omnes ad martyrium, ſicut apes confluerent ad aluearium: quale refert Sozom. lib 6. cap. 18. de feruore Edeſſenorum, & mulierem cum filiolo per cuneos militum ad martyrium procurrente. Talis fuit Menna martyris: teſtatur Martyrolog. Rom. ad diem vndecimum Nouemb. & eorum de quibus ad 20. Nouemb. Multa id genus prætereo: ſi vacauerit, adi S. Antonin. Archiepiſ. Florent. tert. part. tit. 24. c. 9. §. 19. vbi a re indicatâ, & exemplo Fratris inſtituti noſtri, licitum docet, templa Saracenorum intrare Chriſtianis, cauſâ fidei Chriſtianæ conteſtandæ.* *Ad martyrium feruor Chriſtianorum.*

IN CAPVT VI.

CAPITA eorum per mediū frontis amputauit.] *Rex ipſe ſuâ manu ita ſeciuit, tres enſes in feriendo confringens, quod Bartol. Piſanus lib. 1. Conform. fruct. 8. refert.*

Paſſi ſunt anno D. milleſimo ducēteſimo vigeſimo, ante mortē S. Franciſci anno ſexto.] *Tradit S. Bonauentura Vitæ c. 9. §. 6. B. Franciſcum tertiâ vice pro fide Trinitatis, effuſione ſanguinis ſui dilatanda, profectū ad Saracenos; decimo tertio conuerſionis ſuæ anno Syriam petiiſſe, vt Soldanum adiret Babyloniæ. Tu mi lector cogita, An hoc decimo tertio anno, hi quinque Fratres, à S. Franciſco, Maroccum fuerunt ablegati: certè mihi quidem videtur. In itinere, in mora, in carcere, in profligatione bini, in reditu, in aliis pleriſque, facile menſes aliquot exactos, [illegible] verosimile vt ſit, anno ſequenti mar-*

tyrio coronatos: quo colligas, anno ſexto ante D. Franciſci mortem obiiſſe. Vnea S. Franciſci adſtipulatur.

Petrus infans Sanctos anxiè precabatur.] *Horum meritis illum multa conſequntum beneficia, habes in vitâ S. Antonij Paduani cap. 3.*

IN CAPVT VIII.

ANTONIVS ad ordinem ſe tranſtulit Minorum.] *Infrà quod vberius cap. 3. eius vitæ.*

Breue Sixti IV. Pont.] *Nos cum Surio exſcripſimus Firmamento trium ordinum par. 2. tract. 2.*

Finio hæc, vbi paucis monuero quæ Hartman. Schedel æt. 6. ſcribit, & ex eo Genebrar. ad An. D. 1215. Apud Marochium Franciſcani aliquot prędicandi gratiâ hinc inde vagantes, propter Chriſti nomen necati ſunt. *Vagantes, inquit; quod in vitio eſt, ſi formicarum more huc inde, ſurſum deorſum nihil agentes feramur: quo ſenſu Apollophanes philoſophus, cum pietatis eſſet exſors, D. Paulum vocabat* mundi circuitorem; *quod Dionyſius Areop. teſtatur, epiſt. ad eundem Apollophanem. Ceterùm cum Apoſtolo Paulo Hiſpaniam petere, Romam videre, ab Hieruſalem adusque Illyricum omnia prædicatione Euangelicâ complere, Chriſto animas lucrari; atque eius ergo, inſtar velociſſimi ſideris cuncta luſtrare, ac luce illuſtrare; non vagantium eſt atque nihil agentium, ſed operis maximi, ab vllo mortali nũquam ſatis dilaudandi. Quem in modum* Fratres Minores, more Apoſtolorum, ferendo ſemina verbi Dei, diuerſas circumeunt regiones. *quod Gregor. PP. IX. diſertè ſcribit, in Breui, cuius eſt initiũ,* Cùm qui recipit Prophetam. *Firm. trium Ordinũ tractat. 1. par. 2. Nec de his plura, quorum glorioſo martyrio Ordinis Minorum initia conſecrata ſunt.* *Paulus Apoſt. circuitor.*

APPROBATIO.

Annotationes iſtæ à Reuerendo admodum ac Religioſo patre F. Henrico Sedulio Minorita conſcriptæ, ad Vitam Sanctorũ quinque Martyrum, Marrochij pro fide Chriſti occiſorum, dignæ valdè ſunt, vt ſimul cum eorum vitâ & hiſtoriâ in lucem prodeant, cùm & ſanam doctrinam contineant, & ad hiſtoriæ fidem & ſplendorem plurimum conferant. in quorum teſtimonium has dedi, & meo chirographo muniui. Bruxellæ 4. Februarij anno 1612.

Andreas à Soto.

SAN-

SANCTORVM

DANIELIS, ANGELI, SAMVELIS,

DONVLI,

LEONIS, HVGOLINI, NICOLAI,

Ordinis Minorum,

SEPTÆ

PRO FIDE CHRISTIANA

A SARACENIS OCCISORVM

FELIX MARTYRIVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

SANCTORVM VII. *Martyrum, ex Ordine Minorum ſubiungo mortem, quæ illos paucis annis poſt exceſſum V. Martyrum, eodem actos feruore ſpiritus, feliciſſime conſecrauit. Sponte ſuâ obiecerunt ſe Saracenorum impietati: cum pro Chriſti fide ſtantes & inuictâ Veritate, illorum reprobarent veſaniam, Mahumetem vt planum & impoſtorem exſibilandum: Chriſtum contra, verum Dei filium, ipſiuſque doctrinam ſolam complectendam, cui ſua ſalus curæ & cordi ſit, conſtanter aſſeuerarent. Tu, mi lector, ſpecta; & te conſtantibus exemplis confirma. In quos hæc*

ELOGIA.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus ex Ordine Prædicatorum.

F. Elias dedit licentiã F. Danieli, Angelo, Samueli, Donno, Leoni, Nicolao & Hugolino, martyrij feruore ſucceſſis accedere ad partes infideliũ, ad euangelizandum verbum Dei. Qui profecti, ingreſſi in vnam ciuitatem Saracenorum, prædicantes publicè Chriſtum, & Sectam Mahumeti deteſtantes, capti & flagellati fuerũt, & inuitati ad abnegandum fidem, eorum magnis promiſſionibus, & è contrariò, condemnati ſententiâ mortis, ſi ſuæ ſectæ non adhærerent: contemnentes omnia, publice confitebantur Chriſtum, & Mahumetum pſeudoprophetam, & legem eius peſſimam à diabolo inuentam. propter quod data ſententia contra eos, martyrium capitis obtrũcatione ſuſceperunt. *Part. 3 hiſtor. tit. 24. cap. 7. § 6.*

Petrus Rodulphius Epiſcopus Senogallienſis, ex Ordine Minorum.

F. Daniel vir quidem diſcretus, & ſex alij ſpiritu feruentes, ſalutem Saracenorum totis viribus ſitientes, non timebant ſe morti exponere, vt animas Chriſto, cuius cauſam agebant, lucrifacerent. *Lib. 1. Hiſtor. Seraph. Relig.*

Ioannes Molanus S. Theol. Doctor.

Apud Septam Saracenorum ciuitatem, deſiderio martyrij flagrantes, fidem Catholicam imperterritâ mente conſtantiſſime prædicauerunt. Tandem poſt illata opprobria, poſt contumelias, irriſiones, flagella & vincula, capitis obtruncatione, martyrio coronati ſunt. *In notis ad Vſuardi martyrolog. 13. Octob.*

INDEX CAPITVM.

I. *E Tuſcia Septam veniunt. parant ſe ad agonem. Chriſtum prædicantes capiuntur.*

II. *Variè tentati in fide perſeuerant.*

III. *Gaudentes illi capite plectuntur. corpora eorum in Luſitania mira efficiunt.*

IV. *Sanctorum Catalogo aſſcripti, annuâ celebritate coluntur.*

Commentarius ad horum martyrium.

SANCTORVM

DANIELIS, ANGELI, SAMVELIS, DONVLI, LEONIS, HVGOLINI, NICOLAI, Ordinis Minorum,

SEPTÆ

PROPTER CHRISTIANAM FIDEM TRVCIDATORVM A SARACENIS, felix Martyrium.

CAPVT I.

E Tuſciâ Septam veniunt. parant ſe ad agonem. Chriſtum prædicantes capiuntur.

FRATER Daniel Miniſter Prouinciæ Calabriæ, vir fuit admirãdâ ſanctitate & martyrio illuſtris. Is cum ſex fratribus Ordinis ſancti Franciſci, Samuele, Angelo, Donulo, Leone, Nicolao & Hugolino, impetrat ſ facultate ab Eliâ generali Miniſtro, beatiſsimi Patris Franciſci Vicario, e Tuſciâ in regionem Saracenorum profectus, ad vrbem Septam peruenit. Vbi cùm triduo manſiſſent apud mercatores Piſanos, Ianuenſes, & Maſsilienſes, verbum Dei prædicantes, in vico quodam extra vrbem Chriſtianis mercatoribus aſsignato; ſabbato inde ſequenti peccata ſua inter ſe confeſsi ſunt, & ſacroſanctam Euchariſtiam admodũ reuerenter perceperunt. Veſpere autem inuicem ſibi lauerunt pedes, commemorantes eam Chriſti charitatem, quâ ille, cum eſſet rerũ omnium præpotens Deus, *ante paſsionem ſuam lauit pedes diſcipulorum ſuorum; ſeq; mutuo pijs ſermonibus confirmabant & animabãt. Manè die Dominico cinerem capitibus imponentes, fidenter in ciuitatem ingreſſi ſunt, confitentes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: & docentes palam, in eo ſolo noſtram conſtare ſalutem: atque ita in mediam progreſſi vrbem, arguebant gentilium cæcitatem, eiſque viam veritatis indicabant. Illi verò iniectis in eos manibus comprehenderunt illos, & ad Regem ſuum adduxerunt, interim cædentes, flagellantes, irridentes, & conuitijs eos proſcindentes. Rex vt eſt conſpicatus raſos pilos capitũ eorum, illoſque fidenter & feruenter eloqui, inſanire eos putabat: iuſsit tamen illos vinciri, & octiduo hac ratione affligi.

P. Elias Miniſter Gen. eos ablegans.

Confeſſi ſua peccata, ſacra ſe muniunt Euchariſtiâ.

Pedes lauant inuicem exemplo Chriſti.

** Io. 13. 1.*

Chriſtum prædicantes capiuntur.

Etiam nũc imitantur hæretici Saracenos.

CAPVT II.

Variè tentati, in fide conſtantes perſeuerant.

OCtauo inde die, cùm eſſent in eius producti conſpectum, ſciſcitatus eſt; num dicta ſua reuocare velint, & abnegato Chriſto, Saracenorum complecti fidem. Illis id planè recuſantibus, ſuaque dicta magis etiam confirmantibus, diſertiſq; verbis aſſerentibus, nullam eis ſalutis ſpem reliquam eſſe poſſe, niſi in Chriſtum credant & baptizentur; ſingulos iuſsit ſeparatim examinari, multaſque eis & amplas promiſsiones offerri, ſi Saracenis morem gerere velint. quod ſi nolint, acerbiſsimæ necis minas eis intẽtari. Sed illi præ-

clari

clari amici Dei nullâ fraude ſe paſſi ſunt á ſancto propoſito reuocari: ſed per gratiam ſancti Spiritus, in ſeſa fide conſtantes permanſere. Id animaduertens Iudex Arbaldus, ait ad Danielem Miniſtru. Quid ita mori appetis homo ſtultiſſime, & tum præſentem tum futuram vitam perdere? Beatus Daniel ſublatis in cælum oculis, ita ei reſpondit; O inueterate dierum malorum! tu potiùs reuertere ad viuum & verum Deum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; qui hucuſque male deceptus & euerſus fuiſti erroribus Satanæ, & maledicti prophetæ tui Mahumetis. Tum Iudex ille iuſſit diſtrictos in eos enſes vibrari, vt terrore frangerentur. Cernens autem nihil eos commoueri, ſed in ſuâ ſententiâ animo obfirmato periſtare; capite eos puniri præcepit.

Non interit qui ſic ex[tinguitur].

CAPVT III.

Gaudentes illi capite plectuntur. corpora eorum in Luſitania mira efficiunt.

Mox fratres ſex ad pedes Danielis Miniſtri prolapſi, cũ lacrymis dixerunt; Gratias agimus Deo & tibi pater: quòd ad Martyrij percipiendam coronam perducti ſumus: nunc ergo benedic, & bene precare filijs tuis. At ille vir ſanctus complexans ſingulos, & pie admodum exoſculans, eis bene precatus eſt; omneſque confortans ita ait; Gaudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes: adſunt enim nobis Angeli, cæli ianua nobis patet: & hoc ipſo die pariter accipiemus martyrij coronam in gloriâ, cæleſti paradiſi. Ducti inde ſunt in aulam Regis, & prorſus nudi educti ſunt, vt gladio ferirentur. Ibãt autem illi gaudentes ſummopere, Dominumque cum ingenti animi alacritate laudantes; perinde ac ſi ad opiparum eſſent inuitati conuiuium. Vbi autem ad ſupplicij locum ventum eſt, ſubmiſerunt ceruices ſuas & Domino animas ſuas cõmendantes, capitis amputatione martyrij coronas adepti ſunt. Sacra autem illa capita comminuta ſunt, & corpora miſere diſcerpta à pueris & Saracenis. Poſteà verò collecta ſunt à Chriſtianis, & honorifice tumulata Alfondegæ. Porro Regis Luſitaniæ filius magnopere ea ſibi donari poſtulauit, magni beneficij loco ea habiturus. Impetrauitq; ea, & in Hiſpaniã tranſtulit; vbi Deus per merita illorũ multa efficit miracula, in honorem & gloriam ſuam, vti in dies magis magiſque comperitur. Vulgus hos Sanctos reuerenter in primis habet; eorumq; imagines in templis reponens, quotannis ſollemnitatem illorum celebrat.

Tota mors ... vita præferenda.

Nudi ducũtur ad ſupplicium.

Quorum ... in ... barbaris.

A quibus magna multaque miracula.

CAPVT IV.

Sanctorum catalogo adſcripti, annuâ celebritate coluntur.

Qvare anno ſalutis milleſimo quingenteſimo decimoſexto, à Pontifice Leone X. id impetrarunt Patres, vt liceat ipſis quotannis ſollemnes ferias de his martyribus agere, quemadmodum de aliis quinque martyribus Franciſcanis in kalendario fit. Libenter enim aſſenſit Pontifex; hoſq; ſeptem Sanctos fratres in Martyrum numerum retulit.

Anniuerſariâ feſtiuitas celebrãda.

COM-

COMMENTARIVS
AD MARTYRIVM
SEPTEM FRATRVM
EX ORDINE MINORVM.

LAurentius Surius Tom. 5. ad 13. Octob. præfatur ſe tranſtuliſſe ex vineâ S. Franciſci Teutonica in Latinum. Extat etiam eorum paſſio in vetere Romano Breuiario dulciſſimè ſcripta, in quâ nihil deſiderari videtur. Hanc quoque hiſtoriam in capita diſtinxi.

IN CAPVT I.

Septa vbi ſit.

AD vrbem Septam.] *Quæ in Mauritania Tingitana. Abrah. Ortel. Theſaurus, Septam opinatur in vno montiū, qui dicti Septem fratres, per quam, vt eſſe ſolent fratres, ſibi ſimiles. etiam dictam,* Ceutam & Aceutam.

Euchariſtiam reuerenter perceperunt.] *Veterum more martyrum, vt eâ confirmati, quæ feliciter auſpicarentur, terminarent feliciſſimè.*

Octiduo] *vincti & afflicti in carcere fuerunt: quos* Arbaldus vidit catenis ſolutos, inſueto nitore ſplendentes, lætitiâ ingenti perfuſos, laudes diuinas celebrare, ipſumque carcerem tenebricoſum clariſsimâ luce colluſtratum; *Id quod Petrus Rodulph. lib. 1. Seraphi. religionis ſcribit.*

IN CAPVT II.

IVdex Arbaldus] *Pet. Rodulph. proximè producto loco tradit, Arabicâ linguâ Arbaldū, ſiue Alchaldum, ſiue potius Aſaldum, dici iudicem aut præfectum. porro etiam regem fuiſſe Arbaldum ſcribit.*

IN CAPVT III.

TVmulata Alfondegæ.] *Lectio ſexta ſecundi nocturni in horum feſto, ita legit;* Corpora eorum à Chriſtianis collecta, congruo honore condita fuerunt in Alphondegâ Maſſilienſi. *Quid Alfondega ſit, ignoro. Pet. Rodulph. vbi ſuprà, videtur obſcurius indicare vicum eſſe, ſiue villam Maſsilienſium mercatorum. Opinantur alij domum eſſe, in quâ merces reponebantur negotiatorum.*

Quo anno Sancti martyres obierunt.

De anno quo mortui ſunt pro Chriſto, mirum quàm varient Scriptores. Hiſtoria quæ primâ lectione ſecundi nocturni citatur, habet; Anno Chriſti 1221. Sexto Idus Octob. *Hæc alijs cauſſam præbuit erroris, tum etiam Ioanni Molano in notationibus ad Vſuardi Martyrolog. die 13. Octob. & Baronio in notis ad Martyrolog. Rom. 13. Oct. c. Item Surio tom. 5. die 13. Octob. Enimuero S. Antoninus Hiſtorial. par. 3. tit. 24. cap. 7. §. 6. diſertè ſcribit, F. Eliam Miniſtrum Generalē anno poſt mortem S. Franciſci, cœpiſſe, hiſ ſeptem fratribus eundi ad Saracenos. Is annus fuit 1227. cum Beatus Franciſcus exceſſiſſet è vitâ anno 26. Atteſtatur ſæpe citato lib. 1. Seraph. Relig. Pet. Rodulp. ſcribens impreſſoris vitio poni Annum Chriſti 1221.* cùm fuerint martyrizati anno 1227. anno integro ab obitu S. Franciſci.

Quo die mortui ſint.

Sed neque octaua die Octob. mortem ſubiere, quod Surius ſcribit, loco ſuprà citato ad finem hiſtoriæ; ſed Sexto Idus Octob. qui eius decima eſt. Porrò Leo X. diem illis feſtam quotannis à nobis agitari, ſub officio maioris duplicis, ſtatuit, quam Capitulum ordinis Generale dixiſſet. Itaque decretum fuit à Generali Capitulo Burgenſi, anno D. 1523. vt eorum annua ſolemnitas celebraretur (quod rubricæ veteris habent Breuiarij) ſexto Idus Octobris, quæ decima eius dies eſt. Porrò, quamobrem tranſlata ſit, in Octobris tertiam decimam; hactenus ignoro, & finio.

APPROBATIO.

Has, ad vitam, ſeu ad Hiſtoriam SS. 7. Fratrum Minorum dilucidatorias Annotationes, à R. admodum ac Religioſo Patre F. Henrico Sedulio Minorita conſcriptas, dignas cenſeo lectione, & vt euulgari, cum ipſa ſimul hiſtoria mereto debeant. Datum Bruxellæ 28. Ianuarij, anno 1612.

F. Andreas à Soto.

SANCTI
ANTONI A PADVA
Ordinis Minorum,
VITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENIGNO LECTORI.

VITA ſequitur S. Antonij à Paduâ: quod illi nomen, non à patriâ, ſed diuturna mora, frequentibus concionibus cum maximo fructu habitis, & à morte, quam excepit Patauij. Sanctitate fuit celeberrimus, atque facundiſsimus concionator: cuius verba non modò delectabant, verum etiam proderant. Non multùm ſolicito parata aderat admiranda vocalitas & eloquentia; res pulcherrimas pulcherrimè proſequens auditorum ſaluti. Et tua ſit talis, ſiue talem etiam deſidera: quemadmodum æger quærit medicum, non facundum, ſed ſanantem.

S. Antonius cur dictus à Paduâ.

ELOGIA.

Hartmannus Schedel Norimbergenſis Hiſtoricus.

1. ANTONIVS patriâ Hiſpanus, Vlixbonâ ciuitate oriundus, Ordinisq; Minorum Frater, vir vtique ſanctus, & multis virtutibus adornatus fuit. Is in baptiſmo Ferdinandus appellatus, primò Canonicorum Regularium habitum ſuſcepit: cumq; audiſſet Fratres Minores apud Marochiũ pro Chriſto necatos, pro eis, habitum Minorũ accepit; vbi nocturnis vigilijs corpus mirâ abſtinentiâ macerauit. Hic glorioſus Pater, cognomine de Paduâ dictus, cùm ibi prædicans diu requieuit. Et Romæ, cùm de mandato Summi Pontificis peregrinis plurimis prædicaret: linguam ſic mouit, vt tam Græci, Latini, Francigenæ, Teutonici, quàm Anglici, omnes qui audiebant, clare intelligerent. Et cùm inter religioſos, non ſolum ſuæ ætatis, ſed etiam priorũ ſæculorum, omnibus literis ornatiſſimus haberetur: Sacrarũ literarum Arca cognominari meruit. Et cùm Toloſæ, Bononiæ, ac Patauij diu Theologiam egregie docuiſſet: Patauij, infinitis clarus miraculis, moritur, & à Gregorio Nono Pont. eas ob res ſtatim in Sanctorum Confeſſorum conſortium refertur, anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo * tertio. Inuenta eſt poſtea, in tranſlatione corporis poſiti de vno loco in alium, lingua eius in ore adeo recens rubicunda, quæ per plures annos, cùm corpore ſub terrâ iacuerat, ac ſi tunc deceſſiſſet; quã B. Bonauentura affatus eſt; O lingua benedicta, quæ ſemper Deum benedixiſti nunc apparet quanti meriti fuiſti. Anno deinde milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio, cùm eius meritis Patauina vrbs de manu Etzelini tyranni liberata eſſet: ciues eccleſiam prægrandem atque pulcherrimam, ad eius honorem extruxerunt. *Sextâ ætate mundi.*

* al. *ſexto* vide Elog. 4. & 6.

Iacobus Bergomenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

2. Antonius patriâ Hiſpanus, Vlixbonâ ciuitate oriundus, Ordinisque Minorum Frater, vir vtiq; ſanctus, Patauij infinitis clarus miraculis moritur; & à Gregorio Nono Pont. eas ob res ſtatim in Sanctorum Confeſſorum refertur conſortium. Et cùm inter religioſos, non ſolum ſuæ ætatis, ſed etiam priorum ſæculorum, omnibus literis ornatiſſimus eſſet: Sacrarum literarum Arca nominari meruit. Et cum Toloſę, Bononiæ, Patauijque Theologiam egregie docuiſſet, ſermones de huiuſmodi re, non paucos edidiſſe fertur. *Lib. 13. Suppl. Chron. ad Ann. D. 1231.*

S. Antoninus Archiepiſcopus Florent. ex Ordine Prædicatorum

3. Antonius SS. Quinque Martyrum exemplo, qui dicitur de Paduâ, non quia inde oriundus, ſed quia ibi defunctus, & glorioſus oſtenſus, tunc in Hiſpaniâ Canonicus exiſtens in monaſterio S. Crucis, qui Fernandus anteà vocabatur, zelo martyrij flagrans, Ordinem Minorum ingreſſus eſt, ætatis ſuæ anno XXV. & de-

cem annos in Ordine peregit, plenus ſanctitate, & præclarus doctrinâ, & miraculis. *Hiſt.3.par.tit.24.c.7.§.1.*

Abbas Vercellenſis ex Ordine S. Benedicti.

4. Multi penetrarunt arcana ſanctiſſimæ Trinitatis, ſicut expertus ſum in Antonio ex Minorum Ordine, in familiari conſuetudine quam habui ſecum: qui parum inſtructus diſciplinis ſæcularibus, tam breui myſticam Theologiam eſt adeptus, vt cæleſti amore intus peruſtus, foris diuina ſcientia illuminaret. *Paraphraſi in Dionyſ. Areopag. apud Henr. VVillot in Athenis, S. Antonio.*

Hieronymus Platus è Societate IESV.

5. Quid Antonius Patauinus? ad quem audiendum tanta hominū multitudo confluebat, vt, cùm templa, quæ ad hoc deligebantur ampliſſima, capere non poſſent; ſuggeſtus in campos, vel plateas latiſſimas deferretur. vbi etiam ad occupandum tempeſtiuè locum, adeo ab omnibus certatim properabatur; vt cernere eſſet nobiliſſimos viros atque matronas, antequàm luceſceret, concurſantes, & ad multas horas, vocem illam quaſi de cælo venturam, præſtolantes. Illo loquente, cum ſæpe ad millia hominum triginta adeſſent; tamen non ſtrepitus, non murmur, non etiam exſcreatus audiebatur; tantum erat omniū ſilentium & attentio. Quid igitur vnquam tale Demoſthenes, aut vllus ex illis, qui diſerti in ſæculo ſunt habiti? *Lib.2. de bon. Stat. relig. c.32.*

Thomas Bozius Congregationis Oratorij Presbyterorum.

6. Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſexto, mortuus eſt Antonius, qui Patauinus dicitur, cū ſit Vlyſſiponenſis: qui in Italiâ & Franciâ, alijſque præterea Chriſtiani nominis regionibus verè pietatis prædicatione floruit. Ab hoc quàm miranda, & omnino diuina fuerint effecta dum viueret, ac poſt obitum, nimis eſſet longum referre; quáuis nemo vel in hiſtorijs ſacris mediocriter verſatus, tanti viri illuſtriſſimi geſta ignoret. Satis ſit nobis hoc retuliſſe, quòd mortuos quatuor ad vitam reuocauit. *Lib.7. de ſig. Eccleſ. cap.1.*

Ioannes Molanus.

7. Antonius Vlysbonenſis celeberrimus extitit vita, miraculis & doctrinâ. *In Martyrolog. Vſuardi ad 13. Iunij.*

Henricus VVillot, ex Ordine Fratrum Minorum.

8. Antonius de Paduâ talem ſe præſtitit, vt quid potius mirer, vitæ ne integritatem, an ſelectam eruditionem, dicendique promptitudinem, & facundiam, dubius hæreo. Illam ſubmiſſe venerantur omnes, alteram multi prædicant. *In Athenis S. Antonio.*

Ioannes Trithemius, Abbas Spanheimenſis.

9. Antonius dictus de Paduâ, natione autem Hiſpanus, ex Vlixbonâ ciuitate oriundus, Ordinis Minorum, & B. Franciſci diſcipulus, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus: quippe qui ante ingreſſum Ordinis Theologiam Toloſæ, Bononiæ, & Patauij multo tempore glorioſè docuit, & diſcipulos poſt ſe inſignes reliquit. Tantæ ſanctitatis extitit, vt multis viuus & mortuus coruſcârit miraculis. fuit autem excellentiſſimus prædicator; adeo vt Summus eum Pontifex Arcam teſtamenti conſueuerit appellare: & S. Franciſcus eum ſuum Epiſcopum vocare ſolebat. Scripſit inter cetera ingenij opuſcula valde elegantes & ardentiſſimos,

Sermones de Tempore. Lib. 2.
Erunt ſigna, &c.
Sermones quinq; de Sanctis. Lib.1.

Claruit temporibus Frederici Imperatoris Secundi, anno Dom. M.CC.XXX. & propter miraculorum frequentiam, poſt mortem à Gregorio PP. Nono vnà cum S. Dominico, & Helizabeth Landtgrauiâ Thuringorum, Catalogo Sanctorum ſtatim inſertus eſt. *Catal. ſcript. Eccleſ.*

Robertus à Licio, Epiſcopus Aquinatenſis.

10. Cuncti ferè mortales, qui baptiſmali charactere ſunt inſigniti, beatum Antonium Paduanū deuotione ardentiſſimâ colunt ac venerantur; nec ipſe patrocinium ſuū inuocantibus negat. Nullus à fonte ſuæ dulcedinis ſitibundus abcedit: omnibus ipſum inuocantibus preſto eſt. *Ser. de S. Anto. Paduano.*

OR-

ORDO CAPITVM.

I. GENVS S. Antonij & pueritia.

II. Carnem macerat, mundum deſerit, pectus ſuum imbuens cæleſtibus diſciplinis.

III. Exemplo SS. quinque Martyrum Minorum, deſiderans martyrium, ſancti Franciſci inſtituto initiatur.

IV. Spe martyrij ad Saracenos abijt: ſed prouidentiâ Dei reuerſus, ſeruatus fuit plurimorum ſaluti.

V. Miſſus in Æmiliam, ſolitariam vitam agit, admirandâ ſeipſum exercens abſtinentiâ.

VI. Illius abſconſa lux clarere cœpit in oratione, quam iuſſus habuit ex tempore.

VII. Miſſus prædicat Verbum Dei, nemini blandiens, hæreticos conuincens.

VIII. Magnâ gratiâ & fructu Romæ prædicans, raraq; eruditione procerum Eccleſiæ amicitiam ſibi conciliauit.

IX. Sacram Theologiam zelo fidei, multis in locis, Fratres ſui inſtituti docet, Spiritu prophetico futura prænuntiat.

X. Ipſo concionante S. Franciſcus, abſens licet, mirabiliter tamen apparuit.

XI. Inſtituti muneribus defunctus, ſolis concionibus habendis & ſcribendis totus incumbit.

XII. Diabolus virum ſanctum præfocare conatur: frequentiſſimus ad illius concurſus auditorium.

XIII. Concionum eius magnus fructus & vtilitas.

XIV. Hæreticos inſectatur acerrimè: illuſtri miraculo Toloſæ hæreſiarcham conuincens conuertit.

XV. Romæ concionatur, & à peregrinis variarum gentium linguarumque ſimiliter intelligitur.

XVI. Corpore abſens viſus eſt coràm perfungi ſuo officio.

XVII. Miraculis aliquot, fidei doctrinæque eius veritas confirmatur.

XVIII. Alia prodigia in teſtimonium veritatis.

XIX. In concione detegit occulta prodigioſa.

XX. Padua Vlisbonam vſque nocte vna peruenit, captos iniuſtè parentes liberatum.

XXI. Quanta energia concionum eius, & cura ſalutis animarum.

XXII. *Ecelinum tyrannum liberrimè increpans, multis ſceleribus abſtinere facit.*

XXIII. *Paduam multis honoribus decorandam vaticinatur.*

XXIV. *Sub mortem vitam degit ruri, ægrotat, abit è vita.*

XXV. *A morte apparet Abbati Vercellenſi, quem ex gutture facit ſanum ſuo tactu.*

XXVI. *Morte S. Antonij nunciatâ, Paduani de ſacro certant corpore, quod omnes attingere cupiunt.*

XXVII. *Motibus ciuium compoſitis, ſacrum illud corpus honorificentiſſimè ſepelitur.*

XXVIII. *Miracula frequentiſſima plurimos ad inuiſendum illud eius corpus pertraxere.*

Bulla Canonizationis Gregorij IX. P. M.

Commentarius ad vitam S. Antonij à Paduâ.

SANCTI ANTONI A PADVA

Ordinis Minorum,

VITA.

CAPVT PRIMVM.

Genus S. Antonij, & pueritia.

EST in Luſitaniæ regno ad plagam occidentalem, in extremis orbis finib. vrbs quædam, quam incolæ Vlysbonam vocãt: quòd ab Vlyſſe (vt aiunt) bene ſit condita. In eâ templum miræ magnitudinis exſtructum eſt, in honorem matris Dei & perpetuæ Virginis Mariæ; in quo beati Vincentij martyris ſacrum corpus honorificè aſſeruatur. Ad eius templi partem occiduam, felices B. Antonij parentes honeſtum habuere domicilium, ipſis templi foribus valde propinquum. Ex illis, in ipſo iuuentutis flore procreatus B. Antonius, cùm ſacri baptiſmatis ſalutaribus expiaretur vndis, Fernandi nomen accepit. Qui deinde ab ipſis prope incunabulis, multâ fuit morum probitate & integritate: nec ſicut tenera puerorum ſolet ætas, mũdi laſciuiam & vanitatem complexus eſt; ſed bonorum parentum ſedulus imitator, eccleſiarum & monaſteriorum crebrò terebat limina; manuſque ſuas libenter extendebat ad pauperes, vt illorũ inopiam ſubleuaret, vt poſſet in illum quoque competere, quod de ſe beatiſſimus Iob ait; *Ab infantia creuit mecum miſeratio.* Pater eius vir nobilis fuit, miles Alphonſi Regis, Martinus nomine, mater eius Maria non infimo genere fuit.

S. Antonij patria.

Nomen à baptiſmate Fernandus.

Cap 31.18.
Parentes nobiles.

CAPVT II.

Carnem macerat, mundum deſerit, pectus ſuum imbuens cæleſtibus diſciplinis.

CVM autem puer eſſet rationis capax, à parentibus in eâ, quam diximus, beatiſſimæ matris Dei eccleſiâ, litteris traditus eſt imbuendus, ſimul & educandus à miniſtris Chriſti, cuius erat præco futurus. Ita pueritiæ ætatem, inſtar Patriarchæ Iacob, domi ſimpliciter exegit. Cùm autem, accedentibus annis, ſentiret improbos corporis motus, de carnis corruptione naſcẽtes; nequaquã ceſſit petulantis ancillæ prauis cupiditatibus, nec libidini fræna laxauit: ſed ſtrinxit habenas, corpuſq; in ſeruitutem ſpiritus redigere nitebatur. Vileſcebat ei in dies mundus iſte; & ne puluis terrenæ felicitatis pedibus adhæreret, animoque in viâ Domini currenti offendiculo foret: retraxit eos, cùm necdum totos illos in ipſo mundi primi aditu poſuiſſet. Eſt autem, extra vrbis Vlysbonæ muros, monaſterium Auguſtinianorum, in quo viri ſpectatæ religionis degunt, quos Canonicos Regulares vocant. Ad quos vir Dei ſpretis mundi oblectamentis ſe contulit, & illorum habitum induit humiliter ac deuotè. Sed cũ biennio illo, quo apud eos manſit, amicorum crebrâ viſitatione, quę ſolet pijs mentibus non parum importuna videri, interpellatus fuiſſet: vt omnes eiuſmodi occaſiones ſibi præcideret, natale ſolum deſerere decreuit; vt apud exteros Domino tranquilliùs & liberiùs vocare poſſet. Impetratâ igitur, ſed ægrè diſcedẽdi copiâ à Superiore; non vitæ inſtitutum, ſed locum mutauit, ad monaſterium S. Crucis de Colimbriâ ferventi ſpiritu commigrans; idq; zelo ſeuerioris diſciplinæ, & ſtudio maioris quietis. Quàm autem ille non locum, ſed morum mutationem & expetijſſet, & feciſſet: ſatis declarabat vita eius ſolito feruentior. Et quoniam teſte D. Hieronymo; *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed*

Gen. 25.27.

Carnẽ ſpiritui ſubigit.

S. Auguſtini inſtituto ſe conſecrat.

Locum mutat ſalutis ergo.
Epiſt. 13. ad Paulin. c. 1. in fine.

Hieroſolymis benè vixiſſe laudandum eſt: talem ſe moribus exhibuit, vt omnibus perſpicuum eſſet, loci opportunitatē maiorem idcirco illum appetijſſe, vt ad vitæ perfectionem faciliùs poſſet pertingere.

S. Scripturam diligenter legit, ruminaturque, & ad mores trahit.

Neque verò mediocri ſtudio ſemper excolebat ingeniū; nec diebus nec noctibus pro temporis ratione à lectione diuinâ ceſſans, animum ſanctis cogitationibus & meditationibus exercens. Solebat autem legendo hiſtoricæ veritatis textum, allegoricâ comparatione cõfirmare fidem: & rurſus ipſis Scripturæ verbis cõformare mores & affectum inflammare. Scrutabatur religioſâ curioſitate profunda ſermonum Dei: & contra errorum foueas, diuinæ Scripturæ ſententijs intellectū communiebat, ſimul etiam ſanctorum Patrum monumenta ſedulâ lectione euoluens.

Et monumenta patrum.

Deniq; lecta tenaci memoriâ cõplectens, prę̄ter omnium expectationem, magnam Scripturæ diuinæ eſt cognitionem adeptus.

CAPVT III.

Exemplo SS. quinque Martyrum Minorum, deſiderans martyrium, ſancti Franciſci inſtituto initiatur.

CVM autem reliquias Sanctorum martyrum quinque Fratrum Ordinis S. Franciſci, Dominus Petrus Infans sereniſſimi Luſitaniæ Regis filius primogenitus, à Marochio adduxiſſet; & ſe, illorum meritis, à magnis periculis liberatum, per omnes Hiſpanię prouincias diuulgaſſet: Chriſti ſeruus Fernandus audiens mira, quæ per illos fiebant; multo cœpit flagrare deſiderio, inſtar illorum, pro Chriſto hauriendi martyrij calicem:

Flagrat martyrij deſiderio.

factuſque ſeipſo robuſtior, humano calcato timore, diuinæ gratiæ validiſſimo protectus clypeo, dicebat apud ſe; Vtinam coronæ martyrum ſuorum participem me facere dignetur Deus! vtinam liceat pro Chriſti nomine, flexo poplite, carnificis ictum excipere! Interim nocte ac die rogabat attentiſſimè Dominū, vt menti ipſius adſpiraret, quòd & illius voluntati gratius, & ſuæ ſaluti conducibilius, & proximorum vtilitati atq; ædificationi opportunius eſſet. Erat per id tempus procul à Colimbriâ, eo in loco qui S. Antonius dicitur, vbi Fratres erãt inſtituto & profeſſione Franciſcani, literas quidem neſcientes, ſed vim atque virtutem literæ vitâ & virtutibus exprimentes, qui ex præſcripto Regulæ, & profeſſionis ſuæ, eleemoſynā petituri, ad monaſterium viri Dei ſæpe venire ſolebant.

Idcoque inſtituto ſancti Franciſci ſe cupit addicere.

Ad quos pro ſuo more, die quodã, viſitãdi gratiâ clàm accedens, inter cætera ait ad illos; Ordinis veſtri habitum, Fratres chariſſimi, ardẽti animo cupio accipere; modò id mihi polliceri velitis, ſimul atque illum induero, miſſuros me vos ad regiones Saracenorum; vt cùm S. Martyribus, merear ego quoque ſanguinem fundere, & eſſe coronæ illorum particeps. Illi his auditis, non mediocriter tanti viri ſermonibus exhilarati, diem craſtinum eius explendo deſiderio deſignant. Mox B. Antonius Abbatem ſuum pro obtinendâ abeundi facultate precibus pulſat: eaq; vix extortâ, fratres Franciſcani nõ immemores pollicitationis ſuæ, manè redeunt, habitum ſuæ profeſſionis illi tradũt.

Fit Minorita.

Quo cùm ille indutus eſſet, quidam ex Canonicis monaſterij eius, acerbo animo dixit ad eū; Eas, eas: forſitan Sanctus eris. Ad quem ille conuerſus humili voce dixit; Cùm me in Sanctos relatū audieris, profectò Deum laudabis. Poſſumus ex his colligere, quã gratus ille fratribus ſuis fuerit, cui nec Prælatus niſi admodum difficulter diſcedendi voluit facere poteſtatem; nec fratres hac in re ſuo eum fouere conſilio; nec ille quem diximus, frater eius abſentiam æquo animo potuit perferre. Puto equidem, nõ abſq; multo dolore & lachrymis, talem à ſe virum illos dimiſiſſe, quem ſui monaſterij idoneum ſeſe Præfectum breui habituros ſperarent. Porrò autem fratres Franciſcani cùm nouo ſocio ſuo domum properãt, eumq; amanter accipiunt. Sed quia formidabat vir Dei, ne parentes aliquam ipſi moleſtiam faceſſerent; vt ipſum inquirentium curam eluderet, mutato nomine, Antonium ſe dici voluit.

Antonij nomen aſſumit.

CAPVT IV.

Spe martyrij ad Saracenos abijt: ſed prouidentiâ Dei reuerſus, ſeruatus fuit plurimorum ſaluti.

PAVLATIM autem creſcebat in eo ſitis martyrij, & zelus fidei magis ac magis eū exſtimulabat, nec eum quieſcere patiebatur. Itaq; quemadmodum ſe facturos receperant fratres Franci-

ſcani, fecerunt ei copiam ad Saracenos proficiſcendi. Nec ille ſibi moras nectendas putans, celeriter abijt. Sed præpotẽs Deus hac in re illius propoſitum planè retardauit, totius hiemis ſpatio graui eum morbo affligẽs. Quare compulſus ille, ad natale ſolum ob corporis curandam valetudinem ſe recepit: ſed cùm nauigando ad Hiſpaniæ littora nautas appulſuros ſperaret, ad Siciliam, ventorum impulſu delatum ſe ſenſit. Habuit ergo pro Chriſto moriendi & deſiderium, & conatum vir omnium ore meritò celebrandus: ſed diuina prouidentia, vt poſt ipſa res docuit, plurimorum ſaluti eum ſeruauit, quos ille in diuerſis regionibus, è fæcibus peccatorum reuocauit ad ſalutares pœnitentiæ fructus.

Voluntati martyrium defuit: non voluntas martyrii.

CAPVT V.

Miſſus in Æmiliam, ſolitariam vitam agit, admirandâ ſeipſum exercens abſtinentiâ.

NOn longè tũ aberat dies, in quem indictus erat Fratrum conuentus apud Aſſiſium, quem Capitulum Generale vocant. Id vbi Meſſanę ex fratribus vir Dei reſciuit, ſeipſum confirmans, eò licet debilis & affectâ valetudine profectus eſt. Eo autem conuentu ſolito, cùm ille, quem Miniſtrum vocant, cõmiſſos ipſi fratres ad ſua loca remitteret; ſolus Antonius à nemine expetebatur: quippe qui vt ignotus, ita parum vtilis, aut idoneus exiſtimaretur; atq; ita ſolus in Miniſtri Generalis manib. relictus eſt. Accito autem fratre Gratiano, qui tum in Æmiliâ ſiue Romandiolâ, fratrũ Miniſter erat; ſecretò eum rogauit ſeruus Dei, vt à Miniſtro Generali ipſum acceptum, in Æmiliam perduceret, diſciplinis regularibus illum erudiendum. Nullam verò litteraturæ mentionem faciens, nihil eccleſiaſticam exercitationẽ iactitans: ſed intellectum & ſcientiam omnem captiuans in obſequium Chriſti, illum ſolùm crucifixũ ſe ſitire, ſe noſſe, ſe complecti velle proclamabat. Frater autem Gratianus miram eius deuotionem exoſculans, votis eius aſſenſit, ſecumq; in Æmiliam abduxit: vbi veniâ impetratâ, ad eremum Montis Pauli ſeceſſit, quietem animi & conſcientiæ captare volens. Cùm autem in eâ eremo aliquamdiu moraretur, frater quidam cellulam precationi aptam in quadã cryptâ ſibi condidit, vt illic liberiùs Deo vacaret. Eam vt vidit Vir beatus, à Fratre illo ſibi eius copiam fieri, precibus contendit. Non negauit ille. & Vir Dei perſoluto quotidie nocturnarum precum officio, ad eam cellam ſecedebat, ſumptâq; ſecum exiguâ panis particulâ, & in vaſe aquâ, cogebat carnem parẽre ſpiritui; ſolitariamque illic quantùm licuit vitam ducẽs, ſanctus cogitationibus & meditationibus ſpiritum aduerſus tentationes communiebat, & diuino amore ſe confirmabat. Perſtabat illic ſolus nocturnis horis in precibus; totumq; ſe diuinæ moderationi permittens & commendans, in cæleſtibus ſpei ſuæ ancoram ſolidiſſimè defigebat. Nec deerant illi crebræ infeſtationes dæmonum, volentium eum in ſanctæ orationis ſtudio perturbare. Tantâ autem ſe inediâ macerauit: vt quemadmodum teſtantur ij qui id viderunt, horâ refectionis ad fratres rediturus, nutante prę nimiâ imbecillitate greſſu, ſeipſum interdum ſuſtentare non poſſet. Sic igitur vir ille plenus ſapientiâ, nõ breui tempore ſimplex vixit apud ſimplices: & omnem arrogantiam humili corde deuitans, ſub indocti perſonâ, gratiæ lumen abſcondit.

S. Antonius ignotus negligitur.

Vitam auſtere ducit ſolitariam.

A dæmonibus diuexatur.

CAPVT VI.

Illius abſconſa lux clarere cœpit in oratione, quam iuſſus habuit extempore.

SED non eſt paſſus Deus ſemper latẽre eum: voluit aliquando illum innoteſcerẽ ſimplicibus fratribus. Cùm enim multũ iam temporis fluxiſſet, fratres pro ſacris accipiendis Ordinibus, ad forum Liuij, quæ eſt Æmiliæ ciuitas, confluxerunt: inter quos etiam adfuit Antonius, & quidam fratres S. Dominici. Inſtante autem collationis horâ, fratribus ex more cõgregatis, Miniſter loci illius Fratres Dominicanos rogauit, vt ſitientibus verbum ſalutis proponerẽt. Illis recuſantibus, quòd nihil ſeprę paraſſent, inſtigante eum fortiter Spiritu Dei, Miniſter ad Antonium, de cuius eruditione nihil comperti habebat, ſe conuertens, iubet vt apud fratres dicat quicquid ipſi ſuggereret Spiritus Dei. Non putabat eum quicquã ſcire de ſcripturis diuinis, aut legiſſe aliquid, niſi fortè quæ ad Eccleſiaſticũ officiũ pertinerent: ſpẽ tamẽ nonnullam ei adferebat,

Sacris Ordinibus initiatur.

Indoctus habebatur, qui à Deo doctus.

quod audierat illum neceſſitate cogente, idque perrarò, aliquid litteratè dixiſſe. Et certe cùm tantus ille eſſet, vt memoriâ pro codicibus vteretur; & myſtici eloquij gratiâ mirè afflueret: peritior tamen apud Fratres habebatur abluendorum culinæ vtenſilium, quàm Scripturæ ſanctæ myſteria explicandi. Præfectum enim ſuum (quem Guardianum dicunt) ſupplex rogarat, vt magni beneficij loco ipſi permittere vellet eluere coquinæ vaſa, & verrere quotidie fratrum domicilia: nulli alij rei aptum & vtilem ſe confitens, cùm eſſet reuera vas electum & Spiritus ſancti gratiâ multiuariâ ornatum. Mundabat ergo quotidie humili ac deuoto corde culinæ res, & fratrum domicilia; eximiæ cuiuſdam humilitatis & contemptus ſui de ſe exempla præbens. Non ita agunt plerique alij, qui antequã ſint diſcipuli, magiſtri eſſe volunt, ſeſeque in cathedram importunè ingerere nõ verentur. Contrà Antonius, iam perfectus in Scripturis diuinis inter idiotas & rudes laicos haberi maluit, quàm ſciolus aut magiſter videri; potiuſq; laboribus occupari culinarijs, quam magiſterij cathedram occupare. Verum enimuerò, licet totis viribus in id incumberet, vt à Miniſtro impoſitum munus liceret ſubterfugere; non tamen potuit voto potiri ſuo. Tandem ergo cedens tum illius voluntati, tum omnium precibus; cùm timore Domini primò orſus eſt ſimpliciter ad eos dicere: ſed cùm vellet Dominus lucernam hactenus ſub modio poſitam in omnium cõſpectum proferri, in orationis progreſſu, tanto verborũ ſplendore, tantâ myſticarũ ſententiarum altitudine vſus eſt, vt omnes in ſummam admirationem adducerentur; maximè quòd præter omnium opinionẽ id eueniret; ſimul etiam eximiâ eius charitate non mediocriter ædificarentur: nec affirmare dubitarent eiuſmodi ſermonem nunquam ſe ante hac audiuiſſe. Ita deinceps nõ minimâ affecti conſolatione, venerabantur in illo diuinitus detectam diuinæ ſapientiæ claritatem, cum tam inſigni humilitate coniunctam.

Qui humillimus ſibi à nullo ſui pretio.

Oratio illius prima etſi extemporalis, miraculo fuit.

CAPVT VII.

Miſſus prædicat Verbum Dei, nemini blandiens, hæreticos conuincens.

NON diu pòſt ad aures Miniſtri Generalis, huius rei famâ perlatâ; illius voluntate compulſus eſt, rupto diuturno ſilentio, prodire in publicum, demandataq; illi concionandi prouinciâ, cultor eremi miſſus eſt ad prædicãdum Verbum Dei. dignus quidem tali miniſterio, quòd ipſe, licet pollens diuinâ ſapientiâ, ſibi impudenter nõ vſurpaſſet, ſed in collegio pauperum, verè pauperem ſpiritu ſe declaraſſet, & non niſi vocatus ad concionandum acceſſiſſet. Fuiſſe autem diuinitus vocatum, & vita illius, & obitus perſpicuè docuere: è quibus priorem, nempe vitam, abiectio ſui voluntaria, ſimplex innocentia, & diſciplinæ monaſticæ ſtudium, commendant. poſteriorem verò, id eſt, doctrinam cum zelo coniuncta charitas, & veritas & modeſtia, approbarunt. Quæ cùm non poſſint omnia ſingulatim referri, paucis dicemus, quemadmodum veritatem indiſcriminatim omnibus annunciarit. Fecit nimirum inſtar Iſaiæ cui dictum eſt, *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam; & annuncia populo meo ſcelera eorum*: mittentiſque Dei auctoritate fretus, ex eremicultore, vbi ſibi vni intenderat, factus eſt præco Dei, non ſegniter fungens officio ſuo: ad proximorum conciliandam ſalutem totum ſe contulit; in concionibus ſuis eam adhibens iuſtitiæ æquitatem, vt ſiue magnis ſiue paruis loqueretur, veritatis iaculis indifferenter omnes feriret. Arguebat incredulos, obſecrabat pios, impios obiurgabat, vt copioſiſſimè ita feruentiſſimè, ſingulis accommoda & conuenientia ſalutaris doctrinæ monita depromens. Qui enim iam antè, vt ſuprà dictum eſt, paſſionis calicem tantoperè concupierat: nullius magnitudinis, etiamſi mortis impenderet diſcrimen, pro veritate cedebat, ſed mirabili ſtrenuitate, etiam potentium tyrannidi ſeſe opponebat. Nullâ prorſus flectebatur perſonarum acceptione, nullâ adulatione molliebatur; non popularis tranſuerſum rapiebat fauor & opinio: ſed iuxta prophetæ vocem: *Quaſi plauſtrum triturans nouum habens roſtra ſerrantia, montes comminuit, & colles quaſi puluerem poſuit.* Videbatur quaſi alter quidam prodijſſe Elias, zelo Dei feruens inflammatuſque, igne Spiritus ſancti ignitis ſermonibus accendebat, & vrebat auditorum tepida, torpentia, frigida & obſcura corda. Perſonas quaſdã ſublimes reprehenſione dignas tantâ nonnunquàm ſeueritate obiurgauit, vt plerique alij celebres concionatores illum au-

In dominicam mittitur meſſem.

Iſa 58.1. *Prædicat Verbum Dei.*

Non in ſermone adulationis.

Cap 4.

Sed increpans in patientiâ & doctrinâ.

Iſa 41.15.

dientes,

dientes, ad intrepidã illius conſtantiam trepidarent, vultuſq́; ſuos quodam puſillanimitatis rubore perfuſi obtegerẽt. Circumibat per vicos, caſtra, vrbes & agros; & vitæ ſemina vbique largiſſime ſpargebat. Cumq́; ob zelum animarum paſſim diſcurreret, omnemq́; requiem ſibi prorſus vellet interdictam: cõtigit eum Dei nutu Ariminũ peruenire, vbi cùm multos cerneret hęreſi correptos; mox totius opidi cõuocato populo, feruenti ſpiritu ad eos concionari cœpit, verſutaq́; hæreticorum dogmata luculenter confutauit. Eas autem in auditorum pectoribus efficax ſermo & doctrina ſalutaris fixit radices, vt profligatis tetris erroribus, non pauci ad fidei integritatem ſint reducti. In quibus etiam Boniuillum hæreſiarcham, quem triginta annis errorum tenebræ obcæcauerant, ad ſanitatem reuocauit; effecitq́ue vt vſque ad mortem Eccleſiæ mandatis deuotus ſteterit.

Ariminum ab hæreſi expurgat.

Boniuillus hæreſiarcha conuertitur ad fidem Catholicam.

CAPVT VIII.

Magnâ gratiâ & fructu Romæ prædicans; raraque eruditione, procerum Eccleſiæ amicitiam ſibi conciliauit.

POSTEA verò, priuato quodam negotio vrgente, à Miniſtro Ordinis Romam miſſus eſt: vbi tantam principum Eccleſiæ erga ſe beneuolentiã expertus eſt, vt & ab ipſo Pontifice Maximo, & ceteris omnibus, concio illius incredibili ſtudio & deuotione auſcultata ſit. Tam enim ſublimiter facundo ore Scripturæ myſteria depromebat, vt Põtifex Maximus ſingulari quadã prærogatiuâ, eum *Arcam Teſtamenti* appellaret. Habebat hoc vir Dei, vt ſermo eius, pro rerũ diuerſa ratione ſemper in * gratiâ, ſale diſcretionis eſſet cõditus; noueratq́ue pariter & placidum, & ſeuerum ſe exhibere: quâ re fiebat, vt ſermo eius & amore & timore afficeret auditores. Mirabantur in illo viri litterati tantum ingenij acumen, tantamq́; eloquentiam, mirabantur illũ erga omnes miro quodam prudentiæ & diſcretionis pondere ſua verba librantem. Maiores non ſine admiratione attẽdebant * *ſpiritualibus ſpiritualia comparantem*; minores ſtupebant, vitiorum cauſas & occaſiones ſapienter reſecantem, & virtutes ac bonos mores cum multâ cautione inſerentem. Denique omnes omnium ætatum, ordinum, cõditionum mortales, accommodatas ſibi doctrinas & inſtitutiones ex illo ſe ſuſcipere lætabantur. Nec immeritò illi tributum fuit à Pontifice, vt *Arca teſtamenti* diceretur: ita enim vtriuſq́; Inſtrumenti paginas memoriæ plane affixas habebat, vt inſtar Eſdræ potuerit, ſi ſic res poſtulaſſet, omnes Scripturas diuinas in integrum de ſuâ memoriâ, etiam codicibus omnibus prorſus abolitis, reſtituere. Teſtantur hoc, qui eius quotidiano conuictu & familiari conſuetudine diu vſi fuere. Nec ei defuiſſet facultas, ſi res popoſciſſet, omnia ſcripta diuina luculenter, & multiplici ratione exponendi & interpretandi.

Arca teſtamenti appellatur à Pontifice.

*Coloſ 4. 6.

*1. Cor. 2. 13.

Sacrã Scripturam memoriâ tenebat.

CAPVT IX.

Sacram Theologiam, zelo fidei, multis in locis, fratres ſui inſtituti docet. Spiritu prophetico futura prænunciat.

MVLTA verò inſignia Ordinis ſui monaſteria prælegẽdo, diſputando, concionando illuſtrauit & ornauit: idq́ue tum zelo fidei, & feruore Chriſto animas adducẽdi; tum ſtudio fratres inſtituendi; tum quoq; deſiderio cohoneſtandi inſtitutum ſiue Ordinem ſuum, qui per id tempus propter imperitiam apud pleroſq; in cõtemptu erat. Et certe fuit primus ille prælector in Ordine ſiue inſtituto ſuo, conſentiente beatiſſimo Patre Frãciſco, inſtitutus Bononiæ, vt præeſſet ſuis in Theologicâ facultate. In Ciſmontanâ enim regione tum temporis potiſſimùm florebant ſtudia literarum, placuitq́; fratribus Antonium, tanquã præ ceteris magis idoneum, illic prælectorem conſtituere. Idem autem ipſe etiã in Æmiliæ Prouinciâ, permultis annis Fratrum Miniſter cùm laude fuit. Et ſi verò doctrinâ & verbo in Italiâ vix quemquã parem haberet; at nihilominùs in ſuâ præfecturâ, vel Miniſtri functione, mire commodum & humanũ ſe præbebat. Cùm autem in ciuitate Podienſi Guardiani miniſterio fungeretur, erat illic Notarius quidam omninò lubricus, carni & mundo totus addictus. Eum quoties præteriret vir Dei, nudato capite corã illo genuflectebat. Ille verò exiſtimans id in ſui irriſionem & contumeliam fieri, animo perturbabatur; dabatq́ue modis omnibus ope-

Prælector primus fuit in Ordine S. Franciſci.

ram,

ram, ne illum vnquam obuiam haberet. Sed cùm die quodam ab inſperato eum trāſiret vir ſanctus, & ita, vt diximus, erga illum ſe gereret, exacerbatus homo, dixit, Niſi timerem Dei iram, gladio te percuterem, quòd ita me ridiculum facis. Quid ſibi vult iſtud, quòd coram me poplitem flectis? Reſpondit vir beatus; Ego me libens Deo martyrem obtuliſſem, ſed illi non placuit. de te autem ille mihi reuelauit, præclarū te martyrem fore. Oro itaq́, vt vbi ad martyrij agonem perueneris, mei memor eſſe velis. Hoc ille audiens, riſit. At nō multò pòſt tempore Epiſcopus Podienſis cum multis alijs profectus eſt Hieroſolymam, vt Saracenis Chriſtum prædicaret. Et ecce diuinitus permotus Notarius ille, venditis ſuis rebus omnibus, cum illo iter ingreſſus eſt. Cùm autem perueniſſent ad Saracenos, & Epiſcopus ſic ſatis frigide haberet conciones, ſemel quidem & iterum & tertiò Notarius diſſimulauit. At tandem inſtar B. Vincentij increpat Antiſtitē, quod ita frigidè fidem Chriſti & prædicet & propugnet; diuinoque afflatus ſpiritu, cum multo feruore cœpit docere Saracenos, Chriſtum eſſe verum Deum & Dei filium; Mahometem autem eſſe filium Satanę & perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, & per triduum diris eum ſupplicijs excruciant. Cumq́; iam ad mortem duceretur, expoſuit fratribus Antonium id prædixiſſe, quòd ipſe martyr futurus eſſet. Fuit ea res populo occaſio, multâ deinceps reuerentiâ beatum Antonium proſequendi.

Prædicit improbum quendam, futurum martyrem.

Qui conſtanter mortem obijt pro Chriſto.

CAPVT X.

Ipſo concionante, S. Franciſcus abſens licet, mirabiliter tamē apparuit.

FRATRIBVS quandoq́ in prouinciâ ad Capitulum congregatis, vir ſanctus de titulo Crucis, & dulciſſimi Saluatoris paſſione præclaram habuit concionem. Eo autem concionante, Sanctiſſimus Pater Franciſcus, qui tum procul aberat in aliâ regione, filijs ſuis in aëre mirabili quodā modo apparuit. Viſus enim eſt vni ex illis, tanquā brachijs ad crucem extenſis, velut approbando ſermonē Antonij, indicare quid fratres imitandum ſuſcipere deberent, illiſque benedicens, crucis ſuper eos ſignum exprimere.

Vitæ S. Franciſc. cap. 4. §. 10.

Videtur S. Franciſcus in crucis modum extenſis brachijs.

CAPVT XI.

Inſtituti muneribus defunctus, ſolis concionibus habendis & ſcribendis totus incumbit.

IN illo Generali Capitulo, quo ſacratiſſimæ beatiſſimi Patris noſtri Franciſci reliquiæ ad eum locū, in quo nunc cū eâ, quâ par eſt, veneratione aſſeruantur, translatæ ſunt, qui fuit annus proximus ante obitum eius; ab omni fratrum regimine prorſus abſolutus eſt B. Antonius, factaq; ei eſt generalis poteſtas verbum Dei vbicumq; vellet prædicandi. Cùm igitur eo tempore, quo cōciones ſuas, (quas de Tempore vocāt) conſcripſit, Paduæ moratus fuiſſet; multamque erga ſe ciuium fidem & beneuolentiam eſſet expertus: mirâ erga eos deuotione affectus, primo libertatis ſuæ curſu ad eos ſe cōferre decreuit. Cumq́; eò perueniſſet, Oſtienſis Epiſc. eum hortatus eſt, vt Conciones de Sanctis quoq́ conficeret. Itaq; illi morem geſturus, Paduę voluit in illud opus incūbere. Sed ſacro Quadrageſimę aduentante tempore, vidēs vir Dei adeſſe tempus acceptabile, & dies ſalutis; illud opus intermiſit, totumque ſe ad docendum pro concione populū, eius ſermones mirificè ſitientē, applicuit; illiſq; quadraginta diebus quotidie concionatus eſt, nō ſine multorum admiratione. Erat enim naturâ corpulentus, & eâ cauſâ perpetuò laborabat incommodâ valetudine: attamen præ infatigabili animarum zelo, prædicando, docēdo, confeſſiones auſcultando, ſæpiſſimè vſque ad ſolis occubitum, ieiunus permanebat.

Ab omni curâ ſe ſubducit.

Scribendis concionibus incumbens.

* 2. Cor. 7. 2.

CAPVT XII.

Diabolus virum ſanctum præfocare conatur. frequentiſſimus ad illius concurſus auditorium.

VIDIT hoc & inuidit malignus dæmon, perpetuus bonorum ſtudiorum hoſtis: & vt virum ſanctū à ſuo propoſito deterreret, nocturnis illuſionib. infeſtus ei fuit. Rem nō commentitiam refero, quam ipſe vir Dei cum adhuc viueret cuidam fratri narrauit. Nocte quadam ſacræ Quadrageſimæ, in exordio earū, quas diximus virum Dei tunc ſuſcepiſſe occupationum; feſſa laboribus membra, ſomni beneficio nonnihil recreare volebat. Ecce autem impurus Satan adeſt, & hominis Dei guttur tantâ

Vexatur à diabolo.

vi comprimit, vt niſi diuinitus retardatus eſſet, haud dubio eum præfocaturus fuerit. At ille beatiſſimæ matris Dei nomen inuocans, & fronti ſuæ viuificæ Crucis ſignum imprimens; ſimulq́; depromens hymnum illum, *O glorioſa domina*, in fugam compulit nequiſſimum Spiritum, & repente ſe ſenſit liberatum. Cumque fugientem illum videre cuperet, oculos aperiens, totam illam, in quâ cubabat cellulam, ſuperni luminis ſplendoribus perfuſam conſpexit. Pergēs deinde in ſuſcepto per Quadrageſimam concionandi labore ac ſtudio, populum habuit audiendi ipſum cupidiſsimū; ita vt certatim cunctis ad eum confluentibus oportuerit quotidianas in Eccleſijs ſtationes indici. Sed cùm nimiam auditorum frequētiam Eccleſiarum ambitus non caperet; compulſus eſt ad patentes ſeſe campos transferre, atq; ita ſalutaris doctrinæ pluuia de ſpiritus abundantiâ irrigare ſitibundos. Confluxit autem eò ex vicinis vrbibus, caſtris, pagis innumera prope hominū multitudo, ſalutē ſuam in illius doctrinâ, ſpe non dubiâ collocans. Surgebant intempeſtâ nocte, & alij alios nitebātur anteuertere; accenſiſq; luminaribus, ad locum, vbi erat facturus verbū Vir Dei, ſummâ contentione properabant. Cernere illic erat milites, matronas nobiles, medijs noctis tenebris adcurrere: & qui in multam lucē priùs ſtertere conſueuerant, abſq; vllo tædio vel moleſtiâ concionaturum vigiles expectare. Deponebant autem omnes cultiorem habitum, & quę ad ornatum ſpectare videbantur; vtebanturq; veſtibus religioſis. Ipſe quoq; Antiſtes Paduanus, cū Clero ſuo, Virum Dei deuotè ſequēs, *formaq; ac gregi ſuo factus ex animo*, omnes ſuo egregię humilitatis exemplo, ad accuratè auſcultandum incitauit. Itaq; viro Dei loquente, tanto ab omnibus ſtudio attendebatur, vt in triginta vel eo ampliùs hominū millibus, vix murmur aliquod aut ſtrepitus ſentiretur. Tabernas ſuas mercatores non volebant patere cuiquā ad emendas merces, niſi prius ſancti Viri concione abſolutâ: adeò feruebant illius audiendi deſiderio. Fœminæ ex pietate & deuotione præcidebāt forficibus particulas è tunica eius, pro reliquijs eas habituræ, & cui dabatur cōtingere fimbriā veſtimenti eius, is beatum ſe arbitrabatur. Cōcione peracta, ab hominum irruentiū vi defendi vix potuit; niſi fortium virorum ſeptus præſidijs, vel fugæ oportunitatem callidè exploraret, vel turbis tandem recedentibus, citra moleſtiam ipſi quoq; abire liceret.

Fugatur dæmo inuocatione Virginis matris, & ſigno Crucis.

In campis prædicat, propter auditorū frequentiam.

Paſtor bonus oues prait.

* 1. Pet. 5. 3.

Triginta millium hominum confluxus ad eius conciones.

CAPVT XIII.

Concionum eius magnus fructus, & vtilitas.

O Quot ille tum odia inexpiabilia, & implacabiles inimicitias ad pacem & cōcordiam reuocauit! quàm multos, diuturna captiuitate, miſeros libertati reſtituit! quot ille res, per vſuras & nefariam vim alijs ereptas reſtituēdas curauit! Reddebantur pignora, remittebantur debita: in varijs negotijs conſilia à viro Dei expetebantur, & promittebant omnes ſe ſtaturos arbitrio illius. Cōpeſcebantur ſcorta à flagitioſo concubitu; fures & inſignes prędones retrahebantur à contrectatione rei alienæ: & hunc in modum dies illos quadraginta fœliciſſimè exigens, gratā domino meſſem ſolicitus adduxit. In tantâ autem vndique concurrentium turbâ, id fuit admiratione dignum, quòd nullus ſeſe comprimentium clamor audiebatur, nulla cernebatur diſſolutio, riſus nullus, nullæ voces percipiebantur, nulli infantium vagitus, quibus vel parum eius conciones interpellarentur. Stabant omnes arrectis auribus, intentiſſimis perpetuò in virum Dei oculis, ſine vllo tædio cū multâ deuotione eum ſuſtinentes, perinde ac ſi non homo, ſed Angelus lapſus è ſummo cælo ad illos concionaretur. Neque id mirum, quandoquidem tantâ illum Dominus gratiâ perfuderat, vt linguâ facūdiſſimâ, voce clariſſimâ, ſua verba inſtar tubæ cuiuſdam expromens, ab omnibus & audiretur & intelligeretur. Nec id admiratione vacat, cum in longinquâ regione natus & educatus multo tempore fuiſſet, quod Italico idiomate adeò polite potuit quæ voluit pronunciare, ac ſi extra Italiam nūquam poſuiſſet pedem. Tantam verò vtriuſque ſexus multitudinem ad confitenda peccata ſua remiſit, vt nec fratres, nec alij Sacerdotes, qui nō pauci eum comitabantur, illis audiendis ſufficerent. Dicebant autem, qui ad agēdam pœnitentiam veniebāt, diuino iuſſu admonitos, & ad Antoniū transmiſſos; id ſe in mādatis habere, vt per omnia eius conſilijs parerent. Nonnulli poſt eius deceſſum è vitâ, quibuſdam Fratribus ſecretiùs dixerūt, B. Antoniū ipſis dor-

Maxima laus quando auditores attoniti conſilent.

Facundus ſuus & vocalis.

nientibus apparuiſſe, & nomina fratrũ, ad quos illos mittebat, indicaſſe. Die quodam, ſancti viri concione adeò quidam mente compunctus fuit, vt cùm ad confitendũ peccata ſua ex eius conſilio ſe cõpararet, prę ſuſpirijs & ſingultibus nec vnũ poſſet verbum proferre. Cumque vir ſanctus ei diceret, vt peccata ſua in ſcripta redigeret, eaque ipſi legenda offerret, fecit ille vt erat iuſſus. Sed cum chartulam vir Dei acciperet, ita ſcripturam omnem abolitam, & prorſus obliteratam inuènit, ac ſi prorſus nihil ſcriptum fuiſſet. Cœperunt tum primùm homines cateruatim ſeſe verberando, & pia cantica deuotè depromendo, procedere: atque ea laudabilis conſuetudo, à tanto auctore profecta, deinceps ſuis eſt aucta incrementis: ita vt in omnibus fere Italię locis accuratiſſime hodieque obſeruetur.

Verè pœnitentis notabile paradigma.

Pia flagellatorum primordia à S. Anton. cœperunt.

CAPVT XIV.

Hæreticos inſectatur acerrimè: illuſtri miraculo Toloſæ Hæreſiarcham conuincens conuertit.

FVIT autem viri Dei id præcipuum ſemper ſtudium, & conatus perpetuus, vt pernicioſiſſimas **vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth*, nempe hæreticos peſtilentes, & falſas doctrinas eorum, pro viribus oppugnaret, funditus deſtrueret, ac radicitus extirparet. Hæreſiarchas quoſdam in publicis diſputationibus Arimini, Toloſæ, ac Mediolani palam cõuicit, & errores eorum coram omnibus confutauit. Adeò enim inſtructus erat, & efficacibus Scripturæ diuinę ſententijs, & ſolidis ac perſpicuis rationibus: vt qui nefãdã eſſent hæreſi imbuti, coram illo cõſiſtere, aut os aperire non auderent: ita vt ad illum quoque pertinere videretur, quod Dominus promiſit diſcipulis ſuis; **Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Detegebat mirum in modum hæreticorum fraudes & verſutias, conatus retardabat, errores abominandos cum multâ vituperatione traducebat. nec facilè quemquam eã tempeſtate vſpiam inuenire licuiſſet, quod ipſe quoque publicè fatebatur, qui tam acriter & perpetuò illos inſectaretur, tamque continuam perſecutionis procellam illis excitaret. Vnde factum eſt, vt paſſim ab omnibus indefeſſus *hæreticorũ malleus* diceretur. Nec ſine fructu fuit labor viri Dei, pleriſque hæreticis, cũ ipſorum fautoribus ad veritatem, & obedientiam ſanctæ matris Eccleſiæ reuertentibus. Quod vt magis perſpicuum fiat, præter illum, quẽ Arimini cõuerſum diximus, *Bonouillum nomine; alium quendam hic commemorabimus hęreſiarchã inſigniter perfidioſum, quem vir Dei ſtupendo miraculo ad ſanitatem reduxit. In partibus Toloſanis quandoque incidit in diſputationem acerrimam cum perfidiſſimo quodam hæreſis architecto, de ſalutifero Sacramento Euchariſtiæ. Iam penè vicerat hominem, parumque aberat, quin ille Catholicæ veritati accederet, cum poſt multa & varia, per quæ elabi nitebatur, argumenta, in hæc ille verba prorupit; Miſſa faciamus verba, & ad res veniamus? Si tu miraculo teſtatum efficere potueris, in Euchariſtiâ verum haberi corpus Chriſti, omni perfidiâ abiuratâ, mox ceruices meas Catholicæ fidei iugo ſubmittam. Reſpondit vir Dei cum multâ fiduciâ; Confido in Chriſto Saluatore, me pro tui & aliorũ conuerſione, id quod poſtulas ab eius miſericordiâ impetraturũ. Tum ſurgens hæreticus, & manu ſilentium indicens, ait; Ego iumentum quoddam triduanâ inediâ macerabo; poſt triduum verò producam illud in populi conſpectum, & paratas eſcas oſtendam illi, tuque ex aduerſo ſtabis cum tuo illo, vt dicis, corpore Domini. ſi iumentum poſthabito pabulo ſuo properauerit ad adorãdum Deum ſuum; Eccleſiaſticæ fidei totus accedam. aſſenſit ijs vir Dei abſque morâ. Iamque dies præfixus aderat, & in plateam latiſſimam vndique fiebat hominum concurſus. Adeſt etiam vir Dei Antonius, ingenti Catholicorum frequẽtiâ ſtipatus; nec abeſt hæreticus cum nequiſſimâ ſuorum caterυâ. Prope aderat ſacellum, in quod vir ſanctus ingreſſus, cum multâ deuotione obtulit Miſſæ ſacrificium. Eo peracto, egreditur ad populum, cum ſummâ reuerentiâ geſtans corpus Domini. Producitur e conclaui mulus bene famelicus, congruumque illi pabulum offertur. Tum imperato ſilentio, vir Dei cum multâ fiduciâ, bruto illi animanti ita dixit; In virtute & nomine creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, re verâ teneo, tibi præcipio, vt confeſtim humiliter huc accedas, & eam, quam par eſt, illi præſtes reuerentiam; vt hinc perſpi-

cue

* Cant. 2. 15.

Sacris Scripturis & firmis rationibus vulpes illas comprehendit.

* Luc. 21. 15.

Malleus hæreticorum vocatur.

* Sup. c. 7.

Grandi prodigio demonſtrat Chriſtum in Euchariſtiâ.

cue intelligat peruerſitas hæreticorum, omnem creaturam ſuo ſubdi creatori, quē dignitas Sacerdotalis in altari contrectat. Necdum Chriſti ſeruus dicendi finem fecerat; & ecce iumentum illud, neglecto pabulo, vſque ad poplites ſubmiſſo capite acceſſit, & coram illo viuifico corporis Chriſti ſacramento, genu curuauit. Mox immenſo gaudio exultant Catholici, hæretici animi dolore contrahuntur. Laudatur & benedicitur præpotens Deus, fides Catholica extollitur, hæretica prauitas pudore afficitur, & opprobrio ſempiterno. Hæreſiarcha autem ille coram omnibus abiuratâ perfidiâ, ſanctæ Eccleſiæ mandatis deinceps paruit.

Mulus Eucharistiam adorat poplitibus flexis.

CAPVT XV.

Romæ concionatur, & à peregrinis variarum gentium linguarumque ſimiliter intelligitur.

QVODAM tempore Romam innumera diuerſarum gentium multitudo venerat, condonationes, ſiue indulgentias Paſchales promeritura. Erat tum in vrbe Vir Dei Antonius propter negotia quædam; voluitque ſummus Pontifex, vt ad peregrinos illos haberet concionem. Renouatum illic cernere licebat præclatum illud miraculū, quo olim in Pentecoſte Apoſtolos illuſtrauit Chriſtus. Nam beati viri linguam ita inſtruxit gratia Spiritus ſancti, vt ſinguli & apertè audirent, & planè intelligerent idioma regionis ſuæ, in quo & nati & educati fuerant; quemadmodum multi ex iis poſteà pro certo affirmarunt.

Act. 2.6.

CAPVT XVI.

Corpore abſens, viſus eſt coràm perfungi ſuo officio.

EO tempore, quo apud montem Peſſulanum vir ſanctus prælegebat, quodam ſollemni die concionabatur, omni & clero & populo auſcultāte. Sermone inchoato, occurrit animo, ſe officiū quoddam ſibi iniunctū alteri non demandaſſe. Moris illic erat, vt in præcipuis Dei ſollemnitatibus, duo inſignes fratres, ſub ſummo ſacrificio, Alleluia cantarent; quòd officiū tum incumbebat viro Dei. Itaque magno quodam mœrore affectus, in pulpitum caput cucullo operiēs, ſeſe reclinabat, & coram omni illâ auditorum frequentiâ, ſic aliquamdiu permanſit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit, quemadmodum olim S. Ambroſius legitur beatiſſimi Martini funus, licet procul corpore abeſſet, curaſſe; & ſanctus Frāciſcus, vt ſupra * adnotauimus, fratribus ſuis in Arelatenſi conuentu, ſiue Capitulo apparuiſſe. Eo autem munere diligenter perfunctus, ad ſe rediit vir Dei, & ſermonem inchoatum egregiè proſecutus eſt. Eiuſdem modi quidpiam etiam apud Lemouicēſes illi contigiſſe ferunt. Vbi, cùm in nocte Natiuitatis Chriſti, in ſummâ æde concionandum ei eſſet, & eodem tempore nona in nocturno officio, lectio apud fratres in ſuo monaſterio recitanda; cùm vtrūque ſimul præſtare non poſſet, rogauit Dominum, vt is ſuâ virtute ſuppleret, quod humanâ ope fieri nequiret. Et ita eodem tempore & lectionem illam in fratrū choro viſus eſt legere, & in primario templo concionem habuiſſe.

Nota ritum antiquum.

** Cap. 10.*

Abſens corpore, præſens ſpiritu.

CAPVT XVII.

Miraculis aliquot fidei, doctrinæque eius veritas confirmatur.

ALIO tempore, cùm à prædicatione rediens, & per ſolitudinem iter habes, populi applauſus declinaret; mulier quædam viæ compendia captans, & virū Dei per deuia quærēs, filium ſuum brachiis & cruribus à primo ortu contractū, ad eius pedes abiecit, cum multis lacrymis rogitans, vt Crucis ſignum in illum exprimeret, nihil dubitās, hoc facto, ilicò filium ſanatum iri. Sed cùm vir ſanctus præ multâ modeſtiâ & humilitate id recuſaret; illa flēs largiùs, & preces multiplicās clamare cœpit, Domine pater Antoni miſerere mei. Tandem Vir pius & matris afflictione, & filij calamitate permotus; tum etiam flexus precibus ſocij ſui fratris Lucæ, eius perpetui comitis, ſcientiâ & ſanctitate præclari; Crucis ſignū in Chriſti nomine in ægrum puerū edidit: & ille eodē temporis puncto ſanus & incolumis ſurrexit.

Crucis ſigno ægrum puerum ſanat.

Porrò Vir Dei non hoc ſuis meritis, ſed mulieris fidei adſcribens, rogauit eam, vt dum ipſe in viuis eſſet, nulli id propalaret. Puella quędam annorum quattuor pedum officio carēs, inſuper morbo caduco laborans, crebrò volutabatur ſpumans, & ad terram ſe miſerandum in modum allidens: contigit autem, vt pater eius Petrus nomine, cum illam geſtaret in vlnis, ab inſperato obuiam haberet patrem Antonium à concione reuertentem. Itaque obnixè eum rogat, vt ſignum vitalis Crucis edat in puellam. ille cernens hominis ſynceram fidem, à capite vſque ad pedes Cruce eam conſignat, & derepentè fit ſana. Matrona quædam nobilis virum Dei cum ingenti populi multitudine extra opidum ſequens, vt in agro concionaturum audiret, in anguſtâ quadam plateâ in dēſiſſimum lutum decidit, nouis iiſque non parui pretij veſtibus induta. in ipſo autem caſu ſe Deo, & ſancto viro commendans, ex luto ita ſurrexit munda, vt omnes in admirationem verſi, Deum & fidelem ſeruum eius mirificè prædicarent. Alia quædam pia fæmina in Franciâ, Virum Dei pro habendâ concione extra vrbem exeuntem ſequi deſiderans, à marito malè valente non permittebatur. Fuit hoc illi moleſtiſſimum. & cum concioni intereſſe non liceret; aſcendit in ſolarium domus ſuæ, & ex feneſtrâ ad locum concioni deſtinatum cupida reſpexit, vt vel ſic nonnihil ſuo deſiderio ſatisfaceret. Accidit tũ res admiratione digna: cùm enim ad duo milliaria abeſſet locus ille, vocem viri Dei prædicantis audiuit: cuius ſuauitate delectata, hæſit diutiùs ad feneſtrâ, quàm vir eius ferre poſſet, qui etiam eo nomine obiurgauit eam: ſed illa ſe reſpondit patrem Antonium audire concionantem. Quod ille audiens, irriſit eam, delirare illam exiſtimans. Illâ contrà aſſerente, ſe optimè audire eum, aſcendit vir ad feneſtram eandem, & etiam ipſe Viri Dei vocem meritis fidelis coniugis percepit. atque ab eo die nunquam ex illius concione abeſſe voluerunt,

Item puellam.

Aliud miraculum.

Auditur prædicans à procul abſentibus.

CAPVT XVIII.

Alia prodigia in teſtimonium veritatis.

Cvm beatus vir ex Toloſano Lectore, & Podienſi Guardiano, factus eſſet Cuſtos Lemouicenſis, & per regnum Franciæ proficiſcens concionaretur; tandem ad Bituricenſem vrbem peruênit. Vbi cùm die quodam prædicaret populo, tam frequens habuit auditorium, vt nullus intra opidum eſſet locus tantæ multitudinis capax. Canonici igitur cum populo inſtitutâ proceſſione, in agrum latiſſimum exierunt. erat æſtiuum tempus. Sub ipſa autem concione immanis orta tempeſtas, fulguribus & tonitruis exiſtentibus, omnes imminentem pluuiam fugere compulit. Sed vir Dei cernens illos fugam meditantes, altâ voce dixit, Sitis bono animo, nec vos loco moueatis: ne gutta quidem pluuiæ quemquam veſtrum continget. Tum illi verbis eius fidentes, nihil ſe mouerunt. Interim pluuia & grando craſſiſſima præceps è cœlo proruens, omnes illos prorſus intactos reliquit, ne locum quidem in quo ſtabant, madefaciens; cùm tamen vndique inſtar muri ambiuiſſet. Ad tam inſigne miraculum, omnes gratias egerunt Deo, & virum Dei deinceps in multâ reuerentiâ habuêre. Concionante quandoque viro Dei ad ſex milliaria extra vrbem Podienſem; abſoluto ſermone, quidam viri fideles vinum & alia quædam ei miſerunt. Quod vinum guſtans matrona quædam, cùm eius palato non ſederet, feſtina domum abiit melius vinum allatura. quâ in re tam fuit ſolicita, vt vaſis epiſtomium apertum relinqueret, manuque ferens vertibulum, ſiue partem illam quâ epiſtomium obturatur, ad hominem Dei properaret. Ad quem vt acceſſit, vidit in manu ſuâ inſtrumentum illud, ſenſitque ſe non clauſiſſe epiſtomium: moxque domum reuerſa, totum cellarium vidit vino perfuſum. Confidens autem meritis ſancti viri, in epiſtomio repoſuit vertibulum, ſtatimque dolium adeò eſt vino repletum, vt exundârit.

Pluuia & grando auditores eius dum in agro concionatur non attingunt, etſi muri inſtar auditores ambirent.

Vinum effuſum miraculo in vas refunditur.

CAPVT XIX.

In concione detegit occulta prodigioſa.

IN vſurarij cuiuſdam exſequiis vir Dei concionaturus, thematis loco illud accepit ex * Euangelio, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Sub concione autem inter cetera ait, *Mortuus eſt hic diues, & ſepultus eſt in inferno.* Ite ad theſaurum eius, & in illius medio inuenietis cor eius, corpore iam humato. Abierunt hominis parentes & amici, & cor adhuc calidum in medio numorum eius inuenerunt. Quodam ſolemni die Vir ſanctus cōcionabatur,& quædam nobilis domina auide auſcultabat. Cernens hoc impurus Sathan, vt fructum concionis ab eâ excluderet; curſoris ſpeciem præ ſe ferēs, ad eam cum litteris venit: aitque, filium eius ab hoſtibus captum & interfectum. Eas maligni hoſtis verſutias ſpiritu cognoſcēs Vir Dei, (nam corporeis auribus nihil huius perceperat,) coram omnibus dixit; Nihil timeas domina: filius tuus & viuit & rectè valet. curſor autem iſte, diabolus eſt. Ad quas voces inſtar fumi ille egregius curſor euanuit.

*Mat. 6. 21.

Luc. 16 22

Diuitis dānati cor inter numos repertum.

En dæmonē, vt conetur à concionibus abducere.

CAPVT XX.

Paduá Vlysbonam vſque nocte vná peruénit, captos iniuſte parentes liberatum.

CVM Paduæ degeret Vir Dei, Vlyſbonæ duo ciues inexpiabili odio ſe mutuò proſequebantur; e quibus alter iuxta ædes parentum beati viri manebat. & cùm horâ veſpertinâ filium hoſtis ſui in plateâ inueniſſet; per ſummam crudelitatem iugulauit, & intempeſtâ nocte in horto parētum viri Dei, factâ foueâ, eum ſepeliuit. Cùm autem nobilis eſſet is, cuius filius cæſus erat; inquiſitum eſt diligenter, & repertum eius filium illac tranſiſſe, vbi eius inimicus morabatur. Itaque eius domo & horto luſtrato, nihil compertum eſt. Itum eſt ad vicinas ædes, & in horto illarum, pueri cadauer inuentum eſt. Itaque pater ſancti Viri cum totâ familiâ coniectus eſt in vincula,tanquā reus cædis illius. Id verò,vt per ſpiritum Paduæ cognouit Vir Dei; veſperi à Guardiano petiit copiam exeundi, quæ illi negata non eſt. Eâdem nocte, magno miraculo, Vlysbonam perductus eſt. & proximâ luce ad Iudicem ſe contulit, rogans vt inſontes è vinculis dimiſſos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recuſante, petiit cadauer perempti pueri ad ſe adferri. Quo allato, iuſsit ſurgere puerum, & dicere, Num à parentibus ipſius occiſus eſſet; ille ſurgens,dixit,Eius cædis illos prorſus conſcios non eſſe. atque ita diſcedendi eſt illis facta poteſtas. Manſit toto die illo cum parentibus ſuis Vir beatus, & manè Angelico miniſterio Paduam reductus eſt.

Parentes S. Antonij carceri includuntur.

Puer occiſus eos pronunciat innocentes.

CAPVT XXI.

Quanta energia concionum eius, & cura ſalutis animarum.

QVando ad populum concionabatur eximius præco Chriſti, ſermo ex illius ore,tanquam ex ardenti camino proficiſcens, ſolebat mirabiliter mouere auditores, ipſaſque animorum penetrare medullas, & multam in iis deuotionem & compunctionem, vitiorumque odium & deteſtationem excitare: ita vt plerumque alter alteri diceret cum multo gemitu; Heu me miſerum! qui numquam ante hàc iſtud putârim eſſe peccatum; quòd ſi ſciuiſſem, certè numquam illud admiſiſſem. mutuoque ſe hortabantur ad faciendam confeſſionem, ad ſuſcipiendas peregrinationes religionis ergò, ad ieiunia certis diebus amplectenda in honorem Matris Dei, aut ſimilia pietatis ſtudia ſectanda. Quis verò poſſit dicendo conſequi, quæ illic fuſæ ſint lachrymæ, quæ ab imo pectore ducta ſuſpiria, quæ pectorum tunſiones in obſtinatis peccatoribus conſpectæ? Adeò enim Dominus mirificauit Sanctum ſuum, vt non ſolùm vſitatis quotidie coruſcaret miraculis; ſed etiam inaudita ab eo ſigna ederentur. Sicut enim beatus Nicolaus fertur per viſum apparuiſſe Cōſtantino Magno, eiuſq; Præfecto, minaſq; intentaſſe, ni dimitterent homines innoxios incar cerē coniectos: ita hic Vir beatus, quos per peccatū cernebat à maligno

Lacrymæ auditorum laudes concionatorū.

dæmone vinctos detineri, & ad mortem tendere ſempiternam, iis liberandis præcipuā nauabat operam. Et ſolebant nonnulli venire ad fratres, cùm ad huc viueret vir Dei, & pro certo affirmare, ipſis in lecto iacentibus apparuiſſe eum, & dixiſſe; Surge Martine, ſurge Agnes; abi ad illum fratrem, & hoc ſine illud peccatum ei confitere, quod tali in loco perpetraſti, cuius nemo præter Deum conſcius erat: quâ ratione peccata prorſus occulta expiata fuere. Paduanus quidam Viro Dei confitens peccata ſua, inter alia expoſuit ei quòd matrē ſuam tantâ vi truſiſſet pede, vt illa compulſa fuerit cadere. Id audiens Vir ſanctus, omnis malitiæ hoſtis capitalis, cùm quodam ſpiritus feruore dixit; Pes quo pater aut mater percutitur, meritò quamprimùm debet amputari. Quod ille homo ſimplex perperàm accipiēs, ilicò domum abit, & pedem amputat. Mox per omniū ora volitat crudele facinus, & ad virū Dei refertur. Qui abſque morâ adit hominem, & poſt oblatas Deo preces, crucis ſigno expreſſo, iungit pedem tibiæ, & aliquamdiu linit ſacris manibus ſuis. Confeſtim ſurgit homo, incolumis ambulans & exſiliens & laudans Deum, & ingētes agens gratias ſeruo eius fideli Antonio.

Dormientes monet moneque ad peccatorum confeſſionem.

Refectum pedem reſtituit tibiæ.

CAPVT XXII.

Ecelinum tyrannum liberrimè increpans, multis ſceleribus abſtinere fecit.

TYRANNIDEM apud Veronenſes occupante immaniſſimo illo Ecelino Romano, cùm didiciſſet B. Antonius multā eum hominū cædem per ſummam crudelitatem Veronæ feciſſe: intrepidus eum acceſſit, atque his verbis compellauit; Imminet ceruicibus tuis, Tyrāne ſæuiſſime, & rabide canis, horrenda ſententia Dei. Quouſque non temperabis tibi à fundendo inſontium hominum ſanguine? pleraque his ſimilia voce liberrimâ in faciem ei dixit. Qui verò aderant, nihil exſpectabāt aliud, niſi illum more ſuo iuſſurum, vt trucidaretur, ſed ſecùs euēnit. Nam omni poſitâ feritate, inſtar ouis ad collum ſuſpenſâ zonâ, coram viro Dei humi proſtratus, culpam ſuam humiliter edixit, omnemque pro illius arbitrio promiſit emendationem. adiecitque; Viri commilitones, non mirum vobis iſtud videatur. nam reuerâ diuinum quemdam vidi fulgorem ex huius vultu vibrari, qui adeò me perterruit, vt me repentè in tarrarum demerſum iri vererer. Ex illo tempore multâ erga hominem Dei deuotione fuit & quoad vixit, à multis malis, quæ alioqui, ſicut ipſe fatebatur, feciſſet, illo retrahente abſtinuit. Poteſt de beato Viro non abſurdè dici,* quod de filio ſuo Iacob dixit Iſaac Patriarcha; *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri plem, cui benedixit Dominus.* Adeò enim cæleſtis benedictionis gratiâ perfuſus erat, & virtutū odoriferis floribus mirificè ornatus, vt eſſet humilitate pręcipuus, ſapientia clariſſimus, eloquentiâ mellitiſſimus, caritate feruentiſſimus, paupertate inſignis, omni morum elegantiâ illuſtriſſimus, honeſtate pręcelſus, ſermone placidus conuerſatione humaniſſimus; denique in omnibus & Deo & hominibus gratus. Moderatione autem ſiue diſcretione quæ eſt virtutum omnium parens, ſine quâ virtutes abeunt in vitia; præclarè imprimis vſus eſt in concionibus, in dandis conſiliis, in excipiendis confeſſionibus, denique in dictis, factis, & rebus omnibus: vt nihil in eo poſſet animaduerti huius virtutis * ſale non conditum. Solebat ſine perſonarū acceptione omnibus fidelem nauare operam, vt è peccatis extraherētur: & quibuſlibet poſcentibus, opitulari numquam deſijt viuēs in terris, vti nec hodieque ceſſat poſt obitum ſuum, vt res ipſa teſtatur.

Fulger è vultu S. Antonij, animos tyranni frangit.

* Gen. 27. 27.

Moderatur verba & facta.

*Col. 4. 6.

CAPVT XXIII.

Paduam multis honoribus decorandam vaticinatur.

ET ipſe quidem obitum ſuum longè antè præſciuit: ſed ne fratres mœrore afficerentur, illis indicare noluit. Decimoquinto ferè ante mortem ſuam die, cùm e quodam colle contemplaretur amœnam Paduæ planitiem; exſultans ſpiritu, ſitum Vrbis eius miris vehebat laudibus. Verſus deinde ad fratrem itineris ſui comitē; multo honore ciuitatem illam breui affectum iri prædixit, non tamen exprimens, cuiuſmodi ille honor futurus eſſet. Sed ab illius obitu vſq; in præſens gratulatur vrbs illa felici rerum experi-

mento:

mento: quando propter Viri Dei præclara merita, innumerabilium hominum frequentiâ viſitatur, egregiis præconiis, & eximiis muneribus cohoneſtatur; dum theſaurum illum miraculorum ſignis inclytum obtinet, rei propè incomparabilis titulo gaudet, in ſuo Antonio tot miſeris opitulatur.

CAPVT XXIIII.

Sub mortem vitam degit ruri. ægrotat, abit è vitâ.

CVM iam meſſis inſtaret, & vir Dei ſciret colligendis frugibus populũ occupatũ iri: ſtatuit ad tempus concionibus ſuperſedere. Pertæſus verò crebri cum ſecularibus hominibus congreſſus, extra opidum ad locum quemdam ſolitarium, quem S. Petri campum vocant, ſeceſſit, Deo & ſibi vacaturus. Nec verò mediocriter eius aduentu exhilaratus Tiſo vir nobilis, in cuius ditione erat locus fratrũ; multa humanitatis officia propenſiſſimo animo illi præſtitit. Habebat is locum quẽdam nemoribus conſitum, haud procul à domo fratrũ: in quo erat arbor procêra, ex cuius trunco ſex rami emerſerant, coronæ ſpeciem referẽtes. Eam vir Dei conſpicatus, cellulã ſibi ſuper eam extrui voluit: quòd ſolitudini & quieti oportunus ille locus videretur. Id vbi Tiſo ex fratribus cognouit, ipſe ſuis manibus, viro Dei & duobus ſociis eius tres cellulas cum multâ deuotione cõfecit. In eâ igitur cellulâ vir Dei vitam degens ſolitariã, inſtar apis ſedulæ, lectioni Scripturæ ſacræ, & cõtemplationi vacabat. Atque hæc inter mortales illius extrema fuit habitatio. Iam igitur ſeparatus ab hominum turbis, viuebat ſibi, ſanctis meditationibus, & feruentibus precibus intentus: vt ſpiritum ab omni rerum terrenarum contagione repurgaret; & ſi qui pulueres ex hominum ſæculariũ conuictu & cõſuetudine, (vt ſolet) illi aliquã ex parte inhæſiſſent; eos lacrymis compũctionis, & capillis ſanctę cõtẽplationis abſtergeret, cęleſtis patriæ propediẽ ciuibus feliciſſime coniungẽdus. Cum autẽ die quadã e ſuâ cellulâ horâ prandij deſcẽdiſſet, cum fratribus pro more diſcubuit: facta eſt verò illic ſuper eum manus Domini, cœpitque repẽtè totius corporis viribus deſtitui. Morbo autem magis ac magis inualeſcente, fratrum manibus ſuſtẽtatus, à mẽſâ ſurrexit: ſed cùm fatiſcẽtes artus ſuſtinere non poſſet, in cuiuſdam lectuli ſtramẽta ſe præceps inclinauit. Sentiẽs itaque corporis diſſolutionem imminere; accito ad ſe ſocio fratre Rogerio, dixit ei; Si tibi cõſultum videtur, frater, ob vitãdum horum fratrũ grauamẽ, Paduam me conferam, ad B. Mariæ locum. Quod cùm fratri illi placeret, in currũ imponitur Vir Dei, fratribus quidem loci illius, ne ipſos deſereret, obnixè contendẽtibus. Qui tamẽ vt viderunt eius animum flecti non poſſe; paſſi ſunt, licet inuiti, eum abire. Iam verò ad vrbem propiùs accedenti, alius quidam frater obuiam venit, qui illum inuiſere conſtituerat. Is vt vidit eum in vehiculo valde affectã valetudine; hortabatur ne propter ciuium importunitatem in vrbem ingrederetur ad fratres de ſanctã Mariã; ſed diuerteret potius ad cellam fratrum iuxta monaſterium pauperum Dominarum commorantium, & eis diuina miniſtrãtium. Aſſenſit vir beatus, ſeque eò perduci curauit. Paulatim autem increſcẽte ægritudine, ad extrema feſtinauit: cumque nonnihil quieuiſſet, factã confeſſione, hymnum illum de B. Mariã, *O glorioſa domina*, canere cœpit. Deinde ſublatis oculis aliquamdiu ſurſum, diligentiſſimè intentos eos tenuit. Cùm autem interrogaretur, ecquidnam ita aſpiceret, reſpondit; Video dominum meum. Cernentes igitur fratres qui aderant, felicem eius exitum adeſſe è proximo; ſacram Vnctionem ei impẽdere voluerunt. Vt autem vidit ſanctus Vir, fratrem ex more ſacrum Oleum adportantem, intuens in eum, ait illi; Hãc vnctionem ego habeo intra me: etſi autem neceſſe non eſt vt hanc mihi extrinſecus adhibeas, at placet tamen, & vtilis eſt. Suſcepit igitur ſacram Vnctionem, extenſiſq; manibus & palmis inunctis, pſalmos, quos pœnitẽtiales vocant, cùm fratribus perlegit. Indè quaſi dimidiã lapsã horã, inter manus adſtantiũ, dormienti ſimilis, leniter expirauit, & anima illa ſanctiſſima, carnis ergaſtulo abſoluta, in abyſſum æternæ claritatis abſorpta eſt. Corpus planè dormire videbatur, manibus in candorem & colorem priſtinum mutatis, & membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus. Agebatur tum à Chriſti incarnatione annus milleſimus ducẽteſimus trigeſimus primus, & dies Iunij tertia decima.

Cellula ei fit ruri in arbore.

In morbum incidit.

Paduam reuertit.

Sacra Vnctione vſurpat Sacramentum.

Moritur S. Antonius.

CAPVT XXV.

A morte apparet Abbati Vercellenſi, quem ex gutture laborantem facit ſanum ſuo tactu.

EADEM autem die celeberrimus ille Abbas Vercellẽſis, ſacræ lectioni, & diuinis meditationibus intentus, ſolus erat in cubiculo. Eũ vir Dei cũ eſſet in corpore, præcipuè carũ habuit, maximè quod olim in Theolo. illũ inſtituiſſet, & viciſſim ab illo ex libris Dionyſij de rebus altiſſimis inſtructus fuiſſet. Et ille quidem Abbas in conuẽtu Fratrum ſuorum, hoc viro Dei perhibuit teſtimonium, Frater, inquit, Antonius Ordinis illorum fratrum, de purâ Theologiâ ſenſu myſtico hauſit pleniſſimè, diuini radij gratiâ illuſtratus. Porrò in Abbatis eius cubiculum vir Dei ſubitò ingreſſus, poſt mutuam ſalutationẽ ait illi; Ecce, domine Abba, relicto aſello apud Paduam, feſtinus ad patriam proficiſcor. Laborabat tum Abbas grauiter ex gutture: ſed vir Dei leniter eum attingens, totum illud incommodum repentè depulit, & diſparuit. At ille putãs eum ad natale ſolum, iter intẽdere, ignarus prorſus obitus illius; ſurgit, & ex famulis monaſterij perquirit, vbi ſit frater Antonius. Stupefacti illi, reſpondent ſe neſcire. Abbate aſſerẽte ſe pro certo eum vidiſſe, & ex ſuo cubiculo quamprimùm eum exiiſſe; miſſus eſt quidam ad fratres, vt ex illis cognoſceretur, num quid de aduentu Antonij comperiſſent. Vbi ille reuerſus, fratres dixit nihil eius noſſe: Abbas tandem ad ſe rediens, certiſſimè cognouit Antonium migraſſe ad cælos: tempuſque adnotãs, poſteà didicit, eodem die & horâ eum deceſſiſſe, quo in cubiculo apparuerat, ſicut ipſe fratribus non ſine lacrymis narrauit.

CAPVT XXVI.

Morte S. Antonij nuntiatâ, Paduani de ſacro certant corpore, quod omnes attingere cupiunt.

CVM iam abiiſſet è vitâ beatus Vir, noluerunt fratres ad hominũ notitiam ilico id perferri; ne populus ſubitò ad ipſos accurreret: ſed latẽre non potuit. Pueri enim, nemine ſciẽte quicquam de eius morte, per vrbem cater-

Pueri mortem eius diuulgant.

uatim incedentes clamabant; Mortuus eſt pater ſanctus, mortuus eſt S. Antonius. Mox in omnes vrbis angulos rumor ille peruadit; & populus certatim neglectis laboribus, quibus ſe ſuoſque alebat, inſtar apum aduolat ad domum fratrum, eamque circundat vndique. Imprimis verò ciues ad Põtis caput habitantes, cũ armatâ iuuẽtute adcurrũt, ocyus impedituri ne quis beati corpus rapiat. Omniũ ibi lamẽtabiles voces & gemitus audiuntur, lugentiũ orbitatem ſuam. Maximè verò plorabant ſe tanto patre deſtitutas ſorores, quas pauperes dominas vocant: quæ etiam multũ egerũt apud primarios eius ciuitatis viros, vt liceret ipſis apud ſe retinere corpus ſancti Viri. Sed repetebant illud fratres ad S. Mariam degẽtes; apud quos etiam voluit ſepeliri vir Dei. idque adeò, vt ſub mortem fratri cuidam ipſi adſiſtẽti præceperit, modis omnibus daret operam, vt corpus eius ad S. Mariæ eccleſiam deportaretur. Itaque inſtabãt fratres iſti, & ſacrũ corpus abſportare volebãt: ſed ciues de Põtis capite illis reſiſtebãt, & nec attingere quidẽ permittebant corpus. Interim etiam augent numerum armatorum, qui noctes & dies aduigilent, ne inde auferatur. Tum fratres neſcij quid facerẽt, adeunt ciuitatis Epiſcopũ, eique rem totam permittũt. Epiſcopus Canonicis cõuocatis, ſingulorũ ſuper hac re ſententiam inquirit. Multi videbantur in eam ire ſentẽtiam, vt pauperibus dominabus corpus S. Viri relinqueretur. Tandẽ Epiſcopus, non negligendas putans preces fratrum rationi conſentaneas; Magiſtratui vrbis pręcipit, vt fratribus in deportãdo corpore pro viribus adiumento ſit. Intereà dum hæc geruntur, pars ciuiũ de Pontis capite valdè inflãmantur deſiderio humandi ſacri corporis; neglectoque magiſtratu in vetitum maiori contẽtione nituntur, inuitantq; ſeniores & amicos, vt ipſis auxilio ſint. Denique inter ſe vnanimiter ſtatuũt, ſe ſuaque omnia in pręſens mortis & excidij diſcrimẽ conijcere potiùs, quã ſinant ex eo loco tolli corpus Viri Dei. Et quod mirum videri queat; adeò in hac re feruebant, vt quidam eorum odiũ inueteratum, & bella inteſtina, quibus inter ſe multo tẽpore ſæuierant, planè ex animis abieciſſe viderentur, tantũ vt illud ſacrum pignus retinerent. Et ne cuiuſquam fraude aut machinis illo fortaſſis priuarẽtur: communicato inter ſe conſilio, illud rapere

De corpore eius contentio magna.

molie-

moliebãtur. Sed quod pręſens non eſſet Miniſter prouincialis, ad cuius nutum fratrũ controuerſia pendebat; ſeniores quoſdã è ciuibus rogabant fratres, vt ad illius aduentũ pauliſper à ſuo propoſito deſiſterent, eiuſque arbitrio omnia permitterentur. Placuit hoc ciuibus, & omnes illi ſententiæ accedebant. Nocte incumbente, fratres emiſſis turbis, claudunt oſtia domorum, & diligenter vectibus & ſeris ea obſirmant. Et ecce mediâ nocte clamor ingens exiſtit, & importuno deſiderio turbæ inhiant ad videndum corpus ſancti viri. Itaque oſtia perfringunt, ſed cum iam tertiò id feciſſent, nulla ratione in domum ingredi potuerunt, ſtabantque, vt ipſimet faſſi ſunt, apertis oſtiis ſtupefacti; & cùm domus plena eſſet luminibus, aditum videre non potuerunt. Manè facto, permulti ex vrbe, caſtris, pagis, & locis vicinis accurrunt: & cui datur vel ſemel vtcumque contingere ſacrumcorpus, beatum ſe credit. Qui autem præ turba tangere non poterant, zonas, annulos, monilia, claues & cetera ornamenta per feneſtras & oſtia paſſim porrigebãt, vt contactu ſanctiſſimi corporis ſanctificata reciperent.

Nota veterum Chriſtianorum morem, & in reliquias pietatem.

CAPVT XXVII.

Motibus ciuium compoſitis, Sacrum illud corpus honorificentiſsimè ſepelitur.

PENDENTE interim propter Miniſtri abſentiam negotio, fratres propter æſtiuum calorem corporibus infeſtũ, in capſa lignea ſacrum corpus conditum in foueam deponunt, leuiter illud humo operientes. Mox rumor exit in populum, raptum eſſe ſacrum corpus. Aduolãt igitur omnes furibundi in domum fratrum, cùm fuſtibus & gladijs, ſepes & oſtia euertunt: properant ad locum in quo erat corpus; nec ceſſant à ſuo conatu, donec capſam illam inuenirent. Sed nec ſic credunt in eâ haberi corpus, licet fratres id aſſeuerarent. Tandem aduenit Miniſter, ad cuius reditum tota vrbs ſuſpenſa hærebat. Ab eo igitur ciues de Pontis capite corpus ſancti viri petunt inſtanter; addunt etiam minas, vt terroribus frangant fratres; affirmantq; ſe nullius periculi cauſſa à ſentẽtiâ diſceſſuros. Vidẽs Miniſter temeritate illos duci, cũ multâ cautione & modeſtia dicit ad eos: Nihil quidem iure hîc repoſcere poteſtis cariſſimi: ſed ſi de indulgentiâ agitur, de fratrum conſilio faciemus, quod Dominus inſpirabit. Interim ne aliquam poſsitis ſuſpicari fraudem, vobis permitto cuſtodire locum, in quo beati patris corpus quieſcit. Mane alterius diei Miniſter adit Magiſtratum; & conuocato Senatu, humiliter opem & conſilium implorat. Magiſtratus de communi omnium ſententia cuſtodes adhibet loco ſacri corporis; & ſub pœna cẽtum librarum cauet, ne quis vim adferat fratribus, aut armatus ad eum locum accedat, donec Epiſcopus & clerus quid fieri oporteret, ſtatuerent. Altera luce, Epiſcopus in eam curam & cogitationem diligenter incubuit: & audita vtraque parte, tandem voluit, vt ex Miniſtri voluntate omnia fierent; iuſſitque vt & clerus & populus omnis, die craſtinâ ad efferendum ſacrũ corpus ſummo mane conuenirẽt. Magiſtratui quoque præcepit, vt fratribus, ne quid paterentur moleſtiæ, ſuâ ope adeſſent. Magiſtratus libenter iuſſa capeſſit, & ex aduerſo fluminis, quod cellam fratrum ambit, ex nauibus & lignis celeriter curat pontẽ confici, ne ciues de Pontis capite animis cômouerentur, ſi cernerẽt corpus per ſuos fines deferri. At illi nihilominus verſi in ſeditionem, pontem illum diſſipant. Ea res totius ciuitatis animos concitauit, quòd tantâ temeritas ad omnium iniuriam redundaret. Itaque armis muniti, omnes proficiſcuntur contra illos pontis euerſores: & hi nonminus fidẽter ad arma ſe parant, omni periculo contemto. Videntes autem fratres tantum vrbis totius diſcrimen, magno timore correpti ſunt: nec minus terrebantur pauperes dominæ, ſuâ culpâ eas turbas concitatas aſſerentes. Tum vero Magiſtratus illum populi tumultum nõ ferens, omnes voce pręconis ad palatium conuocat, & pontis euerſoribus interdicit, ne eâ die auſi ſint redire ad ædes ſuas. Amotis ergo illis ſeditionis authoribus, Epiſcopus cum clero, Magiſtratus cum militibus, & innumera populi multitudine, inſtitutis vſque ad ſacri corporis locum proceſſionibus, cum hymnis & canticis ſpiritalibus, per medium capitis pontis ad eccleſiam ſanctiſſimæ matris

Quantus veteribus Chriſtianis amor in reliquias Sanctorum.

Epiſcopus ſtat à fratribus.

Dei, idem beatiſſimi Viri corpus mira omnium exſultatione tráſferunt. Supponebant autem feretro humeros ſuos primarij viri ciuitatis, & Magiſtratus, beatos ſe exiſtimantes, qui loculum vel leuiter attingere mererentur. Quotquot autem cæreos habere potuerunt, eos accenſos manibus ferebant; quorum tanta erat copia, vt eorum lumine quaſi tota vrbs inflammata videretur. Vbi ad perpetuæ Virginis templum vẽtum eſt, Epiſcopus ſacrificium fecit: eo peracto, & exſequijs celebratis, quinto ab obitu eius die, terræ mandatum eſt ſanctiſsimum corpus.

CAPVT XXVIII.

Miracula frequentiſsima, plurimos ad inuiſendum illud eius corpus pertraxere.

EADEM ipſa die, tempeſtate illâ in tranquillitatem redactâ, cœperunt miraculorum coruſcare ſigna: ita vt quouis affecti morbo, ad contactum tumbę Viri Dei mox reualeſcerent: qui verò præ turba propius accedere non poterant, coram omnibus, etiam in plateâ ſani euaderent. Ibi reuerâ oculi cæcorum aperiebantur; aures ſurdorum patebant: claudus ſicut ceruus ſaliebat: ibi ſoluta mutorum lingua, velociter & planè Deo laudes promebat: denique omne genus ęgritudinum depellebatur, & optata diuinitus beneficia impetrabantur. Porrò ciues illi de capite Pontis, qui pontem deſtruxerant, lacrymis infuſi, & detractis calceamentis, clero cum crucibus & vexillo pręcedente, cum tanta reuerentiâ & humilitate coram tumulo ſe proſtraturi venerunt, vt pœnitentiâ ſua animos intuentium ad multam commiſerationem permouerent. Erant illic milites delicatum hominum genus, quos etiam matronæ nobiles, præ teneritudine vix ſe ferentes, nudatis pedibus ſequebantur. Nec ij dumtaxat, ſed ciues omnes in partes diſtributi, ſtatis diebus cum proceſsione ſimili, abiectis à pedibus calceis, ad ſacrum beati Viri tumulum accedebant. Veniebant itidem Religioſi, ac poſtremò Epiſcopus cum toto clero, præceptores cũ multa ſtudioſorum catervâ, Magiſtratus cum militum & potentium frequentia, alijque diuerſarum artium profeſſores, ſingulatim ordinatis proceſsionibus, certis diebus & horis, cereos habentes in manibus, poſitis calceis, decentiſſimè aduenerunt. Erant autem cerei, qui ante ſingulos aduentantium cœtus portabãtur, eâ longitudine, vt non niſi aliqua præciſâ parte intra ædem beatiſſimæ matris Dei inferri poſſent, multâ etiam formarum interſe varietate artificioſe diſtincti. Quidam etiam præ ſuo pondere humeris portabantur, nonnulli curribus vehebantur. Cùm non poſſent autẽ præ nimiâ multitudine ad eccleſiæ valuas accedere, cereos in plateâ circa templi oſtia ſtatuebant. Nec deerant, qui ſuper muros lumina collocarent, & in plateis excubias perpetim agerent, iique nec æſtiuis ardoribus, nec hybernis algoribus ab eiuſmodi pietatis ſtudijs arceri ſe patiebantur. Iungebantur cum noctibus dies, & alijs poſt alios ſuccedentibus, ſine vlla intermiſsione, Deo laudes grateſq; agebantur. Lætabatur Padua (alij Patauiũ vocãt) tantis ornata luminibus, tãtis illuſtrata fulgoribus, nec vllas noctium ſenſit caligines. Accurrunt Veneti, properant Cenomani, adſunt Vicentini, Longobardi, Sclaui, Aquileienſes, Germani, Hungari, Hiſpani, Galli: ſuiſque oculis cernentes diuinitus celeberrima declarari miracula, in laudes præpotentis Dei ſua ora laxabant; & corde compuncti, peccata ſua fratribus, tantæ turbæ vix ſufficientibus, confitebantur. Si qui verò curationis cauſſa veniſſent, nec ſua vellent peccata confiteri, nihil illi obtinebant: facta autem confeſsione, & correctiùs viuendi concepto propoſito, cunctis videntibus mox miſericordiam experiebantur. Interim exaltabatur Catholica fides, pudefiebat cæca perfidia; mordaces hęreticorum dentes conterebantur, Chriſti ſponſam calũnijs exagitare conantiũ; caligo incredulitatis, miraculorum ſplendoribus profligabatur. Fuit verò totius cleri & populi ea concors ſententia; vt quamprimùm apud Romanum Pontificem, de viri beati nomine Sanctorum catalogo adſcribendo ageretur, cùm ab eius obitu necdum menſis fluxiſſet. Et eſt accuratè ſanè iuſſu Pontificis Gregorij Noni in eius miracula inquiſitum, & multa adhibita cura, vt omnia ritè fierent. Tandem cùm eſſent à Pontifice conuocati Cardinales & Prælati omnes, qui tum

Ex cereorũ vſum in proceſsionibus.

Peregrinationes ad eius tumulum creberrimæ.

In miracula illius ſeriò inquiſitum.

Ponti-

Pontifici aderãt, inter cetera ab illis dictum eſt, Indignum valdè eſt, nos, quod abſit, beatiſſimi Patris Antonij meritis venerationem debitam in terris ſubtrahere, quem Dominus maieſtatis, dignatus eſt gloriâ & honore coronare in cælis. Sicut enim veritati miraculorum cognitæ fidem non adhibere, perfidia eſt: ſic meritis ſanctorum laudem negare, genus inuidentiæ eſt. Itaque Pontifex, qui tum Spoleti erat, anno à nato Saluatore milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecũdo, Pontificatus ſui anno ſexto; ipſo ſacratiſſimo Pentecoſtes die, beatum Virum in Sanctis deinceps numerandum, cùm ingenti celebritate, decreuit, cùm necdum ab eius è vitâ deceſſu, annus expletus eſſet. Ea autem die, quâ in Sanctos relatus eſt Vir Dei, res ſtupenda accidit Vlyſbonæ. Nam & viri & fœminæ extra domos in plateis cantabant, & tripudiabant, & campanæ omnes totius ciuitatis, nullo eas mouente, concrepabant egregiè, nec poterant ſe homines cohibere, quin ſe lætitiæ & tripudijs darent. Eâ autem re in multam illis admirationem adductis, non diu pòſt ſuperuenere ex Italiâ fratres, quorum relatu didicerũt, ipſo die inuſitatæ lætitiæ ſuæ, virum beatum in Sanctorum albo inſcriptum fuiſſe.

Sanctorum numero adleguntur.

Nota rem mirã.

S. D. N. GREGORII PAPÆ IX. DIPLOMA.

Quo S. Antonius à Paduâ inſcribitur albo Sanctorum.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis: dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, & alijs Eccleſiarum Prælatis, præſentem paginam inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Cùm dicat Dominus per prophetam; * *Dabo vos cunctis populis in laudem, & gloriam, & honorem*; & per ſe polliceatur, * quòd *iuſti ſicut ſol in conſpectu Dei fulgebunt*; pium & iuſtum eſt, vt, quos Deus merito ſanctitatis coronat & honorat in cælis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris; cùm ipſe potiùs laudetur & glorificetur in illis, *qui eſt laudabilis & glorioſus in ſæcula*, & in Sanctis. Vt enim ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſſam miſericorditer operetur: fideles ſuos, quos ſemper coronat in cęlo, frequenter etiã honorat in ſæculo; ad eorum memorias ſigna faciẽs & prodigia, per quæ prauitas confundatur hęretica, & fides catholica confirmetur: fideles, mentis torpore diſcuſſo, ad boni operis excitentur inſtantiam, hæretici depulsâ in qua iacent cæcitatis caligine, ab inuio reducantur ad viam; & Iudæi atque Pagani vero lumine cognito, currant ad Chriſtum * lucem, viam, veritatem & vitam. Vnde nos cariſſimi, & ſi non quantas debemus, quantas poſſumus, gratias agimus gratiarum omnium largitori: quòd diebus noſtris, ad cõfirmationem Catholicæ fidei, & ad confuſionem hæreticæ prauitatis, euidenter innouat ſigna, & mirabilia potẽter immutat; faciens illos coruſcare miraculis, qui fidem Catholicam, tam corde quàm ore, nec non & opere, ro-

*Sopho. 3. 8.

Matth. 13. 43.

Dan. 3. 56.

* Ioan. 14. 6.

borarunt. De quorum numero, ſanctæ memoriæ beatus Antonius, de Ordine fratrum Minorum: qui olim degens in ſæculo magnis pollebat meritis, nunc viuens in cælo, multis coruſcat miraculis, vt eius ſanctitas certis indicijs comprobetur.

§. 2. Cùm enim dudum venerabilis frater noſter Epiſcopus & dilecti filij, Poteſtas, & * commune Paduanorum nobis per nuncios ſuos & litteras humiliter ſupplicaſſent, vt cùm Dominus eidem Sancto tantam contulerit gloriam, vt ad dandam ſcientiam patriæ ſtolæ immortalis ipſius, & experimentum euidens de ſecundâ; ſepulcrum eius tot & tantis daret coruſcare miraculis, quòd eius inter alios Sanctos non inuocari ſuffragia, eſt indignum; de ipſius miraculis teſtes recipi mandaremus: nos attendentes, quòd licet ad hoc, vt aliquis ſanctus ſit apud Deum in Eccleſiâ triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeuerantia, iuxta illud; *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*; ad hoc tamen, vt ſanctus habeatur apud homines in Eccleſiâ militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet & miracula: vt hæc & illa ſibi ad inuicem conteſtentur, cùm nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant, ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitati. Sed cùm merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, certum præbent indicium ſanctitatis: vt nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus exhibet venerandum: quæ duo ex verbis Euangeliſtę pleniùs colliguntur * *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: eidē Epiſcopo, & dilectis filijs, fratri Iornado ſancti Benedicti, & I. ſancti Auguſtini; Prioribus Ordinis fratrum Prædicatorum Paduanorum, receptionem teſtuim de miraculis eiuſdem Sancti, duximus committendam.

§. 3. Nuper autem tam per relationem prædictorum Epiſcopi & Priorum, quàm per depoſitiones teſtiū ſuper hoc receptorum, de ipſius virtutibus & miraculorum inſignijs, certiores effecti, & experti aliquãdo per noſipſos ſanctitatem vitæ, & admirabilem conuerſationem ipſius: vtpote qui apud nos fuit aliquandiu laudabiliter conuerſatus: eiſdem, Epiſcopo, Poteſtate, ac * Commune, prædictis, per ſollemes nuncios ſuos & litteras, nobis cum inſtantiâ denuo ſupplicantibus: quòd eundem fratrem Sanctorum catalogo adſcribere curaremus: vt auctoritate (ſicut conuenit) Apoſtolica dignus

Marginal notes: * For. Cōmunitas. — Apoc. 2. 10. — Mar. 16. 20. — * Forte leg. Communitate.

honor

honor illi exhiberetur in terris, qui, ſicut claris ſignis, & euidentibus argumentis apparet, honoratur in cælis: Ipſum, qui corporaliter diſſolutus cum Chriſto eſſe meruit in cæleſtibus, ne illius honori, & debito, & gloriæ detrahere quodámodò videremur, ſi glorificatum à Domino permitteremus vlteriùs humanâ deuotione priuari: de Fratrum noſtrorum conſilio, & prælatorum omnium tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, catalogo Sanctorum duximus adſcribendum.

Matth. 5. 16. §. 4. Cùm igitur ſecundùm Euangelicam veritatem, * *nemo accendat lucernam, & ponat eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt omnes qui in domo ſunt lumen videant*; & prædicti Sancti lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quòd per Dei gratiam, iam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collòcari: vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus attentiùs, & hortamur, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus deuotionem fidelium, ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtiuitatem ipſius Idibus Iunij, annis ſingulis celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari: vt eiuſdem precibus Dominus exoratus, gratiam in præſenti, & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos autem cupientes ſepulcrum tanti Confeſſoris, qui miraculorum fulgoribus illuſtrat Eccleſiam generalem, congruis honoribus frequentari: omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, illud in feſtiuitate ipſius vſque ad octauum diem, annis ſingulis cum reuerentia debita viſitantibus; de omnipotentis Dei miſericordiâ, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, auctoritate confiſi, annum vnum de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Spoleti, decimo ſexto Calend. Iulij, Pontificatus noſtri anno ſexto.

COMMENTARIVS
ad vitam S. Antonij à Paduâ.

HISTORIAM *vitæ S. Antonij Paduani (quem ab eximiâ Sanctitate, & miraculorũ frequentiâ,* SANCTVM, *vocat Italia) plures conſcripſerunt, quos Petrus Rodulp. Seraphicæ Relig. lib. 1. recenſet:* B. Ioannes Pechanus Archiepiſcopus Cantuariẽſis, F. Ioannes Cremonenſis, Miniſter Prouinciæ S. Antonij, F. Matthæus Pedelarius, Lector prouinciæ Bononiæ, F. Raymundinus Lector Paduæ, F. Bartholomæus Ordinis Prædicatorum. Scripſit quoq; Vitam eius quidam ſuppreſſo nomine, anno 1316. quæ fuit approbata à F. Iacobo Sauri. Miniſtro Prouinciæ S. Antonij, & à toto Capitulo Veronæ habito: vbi cautum eſt à patribus, vt per totum Ordinem haberetur & legeretur. *hæc an ſit, quàm à L. Surio exſcriptã ad diem 13. Iunij to. 3. reſcribimus, haud temere affirmem; opinari licet. Teſtatur Surius, grauiter à quodam Frãciſcano ſcriptam, quam dictione nõnihil mutata reſcripſit. Firmamentum Trium Ordinum noſtrorum è Memoriali Ordinis par. 1. vbi de decimo Generali, P. Hieronymo ab Eſculo ſcribitur, refert iuſſu illius Generalis, Vitam S. Antonij ſcriptam, & vna Speculum Diſciplinæ, cuius auctorem putant nonnulli F. Bernardinum à Beſſa. In gratiam lectionis in capita diſparaui, additis ſummarijs.*

Præter iſtos, alij etiam præclarè de vita B. Antonij & miraculis eius, multa poſteritati tradiderunt: Vincentius Belluacen. ex Ordine Prædicatorum, Hiſtor. Spec. lib. 31. cap. 131. Antoninus Archiepiſc. Florent. Hiſtor. par. 3. tit. 24. ca. 3. Bartholomæus Piſanus ex Ordine fratrum Minorum, lib. Conform. confor. 8. Pet. Rodulph. Epiſc. Senogall. lib. 1. Seraph. Religionis. Conciones de S. Antonio inſignes, quæ extãt, habuere Guillermus Pepin, Ord. Prædicatorum, Robertus à Licio Epiſcopus Aquinatenſis, Pelbertus à Temeſvvar, ex ordine Fratrum Minorum.

De imagine S. Antonij à Paduâ.

VARIE *pingitur; ſiniſtrâ librum habens: quia* Arca Teſtamenti, & Sacrarum Scripturarum armarium *audiuit à Gregorio PP. Nono doctò iuxtà atque ſanctè Pont. Super librum piſcem habet; cuius duplex ratio. altera: quòd mercator auro plenam crumenam, à piſce deglutitam, Sancti interuentu capto piſce receperit, vt Pelbert. à Temeſwar commemorat. altera: quòd, cùm hæretici conciones eius contemnerent, piſcibus copioſe confluentibus, in ſuggillationem hæreticorũ cõcionatus ſit, audientiam mirandam in modum præbentibus, quod factũ Arimini, & alibi, commemorat Barthol. Piſanus, citato loco Pet. Rodulp. & Puerum etiam ſuper librum eius adpingunt, cuius item eſt ratio duplex. prior; quòd Vir ſanctus viſus ſit, nocte puerum Ieſum fuiſſe complexus & oſculatus, vt teſtatur Antoninus Hiſtor part. 3. tit. 24. cap. 3. §. 3. Poſterior; Cùm quidam puerum occiſum in parentum B. viri horto ſepeliſſent; atque illi, tamquam interfectores in carcerem eſſent detruſi: Vir ſanctus reſuſcitatum puerum teſtari fecit, ſe non occiſum ab eius parentibus; quod hiſtoria refert cap. 20. Dextrâ pingitur calicem cum hoſtiâ geſtare, ſiue Tabernaculum S. Euchariſtiæ. Siue etiam formã conſecratæ hoſtiæ, quam flexis poplitibus mulus adorat. Nam hæreticis, præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtiâ negantibus: ad fidem Catholicam reducendis, irrationale atque ſtupidum animal Euchariſtiam ſtupendo miraculo adorare fecit. Vide cap. Vitæ 14. Quod ſcapum cum lilijs dextra nonnulli geſtantem pingunt; id in argumentum caſtimoniæ & puritatis, etiam alij Diuis commune eſt.* Item puer.

IN CAPVT I.

VLYSBONAM.] *Nobile emporiũ Luſitaniæ, S. Antonij patria, varijs Abrahamo Ortel. in Theſauro Orbis Terr. appellata:* Liſbona, Lisboa, Olyſſippo, Vlyſsia, Olioſippon. *felix aucta tanto Viro.*

IN CAPVT II.

PETRVS Infans Luſitaniæ Regis filius ſe illorum meritis à magnis periculis liberatum.] *Hic, cùm reliquias Sanctorum Quinque martyrum Marocci pro Chriſto interfectorum, ſecum aduehere decreuiſſet, illorum meritis magna beneficia conſequutus eſt. Nam illi copiâ factâ à Saracenis redeundi in patriam, à leonibus cum ſuo comitatu ſeruatus, etiam in viâ ignotâ ab illis ducatum accepit, terra marique tutus ab inſidijs Saracenorum. Vide cap. 7. Martyrij eorum.*

Eo in loco, qui S. Antonius dicitur.] *procul à Conimbricâ. vbi capiens inſtitutum Diui Franciſci, qui Fernandus vocabatur, à loco nomi-* *Quæ ratione mutauerit nomẽ.*

nari voluit Antonius, vt mundo & amicis ignotus, Deo quietiùs vacare poſſet: id quod etiam nunc piis religioſis plurimum vſurpatur, quando nomen dant alicui ſacro inſtituto. Hanc cauſſam S. Viro fuiſſe nomen immutandi, Vincentius Belluac. Spec. Hiſtor. lib. 31. cap. 131; beatus Antonin. Hiſtor. part. 3. tit. 24. cap. 3. & cap. 7. §. 1. vbi addit, Anno vigeſimo quinto ætatis Ordinem diui Franciſci ingreſſum, decem annos in eo exegiſſe.

IN CAPVT VI.

MINISTER loci.] *Antonium ad dicendum fratribus, ſacris Ordinibus initiãdus, induxit. Robertus a Licio factum ſcribit ab Epiſcopo. quid igitur? an ab vtroque? vide Serm. eius, cap. 2.*

Neque prætereundum, S. Antonium in Ordine Minorũ fuiſſe primũ, qui ſtudio S. Theol. operam dederit, in Academiá Ticinẽſi, id temporis trãſlatá Vercellas, vbi S. Andreæ Abbate, ſummo Theologo vſus eſt præceptore: cuius cenſuram de B. Antonio in Elogiis poſui. Eò igitur ſtudij gratiâ miſſus vnà cum F. Adamo de Mariſco, cum pace B. Franciſci fuit. Robert. à Licio cap. 2. Serm. Illo Doctore tantum profecit, idem vt Abbas in hæc verba ſanctum Antonium dilaudauerit, Animi puritate & mentis ardore ſuccenſum, myſticam Theologiam, captu mentis & feruenter deſideraſſe, & abundãter hauſiſſe: vt de eo dicas, quod de Ioanne ſcribitur; Ipſe erat lucane ardens & lucens. Quia enim amore ardebat interiùs, lucebat exteriùs. *Hæc ex Robert. Licio vbi ſuprà. Scribit Pet. Radulph. factum aliquando, cùm prædictus Abbas prædicaret quædam verba D. Pauli, ſcripta ad Dionyſium Areopagitam; viſum S. Antonium in aëra ſubleuari. Feliciùs res noſtræ procederent, ſi nunc quoque patrum ad exemplum, ſtuderemus veræ diuinæque ſapientiæ, quæ perfectum bonum eſt mentis humanæ. Ordinis initio meliores erant viri, cùm virtus & pietas modò ſpectaretur: poſtquam docti prodierunt, deſiunt boni. Simplex illa doctaque innocentia, in vanam philologiam vertitur, cùm diſputare diſcimus, non viuere, nec animum colere, ſed ingeniũ. Porrò autem, vt nullus eſt medicinæ fructus, morbos à corpore non depellentis: ſic nec vllus ſtudij, non ab animo vitia profligantis.*

Elog. 4.

Primus in ordine S. Theologiæ ſtudens.

Io. 5. 65.

Viſus efferri in aërem.

IN CAPVT VII.

ARIMINVM.] *Hic multi hæretici Berengarij facibus infecti, cuius mali corui mala oua Albigenſes, quos contra miſſos ſancti Dominici Ordinem & S. Franciſci, alibi dixi. Vide Commentar. meum ad vitam S. Franciſci, in cap. 3. Erat Arimini Boniuillus hæreſiarcha cum multis hæreticis. porrò iſtos S. Antonij ſtudio & concionibus reductos ad fidem, ſuprà dictum. cum de ratione diceren imaginis eius. Ante omnes hiſtoriam ſcribit Speculum vitæ S. Franciſci & Sociorum, circa medium libri. Vir Sanctus, Ariminum cùm veniſſet, reducendis hæreticis; (vt illis ineſt contemtor animus) Sanctum contemnentes, dicentem audire noluerunt: quos vt conuinceret, ad mare properat piſces conuocans; illis, magnis, minutis copioſè adnatantibus, prædicauit, auditum ſummo ſilentio & quietè præbentibus, & veluti applaudentibus. Vident hæretici, ſtupentque. Rogant B. Virum dicere. Dixit tanto vigore & energiâ: vt omnes hæreſi eiuratâ, ſe Catholicæ religioni aſſererent. Saperda aliquis hæc ſubſannãs, adeat c. 13. 2. lib. 3. Regum, vbi Ieroboam narratur vitulos ſtatuiſſe pro diis, cũ altaribus vitulorũ ſacrificiis. Miſſus à Deo Propheta, non impio Regi, non plebi loquitur, ſed altari; ſciens quòd immorigeri eſſent & principes & populus, ita prætermiſſis hominibus loquitur ad altare, declarans lapides magis audire quàm tales homines. Vide diui Chryſoſt. hom. 1. de Ieiunio.*

Piſces conuocauit ad audiendum ſe.

IN CAPVT VIII.

PONTIFEX Max. cum Arcam Teſtamenti.] *Is fuit Gregorius Nonus, vt dictum in Elogiis. Hiſtoriam commemorat Speculum Vitæ S. Franciſci ſuprà citato loco, vnde ceteri exſcripſerunt. hæc eius verba;* Papa ſtupens ad profunda verba de ſcripturis diuinis â S. Antonio prolata, dixit; Verè iſte Arca Teſtamenti eſt, & diuinarum armarium Scripturarum.

Arca Teſtamenti.

Elog. 10.

IN CAPVT IX.

FVIT primus ille prælector in ordine.] *Ita vocatur nobis Profeſſor cuiuſlibet facultatis. Mirũ videtur, quod in Athenis Franciſcanorũ ſcribat Henricus VVillot, auctore Io. Trithemio Elogio nono, B. Virũ doctrinâ S. Theologiæ claruiſſe, atque eius edidiſſe argumenta, Toloſæ, Bononiæ, Paduæ, priuſquam noſtro ſodalitio nomen dediſſet: quando Bartholomæus Piſanus, ceterique id factum tradant, poſtquã ſe noſtro ſodalitio addixiſſet. Certè ſi verum id; haud opus fuiſſet ſtudij gratiâ mitti ad Abbatem Vercellenſem, cuius de S. Antonio Elogium præſcriptum eſt. Munus docendi, non niſi cum pace, & benedictione S. Patris Franciſci capere voluit: quã de re S. Franciſci exſtãt ad eum breue epiſtolũ;* Cariſſimo meo fratri Antonio Frater Franciſcus ſalutem in Chriſto. Placet mihi, quòd ſacram Theologiam legas Fratribus: dummodò propter huius ſtudium, ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritũ non extinguant, ſicut in Regulâ continetur. Vale. *Antonin. par. 3. Hiſtor. tit. 24. cap. 3. §. 3. in fine.*

Elog. 4.

Nota.

Cap. 5

Mihi reuelauit, præclarum te martyrem fore.] *Eundẽ in modum prædixit cuidam matronæ, filium quem conceperat futurum martyrẽ. Illi nomen erat Philippus, qui factus Minorida, cùm Azotus à Saracenis caperetur, & ipſe ca-*

ptus, viriliter confirmãs Chriſtianos in fide, membratim ſectus, & excoriatus, glorioſam martyrij palmam adeptus eſt. Antonin. Hiſt. part. 3. tit. 24. cap. 3. §. 3.

IN CAPVT X.

Eo concionãte S. Pater Franciſcus ... apparuit.] *Vide hiſt. S. Fran. c. 4. §. 10. Tanti fuit S. Antonius B. Franciſco, vt, propter eximiam ſanctimoniã, & ſublimem eruditionem,* Epiſcopum ſuum appellare *ſoleret. Speculum vitæ S. Franciſci. Antonin. Hiſtor. par. 3. tit. 24. cap. 3. §. 2.*

S. Antonius Epiſcopus S. Franc.

IN CAPVT XI.

Confessiones auſcultãdo.] *Viuente S. Fran. Vir ſanctus confeſſiones excepit pœnitentium: quinetiam, vt in fine cap. ſeq. traditur, à morte complures monuit, vt à ſe nominatis inſtituti noſtri fratribus peccata confiterentur. Itaque fuit Ordinis initio mos iſte in vſu, quando etiam ſocij Viri ſancti, confeſſionibus ſoli non ſufficiebant, propter frequentiam pœnitentium. Vide inf. cap. 21.*

IN CAPVT XIII.

Peccata ſua in ſcripta redigeret.] *Nota, quanta vis ſit verè contriti cordis: peccata delere poteſt ſola, ſed cum propoſito cõfitendi. Magnus ille Antonius ſolebat peccata ſua ſcribere: nimirum, vt paratiùs confiteretur; tum etiam,* quò de reliquo à peccatis ſe temperaret, & ipſum puderet ſui, ſi multa delicta in tabulis ſcripta offenderet. *Sozom lib. 1. Eccleſ. hiſt. c. 13. Licet igitur è ſcripto confiteri; ſed Sacerdoti præſenti. At docere, per litteras abſenti confiteri peccata, & ſic confitentem abſolui poſſe; noua præſumptionis eſt, à Clem. PP. VIII. iure condemnata.*

E ſcripto peccata confiteri, & abſenti per epiſtolam an liceat.

Cœperũt tum primùm homines cateruatim ſeſe verberando, & pia canticadepromendo, procedere.] *Polydor. Vergil. de inuentorib. rerũ lib. 7. cap. 6. iſtiuſmodi ſodalitia deriuat ab moribus & vitâ Apoſtolorum, quas vulgò Cõfraternitates vocant, quæ variæ ſunt, & in illis etiam flagellatorum pij illi.* Statis diebus, mutuâ caritate conueniunt, orant, Sacerdotes conducunt, qui rem diuinam faciant: in Supplicationibus publicis, ordine procedunt, vt plurimùm ſaccis linoque ora contecti, ſeſe flagello conuerberant, nudum ac lacerum tergum ferẽtes, velus verè pœnitẽtes decet: vnde Niniuitas dictos volunt, quòd eodem modo Deum placare ſtudeant, atque Niniuitas, olim monitis Prophetæ, pœnituiſſe conſtat. *Ionæ 3. 5. Nota;* Cœperunt tunc primum: *nam hactenus non erant. Qui flagellantes hæretici poſteà ſunt exorti, atque etiam extincti, nihil cùm his piis commune habent; contra quos Ioannes Gerzon Tractatum ſcripſit, part. 1.*

Flagellatorum ſodalitium à S. Antonio inſtitutum.

IN CAPVT XIV.

In partibus Toloſanis.] *Stupendum miraculum in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento factum reducendo hæretico ad fidem, cui Bouelo nomen fuit, vt ſcribunt Barthol. Piſanũ, Pelberta à Temeſvvar, Petr. Rodulph. locis ſæpe à me productis: qui vna teſtantur factum Arimini, cùm auctor ſcribat in partibus Toloſanis: fortean vtrobique, vti prædicauit piſcibus non vno loco. Sermo Pomerij, auctore Pelberto, ſcribit Sacram Euchariſtiam poſitam inter alias non conſecratas partes, quas vulgus appellat hoſtias, quib. vorandis, vt Barthol. Piſan. ſcribit, beſtia aſſueuerat, atque ita ab aſino, ſiue mulo mirabiliter adoratam: Berengariana & Albigenſium iſta hæreſis à Caluino excitata, in exitium orbis terrarum, ſerpit vt cancer, viam præſtruens Antichriſto: cuius ſectatoribus, cùm beſtiis ſtupidiores ſint, iure illud ingeras propheta;* Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.

Vbi mulus S. adorauerit Euchariſtiam.

Iſa. 1. 3.

Non minus prodigioſum lubet exſcribere Vincentij Bellnac, Speculo hiſtor. de Milite quodam, cui teſte Pet. Rodul. Aleardinus nomen erat; qui à primâ ætate hæreticus, ad menſam ſedens, de miraculis S. Viri narrantes audiuit: qui ſubſannãs ſcyphũ vitreũ, quẽ manu tenebat in terrã ab alto proiecit, dicens; Si vitrum hoc Antonius conſeruauerit integrum; hunc vtique credo Sanctum. Quo licet ad petram colliſo, tamen mirabiliter conſeruato, mox erroribus abdicatis, fide perfectâ cœpit credere Chriſto. *Vinc. lib. 31. Spec. Hiſtor. cap. 135. & Antonin. Hiſtor. part. 3. tit. 24. cap. 3. §. 6. Simile ſcribit Sulp. Seuer.*

Vitrum illæſum in terra cadẽs.

De Vitâ S. Martini Dialog. 3. cap. 3.

Narrat etiam S. Anton. citati loci §. 2. In Italia, (Arimini, teſte Pet. Rodulph.) quendam hæreticum, S. Antonio cibum veneno infectum in menſâ propoſuiſſe, vt hæretici qui aderant, verum ne eſſet, illud Euãg. Si mortiferũ quid biberint nõ eis nocebit; *etiam in S. Viro periclitarẽtur. Ille cùm hæreticos benignis verbis caſtigaſſet, de ſcelere certior factus diuinitus; edit illos conuertẽdis ſine diſcrimine: quo miraculo multi ad fidẽ Cathol. cõuerſi ſunt. Pet. Toſſelo à Bon. factũ dicit.*

Matt. 16. 18.

Aliàs ab hæreticis inuitatus, ad exemplum Chriſti, ſaluti peccatorum compatiens, menſæ fuit magnus & horribilis bufo appoſitus. Illi cum S. Viro ingeſſiſſent illud Apoſtoli, Omne quod vobis apponitur, manducate: *Vir ſanctus oculis erectis in cœlum, ſigno viuifica Crucis facto, bufonem in optimũ caponem cõuertit, quem aſſidentes vnà ederunt, ad fidem veram conuerſi. Barthol. Piſan. Conform. fruct. 8.*

Bufo precibus eius in caponem mutatus.

1. Cor. 10. 27.

IN CAPVT XVIII.

Plvvia & grando.] *Auditores in S. Viri cõcione non tetigit, ſed inſtar muri ambiuit id*

quod ſculptum in templi maioris frontiſpicio Bituugæ, ſcribit Barthol. Piſan. citato proximè loco.

Matrona quædam.] *Cum vinum dolio cum effluxiſſet, Viri ſancti meritis vas plenum recepit. Maius hoc ſcribit Guiller. Pep. Serm. de S. Antonio. Mulier auida concionis S. Viri, cum ab illâ domum reuertiſſet, filiolum reperit domi mortuum; quæ ad Sanctum properans, & ab eo auditis verbis quæ Chriſtus olim ad Regulum dixit;* Vade, filius tuus viuit; *domum rediens viuum recepit, colludentem vicinorum pueris. Vide Antonin. Hiſtor. par. 3. tit. 24. c. 3. §. 3. Mirabilius ſcribit Pet. Rodulph. lib. 1. Hiſtor. Seraphicæ Relig. Mulier ad concionem S. Viri feſtinans, infantulum lauans; in feruenti cacabo reliquit: ſed à concione reuertens in aquâ illâ calente ſaluum inuenit.*

Ioan. 4. 50. Pueros mortuos reſuſcitauit.

IN CAPVT XXI.

PADVANVS quidam ... quòd matrem tanta vi truſiſſet pede.] *Cum valde pœnitens, ſtultè ſibi pedem reſecuit, quem Vir S. loco & corpori mirabiliter reſtituit è terrâ exhumatum; Pœnitētia ſalutaris modum ſuum habet: cui comparanda B. Maſſeus S. Franciſci ſocius mediâ nocte ſemper euigilans & orans,* cum feruore dicebat per noctē totam hæc verba; Mi Domine Ieſu Chriſte! da mihi contritionem peccatorum meorum; da gratiam emendandi, & ſatisfaciendi ſecundùm tuam voluntatem. *Antonin. Hiſtor. part. 3. tit. 24. cap. 7. §. 10.*

Pœnitentia ad Dei voluntatem.

IN CAPVT XXII.

ECELINO Romano.] *Platina Gregorio IX. Pont. ſcribit vocatum* Ezelinum de Romano, cuius auus Teuthonicus ſub Othone Tertio in Tranſpadanâ Italiâ ordines duxerat; copias à Frederico II. accipiens, in Tranſpadanâ Italiâ magnam tyrannidem exercuit; redactis in poteſtatem ſuam, Taruiſio, Patauio, Vincentiâ, Veronâ, Brixiâ. *Annis circiter viginti pios ſupra fidem aſflixit. Quamobrem tandem, vti hoſtem Eccleſiæ; eorumque qui pro eâ ſtabant,* Alexander Quartus Ecelinum tortorem Chriſtianorū, interfectorem ſexaginta Fratrum Minorum, & aliorum plurimorum fidelium; pro hæretico cum omnibus fautoribus ſuis condemnauit; *vt ſcribit Siffridus Epit. 2. hiſt. ad ann. Domini milleſimū ducenteſimum quinquageſimum quartum. Extat Tom. 1. Hiſtoriarum Germanicæ, Francofurti editarum. Plura habet Pet. Rodulph. lib. 1. Hiſtor. Seraph. relig. Vide Hieron. Plat. lib. 2. de Bono ſtat. relig. cap. 7.*

Ecelinus hoſtis Eccleſiæ, magnus tyrannus.

IN CAPVT XXIII.

THESAVRVM illū miraculorum, ſignis inclytū.] *Corpus ita vocat Viri ſancti, quod Paduani hōdiè maximo loco & honore. Greg. Nazian. Orat. in laude B. Cypr. corpus eius non dubitat vocare,* publicum orbis bonum: *ſic Paduani iure dixerint ſancti Antonij corpus,* publicum vrbis ſuæ bonum; *à quo tot miracula quotidie, atque beneficia prouenire, ac velut è fonte ſcaturire, nedum vrbs Patauium, ſed & orbis penè totus ſentit, & miratur. Rectè D. Chryſoſt. hom. de Virtutibus & Vitiis. Tom. 5.* Aſpice Sanctorū quanta ſit virtus! neque enim ſua verba tantum, aut corpora, ſed ipſa etiam corporis tegmina, ſemper ſunt omni poſſeſſione auguſtiora. Heliæ ſiquidem leonina pellis Iordanem diſcindere fecit. Trium puerorum calcei per ignes ambularunt. Helizæi lignum potuit vndarum mutare naturā, quas quidē ſuperficie ſuâ, quaſi tergo ferrum ſuſtinere coegit. Moſes virgâ mare rubrum dehiſcere iuſſit, petram diſrumpere valuit. Paulli veſtes morbos fuderunt, Petri vmbræ mortem fugârunt, Sanctorum martyrū cinis dæmones expulit. Summâ igitur cum poteſtate omnia faciunt, *&c. vt facit S. Antonius apud ſuam Paduam.*

Quāta vis reliquiarum ſanctarum.

Act. 19. 5.

IN CAPVT XXIIII.

HANC Vnctionem habeo intra me.] *Quia effectum & gratiam habuit, quod indicante Deo ſcire potuit. At, non vt Nouatores noſtri, cōtempſit, ſed ex more piorum Catholicorum, religiosè accepit: atque paullò pòſt placidè è viuis ad ſuperos exceſſit.*

Agebatur tum à Chriſti incarnatione annus MCCXXXI.] *De vitæ curriculo & morte, viſum aſſcribere, quæ Robertus à Licio Epiſcop. Aquinatenſis ex Ordinis noſtri Chronicis refert;* Fuerunt anni vitæ B. Antonij XXXVI. Nam fuit in domo parentū annis quindecim; in monaſterio verò S. Vincentij duobus, in monaſterio S. Crucis de Colimbriâ nouem annis: poſtremò in Ordine B. Franciſci, multis miraculis clarus decē annos feliciter conſummauit. *Serm. de S. Ant. cap. 1. Vide ſup. Elog. 1. 3. & 6. nam ibi ſcriptura variant, & confer cum his quæ cap. 24. & 28. circa finem leges de B. Viri morte & Canonizatione.*

Quoto anno ſit mortuus S. Anton.

IN CAPVT XXV.

ABBAS ... hoc Viro Dei perhibuit teſtimoniū.] *Vide Elogium in S. Anton. nu. 4. quod pariter omnes alij de illo conteſtātur.*

IN CAPVT XXVI.

NE quis B. Viri corpus rapiat.] *Armata iuuentus cuſtodit. Imo: quia* Cuſtodit Dn̄s omnia oſſa Sanctorū. *Nouatores noſtri deſpiciūt, abiiciūt, contemnūt, exurūt: cū veteres Chriſtiani mirâ pietate Sanctorū reliquias deſiderauerint ſemper,* velut bonorū omnium fontes vberrimos; *quod Theodoretus ſcribit Ser. 9. de Græcan. affectionib. ſub finem. Quam-*

Pſal. 33. 21.

A piis Sanctorum reliquiæ deſiderantur.

obrem, qualis hic legitur facta contẽtio de corpore S. Anto. inter ciues, talis olim ſcribitur facta pugna inter vicinos de corpore B. Maronis & Abrahamis Monachorum: vt commemorat Theodoret. Hiſt. Relig. 16. & ſeq.

Contingere ſacrum corpus.] *Nam attactus & ſanctificationem confert plerumque & ſalutem: vti attactus fimbria veſtimentorũ Chriſti, vmbra Petri, ſudaria & ſemicinctia Pauli: quia nõ corpora modò, verũ & quæ ea contigerũt, diuinitus virtutem habent curandi. Elizæus tactu ſuorũ oſſium mortuũ reſuſcitauit; 4. Reg. 13.21.*

Quæ muri & munimenti loco ſunt.

Quod igitur Antiochenſes Imperatori Leoni, petenti corpus B. Simeonis in columnâ, reſpõderunt, meritò dicere poſſunt ciues Patauienſes; Sanctiſſimum Antonij corpus habemus & ſeruamus, vt nobis & muri, & munimenti loco ſit. *Vide Euag. Eccleſ. Hiſtor. lib. 1. cap. 13.*

IN CAPVT XXVII.

Cerei in exſequiis defunctorum.

CEREORVM tanta erat copia.] *Illos pij adhibent ad ſacra, ad funera, & pleraque alia; quod Gnoſtici noſtri more exſibilãt, & calumniantur: facimus tamen clarâ luce, pio fine, ne cum illis cæci dormiamus in tenebris. Talis erat Dormitantius, contra quem pulchrè D. Hieron.*

Mat. 28. 8.

Cauſabantur quõdam & Apoſtoli, quòd periret vnguentum: ſed Domini voce correpti ſunt. neque enim Chriſtus indigebat vnguẽto, nec martyres lumine cereorũ: & tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, deuotioq; mentis eius recipitur. & quicunque accendunt cereos, ſecundùm fidem ſuam habẽt mercedem, dicente Apoſtolo; Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.

Rom. 14. 5.

Hieron. aduerſus Vigilant. cap. 3. Tom. 2. Vide cap. ſequens huius hiſtoriæ, vbi de mirandâ frequentia luminum.

IN CAPVT XXVIII.

COEPERVNT miraculorũ coruſcare ſigna.] *Quos ſæpe adlegaui, copioſè ſcribunt de illius ſtupendis miraculis, ſub finem hiſtoriæ: quorum multitudine & frequentiâ, nõdum expleto anno ab eius exceſſu, relatus eſt inter Diuos, à Greg. IX. Pont. Max.* põtificatus eius anno ſexto, ab obitu Viri ſancti menſe vndecimo, vt ſcribit *Gulier. Pepin. Ser. de S. Antonio: Itẽ S. Antonin. Hiſtor. part. 3. tit. 24. cap. 3. §. 6. Robert. à Licio.*

Quando ſit inter Sanctos relatus.

Res ſtupenda accidit Vlyſbonæ.] *De lætitiâ quâ ciuitas die canonizationis eius perfuſa eſt, ſcribit Speculum Vitæ S. Franc. ſub finem lib. Barthol. Piſan. Conſ. fruct. 8. Robert. à Licio. Bullam canonizat. adſcripſi ex Firm. Trium Ordin. par. 2. tract. 2. S. Anton. multorũ eſt miraculorum auctor mirificus, quorum non minimũ eſt quod viſum eſt adnotare. Romæ in Eccleſ. Lateran. ſiue in Baſilicâ Saluatoris hodieq; imagines vidẽtur opere muſaico in tribunâ (vt Itali vocãt) à duobus frat. Min. artis illius peritiſſimis depictæ, Bonif. VIII. tempore. Tali opere factis imaginibus ab illis fratribus, cùm locus eſſet reliquus, inſtinctu diuino adpinxerũt imagines S. Fran. & S. Antonij à Paduâ ab vtroq; latere. Factum cùm audiſſet Põt. imaginem D. Fran. voluit tolerari, imaginem S. Antonij deleri. Qui miſſi fuerant ad delendam S. Antonij effigiem, alij terribiliter ab alto ſunt deturbati, alij morte puniti. Vide Robert. à Licio, Ser. de S. Antonio à Padua cap. 3. Speculum Vitæ ſancti Franciſci vbi ſuprà.*

Miraculũ ſtupendum ab imagine S. Antonij.

De trãſlatione ſacri corporis hæc refert S. Antoninus, An. D. milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio, Padua liberata à ſæuâ tyrannide Eccelini (de quo ſuprà in cap. 22.) ipsâ octauâ die annuæ celebritatis B. Antonij, Paduani gratitudinis ergò, cùm grãde templũ Deo ſtruxiſſent in honorem & memoriã diui ſui tutelaris S. Antonij, in illud, ſacrũ eius corpus tranſtulerũt, præſente S. Bonau. qui rubentem adhuc eius & integrã linguam, corpore humato ad triginta eoque amplius annos, honorifico decorauit elogio. Vide S. Antonin. Hiſtor. part. 3. tit. 24. c. 3. §. 6. Robert. à Licio loco ſuprà allegato. Vitam S. Bonauent. c. 9. §. 7. Octauia. à Martinis de vitâ & miraculis S. Bonau. ad Sixtum Quartum Pontif. Max. §. 10. Hart. Scheydel. Elogio 1. Memorial. Ordin. Gener. 9. Corpus eius, annos triginta duos humatum iacuiſſe tradit, ante tranſlationem.

De S. Antonij tranſlatione.

Claudo meum Commentariũ ipſis verbis egregij Doctoris Gulllermi Pepin, Ser. de S. Antonio; Habet hic Sãctus priuilegiũ à Domino circa res perditas, quæ ſæpe ſuis meritis recuperantur; & hoc idem ego ipſe frequenter expertus ſum: ita vt meritò de eo dicere poſſim, quod deuotus Bernardus dicit in laudẽ Dei genitricis Mariæ; Sileat tuas laudes, ô B. Antoni, qui te deuote inuocatũ, in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. *præterea varia eius interceſſione mortalibus beneficia præſtãtur.* Liberantur eius interuentu à naufragio ſæpiſſimè nauigantes à periculis grauiſſimis; mulieres parturiẽtes ab infirmitatibus variis illas patiẽtes; ab opprobrio ſterilitatis vxores propterea quãdoque viris exoſæ; à periculis fluminum, latronum, aliorumq; diſcriminum, peregrinantes: propterea toto orbe Sanctus hic à cunctis fidelibus fideliſſimus Aduocatus expoſcitur. *Roberti à Licio ſunt verba Serm. de S. Antonio in fine.*

Auxilia varia S. Antonij.

Ser. 4. de Aſſumt. B. Mar.

Commentaria iſta Reuerendi admodum ac Religioſi P. F. Henrici Sedulij Minoritæ ad Vitam Beatiſſimi Patris S. Antonij Paduani, iure optimo typis commendanda accurate perlegi, & fidei orthodoxæ conſona inueni, ac bonis moribus valde proficua Datum Bruxellæ 28. Ianuarij, anno 1612.

F. Andreas à Soto.

SAN-

SANCTI
BONAVENTVRÆ
Ordinis Minorum,

S. R. E. CARDINALIS,

EPISCOPI ALBANENSIS,

Seraphici Doctoris Eccleſiæ,

VITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENIVOLO LECTORI.

SANCTI *Bonauenturæ, Viri, calculis omnium bonarum mentium, magni, Vitam, iuſſu Sixti Quinti Pont. Max. à Petro Galeſinio Protonotario Apoſtolico accuratè conſcriptam, ſubiungimus; ad quam propè nihil reliquū deſiderari videtur. Benignus Deus, ſuâ bonitate & prouidentiâ, orbis ſaluti per ætates & gentes, ſuas gemmulas ſpargit, & Eccleſiæ ſuæ hortum, mirum in modum eiuſmodi floribus ornat. Audit, Doctor Seraphicus Eccleſiæ: quia is ex Ordine Seraphico; tum etiam quòd incendi voluit & igne diuino feruere, alioſque deinceps inflammare. Auribus non ſtuduit aut famæ, ſed moribus componendis & vitæ. Ardere priùs, illi decretum, & ignem eſſe, vti propiùs accederet ad Deum, & conformior illi, qui Ignis eſt, non lucere tantùm. Verùm vt lux ignem comitatur, ita fuit etiam lucerna lucens in domo Dei. Dilaudatur hoc nomine;* Quicquid intellectus lumine potuit capere, igni & amori diuinæ caritatis applicuiſſe. *Doctrinæ ſcopus non ſcientia, ſed vera debet eſſe ſapientia. Et verò, quænam illa pio & vero Chriſtiano, niſi amor, & in Deum pietas? ad quam, quicquid agitur collineandum eſt. cuius vnicum ſtudium ſalutare, ſublime, magnanimum, diuinum: cætera repentia humi, puſilla, puerilia. Hinc opus eſt vacuo loco, libero hoſpitio. Tu, mi lector, ex animo ſuperuacua tolle, vt, ad normam S. Bonauenturæ, totam illi mentem tribuas. Ad oram notulas indices hiſtoriæ adſcripſi: capita longa ſecui in paragraphos, & addo*

Non ſcientia ſtudendum, ſed ſapientia.

ELOGIA.

Hartmannus Schedel Hiſtoricus Noribergenſis.

1. Bonauentura natione Tuſcus, patriâ Balneoreginus, Ioanne Fidanzâ & Ritellâ fidelibus coniugibus ortus, anno ætatis ſuæ circiter ſecundo & viceſimo, habitum Religionis S. Franciſci deuotiſſimè ſuſcepit. Docente illum Alexandro de Ales, tantam doctrinarum perfectionem adeptus eſt, vt ſeptimo ingreſſus ſui anno delectus, librum Sententiarum in Pariſienſi ciuitate clariſſimè legerit, & cathedram magiſtralem acceperit. Tredecimo ipſius ingreſſus anno, Ordinis Minorum Generalis Miniſter, Theologus eminentiſſimus, ac Albanenſis Cardinalis Epiſcopus, præter ſanctitatem maximam, etiam ingenij gratiâ, & auctoritate maxima præditus clariſſimus in toto orbe habitus eſt. Qui præ ceteris Doctoribus luculentiſsimè, & copioſè Super quatuor Sententiarum libros ſcripſit, Poſtillaſque ſuper Lucam, & alia. Scripſit & de Contemplatione, & de ſex alis Seraphin, Regulā nouitiorum; Diui quoque Franciſci hiſtoriam maiorem & minorem compilauit, atque Ordinis conſtitutiones. Eas ob res, & propter eius frequentia miracula, cùm etiam cor ipſius, incinerato corpore, incorruptum inuentum fuerit: Sixtus Quartus Pont. Summus in Sanctorum Pontificum numero, meritò aſſer ipſit. *Sext. ætate mundi.*

S. Franciſcus Ordinis Minorum auctor.

2. S. Franciſcus Spiritu ſancto inſpiratus, de ipſo Bonauēturâ prophetauit dicens; Quòd futurus eſſet magnus Vir in Eccleſia Dei, &, Quòd per ipſum Religio ſua, magnâ ſanctitate creſce-

ret,

ret. *Pelbert à Temeſw. Serm. 1. de Sancto Bonauentura.*

Alexander ab Hales, ex Ordine Minorum, Doctor irrefragabilis.

3. Qui Bonauenturæ ſanctam vitam conſiderabat, ipſum ab omni vitio mortali mundum aſſerebat; & de eo ſolitus erat dicere; Iſte eſt verus Iſraelita, in quo Adam videtur non peccaſſe. *Pelbert vbi ſup. S. Antoninus hiſtor. part. 3. tit. 24. cap. 8. Barthol. Piſan. Conform. fruc. 8.*

Iudicium aliquorum S. Bonauentura

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus,

4. S. Bonauentura, ſicut in luminibus ſcientiarum, & maximè in Scripturis ſanctis videbatur mira capacitate proficere: ita & in deuotionis gratiâ continuum ſumebat incrementum: ſiquidem omnem veritatem, quam percipiebat intellectu, ad formam orationis, & laudationis diuinę reducens, continuo ruminabat affectu, *vbi ſup. loco promit producto.*

Ioannes Gerzon, Cancellarius Pariſienſis.

5. Si quæratur à me; Quis inter cæteros Doctores, plus videatur idoneus: reſpondeo ſine præiudicio; Quod Dominus Bonauētura: quoniam in dicendo ſolidus eſt & ſecurus, pius & iuſtus, & deuotus. Prætereà recedit à curioſitate quantum poteſt, non immiſcens poſitiones extraneas, vel doctrinas ſæculares, Dialecticas aut Phyſicas, terminis Theologicis obumbratas, more multorum. Sed dum ſtudet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem, & religioſitatem affectus. Vnde factum eſt, vt ab indeuotis Scholaſticis, quorū, proh dolor! maior eſt numerus; ipſe minùs extiterit frequentatus: cùm tamen nulla ſublimior, nulla diuinior, nulla ſalubrior atque ſuauior pro Theologis ſit doctrina; de quo verè dicitur illud Chriſti de Iohanne; Erat lucerna ardens & lucens. *lib. de examinatione doctrinar.*

S. Bonau. præ cæteris legendus.

Ioan 5. 35.

Idem.

6. [a] Ignem veni mittere in terram, dicebat Chriſtus; & quid volo niſi vt ardeat? [b] In dextera nempe Dei eſt ignea lex; cuius [c] eloquium ignitum eſt vehementer, [d] cuius oculi ſunt ſicut flamma ignis, cuius præco Ioannes dictus eſt [e] lucerna ardens, inſtar Eliæ. Conſiderans iſta noſter Euſtachius, Dominus Bonauentura voluit eſſe Doctor ardens: ſciens, quoniam lucere parum eſt, & ſæpe vanum, ſæpe noxium; quoniam ſcientia inflat, & dæmonium facit. quid enim dæmon interpretatur, niſi ſciens? Sed abſque caritate. Sortitus eſt idcircò, ſecundùm laudem vitæ ſuæ, pariter & doctrinæ, nomen ipſe Bonauentura, vt Antonomaticè, Doctor Seraphicus nominetur.

a Luc 12. 49
b Deut 33. 2.
c Pſal 118. 140
d Apoc. 2. 18
e Ioan. 5. 35.

Qui Doctor ardens & Seraphicus.

Sint alij Doctores, qui dicantur Cherubici: Bonauentura veriſſimo nomine, Seraphicus, ſimul & Cherubicus eſt: quia inflammat affectum, & erudit intellectū, reducit & vnit ad Deum, per amorem excitatiuum; dum alij multi diuaricant, & diſpergunt intellectum. *Epiſt. de laudibus doct. S. Bonauentura part. 1.*

Idem.

7. Neſcio, ſi præcipuus inter omnes numerandus ſit Euſtachius: ita enim nomen iſtud ſuum vulgatum Bonauentura, videor poſſe tradere, Ille enim ſingulariter inter omnes Doctores Catholicos, pace omnium ſaluâ, videtur idoneus & ſecuriſſimus, ad illuminandum intellectum, & inflammandum affectum. *De libris legend. Conſiderat. 5. part. 2.*

* *M. Anto. Coccius Sabellicus.*

8. S. Bonauenturæ, Minoritanæ profeſsionis, ingenio & doctrinæ Clemens Pontifex tantùm detulit, quantum ingeniorum nulli. *Ennead. 9. lib. 7.*

Thomas Boſius, Congregationis Oratorij Prebyterer.

9. S. Bonauentura primus inſtituit, vt e laicis excitarentur Sodalitates, qui ad opera pia conuenirent, precesque certas quotidie recitarent, ſuosque præfectos haberent, perpetuo ſucceſsionis tenore deligendos. Initium verò inſtituti ſanctiſsimi Romæ factum in Sodalitate, ſiue Archiconfraternitate Confalonis, circiter annum propè milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum. Huius exēplo innumeræ in orbe Chriſtiano formatæ Sodalitates, quarum inſtitutis nullum non opus pium perficiendum comprehenditur. *lib. 9. de ſign. Eccleſ. cap. 5.*

Sodalitatum ſæcularium primus inſtitutor.

Idem.

10. In prouinciâ Lugdunenſi, maxime inuocari ſolet eius auxilium ab ijs mulieribus, quæ geſtant vterum, *lib. 7. de ſign. Eccleſ. cap. 1.*

Ioannes Trithemius Abbas Spanheimienſis.

11. Euſtachius, qui & Bonauentura,

de Fal-

de Balneoregio natus, Ordinis fratrum Minorum Generalis Miniſter, ac deinde Epiſcopus Albanenſis, & Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalis, Alexãdri de Ales quondam auditor & diſcipulus; vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſæculari philoſophiâ nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, vita & conuerſatione deuotus, atque ſanctiſſimus. Cuius ingenium, dotem naturæ, & vitæ puritatem præceptor eius Alexander contemplans dicere ſolebat; In fratre Bonauenturâ, Adam peccaſſe non videtur. Scripſit multa & profunda, & deuotiſsima opuſcula, quibus ardentia verba proferens, non minùs affectum legentis in Chriſti amore accendit, quàm intellectum doctrinis ſanctis illuminat. Omnes enim ſui temporis Doctores, vtilitate operum facilè præcellit; ſi ſpiritum diuini amoris, & Chriſtianæ deuotionis, in eo loquentem attendas. Profundus eſt, non verboſus; ſubtilis, non curioſus; diſertus, non vanus; flammantia, non inflantia verba proferens: vnde & ſecuriùs legitur, vtiliùs frequentatur, dulciùs & fructuoſius retinetur. Multi doctrinam proferunt, deuotionem prædicant multi; pauci, ſcribendo libros docuerunt vtrumque. Bonauentura autem & multos ſuperauit & paucos: dum eius doctrina deuotionem, deuotio inſtruit doctrinam. Si ergo & doctus vis eſſe & deuotus, illius opuſculis eſto intentus: quæ ſunt.

Omnes Doctores æui ſui præcellit

Nota.

Super ſententias. *lib.* 4.	Profundæ ſcientiarum.
Breuiloquium. *lib.* 7.	Flecto genua mea.
Soliloquium. *lib.* 1.	Dic, quæſo, ô homo.
Itinerarium mentis in Deum. *lib.* 1.	In principio primum.
Lignum vitæ. *lib.* 1.	Chriſto confixus ſum.
Exhortatorius ad fratrem. *lib.* 1.	Quoniam dilecte mi frater.
De reductione artium. *lib.* 1.	Omne datum optimum.
Regimen conſcientiæ. *lib.* 1.	Ecce deſcripſi eam tibi.
Itinerarium mentis in ſeipſum. *lib.* 1.	
Compendium Scripturarum. *lib.* 1.	
De inſtitutione Nouitiorum. *lib.* 1.	Primo ſemper debet.
Centiloquium. *lib.* 4.	Malum conſiderare.
Pharetra, ſiue ſcintillarium *lib.* 4.	In conuerſione meæ.
De paupertate Chriſti contra Guil. *lib.* 1.	Quæſtio eſt de pauper.
De quinque feſtis infantiæ Chriſti. *lib.* 1.	Cum ſecundum virorum.
De ſeptem donis Spiritus ſancti. *lib.* 1.	Omne datum optimum.
De excellentiâ Euchariſtiæ. *lib.* 1.	
De ſex alis Seraphim. *lib.* 1.	Da occaſionem ſapienti.
Ad Blancam Duciſſam. *lib.* 1.	
Illuminationum in ſigne opus. *lib.* 1.	In medio Eccleſiæ.
De tribus ternarijs peccatorum. *lib.* 1.	Tres ſunt ternarij.
De ſeptem gradibus contemplationis. *lib.* 1.	Contemplatiuorum aquilinos.
De profectu Religioſorum. *lib.* 1.	Si vis in ſpiritu proficere.
De decem præceptis. *lib.* 1.	Si vis ad vitam ingredi.
Apologia pauperum. *lib.* 1.	Summi legiſlatoris,
Super Oratione Dominica. *lib.* 1.	Pater noſter. Oratio hæc.
Legenda S. Franciſci. *lib.* 1.	Apparuit gratia Dei.
Conſtitutiones ſui ordinis. *lib.* 1.	
In Geneſin ſeptem viſionum. *lib.* 1.	In medio Eccleſiæ.
In Euangelium Ioannis. *lib.* 1.	In principio &c. circa.
In Euangelium Lucæ. *lib.* 1.	Spiritus Domini ſuper me.
De tribus quæſtionibus. *lib.* 1.	Innominato magiſtro.
De ſandalijs Apoſtolorum. *lib.* 1.	Quoniam ſecundùm Apoſtolum Ioannem.
De Paſsione Domini. *lib.* 3.	Currite gentes vndique.
Sermones per annum. *lib.* 2.	
Epiſtolæ plures ad diuerſos.	

Alia

Alia inſuper nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Moritur Imperio vacante, ſub Gregorio Pontifice decimo in Concilio Lugdunenſi, Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, indictione primâ; Sepultus in Eccleſia * Cathedrali Lugdunenſi. Tandem propter ſanctitatem & miracula, noſtris diebus canonizatur à Sixto Papa Quarto, ſub Frederico Imperatore Tertio, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo, indictione xv.

*Non Catedrali. ſed Fratrũ Minorum.

Sixtus Senenſis ex Ordine Prædicatorum.

12. Bonauentura, qui & Eutychius Græcâ voce dictus eſt, Epiſcopus Albanenſis, natione Hetruſcus, ex opido Balneoregio, octauus Generalis Miniſter Ordinis Minorum, ob eximiam rerum diuinarum eruditionem, à Gregorio X. Pont Max. in collegium Cardinalium aſſumptus, tantam cum ſummâ Scholaſticæ ac Philoſophiæ cognitione vitæ ſanctitatem, & morum integritatem coniunxit, vt præſtantiſsimus vir Alexander Halenſis præceptor eius, ſæpè de ipſo dicere conſueuerit; Videri ſibi Adamum in Bonauenturâ non peccaſſe. Hic inter multa piiſsima opuſcula, quæ verbis ardentiſsimis & altiſsimis ſenſibus, ad illuminandos animos, & inflammandas voluntates legentium, diuino ſuccenſus amore compoſuit, nobile quoque opus in Hexaëmeron, Scholaſtico dictionis genere dictauit; cui de luminaribus Eccleſiæ, ſiue De Illuminationibus, ſiue, De quinque viſionibus, idcirco titulus eſt, quia in eo potiſsimùm exponuntur quinque illæ viſiones Dei, cõprehenſæ in eâ ſententiâ Moyſis; Vidit Deus quòd eſſet bonum, quinquies in Geneſi, repetitâ: initiũ operis; In medio Eccleſiæ. Diuiditur autem vniuerſum opus in ſermones viginti tres, tropologicis ſenſibus, flagrãtiſsimis ſententijs, & abſtruſis Scholaſticæ, myſticæque Theologiæ arcanis refertiſsimos. *Lib. 4. Bibliotheca ſancta. Ceterùm cùm Trithemius, & Sixtus Senenſis, non omnia S. Bonauenturæ opera recenſeant; operæ pretium erit e[illegible] aſcribere, quo ordine, iuſſu Sixti Papæ Quinti, prodierunt e Typographiâ Vaticana.*

Tomus 1. complectitur quæ ſpectant ad expoſitionem Sacræ Scripturæ.

Principium ſacræ ſcripturæ.	Oſtendit mihi Dominus.
Illuminationes Eccleſiæ, ſiue, Sermones viginti tres in Hexaëmeron.	In medio Eccleſiæ.
In omnes Pſalmos.	Quiſquis ad diuinæ paginæ.
In Eccleſiaſten.	Beatus vir cuius eſt nomen.
In librum Sapientiæ,	Diligite lumen Sapientiæ.
In Lamentationes Ieremiæ.	Tempus plangendi.

Tom. 2.

In Orationem Dominicam.	Pater noſter.
In Euangelium Lucæ	Spiritus Domini ſuper me.
In Euangelium Ioannis.	Numquid ad præceptum.

Tom. 3.

Sermones de Tempore.	His autem fieri.
Sermones de Sanctis per annum.	Mihi abſit gloriari.
Sermones de Sanctis in communi.	Species cæli.

Digitized by Google

Tom. 4.

In Primum Sententiarum.	Profunda fluuiorum.
In Secundum Sententiarum.	Solummodò hoc inueni.

Tom. 5.

In Tertium Sententiarum.	Deus qui diues eſt.
In Quartum Sententiarum.	Vnguentarius faciet.

Tom. 6.

De reductione artium ad Theologiam.	Omne datum optimum.
Breuiloquium.	Flecto genua mea.
Centiloquium.	Ecce deſcripſi eam tibi.
Pharetra.	In conuerſationis meæ.
Declaratio Terminorum Theologiæ.	Omnipotens Deus.
Compendioſum principium in libros Sentent.	Gyrum cæli.
Sententiæ ſententiarum carmine digeſtæ.	O fons ſplendoris.
De quatuor Virtutibus Cardinalibus.	De Quatuor virtutibus.
De ſeptem donis Spiritus ſancti.	Omne datum optimum.
De reſurrectione à peccato ad gratiam.	Paulus Apoſtolus.
De tribus ternarijs peccatorum infamibus.	Tres ſunt ternarij.
Diæta ſalutis.	Hæc eſt via, ambulate in eâ
Meditationes Vitæ Chriſti.	Inter alia virtutum.
Lignum Vitæ.	Chriſto confixus ſum.
De Quinque feſtiuitatibus pueri Ieſu.	Cùm ſecundum.
De Paſſione Dominicâ officium	Domine labia mea.
Opus contemplationis.	Fer. 2. Flos primus. Ieſus ineffabilis.
Laudiſmus de S. Cruce.	Recordare S. Crucis.
Philomena.	Philomena præuia.
De ſeptem verbis Domini in Cruce.	Ieſus ſalutis hoſtia.
Speculum B. Virginis.	Quoniam, vt ait B. Hieron.
De compaſſione B. Mariæ Virginis officium.	Domine labia mea.
Corona B. Mariæ Virginis.	Cum iucunditate memoriam.
Carmina ſuper ſalue Regina.	Salue Virgo.
Laus B. Mariæ Virginis.	Aue cæleſte lilium.
Pſalterium minus B. Mariæ Virg.	Aue Virgo vitæ lignum.
Pſalterium B. Mariæ Virginis.	Arripe illam.
Litaniæ B. Mariæ Virginis.	Kyrie eleiſon.

Tom. 7.

Sermones de decem præceptis.	Si vis ad vitam ingredi.
Viginti quinque memorialia.	Quoniam dilecte mi frater.
De regimine animæ.	Primum omnium neceſſe.
De gradibus Virtutum.	Accedite ad Dominum.
De pugnâ ſpirituali contra ſeptem vitia capitalia.	Eia nunc milites.
Speculum animæ.	Arbor mala fructus.
Confeſſionale.	In Dei tabernaculo.
De præparatione ad Miſſam.	Ad honorem glorioſæ.
De inſtructione Sacerdotis ad ſe præparandum ad celebrandum Miſſam.	Ad Miſſam celebrandam.
Expoſitio Miſſæ.	Chriſtus aſſiſtens Pontifex.
De ſex alis Seraphim.	Da occaſionem Sapienti.
Collatio de contemtu ſæculi.	Septem ſunt in mundo.

De ſeptem gradibus contemplationis.	Contemplatiuorum aquilinos.
Exercitia quædam ſpiritualia.	Vt in virtutibus.
Faſciculariis, in quo de exercitijs ſpiritualibus agitur.	Scire debes.
Paſsio Chriſti breuiter collecta ad modum faſciculorum.	Faſciculus myrrhæ.
Soliloquium.	Flecto genua mea.
Itinerarium mentis in Deum.	In principio primum.
De ſeptem itineribus æternitatis.	Eum qui venit ad me.
Incendium amoris.	Euigilans verò.
Stimulus amoris.	Ad te Domine leuaui animam.
Amatorium.	Præſens opuſculum.
De Eccleſiaſticâ hierarchiâ.	Inuiſibilia Dei.
Legenda S. Franciſci.	Apparuit gratia Dei.
Expoſitio in Regulam fratrum Minor.	Quicumque hanc regulam.
Determinationes quæſtionum circa regulam S. Franciſci.	Cùm inter alios.
Quare fratres Minores prædicent, & confeſſiones audiant.	Quia plerique.
Apologeticus in eos qui Ordini fratrum Minorum aduerſantur.	Præter hoc.
De tribus quæſtionibus ad magiſtrum innominatum.	Innominato.
De paupertate Chriſti, contra M. Guilelmum.	Quæſtio eſt.
Apologia pauperum.	Summi legiſlatoris.
Epiſtola ad quendam Prouincialem Miniſtrum.	In Chriſto ſibi cariſſimo.
Epiſtola de reformandis fratribus ſui Ordinis.	In Chriſto ſibi cariſsimus.
Biblia pauperum.	Tantâ pollet excellentia.
Alphabetum religioſorum.	Vias tuas Domine demonſtra.
Collationes octo.	Vide anima mea.
Speculum diſciplinæ ad Nouitios.	Ad honeſtatem tendentes.
De Profectu religioſorum.	Collationes meas.
De inſtitutione Nouitiorum.	Primò ſemper debes.
Regula Nouitiorum.	Renouamini in nouitate.
De perfectione vitæ ad ſorores.	Beatus homo, quem tu.
Summa de Eſſentia, inuiſibilitate, & immenſitate Dei.	Omnipotens Deus.
De ſex alis Cherubim.	Prima ala eſt.
De modo confitendi, & puritate conſcientiæ.	Quoniam fundamentum.
Myſtica Theologia.	Viæ Sion lugent.
Compendium Theologicæ veritatis.	Veritatis Theologicæ.

Henricus VVillot ex Ordine Minorum.

13. Moritur imperio vacante, Gregorio X. Pont. in Concilio Lugdunenſi, anno à Natiuitate Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, ætatis ſuæ anno quinquageſimo tertio. Sepultus in templo Minorum Lugdunenſium, D. Papâ & Cardinalibus ſacras exequias celebrantibus: & Græcis vnà acclamantibus; Perijt columna Chriſtianitatis. Relatus eſt in Diuorum numerum à Sixto Quarto Pont. *Columna Eccleſiæ.*

SERIES

SERIES CAPITVM.

PReloquium.
I. De nomine, patriâ, parentibus, & anno quo is natus eſt.
II. De florenti Ordinis Seraphici ſtatu, & alijs in Repub. Chriſtianâ geſtis rebus, quarum recordatione Bonauentura aliquando excitaretur ad piè agendum.
III. De corporis habitu & animi virtutibus.
IV. De voto matris, & ingreſſu in religionem S. Franciſci.
V. De vitæ innocentiâ, humilitate, curá ægrotorum, charitate & morum ſuauitate.
VI. De meditationibus, contemplationibus & orationibus.
VII. De eruditione & doctrinâ mirabili.
VIII. De doctrinæ progreſſionibus, & alijs in ſtudio Pariſienſi.
IX. De ijs quæ geſſit Miniſter Generalis.
X. De præſtanti eius doctrinâ in tres partes diſtributâ.
XI. De expoſitionibus in vtrumque Teſtamentum, & multiplici exponendi ratione.
XII. De ijs quæ in illo, tanquam in eximio Eccleſiæ Doctore fuerunt.
XIII. De actionibus, quas doctrinæ adiunxit.
XIV. De doctrinæ excellentiâ, & actionibus in Concilio Lugdunenſi, item morte.
XV. De miraculis.
XVI. De doctrinâ eius poſt obitum commendatâ.
XVII. De Canonizatione.
XVIII. De ſtudio librorum, & alijs quæ poſt Canonizationem facta ſunt.
XIX. De eius reliquijs & veneratione.
XX. De ijs, quæ ob eius ſanctitatem & doctrinam eximiam, Sixtus Quintus Pontifex egit.
Octauiani à Martinis Sinueſſani V. I. Doctoris, de vitâ & miraculis S. Bonauenturæ oratio, quâ poſtulatur à Sixto IV. Summo Pontifice in Diuorum referri numerum.
Bulla Canonizationis Sixti Quarti, quâ etiam Doctor Eccleſiæ declaratur.
Sixti Quinti Pont. Max. decretalis, quâ Seraphicus Doctor S. Bonauentura inter eximios ſanctos Eccleſiæ Catholicæ Doctores annumeratur.
Mauritij Breſſij de S. Bonauenturâ, à S. D. N. Sixto V. Pont. Max. inter primarios Eccleſiæ Doctores annumerato, oratio.
Commentarius ad vitam S. Bonauenturæ.

SANCTI BONAVENTVRÆ

Ordinis Minorum,

S. R. E. CARDINALIS,

EPISCOPI ALBANENSIS,

Seraphici Doctoris Eccleſiæ,

VITA,

AD SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.

SCRIPTA

A PETRO GALESINIO PROTON. APOSTOLICO.

Præloquium.

Bibliotheca Vaticana à Sixto V. inſtituta.

§. 1. DIVINO conſilio typographiam Vaticanam inſtituiſti, Pater beatiſſime: rem ſanè quidem inſtituiſti, vel potiùs perfeciſti, nō ſolùm tibiglorioſam, ſed Reip. Catholicæ ſalutarem, in omneſque partes vtilem, atque neceſſariam, cùm ad ſacros codices reſtituendos, Sanctorumque Patrum monumenta inſtauranda; tum verò ad rectam diſciplinam toto terrarum orbe diſſeminandam, nō ſine magna Chriſti regni propagatione; id profectò viri boni, Deo bene iuuante, ſanè ſperant, & ſapientiſſimi quiq; iudicant de iſto præclaro opere tuo. Verùm enimuero, quo planiùs omnes id intelligant, explicabo vberrimè libro ſingulari, qui propediem emittetur. Nunc autem cùm ab ſancti Bonauenturæ Cardinalis, quem ob doctrinæ præſtantiam inter primarios eccleſiæ doctores ritè annumeraſti, operibus initium Vaticanæ impreſſionis fieri volueris, idque optimo ſane iure: non modò operæpretium eſt, ſed pium ac fructuoſum valdè admodum videtur, eius vitam litteris mandare quàm diligentiſſimè.

Vbi ante alia, S. Bonauentura opera excuſa.

Doctrina & vita ſanctitas, fidei propugnaculum.

2. Res enim duæ ſunt, in quibus conſtans ſemper ac firmiſſimum fidei noſtræ propugnaculum fuit; Doctrinarum cognitio, & vitæ Sanctitas. Iis porrò duabus priſci & Latini & Græci Patres, diuinitus inſtructi, nihil potius habuerunt, quàm vt Religionis ſanctæ præſidia tuerentur. Ieſu Chriſti namq; fides, quæ Apoſtolis & Apoſtolorum diſcipulis, ducibus omnem terrarum orbem iampridem peruagata erat, ſæpenumerò turbulentiſſimis eccleſiæ temporibus grauiſſimè oppugnata, quamuis ſuis quidem ornamentis atque inſignibus contenta, dignitate ſuâ ſatis ſe ipſa tueretur: eorum tamen tum ſanctitatis, tum doctrinæ auxilio defenſa, iniquitatem hominū, & iniuriam temporum facile ſuperauit. Harum igitur rerum ambarum, quæ perpetuò in Rep. Chriſtianâ plurimum valuerunt, ſplendore, vir Dei Bonauentura, in firmamento Eccleſiæ, *quaſi ſtella fulget in perpetuas æternitates.* Dan. 12. 3.

Res illius à multis conſcripta.

3. Neque propterea defuerunt anteà, qui res illius geſtas pietatis religioniſque nomine maximè illuſtres, conſcripſerunt, neque item qui diuinæ tam egregij Doctoris ſcientiæ, ac ſapientiæ teſtimonia præclara dederunt. At cùm ſummi viri hoc habeant proprium, vt non vni tantùm, ſed pluribus magnum ſcribendi argumentum ſuppeditent: non eſt à publico ſcriptionis inſtituto atq; ratione alienum, quas eius res nonnulli ſtrictim attigerunt, vberiùs explicare; quaſque fortaſſe tacitas reliquerunt,

runt, illas planè omnes, quoad eius fieri poteſt, enucleatè, & ſplendidè perſcribere. Ioannes porrò Diaconus, quamquam ſanctiſsimi Pontificis Gregorij Magni vitam pleriq; alij literarum monumentis conſignarunt: tamen optimum factu illud exiſtimauit, vt, quãtum in ſe eſſet, eandem libris quatuor explicatiùs enarraret. Atq; huiuſce quidem rei exemplum cùm ſcriptores pręclari, Latini & Græci nobis tradiderint: nihil attinet, quòd in promptu eſt, id multis commemorare.

* In præf. vitæ S. Gregor.

4. Habet porrò Seraphicus Bonauentura ſanctiſsimus, idemq́ue eruditiſſimus, virtutum ſuarum non modò laudatores, ſed etiam ſpectatores ac teſtes certiſsimos, qui ſuis locis producentur. Res enim tantas, tamq́; adimirandas is auctore duceq; Deo geſsit, vt ab eo tempore, quo in terris fuit, vſque ad hanc ætatem nemo ferè ſcriptor pietatis amans extiterit, quin aliquid de eo præclarè teſtatum reliquerit. Plurimùm quidem ei tributum eſt, vt ordine exponam, nõ ſolùm à Summis Pontificibus, Alexandro Quarto, Clemente Quarto, Gregorio Decimo, Innocentio Quinto, & Sixto Quarto: ſed etiam à Synodis Oecumenicis, ab ampliſsimo Collegio Cardinalium, & ab omnibus ferè viris grauiſsimis, qui vel in Theologiæ ſcientiâ, vel in Annalium munere, non ſine ingenij laude verſati ſunt. Multa de illius & doctrinâ, & vitâ immortalitati commẽdauit, potiſsimùm ſanctus * Antoninus, Florentiæ Archiepiſcopus: at certè quidem omnia pluribus expoſuiſſet, ſi ad id ætatis perueniſſet, cũ actuoſæ eiuſdem luminoſæq; virtutes, vndique recte, ac rite conquiſitæ, bonorum omnium teſtimonio, cognitæ, & exploratæ ſunt, Sixto Quarto Pontifice: qui cunctis fermè totius orbis Chriſtiani Principibus efflagitantibus, ſummâ totius Italiæ lætitiâ, publicâque omnium ordinum gratulatione in Sanctorum numero illum adſcripſit.

Et dilaudata.

* Ter. par. tit. 24. c. 8.

* Vide Bul. Canoniz.

5. Miris diuiniſq́ue illum laudibus concelebrant viri multi præcellentes, præſertim Octauianus Sinueſſanus, Iuriſconſultus clariſſimus, & Ioannes Franciſcus Pauinius, diuinarum humanarumq́ue rerum ſcientiâ apprimè eruditus; item & plerique omnes Ordinis Franciſcani: quorũ in eo laudando certat induſtria. Permultùm quoq; ad illius gloriam interſunt luculẽtiſſima illa teſtimonia, quæ eidem dicunt doctiſſimi ſcriptores, * Ioannes Gerſo, Henricus Gandauius, & Ioannes Trithemius & reliqui eorum ſimiles. Næ, is qui Patrum noſtrorũ memoriâ floruit, philoſophorumq́ue princeps habitus eſt, Ioannes Picus Mirandulanus, non modò illius doctrinam perpetuò dilaudauit, ſed omnium luce dignam emittere, maximopere concupiuit, ſi ab ipſis Franciſcanis exemplar quoddam Gandauenſe conſequi aliquo modo potuiſſet. Neq; porrò Latini ſolùm, verũ etiam Græci virtutem atque eruditionem, quâ is excelluit, admirati ſunt vehementer. Ego ſanè à Sirleto Cardinale, Græcè Latineq; peritiſſimo, & omni doctrinâ exculto, aliquando audiui; * Emmanuelem Calecam, hominem Græcum, qui contra Græcos pro Latinis Gręcè ſcripſit, præclarè de ſancto Bonauenturâ ſenſiſſe.

* In or. infrà poſitâ in relat.

* Part. 1. de laud. S. Bonauent. & lib. legend. De ſcripto Eccleſiaſt.

Latinis pariter & Græcis.

* Lib. contra Græcos

6. Iam multorum igitur ſummorum præſtantiumq́; virorum non modò teſtimonijs, ſed lucubrationibus ac monumentis litterarum ego planè adiutus, in quibus apparent veſtigia rerum illius magnarum, aggrediar, Deo bene iuuante, ſcriptionẽ, quam de eius vitâ inſtitui. Quam vt fusè ordineq; exponam, imitando Gregorium Nazianzen. conſectabor de Baſilio Magno ſcribentem. Etenim ſi difficile aliquod atq; arduum opus cuiquam aggrédiendum eſt: is profectò ſummum in primis ſapientiſsimumq́; ducem, ac magiſtrum ſibi proponere debet, cuius exemplo inſtructus, atque adiutus, nullam in eo perficiendo ambiguitatem, nullamq́ue ſolicitudinem ſibi imponat. Et verò quamquam tam præcellentis Doctoris, diuinique viri, quem omnis admiratur antiquitas, Gregorij Nazianzeni virtutem ac doctrinam ſcribẽdi imitari longè difficillimũ eſt: nihilominùs tamen in magnâ, & arduâ ſcriptione, cùm rationibus publicis planè conſentaneâ, id omni diligentiæ atque ſtudij genere conari, nõ audacis quidem conatus eſt, qui difficilib. in rebus pro virtute habetur; ſed volũtatis honeſtę, & animi deſiderio exardeſcentis ad bonum publicum. Is porrò patriam, genus, parentes, diſciplinam, ſtudia, doctrinam, virtutes, officia, atq; opera Baſilij enarrauit: idem mihi faciendum cenſeo, quòd ad earũ rerum dilucidè diſtincteq; explicandarum ordinem attinet. Nam hęc ipſa ordinis ratio, cùm præſtans videatur, ſolâ tantùm illius imitatione, tum vero eorum, qui rectè dicendi ſcribendiq; magiſtri ſunt,

Auctor Gregorium Nazianz. imitatur, in hiſtoriâ ſcribenda.

* Orat. de S. Baſil.

arte & litteris præcepta eſt, maximeque vſu accommodata ad huiuſce narrationis genus, quòd ſuſcepi.

Ardua ſcriptio huius operis.

7. Eſt porrò hoc, à me ſuſceptum argumentum, non modò difficile, ſed magnum atq; amplum, cùm verborum & delectum, & ornatum, ſententiarum grauitatem, elocutionis ſummam varietatem, ac variam aliquando numeroſæ orationis vim requirat, pro rerum geſtarum, & virtutum ratione, quę dicendi figuris commemorandæ ſunt, illuſtri quodam ſplendore enitentibus, omnique præclarâ elegantiâ. Cùm namque ad Chriſtianam morum diſciplinam inſtituendam illud valdè interſit, vt ſanctiſſimorum hominum, virtutum copiâ affluentium, facta admirabilia, religionis & pietatis nomine illuſtria, exponātur: de iis copioſè, diſertè atque illuminatè dicendum eſt. At verò contrà aliquando pro rei, quæ narratur, ratione reſpui debet illa elaboratę orationis vis polita & cōſperſa, quaſi verborum ſententiarumq; floribus: contemnenda eſt etiam ſæpe illa dicendi vbertas, ne vocum multitudine & copiâ obruatur rei, quæ narratur, veritas. Hæc omnia appoſitè ac diuinè rebus Baſilij conſcribendis Nazianzenum præſtitiſſe, inter omnes conſtat.

8. Ego verò Bonauenturæ ſanctiſſimo, cuius etiam vita magnis laudibus ſplendeſcit, etſi minùs grauem illam, admirabilem, ac ſolidam orationis poteſtatē præſtare potero; at certè quidem me non poſſe profiteor: eam tamen adhibere conabor, in quâ ſaltem aliquâ, vel minima appareat diligētia mea, aut potiùs quoddam animi mei deſiderium. Iamdiu enim ſtudio ardeo incredibili ad illius res explicandas; cùm ob alia multa, tum maximè ob illam, quā mente ſæpenumerò repeto, ſpem maximorum atq; vberrimorum fructuum, quos poſteritas capiet ex eius vitâ, omnibus præceptis, omnibus diſciplinæ exemplis, omnibus rectè ac ſanctè agendi rationibus vſque adeò affluenti, vt illam ipſam tamquam plurimarum Chriſtianarū virtutum legem appellari liceat; quemadmodum de ſancti *Baſilij vitâ aſſeueranter itidem dixit Nazianzenus Gregorius.

Vita S. Bonau. virtutum lex.

*Indid & in orat de S. Athan

9. Etenim nemo ferè quiſquam eſt, cuiuſcunque ordinis homo, qui ſi Bonauenturæ actiones egregias legit, aut audit, nō habeat profectò illum ſibi documento. Habent, qui contemplationi ſe dedunt, Bonauenturam Meditationum diuinarum magiſtrum diligētiſſimum; qui rerum ſpiritalium ſtudia colunt, omnis vitæ ſanctæ præceptorem eruditiſſimum; qui ſacra myſteria perquirūt, interpretem diſertiſſimum; qui in Theologiæ ſcientiâ verſantur, Theologum magnum; qui diuinarum litterarum vſu litteratè periti eſſe volunt, Doctorem Eccleſiæ egregium. Vix dici poteſt, quàm ſtudioſè libros ſacros is legerit, quàm diuinè legem Domini meditatus ſit, quàm doctè, eruditè, & copioſè diuinas illas voces, quibus Deus maieſtatis intonuit, magno accenſæ charitatis ardore explicarit, quamq; ſapienter & rectè, quæ docuit, cuncta affirmarit. Cuius rei cum plurimi, iique locupletiſsimi, alij teſtes ſint; tum verò de ſe ita ipſe profitetur his verbis: *Ego non aliquid affirmare intendo, quòd non per ſanctam Scripturam, per dicta Sanctorum, per opiniones probatas affirmetur.* Præclarè dictum, & dignum Bonauenturâ.

Qui in omni ſtudio doctor egregius.

Pſal. 1. 2.

Lib. de vitâ Chriſti.

10. Eſt igitur ſanè, cur multis nominibus omnes boni, & de Catholicâ Republicâ benè ſentientes, plurimùm tibi debeant, Pater beatiſsime: qui & illum inter primarios præcipuoſque Eccleſię Doctores *eſſe ſtatuiſti; & eius opera, quę in ſitu, ſqualoreque diu nimis iacuerant, vndique diligenter atque impensè conquiſita, ſtudioſè emendata, & accuratè perpolita, in lucem tandem è Typographiâ Vaticanâ prodire voluiſti. Pręclarum hoc beneficium eſt, immortale, magnum, atq; amplum, quod latè patet, & pertinet ad vniuerſam Eccleſiam Dei. Reſtituiſti enim ab intermiſſo vſu, atque ab hominum prope obliuione vindicaſti ſeneſcentem tanti tamq; eximij Doctoris tum doctrinam, tum diſciplinam: quæ dignitatem, quæ ſplendorem, quæ amplitudinem, quæ vberrimas vtilitates, quæ ſalutares fructus Reip. Chriſtianæ affert. Eſt porrò illa grauis, ſuauis, admirabilis, & plena, refertaque ſanctioribus interpretationibus; quâ doctrinâ quis optimè inſtructus, poteſt, adiutrice diuinâ gratiâ, in tantâ huius ſæculi caligine lumen ad morum inſtaurationem adhibere, populi Chriſtiani animos ad piè agendum inflammare, & in omnes denique illas ſanctę religionis partes excitare, in quibus perpetuus eſt Catholicæ Eccleſiæ curſus. Nemo autem ferè quiſquam eſt, litterarum Eccleſiaſticarum ſtudiis imbutus, qui neſciat efferatos, & inſolentes hære-

*In lit. dec. infrà poſ. *Inter præcipuos Eccleſiæ Doctores recenſitus.*

Eius doctrina ſalutaris.

Et fructuoſa.

hæreticos ab impietatis pertinaciâ, nocentes ac facinoroſos à flagitijs, iacentes atq; deſides ad virtutum officia non eſſe aliquando reuocatos, atque excitatos vi Seraphicæ doctrinæ: quam maximarum artium cognitione,optimorum exemplorum copiâ, naturalium rerum ſcientiâ, & Theologiæ myſterijs refertam,tradidit Bonauentura ſanctiſſimus. Quare nullus tam iniuſtus rerum æſtimator eſſe poteſt,qui nõ agnoſcat,non commemoret,non laudibus efferat publicum hoc tuum beneficium : ex quo cùm tam vberes ſint fructus tamq; immortales, futura eſt perpetua iucunditas Sanctitati tuæ;cuius & virtuti,& felicitati,quicunque à bono publico auerſi non ſunt, omnes vere, ex animoq; gratulantur. Sed iam demum locus eſt aggrediendi enarrationem vitæ, rerumque à S. Bonauenturâ geſtarum. Quam omnem narrationem explicabo * Nazianzenio more, vt paulò antè dixi : at certis capitibus diſtinguam, quò explicatior illa ſit. Neq; autem alienum cenſui, primò de illius nomine ſcribere: vt quæ ad eius patriam, genus, & cetera id generis pertinet, omnis deinceps aptè contexatur commemoratio.

* Or. de S. Baſil.

CAPVT I.

De nomine, patriâ, parentibus, & anno, quo is natus eſt.

Ioannes ei nomen in baptiſmo inditum.

§.1. BONAVENTVRA, qui ab ipſo vitæ initio,cùm baptiſmum accepit, Ioannes, vt pater, appellatus eſt : id poſteà nomen ex eo habuit, quòd illum tum infantem, ab omni laude felicem fore,B. Franciſcus aliquando diuinâ animi præſenſione prædixerat : Bonauenturæ enim, quâ voce Italicè vulgò vtuntur,ea planè eſt ſignificatio. Itaque primùm vno, & item altero nomine eſt vocatus:id quod perſpicuè cernitur in vetuſtis codicum monumentis, quorum inſcriptio hæc extat; F. IOANNES BONAVENTVRA. In eâ autem opinione * Gerſo verſatur, vt Euſtachium Bonauenturam nominatum putet : alij Euſtathium dicunt, alij Eutychium. Sed Deo iuuante, cùm omnia ei benè, feliciterq; euenerint : factum eſt, vt Latini atque Itali perpetuò deinceps Bonauenturã ſine vllo nomine,& Græci Eutychium dixerint, quem ſi Italicè reddimus, Bonauenturam interpretamur. Quod verò alij Euſtathium, aut Euſtachium, nuncupant, afferunt plerique eam ſanè rationem, quia in omni diſputatione,quam Lugduni cum Græcis habuerat, cùm doctrinæ veritatem, ac diſciplinæ grauitatem perpetuâ conſtantiâ ſeruaſſet, eam ob cauſam Euſtachius ab alijs Græcè eſt appellatus. Sed hactenus de nomine.

Bonauentura dictus ab euentu bonorum.

*Pat. 1. de laud. S. Bonau.

Cur Euſtachius?

§. 2. Iam verò nunc primùm de regione,& patriâ dici oportet,vbi is in lucem editus, deinceps toto fermè terrarum orbe magnis præluxit luminibus ſanctitatis, virtutis, atque doctrinæ. Eſt Hetruria, quæ alio nomine Latino Tuſcia, Græco Tyrrhenia appellatur, vna ex Italiæ regionibus hodie florentiſſima;olim etiam ab omni laude feliciſſima,vt ex hiſtoricorum,præſertim Liuij, & Dionyſij Halicarnaſſæi, Plinijq; monumentis perſpicuè cognoſcitur; imperij, quod longè lateque terrâ mari patuit, opibus & litterarum ſtudijs affluxit, eamq;ob rem ſcientiſſima diſciplinarum interpres aliquando vocitata eſt. Eò tamquam ad mercaturam bonarum artium, à Romanis adoleſcentes miſſos eſſe,loquuntur antiqui Reip. Romanæ commentarij : quibus etiam proditum eſt,eos litteris Hetruſcis,vt poſteà Græcis, erudiri ſolitos. Rerum autem, quæ ad vſum & cultum vitæ pertinent,vbertate circumfluens tum maritima, tum mediterranea eius pars, vrbes nobiliſſimas, colonias, oppida, vicos, & pagos frequentes habet. Ab initio autem ferè naſcentis Chriſtianæ religionis, imbuta eſt fidei ſanctæ Myſterijs. Domitiano enim Imperatore, Romulus, beati Petri Apoſtolorum Principis diſcipulus, Euangelij cauſâ eò miſſus, multis Italiæ, Tuſciæq; potiſſimùm locis peragratis, cùm vbiq; Chriſti doctrinam diſſeminaſſet, demum Feſulas Angeli admonitu rediens, martyrium obijt. Longum nimis eſſet ceteros plurimos recenſere,cùm præſertim id perſpicuè manifeſtum ſit ex tabulis dypticis Eccleſiarum Cathedralium, quæ in eâ prouinciâ non paucæ extant.

Hetruria laus.

Lib. 5.

*Liu. li. 9.

*Martyrol Rom. prid. Non. Iun.

4. Sed rem etiam planam hoc facit, quòd Balneoregiũ, de quâ ciuitate narrationem nunc inſtituo,iam inde vſque ab eo tempore, quo * Anſanus,veræ diuinæque pietatis athleta clarus,curſum martyrij Senis Diocletiano Imperatore confecit, Chriſti religionem ſuſcepiſſe, Annalium litteris proditum eſt.

Patriâ S. Bonau. Balneoregium.

* 30. Kal. Decembr.

* Nat hiſt. 3. cap. 4.

Erant autem prętер ceteros in Hetruriâ Nouem pagi, quos *Plinius commemorat: ex ijs porrò conditum atque extructum Balneoregium eſt. quâ ex re, iam perſpecta ſit illius antiquitas, & nobilitatis præſtantia. Gregorio Magno Pontifice fuit illud à Longobardis captum, eorumq; barbarâ immanitate penè exciſum: & quamquã Smaragdus Rauennæ Exarchus inſtaurare contenderat, nihil perfecit tamẽ. Verùm multis pòſt annis, non modò reſtituit Deſiderius Longobardorum Rex, ſed, vt eorũ temporum ratio tulit, valdè exornauit, atq; auxit, cùm vnam ciuitatem conſtituerit duas illas, quas Ciuitam & Rhodam appellat in litteris edictalibus, ad Grimoaldum Viterbij Comitem, ſcriptis.

Eius laus.

Eſt verò Balneoregij ciuitas multis olim nobilitata partibus, eoque prætereа nomine illuſtris, quòd tot ante ſęculis Epiſcopatũ habuit. Id ſane declarant ipſius ſanctiſſimi Pontificis * Gregorij Magni litteræ, quas ad Eulogium Epiſcopum Cluſinum de Epiſc. Balneoregij creando dederat. Neque autem cuiquam dubium eſſe debet, quin multo anteà Epiſcopalem aſſecuta ſit dignitatem, cùm in ipſo ferè exordio, vt modò narratum eſt, Chriſtianam ſuſceperit religionem. Quo fit, vt Balneoregienſium Epiſcoporum ſeries eſſe poſſit, non longe fortaſſe ab Apoſtolicis deriuata temporibus. Nec verò tantùm habuit, ſed genuit illa ciuitas Epiſcopos, ad virtutum Epiſcopalium laudem maximè inſignes: eamque ob rem cenſetur in primis nobilis; ſed eo nobilior, quòd virum ſanctum, hominem mirificum, ſacrâ diuinâque doctrinâ pręſtantem, egregium Eccleſiæ Doctorem, Epiſcopum, & Epiſcopum Cardinalem, virtutum ſummarum exemplar peperit Bonauenturam, cuius vitæ narrationem contexere inſtitui.

*Reg. l. 4. epiſt. 34.

Parentes S. Bonau.

4. Is igitur Balneoregij in Tuſciâ, quæ flos eſt Italię, natus, parentes habuit Ioannem Fidantium, & Riteliam, coniuges nobili genere ortos, ac ſtudio exardeſcentes ad opera pietatis, legiq; diuinæ obtemperantes. Neque ab re familiari inopes eos fuiſſe, ſed habuiſſe, vnde ſatis commodè viuerent, ciuium Balneoregienſium more, iam apertè olim demonſtrauit domus ampla, quę ab Antonio Puccio Cardinale deinceps Balneoregij Eccleſia exædificata, Deo eſt S. Bonauenturæ nomine conſecrata.

Natiuitas.

5. Naſcitur porrò is anno à Chriſto nato M.CCXXI. Honorio III. Pontifice Maximo, qui biennio antequã B. Franciſcus ex hac vitâ excederet, Ordinis Franciſcani regulam auctoritate Apoſtolicâ comprobauit. Natalis igitur eius dies fuit, annis ante ipſius Seraphici Patris obitum quinque, & verò ſeptem, antequam idem à Gregorio IX. qui Honorio proximè ſucceſſit, in ſanctorum Confeſſorum numero Peruſij aſcriptus eſt. Obijt enim ille anno M. CCXXVI. biennioque pòſt, qui annus fuit M. CC-XXVIII. in Sanctos eſt relatus. Quâ in re proculdubiò cernitur Dei prouidentia, & illa quidem ſingularis, quâ perpetuò conſuluit rebus Seraphici Ordinis. Vix enim inſtitutus hic ordo erat, nedum corroboratus, auctus atq; adultus, ſed tum primùm ferè naſcẽs, cùm eius parens atque auctor ex hac vitâ cedit; tuncq; commodè & opportunè exoritur diuino munere, qui neceſſario tempore eum tueretur, inſtauraret, augeret, atq; omnibus ferme ornamentis excoleret. Nec verò longè pòſt deceſſit, qui fuit etiam ordinis præſidium ac decus, B. Antonius Vlyſſiponenſis, quem de Paduâ dicimus.

CAPVT II.

De florenti Ordinis Seraphici ſtatu, & alijs in Repub. Chriſtianá geſtis rebus, quarum recordatione Bonauentura aliquando excitaretur ad piè agendum.

§. I. VERVM floruit tamen religio Seraphica, quoad Bonauentura fuit adultâ & cõfirmatâ ætate, magnis viris, qui, pietatis nomine illuſtres, plurimum etiam à doctrinâ potuerunt. Atque in ijs ipſis valdè præcellentes ſunt in primis, *Alexander Alẽſis, qui, admirabili omnium litterarum ſtudia appetentium concurſu, Lutetiæ Pariſiorum primus ex eo ordine Theologiam Scholaſtico more publicè docuit, Ioannes item Rupellius, ceterique plurimi. Nec verò defuerũt prætereа, qui non ſolùm eruditione eximiâ tum Latinâ, tũ Græcâ, ſed rerum vſu eximiè periti, operam atq; opus Reip. Chriſtianę præſtiterunt. Etenim cùm ab Catholicâ Eccleſiâ Romanâ, iamdiu Græca multis de rebus, præſertim de proceſſione Spiritus ſancti pertinaciter nimiùm diſsideret: nihil

Alexander ab Hales primus in Ordine Frãciſc. S. Theolog. Profeſſor.

*Ant. par. 3. tit. 24. c. 8. §. 1.

* Epiſto. ad Græc. de vtroque gladio Eccleſiæ.

Franciſcani legati ad Græcos à Pont. miſſ.

hil potius antiquiuſque habuit *Gregorius IX. Pontifex, quàm vt Apocriſarios, quos Legatos interpretari licet; quatuor Conſtantinopolim diſſidij tam diuturni tollendi cauſâ mitteret. ex ijs porrò duos potiſſimùm Ordinis Seraphici delegit, Radulphum & Ammonium; qui in Græciam profecti, rē præclarè geſſerunt & confecerunt, cùm ex ſacroſanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ doctrinâ, atque auctoritate de eo in primis dogmate decretum ſit: cui decreto non tantùm Latine, verùm Græcè ipſi ſubſcripſerunt, vt inde perſpicuum ſit; Franciſcanos etiam ab ineunte ordine Græcè ſciſſe; nam Hebraicè optime iam noſſe, certum atque exploratiſſimum eſt. Status igitur Ordinis Seraphici, illis temporibus florentiſſimus fuit exemplis doctrinarum & virtutum: quarum quaſi igniculos iam tum in Bonauenturâ ab initio propè ætatis ſuę excitatos eſſe, animaduerti par eſt, atque adeò cū pietatis officio conſentaneum: vt magnum Dei conſilium & prouidentia, quæ magnarum rerum materiā longè ante conſtituit, omnibus ætatum ſæclis etiam in ipſo Bonauenturâ prædicetur: quem in eorum, qui appropinquanti ipſi Deo appropinquant, numero futurum, & in Eccleſiæ paſtorali ſtatione manſurum vſq; ab infantiâ inſtitutum atque excultum eſſe voluit præclaris ornamentis Franciſcani Ordinis, in quo deinceps adſcribendus erat. Sed mira etiam ſunt alia multa, ſempiterniſque monumentis digniſſima, quæ, Deo volente, non in ordine ſolùm Seraphico, ſed vniuersè illis temporibus in Rep. Chriſtianâ acta, geſta, factaque ſunt.

2. Neque eum ſolùm beatus Franciſcus, (vt paulò ante commemoraui,) ſed etiam beatus Dominicus, Ordinis Prædicatorum auctor, Antonius Vlyſsiponenſis, quem ſancti Franciſci Epiſcopum vulgò vocabant, & Elizabetha Heſſa, Vngariæ regis filia, in Sanctorum numerum relati ſunt. Hæ piæ recordationes, non ex annalium litteris longè repertæ, aut è parentum memoriâ, aut aliundè depromptæ, ſed recentes in mentem à Bonauenturâ reuocatæ, ad imitationē exemplo magno fuerunt ei, quem Deus, glorioſus in Sanctis ſuis, ſtatuerat in Eccleſiæ candelabro ponere, vnde *luceret omnibus, qui in domo ſunt*. Mouet quidem multum præteriti temporis exemplorum recordatio: ſed longè plurimùm accendit proxime factorum memoria, quæ quis puer, vel adoleſcens auditione accepit, cùm bonam firmamq; eorum opinionem animo imbiberet.

Luc. 11. 33.

Initiū pulſandi campanas ad elenationem corporis Domini, & ſalutationem Angelicam.

3. Fuit porrò ea ætas plena Sanctorum inſtitutorum. Cœptum eſt tunc campanis pulſari, cùm ſacra Euchariſtia in Miſsâ eleuatur: itidem in ſalutatione Angelicâ, & laudibus beatæ Mariæ Virginis. Inſtituti autem ſunt, vel confirmati etiā auctoritate Apoſtolicâ nonnulli religionis Ordines, Dominicanus, Monaſticus Vallis choralium, & Virginum ſanctæ Claræ nomine. Pruteni fidem Chriſti Domini ſuſcipiunt; Bellum ſacrum, contra Saracenos iamdiu affectum, præclare adminiſtratur; Hæretici Stadingenſes, Eccleſię poteſtatem contemnentes, vincuntur & ſuperantur. Concilium Oecumenicū Lugduni primum habetur: in quo Fredericus II. Imperator, ſeditionum peſtiferarum dux & auctor, hoſtis Eccleſiæ declaratur; de Hieroſolymâ recuperandâ decernitur: eius rei ſumma ad Ludouicum Galliæ Regem, qui deinde in Sanctorum numero adſcriptus eſt, defertur; purpurâ galeroq; rubro Cardinales ab Innocentio Quarto donantur. Et verò vbique terrarum, præſertim in Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâque litterarum ſtudia, quæ annis centum languerant, ſingulari principum curâ magnopere excitantur. Atq; hæc quidem eſt quædam tamquam epitome, compendiumque temporum, in quæ incidit pueritia, & adoleſcentia ſancti Bonauenturæ: cui Deus propoſita eſſe voluit curricula & vitæ Sanctorum virorum illius ætatis, & ſtudiorum atque induſtriæ doctiſsimorum hominum, & gloriæ publicarum actionum, in quibus ipſe etiam ſua imprimeret veſtigia. Diuinitus porrò factum eſt, vt ea neceſſario Eccleſiæ tempore in ijs omnibus nō leuiter ille preſſerit, ſed grauiter fixerit ad ſempiternam memoriam. Sanctâ enim æmulatione vitam Sanctorum expreſsit, pia inſtituta in vſum introduxit: religioſæ ſanctæque vitæ eam doctrinæ laudem adiunxit, vt magnâ vir atque admirabili ingenij prudentiâ, & ſolidâ cumulatâque bonarum diſciplinarum cognitione, ac præſtanti ſacræ Theologiæ ſcientiâ, demum fructum tulerit immortalis perenniſque gloriæ. Sed rem omnem loco ſuo, & ordine exponam.

Purpurâ Cardinales & galero adornati.

CAPVT III.

De corporis habitu, & animi virtutibus.

§.1. NVNC verò, vt ne minimum quidem à curſu deflectam, quem Nazianzen. in vitâ Baſilij tenuit, ea dicendo vniuersè perſequar, quæ ad corporis, & animi bona pertinent, quibus Bonauenturam diuina benignitas ornauit. At verò quamquam ille, quem mihi Magiſtrum propoſui, Nazianzenus, de induſtriâ prætermittere videtur bona corporis Baſilij ipſius, quem tantopere dilaudat: non tamen alienum eſſe putat ab illius rationibus, qui ad poſteritatem literis vitam aliorum prodit. Quo enim latiùs, vt ſolet, ad animi bona digrederetur: quodam modo præterijt illa, quæ ſunt corporis. Sed re verâ, ſapientum iudicio, illa planè tacita non reliquit, ſed ſtrictim attigit: cùm corporis magnitudinem, robur, & pulchritudinem ſcribat tribui poſſe Baſilio, ætate adhuc florenti. Ego igitur ex illius imitatione dicam hęc breui, illa autem, quę ad animum pertinent, fusè atque enucleatè ordine præſcribam.

** Or. de S. Baſilio.*

2. Fuit igitur Bonauentura corporis habitu procero, beneque conſtituto, vſque adeò vt nunquam, aut certè rarò ex aduersâ infirmâque valetudine laborarit: cuius rei argumẽto ſunt, tot ac tanti labores pro Ordine Franciſcano, proq; Eccleſiâ Dei ſuſcepti, ac librorum, opuſculorum, & cõmentariorum lucubrationes innumeræ. Vultu autem graui, & aſpectu Angelico, vt homines raperet in admirationem ſui: facie lachrymis aliquando irriguâ, cùm ſoleret, (quemadmodũ de ſe ipſe teſtatur) diuini amoris ardore flagrãs, iucunditatiſq; dulcedine perfuſus, in Chriſti vulnerib. fixus meditatione inhærere. eâ deniq; corporis formâ, vel potiùs dignitate, eâq; animi indole ſummâ, vt nemo illũ non vereretur, nemo item, qui ſe ab eo moneri non pateretur, vel libentiſſimè. Sed de eius virtutibus explicatè dicã mox infrà. Hæc verò libuit vniuersè pręfari; vt aditum tandem mihi faciam ad earum præſtãtiſſimarum rerum narrationem, in quibus, cũ pietatis, religionis, ſanctitatis, ſapientiæ, eruditionis, doctrinæ, ac virtutis præcellentis ſplendor eluceat maximus: alijs deinceps, quæ fortaſſe minima vidẽtur, cõmemorandis interrũpi non debet curſus ſcriptionis meæ.

S. Bonauen. procero firmoq; ſuit corpore.

Formâ venerabilis.

CAPVT IV.

De voto matris, & ingreſſu in religionem S. Franciſci.

§.1. PRIMO igitur, cùm iam de patriâ, parentibus, conſtitutioneque corporis aliquid, Nazianzeni exemplo planè dixerim; ad pium votum Ritelliæ matris venio, quæ puerum Bonauenturam, & vt filium, & vt eum, qui ſingulari erat ſpe, vnicè eximieque diligebat. Atque ita quidem fiet, vt ab illius cunabulis, ordine digrediar ad omne ætatis curriculum; in quo is quidem ſanctiſſimus, atq; ad omnes virtutes diuinè eruditus, monumẽta poſuit admirabilium diuinarumque actionum ſuarum. Dei permiſſu factum eſt, vt Bonauentura penè infans in morbum grauẽ inciderit: eamq; ob rem cùm mater mortem eius valde metueret, propterea quòd maximè videret, neque medicorum ſolertiâ, neque medicamentorum vi, neque naturę adiumento illum conualeſcere, nihil potius habuit eximiâ pietate mulier, quã vt opem Dei imploraret, à quò vno ſperabat filium tam grauiter ægrotantem, à phyſicisque deſperatum ac relictum, poſſe à grauiſſimâ illâ periculoſiſſimâque ægrotatione liberari. Erat eo tempore in Italiâ, & vbiq; ferme terrarum celebrata fama ſanctitatis B. Franciſci: ad quem ea cùm confugiſſet, pius illius precib. ac meritis ſe intimè commendauit: vouitque ſi ſaluus è vitę periculo euaſiſſet, illũ religioni Franciſcanæ dicaturam. Tunc mœſtam, ac mœrentem matrem is omni charitatis officio valdè primùm conſolatus, maximè oratione adiuuit cùm Deum ſanctè precãdo, à diuinâ miſericordiâ impetrarit, quòd de filij ſalute tãtopere expetierat. Id ſanè mirabile admodũ viſum eſt omnibus, & medicis potiſſimùm, qui morbũ pueri inſanabilem planè iudicarunt.

S. Bonauen. puer, ægrotans à matre, pro valetudine, ordini Seraphico deuotus, ſubito conualuit.

2. Itaque Bonauentura alterum, & vigeſimum annum agens, memor & voti, quòd mater nuncuparat, & diuini præcepti, quòd à Dauide in hæc verba ſcriptum eſt; *Vouete & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera:* S. Franciſci habitum, inſtitutaque regulæ Seraphicæ incredibili animi ardore ſuſcepit, & commemorabili pietatis exemplo, imitatione digniſsimo. Id verò beneficium cùm tanti faceret, quanti à ſe maximi fieri munus diuinum debere exiſtimaret, id apertè oſtendit, &

Memor voti fit Minorita.

Pſal. 75. 12.

pro-

*Prolog in vitam S. Franciſc. §. 3.

profeſſus eſt, ijs verbis*; *Voto pro me languente, ad B. Franciſcũ emiſſo à matre, cùm adhuc eſſem puerulus, ab ipſis ſum mortis faucibus erutus, & in robur vitæ incolumis reſtitutus. Quod cùm viuâ memoriâ teneam, verâ nunc confeſſione profiteor, ne tantum beneficium reticens, ſceleris arguar, vt ingratus.* Quare ad eum preces ita effudit; *Accipe, Pater beate, quaſcumque, meritiſque tuis ac beneficijs impares gratiarum actiones; & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras ſic orando excuſa, vt à malis præſentibus eruas, & ad bona ſempiterna perducas.* Adſcriptus igitur in Ordine S. Franciſci, omnia conſilia, cogitationes, factaque ad Seraphici Patris vitam referebat: quàm moribus ita expreſſit, vt eius virtutum heres eſſe videretur. Cuius enim res piè, religioſè, admirabiliter, diuineq; geſtas ad poſteritatem litterarum monumentis conſignaturus erat, maluit ſanctâ æmulatione factorum illas imitari priùs, quàm ſcriptorum copiâ enarrare.

Offan. or. §. 5.

CAPVT V.

De vitæ innocentiâ, humilitate, curâ ægrotorum, charitate, & morum ſuauitate.

§. 1. ITAQVE hoc loco, vbi iam Bonauentura vitæ religioſæ Seraphicęq; viam & curſum ex voto ingreſſus eſt, orationem primò inſtituam de maximis illis ornamentis, quibus illum Pater miſericordiarum, & Deus totius cõſolationis excultũ eſſe voluit: deinde verò de egregiâ eruditione, ac præſtanti doctrinâ; quàm nõ tam ſingulari ſtudio laboreque ſuo partam, quàm diuinitùs etiam traditam accepit. Eâ porrò vitæ innocentiâ, eâ morum caſtitate, eóque ſinceri animi ſplendore is quidem ceteris præluxit, vt Alexander Alenſis, cui clariſsimo Theologię Magiſtro, operam dedit, dicere ſoleret; *Non videri Adam in Bonauenturâ peccaſſe.* Nec verò fefellit illum opinio, quâ de eo eximiam conceperat.

Elogium ſingulare.

2. Humilitatem verò, quæ omnium virtutum ſeminarium eſt, & quàm à ſe magiſter cæleſtis Chriſtus Dominus, potiſſimùm diſci voluit; *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis & humilis ſum corde*, mirificè ipſe coluit, exemplaque eius plurima dedit, ac documẽta. ſcriptum autem de eâ reliquit multis locis, ac libris, eóque præſertim, quem *Pharetram inſcripſit. In omni quidem ferè opuſculo, ſe humilem oſtendit ac profitetur. Plena ſunt

Mat. 11. 29.

* Phar. lib. 4. c. 12.

humilitatis verba, quę ex intimis animi ſenſibus aliquando in libro *Confeſſionali ita profert; *Ceterum ſimplex, ſimplicibus ſimplicia ſcribens ſimpliciter, particulas præſentis opuſculi ſecundùm quòd occurrerunt memoriæ magis, quàm ſecundum naturalem admittem coharentiam ordinaui, omni quâ poſſum humilitate, ac deuotione ſupplicans, quatenus*

* Procem. lib.

Sis mihi correctior, reſecando ſuperflua lector;
Veraque digneris, quâ deſunt, iungere veris,
Omnem defectum partim ſtudio breuitatis,
Scribentis tribuas, partim vitio ruditatis.

Alio præterea in opuſculo, quòd de Puritate cõſcientiæ à ſe editum Gerſo interdum præclare commeminit, cernere etiam licet, pręſertim capite vltimo, quàm demiſsè, quàm de ſe humiliter ſentiat. Et quoniam huius virtutis, quæ excelſa eſt, atque vſq; eò alta, vt cælum etiam penetret; ſtadium nõ ſolùm ipſe cucurrit, ſed alios in eodem verſari maximopere deſiderauit, cùm locum aliquem in diuinis litteris nactus eſt, vbi celſiſſimę illius virtutis gradus demonſtrare queat, nullum ſane prætermittit, Chriſti Domini humilitatem, & item Virginis Mariæ matris, vbique ferè in aliquot *opuſculis docet ac prædicat. Eiuſdem autem virtutis exempla profectò quàmplurima is præbuit, ac reliquit, cùm eſſet in ſanctis illis vitæ eiuſdem & Chriſti IESV, & beatiſsimæ Virginis meditationibus aſſiduè verſatus. Nec verò is, cuius animus ad humilitatis officia eruditus, nunquam turgeſcebat neq; tumebat, ne doctrinarum quidem, quibus abundabat, copiâ ab operibus ceſſauit, quæ vilia contemptaque vulgò putantur. Vaſcula deterſit, & lauit, tricliniis cubiculiſque domus verrendis, alijſque iſtiuſmodi miniſterijs exequendis, quæ ceteri faſtidioſiùs præſtare videbantur, operam nauauit. Ab ijs porrò vix abduci poterat, niſi ſuperiorum, quibus obediendum erat, iuſſu. Indignum enim hòc valde illi arbitrabantur, vt tantus vir, quem ſanctitate prælucentem, ſcientiâ affluentem, ac multis Spiritus ſancti donis ornatum cernebant; opus in rebus humilibus atque abiectiſsimis occuparet. Quinimò, quòd maximè mirandum eſt, tantâ præſtitit humilitate, vt cùm diu aliquando adhuc iunior ſe indignũ putarit ſanctiſſimo Chriſti corpore, dignus ideo fuerit, qui id Angelo miniſtrãte ſulceperit.

*Lib de vitâ Chriſti c. 7. & 16. Spec. B. Mariæ c. 4.

Humilis ipſe humilia facere delectatur.

3. Præcipuam autem curam ægrotantium habere perpetuò voluit; iiſque hilariter miniſtrabat, atq; eò libentius,

Curam agit ægrotorum.

quò

quo grauior morbus & contagioſior eſſet. Quam ſanè rem commemoro, non ab eâ diſſimilem, quam Nazianzenus de Baſilio ſcribit: qui hominum, leprâ laborātium, vulnera & curauit, & oſculatus eſt. Curandis verò ægrotis fratribus, ita aſſiduus Bonauentura fuit, vt magnam diei partem conſumeret: nec propterea tamen ab interpretandi munere, alijſque exercitationibus litterarijs deſiſtebat.

Orat. de S Baſilio

4. Atqui eâ erga cunctos exarſit caritate, vt, ſi quem triſtem & conturbatum interdum videret, nō conqueſceret, donec eum hilarem lætumque redderet, in mœrore iacentem conſolando excitaret, & à bono propoſito declinantem, ad viam reuocaret rectè progrediendi. Vix dici poteſt, quàm ſuauibus quàm commodis vſus ſit moribus; vt pro concione Innocentius Quintus Pontifex aliquando aſſeueranter dixerit, Quotquot in eum incidiſſent, illorū ſuauitate captos, eius dictis ac monitis fuiſſe audientes. Sed res planior fiet, cùm locus inciderit narrandi de Græcis, quorum ſibi beneuolētiam in Concilio Lugdunenſi Oecumenico II. valde conciliauit.

Triſtes ſolatur.

CAPVT VI.

De meditationibus, contemplationibus, & orationibus.

§. I. AT in lege Domini die, nocteque* meditatus, admirabili lachrymarum vbertate totum ſe in contemplationibus vitæ Chriſti Redemptoris piè effudit. Opuſculum eo nomine contexuit, cuius vſum, rationemque ad ſingulas hebdomadæ ferias quàm ſanctiſſimè, ac rectiſſimè accommodauit. Curarū huius ſæculi tempeſtatem fugit aſſiduitate orationum: quibus ita fixus hæſit, vt mentis cogitationibus cæleſtibus, ſe à corporis ſenſibus aliquādo abduceret. Chriſtum Dominū patientem non ſolùm meditando, ſed etiam ſcribendo ob oculos ſibi propoſuit. Eamq; ob cauſam vſq; adeò diligenter ſcripſit, vt legentium animos vehementer moueat, admirabiliter inflammet ad diuinam pietatem, cognitionemque rerum cæleſtiū. Scitè, igitur de eo grauiſſimus auctor dixit; *Non inflantia, ſed inflammantia verba S. Bonauentura protulit.* Verùm enimuero, cùm ad eam partem accedam, quæ ad eximiam atq; exquiſitam eius doctrinam & eruditionem, aut certè ſcribendi rationē, vim, dignitatemq; attinet, non prætermittam vllas eius generis partes.

** Pſal. 1. 2.*

In orationibus aſſiduus.

Trithem. de ſcript. Eccl. in Bonauen.

2. Sed profectò ad ſanctarum contemplationū, meditationumq; ſtudium fuiſſe eum quàm diligētiſsimum, nemo eſt, quin facilè intelligat, qui eo magiſtro ac duce illarum exercitationibus vtitur. Earum enim vſu optimè peritus, præclarè docuit vim, materiā, formam, finem, ac diſtinctionem: & verò de ſingulis præcepta valde vtilia dedit, atque exempla, quibus non modò ad cōtemplandum atq; ad meditādum, ſed etiam ad cogitandum, & orandum piorum hominum mentes animiq; informarētur. Contemplationē autem à meditatione, oratione, & cogitatione rectè diſtinxit, vt is, qui in earum vnaquaq; perpetuas, magnaſque progreſsiones habuit. Ac præterea contemplationis, actioniſque viciſsitudines oſtendit; quæ in ſingulos etiam dies ſint meditanda, quę in ſingulas quoque diei horas, vel potiùs in ſingula momenta, & quæ cùm meditatione conueniant, quæ item in perenni iugique meditatione verſentur, ita dilucidè multis opuſculis explicauit, vt egregium ſanctarū meditationum & cōtemplationum præceptorem, præclarumq; interpretē facilè quis poſsit agnoſcere.

Et meditationibus.

Quarum methodum benè docet.

3. Orandi modum, à Chriſto Domino inſtitutū, ac præſcriptum docuit: ** Sine intermiſſione orate* quid ſit, ſæpenumerò expoſuit: orationis gradus, partes, fructus, vtilitates, tempuſque enarrauit. Pro quibus preces adhiberi oporteat explanauit, etiam, quotidie, præſertim pro ſanctâ Eccleſiâ Romanâ, cuius ſe eximium cultorem ſemper præbuit. Sed opuſcula cōplura, quæ de exercitationibus ſpiritualibus edidit, planè declarant, ac ſignificant ſtudium, & vſum, quo is in omni religioſarum precationum genere ſeſe diu noctuq; exercuit, mente non ſolùm ac ſpiritu, ſed etiam voce. Eamque ob rem Officium de paſſione Domini, & item de cruce compoſuit. Beatiſsimam porrò Dei genitricem Mariam Virginem ſibi patronam cæleſtem delegit, & eximiâ pietate coluit: ideoq; opuſcula confecit, quibus ad eius laudes ipſe & ſe, & alios optimè ſalutariter inſtruxit. Librum eum, quòd Mariale appellatur, & Speculum beatæ Virginis, Pſalteriumq; eiuſdem ſcripſit. Salutationem præterea Angelicam, atq; antiphonam, Salue Regina, miris diuiniſq;

** 1. Theſ. 5. 17.*

D. Virginis Matris cultor.

laudibus

laudibus explicauit: & Coronam beatæ Mariæ Virginis pio officio contexuit, vt in Dei matris veneratione cultuque eſſet perpetuus cleri populique Chriſtiani curſus. Atque ita quidem in omnes pietatis deuotioniſque partes ſe ardentiſsimo orandi ſtudio excitauit, vt cùm ob ſcribendi genus, tùm ob piè agendi & precandi ardorem ſit optimo iure, meritoque appellatus, *Seraphicus, & deuotus Bonauentura.* Nam is cùm nihil antiquius haberet, quàm vt in ſtudijs religionis progreſſiones haberet, ad ea perpetuò progreſſus, *in deuotionis gratiâ*, inquit ſanctus Antoninus, *continuum ſumebat gratiæ incrementum.* Siquidem omnia, quæcunque ſubtiliter cogitaret, aut ad ſcribendum pararet, ne doctrinis tepeſceret oratio, vertebat in formam modumque piæ precationis.

Deuotus & Seraphicus Bonauentura.

Hiſt. par. 3. tit. 24. c. 8.

4. At paulò pòſt dicam ex luculento teſtimonio Trithemij, quàm egregiè is deuotionem cùm ſcientiâ coniunxerit. Reliquas eius virtutes multas, quarum præſtantiâ vir magnus, vel potiùs ſummus, in huius vitæ curriculo Bonauentura habitus eſt, nempe fortitudinem in laboribus, conſtantiam in deſpiciendis honoribus, patientiam in oppugnationibus, ſapientiam in publicis prouincialibuſque Fratrum conuentibus, prudentiam in adminiſtratione ordinis ſui Seraphici, & alias præſtantis ingenij animique ſui partes aliquo modo planas faciam: cùm paulò poſt, locis ſuis, commemorabo ceteras denique omnes, & illas quidem admirandas diuinaſq; eius res geſtas; in quibus ſplendor elucet maximus ornamentorũ, quę in illum Deus benigniſſimè contulit.

CAPVT VII.

De eruditione, & doctrinâ mirabili.

§. 1. NVnc de illius eruditione & doctrinâ ſcribam, Nazianzenum ſecutus, qui tam multa de Baſilij ſcientiâ dixit. Fuit porrò doctrinâ ſancti Bonauenturæ, diuinarum contemplationum ratione admirabilis, diſciplinarum eruditione præſtans, omni ex cognitione conſtans, cum Eccleſiæ patrumq; decretis congruens, eademque vera ac ſolida, referta myſterijs, & plena pietatis ac deuotionis, parta non ſolùm ſummis ſtudijs, ſed accepta diuinitus: nimirum, quia is, qui *illuminat mirabiliter à montibus æternis*, in illius mentem, tanquam in ſpeculum, ſuę lucis radios effudit. Sapiētiæ ſpiritus *ſuper humilem, & tremētem verba eius requieſcit. Mens certè humilis & demiſſa, opibus ſuis omnino diffidens, quâ S. Bonauentura præditus fuit, iudicium Dei extimeſcens, imbuta fuit copijs illis diuinæ doctrinæ, quibus Catholicā ſanctam Eccleſiam is exornauit, atq; auxit: cùm præſertim cæleſtibus ijs contemplationibus adultus, quas iam modò narraui, totuſque mente & animo in paſſionis Domini meditatione fixus, inde tamquam ex vberrimo fonte, omnem diuinæ Sapientiæ vim hauſerit.

Eruditus & diuinitus.

Pſal. 75. 5.

*Iſa. 66. 2.

2. Sed induſtria etiam commemoranda eſt, quàm ad litterarum ſtudium adhibuit. Nihil potius ei fuit labore, & diligentiâ: nihil deteſtabilius inertiâ, deſidiâ & negligentiâ; nihil tandem alienius inertiſſimo otio, quo homines affluentes, turpit r in eo hebeſcunt ac langueſcunt. Itaq; cùm primùm Seraphicę religioni ex voto ſe adiunxit, prętermuneris functiones, quas multas ad Ordinis præſcriptas regulas præſtare eum oportebat; in eo etiam ſibi elaborandum putauit, vt ſanctorum Patrum monumenta ſtudioſè legeret, vnde doctrinæ, diſciplinæque præcepta caperet. Librum igitur, quam Pharetram dixit, in ipſo religionis ingreſſu ex operibus contexuit Sanctorum Doctorũ, Gregorij Papæ, Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Chryſoſtomi, Iſidori, Anſelmi, Bernardi, Caſſiodori, aliorumque multorum. Tanto certè ſtudio exarſit ad diuinas litteras, vt Bibliorum ſacrorum exemplaria duo manu ſuâ ſcripſerit: quorum vnum Balneoregij in eccleſiâ Fratrum Minorũ extare dicitur, alterum in bibliothecâ Borrhomeianâ. Nec mirũ eſſe poteſt, ſi vetus & nouum Teſtamētum memoriâ tenuit, cùm non modò vtrumque ſtudioſiſſimè legerit, vſuque contriuerit, ſed ſemel atque iterũ exſcripſerit, vt diligentiſſimè potuit. Thucydidis Hiſtoriā Demoſthenes tam ſæpenumerò deſcripſit, vt ſuccum eloquentiæ Atticę retineret: itidē de ſacroſanctis Biblijs hic noſter fecit, vt eorum dictionibus, ſententijſq; vim ac poteſtatem ſibi pararet, quam lucubrationibus ſuis oſtendit magnâ cum induſtriæ religioſæ laude. Eo ipſo tempore tum ſacris ſtudijs, quorum ardore flagrantiſſimus erat, tum charitatis, quâ Fratres

Pharetra primum eius opus.

Nota.

Ordinis ſui eximiè in Chriſto Domino diligebat; zelo incredibili incenſus, opuſcula aliqua compoſuit, quæ eorum conuentui in eleemoſynam contulit, vt in ſummâ inopiâ inde etiam honeſtè pieque victum quæritarent. Quare cùm nullum deſidiæ, otioq; locum vnquam reliquerit, non defuit neq; officijs, quæ ex normæ ac regulæ Franciſcanæ præſcripto, & multa, & magna præſtitit; neque meditationum exercitationibus, quarum vſu ceteris præluxit; neque ſacræ Eccleſiaſticæque eruditionis progreſſionibus, quibus mirabilem in modum delectatus eſt.

3. Annus ferè ſeptimus erat, quo ritè profeſſus, in Ordinis Franciſcani religionem ſe Deo dicarat: quo ſeptennij ſpatio ad eum Philoſophiæ, Theologiæ, ac litterarum gradum aſcendit, vt magnam omnibus admirabilitatem excitarit ſui, ſuæq; præcellentis induſtriæ atque virtutis. Sed *initium ſapientiæ eſt timor Domini*: quo illum diuinè imbutum, non modò mirum ſanè videri debet, ſed planè credibile, atque adeò verum eſt, omni præſtantiſſimæ eruditionis acceſſione & ornatu auctum eſſe; cùm præſertim is & in perpetuò quodã ſolidæ ſanctæque humilitatis curſu inſtiterit, & in præclaris pietatis officijs, atque vſu diuinarum contemplationum ſeſe continenter exercuerit. Quę profectò res, bene iuuante Deo, plurimum roboris viriumque in primis habent, tum ad progreſſionem, tum ad ſummam ſtudiorum, quæ potiſsimùm in ſacrâ doctrinâ ponuntur. Eamque ob rem rectè ac ſcitè ſanctèque dixit ſanctus Auguſtinus in hanc ſententiam: *Qui vult attingere profundum ſcripturarum, humilitate & Dei timore veſtitus eſſe debet.* Iis igitur virtutibus Bonauentura ſanctus, benè inſtructus, tantis affluxit doctrinarum, præcipuè ſanctarum copijs, quantas certè maximas in eo ineſſe affirmant, ac profitentur ſapientiſsimi viri, & ſcriptores luculentiſsimi, quorum teſtimonia in medium loco ſuo ponam.

Pſal. 110. 10. *Ad eruditionem via humilitas.*

2 Doctr. Chriſt. c. 7. & 9.

CAPVT VIII.

De doctrinæ progreſſionibus, & alijs in ſtudio Pariſienſi.

§. 1. AT nunc narrare pergam reliqua, quæ ad eximias illas progreſſiones eius Pariſienſes attinent. Lutetiam Pariſiorum, eo ſeptennio penè confecto, ad Alexandrum Alenſem venit. Hîc ſpectare licet, quantum is in vrbe, ſtudijs affluenti, & magiſtro ac doctore tam excellenti profecerit, idque triennij ſpatio. * Pariſienſis porrò Academia, à Carolo Magno de conſilio Alcuini præceptoris, & venerabilis Bedæ, primùm rectè inſtituta, vt in eâ ad propagandam religionem Chriſtianam pura philoſophia traderetur; cùm anteà ſemper doctiſsimis viris floruit, tum verò florentiſsima fuit; quo tempore ad eam Bonauentura acceſsit. Erant enim tunc præter ceteros, quos enumerare longum eſſet, celeberrimi magiſtri Theologiæ duo, Albertus Magnus, & is, cuius memini, Alexander Alēſis, quem annos tres Bonauentura audiuit. Id omne argumento eſt ad doctrinam, quâ ipſe abundauit, cumulum acceſſiſſe non mediocrem. Pariſiorum enim vrbs, quę bonarum diſciplinarum altrix dicitur, cùm ad ſtudia alijs valde vtilis fuit, tum maximè profuit Bonauenturæ, & Thomæ Aquinati, vt Athenæ Baſilio, & Nazianzeno. Deinde ad noſtri doctoris ſcientiam, quam multis partibus cumulatam, ac perfectam plerique omnes vno ore dilaudant, plurimum adiunxiſſe videtur illa acceſsio triennij, quod ampliùs Lutetiæ in illius Summâ perficiendâ poſuit quàm ſolertiſsimè.

Pariſios venit.

*Architrem 1. de Vrb. & Acad. Pariſien.

Vbi triennio præceptorē audiuit Alexandrum Alenſem.

* Naz or. de S. Baſil.

2. Verùm denique ad omnem eius cumulũ permulti illud interfuit, quòd pręceptore vſus eſt eruditiſsimo Theologiæque Scholaſticæ vſu litteratè peritiſsimo. Erat is Alexander Alenſis, homo Anglus, Iuriſconſultus ſapientiſſimus, Theologiæque ſcientiâ clariſsimus: qui mirabiliter, vt Annales loquuntur, beati Seraphici Franciſci religionem amplexus; vſque adeo ſuâ doctrinâ, pietate, ac ſtudio ſingulari eam illuſtrauit, vt illo primùm tempore in conuentu Franciſcano Pariſijs, publicæ Scholæ fuerint apertæ, ad quas omnium Ordinum, omniumque magnorum hominum concurſus factus ſit maximus. In ijs Ioannes Gerſo, Stephanus Bruleferus, & is, qui auctor eſt Fundamenti trium Ordinum, ac doctor verè Angelicus Thomas Aquinas. Tam præclaro autem Theologiæ Doctore ſe vſum eſſe aliquando * ſcribit, ac profitetur. Quâ teſtificatione manifeſtum perſpicuè eſſe poteſt, ex præſtantiſsimi Magiſtri Scholâ, tanquam ex bonarum

Qui Anglus fuit.

*In 2. Sent. diſtinct. 23. quæſt. vlt.

artium

artium officinâ, vnde ſummi viri prodierunt, ſe prodiiſſe: vt inde quis agnoſcat, quòd etſi præ humilitate, ac præ ſancto pudore ipſe tacitum reliquit, recte tamen conſequens eſt, eum tanti præceptoris fuiſſe diſcipulum, haud quaquam planè diſſimilem. Eſt enim illud tritum ſermone prouerbium; *Optimi magiſtri optimus diſcipulus.* Si igitur magiſtri præſtantia multum præclaras eas Bonauenturæ progreſſiones adiuuit: certe etiam, non parum ille excitaſſe videtur, quem valde dilexit, eiuſdem magiſtri, aut certe eiuſdem Pariſienſis Academiæ diſcipulus, beatus Thomas Aquinas.

S. Bonauen. & S. Thom. nobile par amicorum.

3. Ii ambo Pariſijs charitatis vinculo, vitæ moribus, doctrinæ, pietatiſque ſtudiis itidem coniũctiſſimi, vt Athenis olim fuerũt illi duo, Baſilius & Nazian. quorum aliquam, ſi cũcta recte perpendũtur, imaginem tunc referre videbantur. At hæc ipſa coniũctio eo clarius apparebit, quo dilucidiùs infra explicabitur. Magni autem ſemper fecit Alexander, vt erat acerrimo iudicio; Bonauenturæ diſcipuli, quem verum Iſraelitam eſſe dictitabat, non ſolùm puram integramq; ab omni vitio vitam, planeque Angelicam, ſed iucundã etiam morum conſuetudinem, cum pietate, grauitateque coniunctam, aſpectus pulchritudinem & dignitatem, ſermonis vim plenam ſuauitatis, & ingenij præſertim animique indolem ſummam, cùm ad omnes virtutes, tum ad ſacrã Theologiam; cuius ſciẽtiã excelluit egregiã cum laude. Quamobrem tertio pòſt anno, quàm Pariſios venit, idoneus ac dignus Bonauentura habitus eſt, qui Theologiæ illic interpretandæ munus publicum ſuſciperet, ac ſuſtineret. Id interpretationis publicæ officium primò geſſit, vt dixi, Ordinis Franciſcani Theologus Alexander Alẽſis: deinde Ioãnes Rupellius, qui, primariis Academiæ Pariſienſis viris efflagitantibus, ab eo vnus potiſſimùm delectus eſt, qui eiuſdem Ordinis Theologus in illum publici interpretis locum ſuccederet. Tertiò autem, ea curã ſummo omnium cõſenſu & gaudentibus animis, delata eſt ad Bonauenturam; vſq; adeò non ſanctimoniæ ſolùm, ſed doctrinæ ſplẽdore prælucentem, vt præclarè de eo teſtatũ * Gerſo reliquerit his verbis; *Neſcio ſi vnquam talem doctorem, ſicut Bonauenturam, habuerit ſtudium Pariſienſe.* Itaque quo tempore, vel potiùs, quo die legendi, interpretandiq; cathedram S. Thomas Lutetiæ Pariſiorum aſſecutus eſt, eodem etiam S. Bonauentura, qui priorem locum adeptus, S. Thomæ præ humilitate ceſſit.

Ioannes Rupellius in docendo Alexandro Alenſi ſuccedit, dein S. Bonauen.

* De libris legendis conſiderat 5. 1. 2.

* Brulef. Prolo in Sent Vide Elog. 7.

Nota.

4. Interpretandi ergo ac docendi publicum munus cùm ſuſcepiſſet, ita egregie ſuſtinuit, vt quam de ſe cõcitarat opinionem, longe ſuperarit. Quæcumque enim exponere aggreſſus eſt, egregiè dilucideque ſic explicauit, vt nõ interpres, ſed auctor fuiſſe videretur diſciplinarum, quas interpretaretur. Et verò, in eã ipsã Pariſiẽſi Academiã cùm publicè profiteretur, illam conſectatus eſt docendi rationem ac doctrinam, quę ſapientiſſimis omnibus probata, omnium etiam florentiſſima extitit. Docendo namque nitebatur primùm diuinarum litterarum ſententiis, deinde probatiſſimorũ patrum auctoritatibus, tum argumentis firmiſſimis, rationumque grauiſſimis momentis. Quod cùm ipſe de ſe, vt initio narraui, teſtatum aliquando faciat; tum ex eius libris, atque opuſculis liquidò conſtat, ac præterea ex omni eius expoſitione, atque commentario; vt ex argumento, quod vnicuique adſcripſi, intelligi facile poteſt. Quò fit, vt illius explanationes plenæ ſint, & cumulatę litteris, digito Dei ſcriptis, non verbis affluentes, ſed rerum vbertate, moreque ſuo Seraphico ſententiarum grauitate diſtinctæ, ac perpetuò diſciplinæ præceptis conſperſæ: vſque adeò, vt ex auctore doctrina, rurſuſque auctor ex doctrinã agnoſcatur.

S Bonauẽt. publicè docuit cum laude.

5. Primò autem Pariſijs libros Magiſtri Sententiarũ copiose & grauiter expoſuit, commentarijſque luculentis illuſtrauit: quorum commẽtariorum doctrinã, Clemens Quartus Pontif. Max. mirifice in primis delectatus eſt. Et verò is, vt ſapientiſſimus religioſiſſimuſque Pontifex erat, famã permotus magnæ, exquiſitæque eruditionis, quã illis temporibus ſanctus Bonauentura præcellebat, cùm in Academiã Pariſienſi tunc etiam primum Geneſis caput, quod Hexaëmeron Græci dicunt, interpretaretur, non ſine præclarã laude, eum ad ſe venire iuſſit: vtque doctrinã illius & ſapiẽtiã in grauiſsimis deliberationibus vteretur, Archiepiſcopatu Eboracenſi, qui in Angliæ regno tunc erat, & diœceſi, & opibus ampliſsimus, illũ exornare voluit. Quã cognitã Pontificis voluntate Bonauentura, vt à tanti muneris curã quidem multiplici & magnã vacuus, in Seraphici Ordinis

In Magiſtrum Sent. Comment. ſcripſit.

Item in Hexaemeron Gen.

Archiepiſcopatus Eboracenſi renunciat.

V inſti-

inſtitutis contemplationeque ac ſtudio rerum diuinarũ liberiùs cõquieſceret, tantam dignitatem conſtãtiſſimè recuſauit: cùm onus eſſe illud oſtẽderet longègrauius viribus ſuis. Conſtãtiam eius Põtifex admiratus, illum dimiſit iis ſacrarum litterarũ verbis; *Sta in teſtamẽto tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce*. Rerũ igitur humanarum deſpicientia cùm in omni eius vitâ cernitur, tum in Archiepiſcopatus, quem alij expetunt, honore maximè refutando.

Eccli. 11. 21.

6. Cùm autem in eo primo Geneſis capite, nempe Hexaëmero, vt dixi, explanãdo verſaretur, iam tribus & viginti ſermonibus, quos Luminaria Eccleſiæ, aut viſiones quinque vocauit, ad expoſitionem amplè digreſſus, non abſoluit tamen. Quod ſanè cõmemorare libuit, vt quod de Baſilij Hexaëmero ſcriptum eſt, idem Bonauenturæ contigiſſe, perſpicuum ſit. Ille per obitum non abſoluit, cùm conciones tantũ nouem ad illius explicationem habuiſſet: at reliquas duas Nyſſenus frater confecit. Hic verò noſter, non ſolùm ordinis Franciſcani, ſed Eccleſiæ causâ negotiis ſuſceptis, nequaquã perficere potuit: neque verò habuit, qui pari cum doctrinæ copiâ perficere potuiſſet. Atque ille Baſilij quidem conciones, quas ad Hexaëmeri cõmẽtarium is adhibuit, ſummè laudantur à Nazianzeno: qui earum ſtudio flagrans, cùm in manus ſumeret, in oreque illas haberet, ardentiùs ſe excitatum eſſe ſcribit, cũ in primis ad Deum creatorem rerum omnium colendum, tum ad creationis rationes cognoſcendas. Sed accẽdunt iidem etiã Seraphici doctoris Bonauẽturę ſermones, qui myſticæ Theologiæ arcanis referti, ſacrarum litterarũ ſplẽdore illuſtres, & quodam ſentẽtiarum quaſi ardore incenſi, non modò mouent, ſed inflammãt animos legentium. Hanc ſane præcellẽtis doctrinæ, non modò vim, ſed copiam in eo Pariſiis, cùm S. Thomas animaduerteret, ſimul ac admiraretur; ipſum conuenit, à quo ſibi Bibliothecam oſtendi petiit, vt libros conquireret, vnde tam multiplicem, atque adeò magnam eruditionis vbertatem hauriret. Is vero Chriſti Domini, cruci affixi imaginem demonſtrauit: è quo fonte vberrimo ſe accipere profeſſus eſt, quidquid vel legeret vel ſcriberet.

Orat. de S. Baſilio.

Myſtica Theologia eius laus.

Ann. Fra. par. 2. tit. 2. cap. 2.

Crux Chriſti S. Bona. bibliotheca fuit.

7. Quàm breui tempore tam multa ſcripſerit, in ſummis etiam publicæ interpretationis occupationibus; profectò iam demonſtraui, cùm & Hexaëmeron expoſuerit, & vberrimè expoſuerit Primum, Secundum, Tertium & Quartũ ſentẽtiarum librum. Verùm eo ipſo tẽpore, quo Lutetiæ Pariſiorum fuit, ad multos labores, quibus variè is diſtinebatur, alius acceſſit non paruus, quem Ordinis ſui tuẽdi causâ, Alexandro Quarto Pontifice, qui Clementem Quartũ proximè anteceſſerat, ſuſcipere neceſſe habuit, atque adeo ſuſcepit vel libentiſſimè. Guilielmus enim de Sancto amore, librum contra paupertatem & Mendicãtes parũ ſapienter ſcripſerat: quem quidẽ S. Thomas eruditè, opuſculo redarguit, & item S. Bonauentura egregiè ſcriptis ſic refutauit, vt & librum Põtifex Alexãder prohibuerit, & illius auctorem damnarit. Et quamquam hominem induſtriũ, ac maximè laborioſum, virumq; ſanctũ Bonauent. & interpretationes publicę, plenæ vigiliarũ, & ſcriptiones, tempus ac diligentiam maximè depoſcentes, occupatiſſimum habuerãt: tamen in luce Pariſiẽſi id otij ſibi ſumpſit, vt B. Seraphici Patris Franciſci vitam etiã non modò ſæpiſſimè meditationibus ſanctis, & cogitationibus ſalutaribus expenderet, ſed litteris etiam mandaret. Quamobrem latè fuſeque primùm de eo ſcripſit: deinde eadem omnia breui eſt cõplexus, quo faciliùs illa ſummatim cõprehenſa, tum ad vitæ diſciplinã, tum ad diuini officij vſum in iis lectionibus adhiberẽtur, quas in octauis feſti diei, beato ipſi Frãc. dicati, recitari ſolemne eſt. Bonauenturã porrò, de eo vel ſcribẽtem, vel cogitantẽ, vel ſummâ animi attentione ita meditãtem, vt paulum is è terrâ ſublatus videretur, cùm è cubiculi valuarum rimulis clàm inſpexiſſet B. Thomas, qui pro mutuâ charitate & amicitiâ ad illum ventitabat, noluit ne fores quidam pulſare, ne dum in cubiculum pedẽ inferre. Quâ perſpectâ re, ſocius, quid cauſæ eſſet, quæſiuit, cur non ingrederetur: tum ille; *Sinamus*, inquit, *ſanctum laborare pro ſancto*. Vox præclara, quâ is & illum viuentem ſanctũ appellauit, & rectè ſcribentem etiam laudauit.

Cõtra Guilielmum à S. Amore ſcribit.

Et Vitam S. P. Frãciſci.

Viſus in aërem eleuatus.

8. Atqui prætereà, ſi ad rem, quæ per ſe ſatis ipſa eluceſcit, aliquid etiã luminis ex luculento teſtimonio afferẽdum eſt: profectò Leonardus Aretinus, illis temporibus eruditionis & eloquentiæ laude clarus, cùm S. Franciſci vitam, à Seraphico doctore Bonauen. ſcriptam,

ſtudioſè legiſſet; ſententiam rogatus; In illo ſcribẽdi genere, reſpõdit, à nemine illũ ſuperari poſſe. Hæc ſane teſtificatio probatur omnibus: ſed lõge probatiſſima erit, ſi teſtimonium acceſſerit S. Viri, eruditiſſimiq; hominis, & religioſiſſimi Archiepiſc. Antonini; qui illius vitã ſtylo mirabili ab ipſo Bonauẽturâ ſcriptam eſſe aſſeuerat, nihilq; habere iudicat niſi quod certum, quod verum, quod maxime probatũ eſt locupletibus teſtibus, & rerum conſciis, quæ litteris mãdatæ ſunt. Cùm igitur de eo mirifice ſcripſerit: locus, vbi ſcripſit, adhuc Pariſiis in monaſterio Franciſcano extat inſtar ſacelli, tamquã rei admirabiliter geſtę monumentũ. Illius ſane tẽporibus de Bonauen. quẽ pium, ſanctũ, eruditioneque perfectã ex cultũ, omnes admirabatur, fama præclara vbiq; percrebuit.

Hiſt. par 2. tit. 14 c. 8.

9. At vero is cùm ad cæleſtem illam hęreditatẽ immortalis glorię ſpectaret, ad quam diuinitus vocabatur: huius ſæculi laudes inanes & caducas, hac atque illac vulgi rumuſculis ſæpenumero temere diffluẽtes, contempſit, pro nihiloq; putauit. Immo etiã quanto nomen eius efferebatur maiori hominum prædicatione, tanto diligẽtius in id toto animo incubuit, vt de ſe ſuiſque rebus humiliter ſummiſſeq; ſentiens, Deo in primis, bonorũ auctori, gratias de progreſſionibus eius ſemper ageret; ſe vero in perpetua humilitate contineret, quam tamquã Chriſtianarũ parentem, cuſtodemque virtutum ſemper conſectatus, iadiu firmiſſima eius veſtigia toto vitæ curſu impreſſerat. Sed hæc eius ſumma ſingularitque humilitas nota iam ſatis eſt, ac valde ſpectata in iis, quæ fere initio commemoraui.

CAPVT IX.

De iis quæ geſſit Miniſter Generalis creatus.

§. 1. IAM verò tertius & decimus prope annus abierat, quo ad Ordinis Franciſcani religionem diſciplinamq; acceſſerat: eo ipſo temporis ſpatio perſpectæ ſunt non ſolùm, ſed etiam atque etia exploratiſſimæ reliquæ omnes eius virtutes. Cum enim in tantâ hominum exiſtimatione eſſet, quãtam ſane maximam expoſui: nihil fere vel publice, vel priuatim in vniuerſo Seraphico Ordine vmqua actum geſtumq; eſt, in quo aliquod non extaret illis tẽporibus monumentũ pietatis, charitatis, prudẽtiæ, doctrinę, cęterarumq; optimarum rerum, quarũ ornamentis ille maximè enituit. Nihil porrò qui Ordini Seraphico præerãt; Miniſtri Generales tũc aut ſtatuerunt, aut egerũt, niſi de illius cõſilio. In diſputationibus publicis ij numquã diſceſſerunt ab eiuſdẽ ſentẽtiã, qui ſapienter docteq; de propoſitã omni quæſtione diſſerebat. Si quãdo autẽ conuentus, quæ Capitula vocantur; ſiue cunctarum Ordinis totius Prouinciarũ, ſiue vnius tantùm habebãtur: ſi quid in iis arduum ac difficile incidiſſet, ad Bonauent. conſiliũ ac ſapientiã referebatur. Demum tã multis meritorũ copiis ipſe affluẽs, totius Ord. Miniſter Generalis Romæ creatus eſt, eo anno, quem dixi, tertio & decimo profeſſionis ſuę: quod munus eà ſapientiæ & ſanctitatis laude geſſit, vt in omnium ore & admiratione eſſet, cùm præſertim Ordinis diſciplinã nõ modò excoluerit, atque auxerit, ſed aliquã ex parte collabentem reſtituerit.

Generalis Miniſter ſalutatur.

2. At res omnis, recte atque enucleatè in præſenti, perſcribenda eſt. Iam poſt B. Franciſcũ extiterant Seraphici Ord. rectores ſeptẽ, quos S. Antoninus, ceterique Miniſtros Generales appellant. Primus fuit Ioãnes, cognomine Parẽs, Florentinus, Tuſcus, Aſſiſij creatus, vir ſanctus & iuſtus. Secundus, Helias, Aſſienſis, homo elati ſpiritus. Tertius, Albertus Piſanus, Tuſcus, Romæ factus, Gregor. Nono Põtifice, an. MCCXXXIX. vir bonus & perfectus. Quartus, Haimo Anglus, Theol. magnus, vir ſummę honeſtatis, Romę creatus, Greg. item Pont. an. MCCXLI. Quintus Creſcetius Æſinus, Picens, homo ſenex, Aſſiſij creatus Innocentio IIII. Põtifice, vir iuſtus, diſciplinæq; zelo probatus. Huius tempore in prouinciã Picenã Ordinis diſciplina paululũ labefactari incepit. Creſcentius autem Capitulũ Generale cùm indixiſſet, nõ interfuit: ſed Vicariũ miſit Bonauenturã Balneoregiẽſen, de quo ſcribo. Sextus, Ioãnes Rupellius, Parmẽſis; vir Theol. ſcientia eruditus, & in Academiã Pariſiẽſi lector, è Græciã rediẽs, quò ab Innocentio Pont. legatus miſſus erat, Aſſiſij creatus, demum Romæ, vbi Capitulũ Generale indixerat; corã Alexãdro IIII. Põt. ſe Generalatus munere abdicauit. Rogatus autẽ, quem dignum putaret, qui prudentiã, vigilantiã, virtuteq; tãtũ onus ſuſtinere poſſet; Bonauenturam, qui illius tempore proximè contra Guilielmũ De ſancto amore, vt dixi, ſcripſerat, virum ſanctum & erudi-

Vbi ſup. Series Generalium Miniſtrorũ ante S. Bonauenturam.

tum nominauit. Is igitur poſt B. Franciſcum, Miniſter Generalis ſeptimus, Romæ omnium ſuffragiis, ſummâque cõſenſione ac lętitiâ creatus eſt, Alexandro IIII. Pontifice præſente: qui iam inde, vſque quo Cardinalis Oſtiẽſis fuerat, Seraphici Ordinis patrociniũ cùm habuiſſet, mirificè etiã Bonauenturam perpetuò fouit.

3. Hîc ſpectare licet in huius Franciſcanæ præfecturæ munere præclaras illas, actionûmque ſanctarum ſplendore illuſtres, S. Bonauenturæ virtutes. Ordinis ſtatus erat eo tẽpore in aliquid fere diſcrimen adductus, cùm ex ſectâ, diſſidióque Fratrum Picenæ prouinciæ, tum ex perturbatione diſſenſionum, quæ in cũctâ Italiâ de proprietatis regulâ, quodam modo reſciſſa, extiterunt. Itaque cùm diſciplina, ſanctiſſimis inſtitutis aſtricta, ſenſim diſſolui cœpiſſet: tũc primùm Bonauẽtura, vniuerſi Ordinis curæ præfectus, in eo maximopere elaborauit, vt non auctoritate ſolùm, ſed exẽplo, ſapiẽtiâ, moderatione, doctrinâ, cõſtitutionibúſq; rem omnem tueretur. Fuit autem is in illius muneris adminiſtratione mitis admodùm, ac benignus: mãſuetudine enim potiùs, cohortationibus, & admonitionibus, quàm minis aut pœnarum acerbitate, in viam bene agendi reuocauit aberrãtes. Paternâ verò charitate, & clemẽtiâ admodum ſingulari erga illos, qui ab Ordinis diſciplinâ deſciuiſſent, aut militiã Seraphicam deſeruiſsẽt, vſq; eò vſus eſt, vt non defuerint, qui in Capitulis, tam Generalibus, quàm Prouincialibus id vitio planè ipſi obiectarint. Et verò quos obſtinatè operã dare cognouit, vt palàm in hominum luce offenderẽt, exemplóq; peccarent: in eos pro culparum ratione non deſtitit grauiter animaduertere, vt ad antiquorũ morum vſum, rectámque viuendi normã, quàm Seraphicus Pater Ordini præſcripſerat; atque ad ſalutem omnes omni ratione reduceret; quæ ad eam rem rectè & religioſè gerendã potior eſſe videretur. Sed cùm miſerorum & aberrantium parẽtem, perfugiúmq; ſe eſſe maximè vellet, ne illi de ſe deſperarent: ſępenumerò verbis grauiſſimis coarguit eos, qui ſibi crimini dabãt miſericordiam ac patiẽtiam, quâ benignè vtilitérq; vtebatur ad omniũ ſalutem.

Mitis ac benignus S. Bonau. in regendo.

4. Primùm igitur, quò maturiùs de Ordinis ſtatu deliberaret, Narbonæ in Galliâ conuentũ ſeu Capitulũ generale habuit, in quo multa ſtatuit. Primò Ordinis ſtatum in aliquas certas Prouincias diſtribuit, quibus alias prętereà duas adiunxit. B. Frãciſci Regulam, quo diluci-diùs explicata, eo faciliùs in executionis vſum induceretur, accuratiſſimè expoſuit. Fratrũ, qui anteà capite aperto, capilliſq; promiſſis, ac ſparſim diffluẽtibus ritúq; paſtorũ incedebãt, veſtitui cucullam addidit. Multas de normâ regulaq; religioſè viuẽdi cõſtitutiones edidit, quę in Seraphici Ord. monumẽta referuntur. Auctor maximè fuit, vt in Natalitiis feriis caneretur; Gloria tibi Dñe, qui natus es de Virgine. Alterum prætereà Capitulũ Piſis coëgit: vbi cùm in eâdẽ Ordinis bene conſtituendi curâ inuigilaret, aliquot rubricas Breuiario adiecit. Dato campanæ poſt horam Cõpletorij ſigno, quod ineunte fermè eius ætate, vt dixi, in Eccleſiâ Dei cœptũ eſt, B. Virginem Mariã ab vniuerſo Ordine conſalutari decreuit, quòd eâ horâ ab Angelo ſalutatã crederet. Itidem, vt fratres populum monerent, diligentiſſimus etiam hortator fuit. Tertiũ Pariſiis Capitulum indixit: in quo & in diſputationibus, & in variis Inquiſitorũ hæreticæ prauitatis ſedandis diſcordiis, fuit admiranda eius ſapientia, atque doctrina. Quartũ is habuit Capitulũ Aſſiſij: vbi præter morum cõformationem, quã ad Ordinem adhibuit, illud etiã inſtituit, vt in ſingulos mẽſes vnoquoque Sabbatho, Miſſa de B. Virgine, Dei genitrice, ritu ſollẽni celebraretur. Quo tempore, Seraphica religio, Belâ Rege, in Vngariam eſt, gratulantibus omnibus, propagata.

Quæ egerit Generalis, in Capitulis. Anton. vbi Sup.

Volater. l. 21. Anthrop. *Certa formam veſtis præſcripſit. Ordinis noſtro.*

5. At verò quantum ſancti eiuſdem Bonauẽturæ ſtudiũ tunc fuerit in Seraphico Ordine, non tãtùm ad priſtinum ſtatum reſtituẽdo, ſed in omnes rectè ac religioſè agendi partes optimis regulis conformãdo, id Epiſtolæ declarãt, quas ad illum ſcripſerat. Earũ vna Pariſiis ad omnes Miniſtros Prouinciales data eſt IX. Kalendas Maij, an. MCCLVII. Altera cũctis illius Præfectis, & cuſtodibus ſcripta paulò poſt 4. Capitulũ, quod Aſſiſij habuerat. Nec verò ceſſauit vmquã, vt fratres ad vitæ ſanctæ rationes, ac virtutũ religioſarum officia erudiret: multos tũc propterea libros aut opuſcula ſcripſit, atque edidit: cuiuſmodi eſt, Expoſitio dubiorum Regulæ, Collationum monaſticarum liber, Expoſitio in regulam nouitiorum, liber de Contemtu mundi, opuſculum de Reformandis fratribus, alterum de ratione reformandi nouitios, Alphabetum ſpiri-

Libri ab eo ſcripti pro reformatione Ordinis.

tuale religioſorum, liber item de non frequentandis quæſtibus, alter de rationibus, Cur Minores prædicẽt: &, vt nihil ad eos iuuandos deeſſet, extat etiã alter, de modo prædicãdi. Hoc etiam ad ordinem rectè gerẽdum ſibi auxilium comparare voluit, vt ab Vrbano IIII. Pontifice, qui Alexandro IIII. ſucceſſerat, daretur Cardinalis aliquis Religionis Franciſcanæ Patronus & Protector. Is etſi Anterum conſobrinũ decreuerat; tamen, quem maximopere Bonauẽtura expetebat, Ioannem Caietanum Diaconum Cardinalẽ dedit, & patronũ conſtituit, virum omni laude præſtantiſſimum; qui aliquot pòſt annis Pontifex creatus, Nicolai Tertij nomen accepit. Tanto igitur patrocinio ipſe adiutus, ad rem Franciſcanam optimè conſtituendam, vix dici poteſt, quantum eius rei causâ conſtantiſſimè egerit, ac fecerit.

Item contra Giraldum hoſtẽ mendicantium Ordinum.

6. Et quoniam Satanas nefarius hæreſum magiſter, tunc Giraldum quendam Theologũ Pariſienſem, in ſenſum reprobum excitauit, vt cõtra pauperes religioſos, & mendicantes librũ ederet, quo Ordinis Seraphici in primis ſtatum infenſiſſimè oppugnaret: tunc Bonauẽtura ſanctiſſimus, ad omnẽ defẽſionem inſtructus, qui iam cõtra Guilielmum, de quo narraui, Mendicantium hoſtem acerrimum, præclaro libro dimicationem ſuſceptã, egregiè pro Ordine confecerat; induſtriæ etiam ſuæ eximiæ vires ac neruos adhibuit ad propulsãda, tamquam venenata tela, ſcripta ipſius Giraldi; cuius nefariam audaciã confregit ac ſuperauit armis virtutis ſuæ: etenim eloquentiâ, ſcribendi ſubtilitate, vique doctrinæ, atque Apologiâ plenâ pietatis refutauit, quæ ille impiè ſcripſerat. Sed illud à Deo factum eſt, qui ex eo impietatis ſcelere exemplũ pœnæ extare voluit, vt victus ille ac ſuperatus, tandem paralyſi fœdè affectus, & lepræ ſordibus totus inquinatus, miſerrimè interierit. Defenſionum autem, quas S. Bonauentura pro ordine Seraphico fortiter ſuſcepit, partæque contra illos hæreticos victoriæ monumenta, ad omnem pietatis doctrinæq; laudem inſignia hæc extãt: Apologia contra aduerſantes regulæ, Libri contra calumniatorẽ Ordinis, Apologia Euangelicæ paupertatis, Opuſculũ de paupertate Chriſti. Atque hæc quidẽ is geſſit Ordinis præfectus: cuius præfecturam cùm annos octo & decem adminiſtraſſet, reliqua etiam ſunt, quæ ſilentio præteriri nullo modo oportet, cùm ad poſteritatem litteris prodita, & adiumentum, & ornamentum non ſolùm Ordini Seraphico, verùm etiam rei Chriſtianæ publicæ afferant.

Confalonis confraternitatẽ Romæ inſtituit.

7. Piè facta eius hæc prætereà ſunt. Romæ inſtituit, præclaram ſocietatem, quàm Cõfraternitatem Confalonis vocanticui certam orandi, prædicandiq́ue normam præſcripſit, ob venerationem beatiſſimæ Mariæ Virginis, Dei genitricis. Patauij cùm eſſet S. Antonij Vlyſſiponẽſis, quẽ de Padua nominãt, corpus ad templũ eius nomine, opere magnificentiſſimo in eã vrbe extructum, omni ſollemni ritu transferẽdum curauit. Illius linguã, rubore ſuffuſam, & ab omni corruptione planè integrã, perinde ac ſi is, qui duobus & triginta antè annis obierat, recẽs ex hac vitã ceſſiſſet; cùm Bonauẽtura Sanctus aſpiceret, in manus accepit; eamq; totã intimi animi cogitatione intuens, magnis profuſis lacrymis: *O lingua benedicta!* inquit, *quæ ſemper benedixiſti Dominũ, docuiſtique alios, vt eundem benedicerent; nunc quidem ſatis perſpicuum eſt, quàm grata fueris Deo.* Hæc cùm dixiſſet; cùm intimã pietate eam oſculatus, loco decenti ſeparatim recondi iuſſit.

Itinerariũ mentis in Deum, & aliud in ſeipſum in monte Aluernæ ſcripſit.

8. Sanctiſſimis in occupationibus pro munere ſuo gerendo tempus is quidem ponebat fere totum: ſed quod ſibi cõſtituerat vel ad meditandum, precandum, orandum, vel ad ſcribendum, præterire haud quaquam voluit. Itaq; præfecturæ officio iam ſibi commiſſo, occupatiſſimus, cùm alios libros, quos paulò antè memini, ſcripſerit, tum in mõte Aluernæ cõpoſuit opuſcula duo, verè diuina, quorum vnum Itinerarium mentis in Deum, alterum itẽ Itinerarium mentis in ſeipſum inſcripſit. De cuius profectò Itinerarij præſtantiã, deque altero opuſculo, quod Breuiloquium nominauit, omnibus numeris abſoluto, afferre nõ alienum duxi, teſtimonium luculẽtum clariſſimi Theologi Ioannis Gerſonis; *Opuſcula duo,* ille inquit, *vt lecturam & alios tractatus omni interea prateream, tantâ ſunt arte compendij diuinitus compoſita, vt ſupra ipſa nihil; Breuiloquium noto, & Itinerariũ: in quibus proceſſum eſt duabus viis cognoſcendi Deum. Primus namq; horum duorum tractatuũ procedit à principio, quod eſt Deus, vſque ad alias veritates, ſub Deo creditas, & habitas. Alius è conuerſo progreditur à creaturis ad Creatorem, per ſex gradus ſcalares vſque ad anagogicos exceſſus. Confitebor itaq; & ego in inſipientiã meã, quòd à 30. annis & amplius citrà, volui habere familiares mihi prædictos tractatulos, ſæpe eos legendo, ſæpe ruminãdo,*

* Ep Apolog. ad Carthuſ.

etiam vſque ad verba, nedum ſententias: & ecce hac ætate, hoc otio, velut ad votum, vix perueni ad initium guſtus eorundem, qui & repetiti, ſemper mihi noui ſunt, & placent. Hæc Gerſo, cuius teſtimonio nihil explicatiùs dici poteſt, nihil illuſtriùs, nec vero quicquam aptiùs ad ſplendorem, dignitatem, vimque doctrinæ, quâ ſanctus Bonauentura longe præſtitit.

CAPVT X.

De præſtanti eius doctrinâ, in tres partes diſtributâ.

§. 1. ITAQVE cùm eius res in Ordinis præfecturâ geſtas enarrauerim: iam hic locus poſcit, vt de eximiâ eius eruditione ſcribã, quam, etſi ſuprà ſparſim, atque adeò ſtrictim attigi, & aliqua fortaſſe ſigillatim narraui, nunc totum eius doctrinæ genus vniuersè, more Nazianzenio complectar. Eius porrò doctrina cernitur in his tribus, in expoſitionibus ſacræ Scripturæ, in tractatibus, quæ Opuſcula inſcribuntur, & interpretatione Magiſtri ſententiarum, quam Lecturam idem Gerſo nominat. In omnibus his, ſi cuncta rectè perpendũtur, mirifica apparet eruditio, ac illa quidem multiplex. Quibus enim rebus artium diſciplinæ comparantur, eæ tres in illo fuerũt, ingenium, ſtudium atque exercitatio: eaſque ita cõiunxit, vt non ſatis liqueat, in quâ potiſſimùm admirabilior extiterit; id quod aliquando Naziãzenus de Baſilio diſſerit. Ingenij acies apparet in omnibus eius lucubrationibus, ſtudium ſingulare in maximâ grauiſſimarum rerum cognitione, & exercitatio incredibilis in meditatione, contemplatione, ac ſcriptione. In Rhetoricis præclarè verſatus, Rhetorũ præcepta interdum exponit: in logicis demonſtrationibus, & concertationibus vſque adeo excelluit, vt iis, qui diſputationẽ cum eo ſuſcepiſſent, difficile eſſet argumentorum illius aciem effugere, ſi quando res ita poſtularet. Philoſophiæ partes, cùm interdum opus fuit, nullas omiſit, vſque adeo, vt eorum quæ in ſublimi accidunt, ſummam etiam non rarò, etſi breui, comprehendat accuratiſſimè. Numerorum quoque proportiones, & cetera multa, quæ à Mathematicis præcipiuntur, aliquando demonſtrauit, tamquam eorum præceptorum litteratè peritus.

Doctrina eius triplex.

De laudibus S. Bonauen.

Vbi ſup.

In omni eius diſciplinæ genere demõſtrata.

2. Sed ad ſacras litteras, atque ad Theologiam ita diuinitus ſe parauit, vt ſcientię luce quàm ſplẽdidiſſimè colluſtratus, quæ Dei ſunt, perquiſiuerit, atq; inueſtigauerit diligenter. Quò factũ eſt, vt ad virtutes Chriſtianas hominũ animos erudierit, eoſq; huius ſæculi rerum curis diſtractos, ad earum quæ cæleſtes, quæq; diuinæ ſunt, cognitionem traduxerit. Huius generis libros, tamquam mutos magiſtros, at præclarè tamen loquentes, quàm plurimos edidit: cuiuſmodi ſunt opuſcula, quæ aut ad vitæ inſtitutionẽ, aut ad ſpiritualia ſtudia, progreſſioneſq; virtutũ pertinent: quę omnia, ordine diſtincta, loco ſuo ob oculos ponentur. Sed nunc ſummatim, vt res eſt, vereq; dicam iis ipſis verbis, quibus S. Antoninus* de illo loquitur; *Intellectus Bonauẽturæ perſpicacitatem,* inquit, *omnia opuſcula eius redolent iis, qui diuinam ſcientiam requirentes, hanc libentiùs, quam vanitatem Ariſtotelicam venerantur.*

3. Verum ſanè, quod magni intereſt, cũ in eo Spiritus Dei locutus videatur, vt ex * Sixti IIII. Pontificis litteris perſpicuum eſſe poteſt; doctrinæ adiunxit deuotionem: id quod perpaucorum eſt, libros ſcribẽtium. Id * Trithemius teſtimonium ei dicit in hæc verba; *Multi doctrinam proferunt, deuotionem prædicant multi: pauci, ſcribendo libros, docuerunt vtramque. Bonauentura autem & multos ſuperauit, & paucos: dum eius doctrina deuotionẽ, deuotio inſtruit doctrinam. Quamobrem ſi vis & doctus, & deuotus eſſe, illius opuſculis eſto intentus.* Eſt enim in eo *vita & doctrina,* vt de S. Ambroſio* Caſſiodorus dixit, *planè æqualis*. Spiritũ quidem Sanctũ omnia ſcrutari, etiam profunda Dei, ſcriptura teſtatur. At Bonauentura Seraphicus, ea, quæ Spiritus ſunt, inueſtigauit; vt, qui illius libros ſtudioſè legunt, facilè animaduertũt. In antiquis, qui ſatis illũ eo nomine laudant, Gerſo vnus eſt, è quo teſtimonia luculentè explicata, paulo etiam pòſt à me ordine proferuntur. Sed ratio id poſcit, vt res omnis diſtinctè enarrata ac dilucidè, quaſi ob oculos verſetur.

Hiſt. par 3. tit. 24. c. 8.

Spiritum S. in Bon. locutum eius ſcripta teſtantur.

* Bull Canonizat. § 3.

* De ſcrip. Ec. Vide ſup. Elog. 11.

1. Cor. 2. 10.

CAPVT XI.

De expoſitionibus in vtrũq; Teſtamẽtũ, & multiplici exponẽdi ratione.

§. 1. TRIPLEX iam ordo, quẽ demonſtraui, in eius lucubrationibus exiſtit. Sunt primo in vetus, & nouum Teſtamentũ Cõmentarij; quas expoſitiones, S. Greg. Magni more, dixit.

Veteris libros multos expoſuit: Nouum autē ferè totū, vt certo indice distributè oſtēdam. Vix ſcribi poteſt, quātā doctrinarum vbertate ſacros codices explicarit. Senſum litteralem illis interpretandis aliquando amplexus, non ſolùm vnum, ſed duos tres, quatuor, pluréſue, interdum, exemplo ſancti Auguſtini ſibi propoſito, ad eorum tractationem attulit. Quo fit, vt id, quod in Eccleſiæ doctore egregio præclarū eſt, ſenſuum vbertate fecundus & ſit, & habeatur. Senſu enim myſtico adhæſiſſe videtur eruditiſſimè; cùm nullam ferme, ne hiſtoriam quidem, nedum allegoriam, anagogiam, tropologiamque omiſerit, ſi quando locum apte nactus eſt, vbi ad ſanctiores illos ſenſus è cæleſti doctrinâ, diuinaque cōtemplatione depromptos, digredi potuerit. Id perſpicuum cùm ex alijs expoſitionibus eſt, tum verò ex eâ, quam paulò antè commemini, ſcriptâ in caput primum Geneſis. Silentio præteribo ceteras, in quibus is, quemadmodum eruditiſſimi viri profitentur, doctorem ſe oſtēdit, & Seraphicum, & ſapientem, & deuotum, & eximium Eccleſiæ doctorem maximeque idoneum, qualem *Gerſo agnoſcit, tum ad illuminandas prĕſtātis doctrinæ ſuæ luce hominum mentes, tum pietatis ardore inflammandos ſalutares animi affectus.

Mira eius intelligentia in varijs S. Scripturæ ſenſibus.

*Par. 1. de libri legendis

2. Eſt verò tamen, cur de explanatione, quam Pſalterio adiunxit, breui dicam; cùm etiam habeat ampliùs, in quo quis aliquid ſtudij ponat. Neqſenim illa ſolum plena eſt ſalutaribus myſticis doctrinis; ſed locos habet etiam, quibus hæreticorum opiniones explodūtur; & verò documentorum opibus affluit, quibus pij homines, religioſique, viri excoluntur, atque inſtituuntur ad legis diuinæ præclaras meditationes. Ac prætereà, quod maximè ad rectam pſallendi rationem attinet, vſque adeo Pſalmis explicandis ſingula animaduertit, vt perpetuâ fermè vtatur interpretatiōne, vnde legentum, aut pſallentium mens incendi queat, non modò ad cogitationem, ſed etiam ad cupiditatem quandam illius conſectandæ virtutis, quam ipſâ pſalmorum expoſitione demonſtrat. Neque etiam in eo enarrationis genere aperire prætermittit myſteria rituum, & cærimoniarum, quæ ſæpenumerò explicentur, neceſſe eſt, ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ vſum ac rationem. Quâ ex re perſpici etiam licet, illum litterate tenuiſſe ritualem cognitionem, quæ ad virum pertinet religioſum, hominemque ad preces diuinas attentiſſimum, ac diligentiſſimum, qualem eum fuiſſe oſtendunt etiam libri, de ſacroſanctæ crucis, ac de paſſionis Domini Officio, ritè conſcripti, quos iam enumeraui, & Rubricæ item Breuiario illis temporibus additæ, ſtudioſiusque explicatæ.

Et Pſalmorum expoſitione.

3. Sed iam redeo ad id, quod propoſui, Bonauenturam ſanctiſsimum in omni vtriuſque Teſtamenti commentario myſticos eos ſenſus ſanctioreſque interpretationes eſſe accuratè ita ſecutum, vt quas ſingulas huic, aut illi egregio Eccleſiæ doctori ſapientiſsimi viri tribuunt, is vnus eſt omnes, ſi minus copioſè, at certè aliquâ ex parte breuiter ſummatimque complexus. Id planum ipſe facit reliquis ſuis lucubrationibus, præſertim verò opuſculis duobus; quorum vnum, Principium ſcripturæ, alterum, Luminaria Eccleſiæ ſignificanter inſcripſit.* De hoc iam paulò ante narraui: illo autem, quod iure Principium vocauit, cùm ipſius ſacræ ſcripturæ, quę eſt candor vitæ æternæ, præſtantiam declarat, profectò ſe alioſque inſtruere videtur ad illius tractationem, non verborum copijs, ſed myſticorū ſenſuum vbertate circumfluentem.

Myſticis etiam interpretationibus.

*Sup cap. 8 §. 6.

4. Atqui ſilentio prætereundum nòn eſt, quod eius proprium quodam modo eſſe videtur, crebris, cumulatiſque litterarum ſacrarum ſententijs illum diuinos ſenſus contexere, locoſque libri explicare, quem commentario interpretatur. res in promptu eſt, in omniq; illius expoſitione cōſtat; neque attinet, cur pluribus demonſtretur, cùm præſertim, vt initio dixi, hoc de ſe ipſe ſcribat. Id interpretandi genus, cùm olim S. Bernardo, Bonauentura ſanctus laudi dederit, nimirum etiam idem cōſectari ipſe voluit. Illum enim ſacræ ſcripturæ vſu peritum putat, proptereà quòd Bibliorum locis ſe ad omnem expoſitionem inſtituerit. Hoc autē ipſum etiam Seraphicus Doctor egregiè præſtitit, cū in lege Domini fuerit voluntas eius, & meditatio die ac nocte. Etenim is toto animo, totiſque in Chriſto viſceribus Scripturam ſacram amplexus, ita fixus in eā inhæſit, vt, quod etiam paulò antè ſtrictim attigi, * vetus & nouum Teſtamentum memoriâ tenuerit; quemadmodum ex eius tractationibus aut expoſitionibus animaduerti facilè poteſt;

Commentariorū eius ratio & modus.

Præloq. §. 9.

Pſal. 1. 2.

*Sup. cap. 7 § 2.

 ſed

ſed ex eo etiam, quòd de vtriusque conſenſu & concordiâ præclarè ſæpenumerò diſſerit. Nam quæcumq; de Chriſti Domini Conceptione ex Virgine, eius ortu, præſentatione in templo, fugâ in Ægyptum, reditu item, de eius doctrinâ, miraculis, cæcitate Iudæorum, conuerſione gentium, de eius paſſione, acerbiſsimâ morte, reſurrectione, aſcenſu in cęlos, miſsione Spiritus ſancti, de aduentu ad iudicium, ceteriſque omnibus fidei Chriſtianæ myſterijs, vel in lege, vel in prophetis, vel in libris Sacris aut hiſtorialibus aut ſpiritualibus præſignificata, præfigurataque ſunt, ea planè facta eſſe oſtendit noui Teſtamenti litteris, & auctoritatibus cum veteri conſentientibus.

5. Quàm ſtudioſe autem mente memoriaque comprehenderit ſacros libros, ex illa præclarâ vtriuſque Teſtamenti partitione perſpicuũ fit, non in opuſculo ſolùm, quod Principium ſacræ ſcripturæ appellauit, ſed & in Centiloquio, & Breuiloquio. Sacra autem Biblia rectè nouit Vtriusque editionis, nempe Vulgatæ, quâ vtimur, ac prætereà veteris ex interpretatione LXX. Ambas enim ad locorum expoſitionem affert, vt in Cantico Abacuc, vbi nos legimus, *In medio annorum*; ille ex veteri: *In medio duorum animalium*: In Prouerbijs, *viam viri in adoleſcentulâ* ex veteri item. Et verò ſæpiùs in libro Sapientiæ; at in Pſalmis quidem certè ſæpiſsimè. Sigillatim autem omnia recenſendo perſequi nimis longum eſſet: verùm perſpecta iam ſunt, atque ijs explorata, qui in eius generis ſtudio diuturno curriculum confecerunt ſuæ doctrinæ, atque induſtriæ. Quare quod de ſancto Athanaſio olim Nazianzenus ſcitè ſcriptum reliquit, hoc itidem de Sancto Bonauenturâ affimari, Deo benedicente, licet, vt & veteris, & noui Teſtamenti libros meditatus ſit diligenter: eaque meditatione perſcrutatus omnia, quæ Dei ſunt, catenam verè auream vtriuſque confecerit; & veram ſolidam, myſticiſque ſenſibus inſtructam interpretationem adhibuerit. Ad quam vitâ duce, & Theologiæ ſcientiâ magiſtrâ cùm acceſſerit; eam nimirum obſignauit luculentæ & præſtantis doctrinæ ornamentis.

Cap. 3. 2.

Cap. 30. 19

Or. de S. Athan.

6. At verò ad eam omnem, quâ ex diuinis litteris, vt dixi, vſus eſt, præclaram expoſitionem, adiunxit etiã aliam, quæ eſt ſecundùm doctrinã, nempe antiquorum Patrum. Docuit enim legem Dei, ſalutariaque præcepta, atque adeò diuinam ſcripturam eſt interpretatus, non tã ex ſenſu ſuo, quàm ex veteribus ipſorum Patrum, in Eccleſiâ Dei ſanctimoniâ & eruditione præcellentium, monumentis ac traditionibus. Id autem ipſum ab Eccleſiæ doctore fieri debere, demonſtrat Sanctus Clemens Pontifex & martyr in epiſtolâ quã ad diſcipulos Hieroſolymitanos dederat; hocque itidem documentum ab Apoſtolorum Principe beato Petro ſe accepiſſe teſtatur. Sanctum autem Bonauenturam id ſtudioſè præſtitiſſe, nemini dubium eſſe poteſt aut certè debet. Eſt expoſitio in caput primum Geneſis, cumulata ſententijs Patrum Latinorum, Auguſtini in primis, Gregorij Magni, & aliorum etiam inferioris ætatis, vtpote Rabani, Radulphi Flauiacenſis, atque id generis bonorum interpretum: & verò Græcorum, Baſilij, Dionyſij Areopagitæ ac Damaſceni. Atque hoc quidem vſque adeò verum eſt, vt non tantùm ſententias, ſed verba illorum conſectetur. Ab Sancto Hieronymo ſæpenumerò prologos ſumit; vt in Cõmentarijs eius multis perſpicuum eſſe poteſt. Et porro in Pſalterij expoſitione ſæpenumerò ſibi adiumẽto atq; vſui eſſe voluit cùm veteres, tum propè æquales, præſertim Ricardum, quem à Sancto Victore vocant. Tritam igitur illam quidem atque vſitatam viam ſecutus eſt, in quâ inſiſtere maiores voluerunt. Sed planius hoc facit liber, Pharetra. Quo in libro cùm vberrimè tractet virtutum officia, & locos Theologiæ communes: explicare ſtuduit omnia de ſenſu ac ſententiâ Patrum, Gregorij Papæ, Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Chryſoſtomi, Iſidori, Anſelmi, Bernardi, Caſsiodori, & aliorum prætereà multorum. Atque hæc quidem de interpretatione, ex Patrum ſenſibus ductâ.

Patrum documenta S. Bon. ſecutus.

Epiſt. 4.

7. Tertia verò alia, quâ ſe vſum eſſe ſcribit, vt in exorſu memini, in eo apparet, quòd doctorum opiniones aliquando variè inter ſe diſſentientes, ſequi illas quidem maluerit, quæ & auctoritate, & rationibus & vſu probatiſſimæ viderentur, atque eſſent. Fuit enim eas recenſendo verus ac ſincerus, neque vllo contradicendi ſtudio elatus, diiudicãdo acutus & perſpicax, redarguendo moderatus atque modeſtus, opinando non arrogans, neque opinioſiſsimus homo:

In diſſenſu doctorum opiniones meliores elegit.

homo: ſed in perſpicientiâ veri, ſolertiaq́ue præſtans, quæcumque frequentiùs comprobata vidit, moreq́ue recepta, ac præſtantium virorum firmata conſenſu, ea amplexus, propugnauit ſolertiſſimè. Fuit illud præterea ferè vnius tantùm Sancti Bonauenturæ proprium, aut certè haudquaquam commune cum multis, quod præclarum eſt, ac laudabile, philoſophiam, humanáſque diſciplinas adhibere ad arcē & defenſionem dogmatum fidei catholicæ.

Philoſophiã veritati propugnandæ adhibuit.

8. Sacris igitur litteris, Patrum auctoritatibus, & ſententijs receptis, ad pietatis laudem veriq́ue cognitionem illuſtribus vſus, cum expoſitiones conſcripſit, de quibus dixi; tum Commentarios confecit, quibus libros Magiſtri ſententiarum, vt narratum eſt, copioſè explicauit. Hæc eſt altera pars doctrinæ in quâ etiam veſtigia præclara impreſſit excellentis induſtriæ ſuæ: eam ob rem illius ſententiarum commentarijs Pontificem Clementem Quartum maximopere delectatum eſſe, iam aſſeueraui. Sed concurſus, qui ad eum ſententias Magiſtri interpretantem, magnus factus eſt, indicare videtur ſcientiæ præſtantiam. Id interpretationis Scholaſticæ ſcriptum & notabile, & deuotum eſſe, Sanctus Antoninus dixit. Eſt enim ad omnem ſcientiæ pariter, ac pietatis laudem maximè inſigne: ideo doctrinam Theologicam eximij & Seraphici doctoris Bonauenturæ propriè dicendam cenſuit Ioannes Gerſo: qui * libro quodã ita aſſeueranter ſcripſit; *Si quæratur à me, quis inter Doctores cæteros plus videatur idoneus, reſpondeo ſine præiudicio, quòd Dominus Bonauentura: quoniam in dicendo ſolidus eſt, & ſecurus, pius, & iuſtus, & deuotus.* Alio præterea loco itidem etiam atque etiam affirmando ſcribit in hæc verba; *Bonauentura ſingulariter inter omnes Doctores catholicos, pace omnium ſaluâ videtur idoneus & ſecuriſſimus ad illuminandum intellectum, & inflammandum affectum.* Et item cùm præcipuè loquitur de Sancti Bonauenturæ Lecturâ, quo nomine ſcholaſticam expoſitionem ſententiarum appellat, id teſtimonij de eâ dicit; *Denique lectura eius grandior docet igneum cum lumine, nempe pietatis ardorem, & doctrinæ ſplendorē magnum. Quamobrem etſi alij alios ſibi in Theologiæ ſtudio eligendos aliq tando cenſuerunt:* ego, inquit Gerſo, *mihi eligo Sanctum Bonauenturam.* At hæc quidem ſententia multis probata eſt.

Sup cap 7. §. 1.
Magnus ad eum doctorem concurſus auditorum.
vbi. ſup.
*Par 1. de laud S. Bonauenturæ.
Item de exam. doct.

6. Verùm quæ ſequitur, pars tertia in opuſculis cernitur, quæ trecenta ſcripſiſſe dicitur. Mirabile eſt, quàm in ijs excellat. Alij Itinerarium *mentis in* Deum, alij Breuiloquium, *nonnulli* Centiloquium, quidam Dietam *ſalutis*, alij aliud opuſculum dilaudāt: *ſed omnia* eius opuſcula vno ore *laudant.* De quibus ita ſummatim *Trithemius: Scripſit Bonauentura, multa & profunda, & deuotiſſima opuſcula. In iis namque accēſa eius adhuc in terra viuentis charitas, & vehemens pietatis ardor, & doctrinæ lumen ſplendeſcit, & ita ſplendeſcit, vel potius incendit, vt legentem etiam nihil minùs cogitantem, quaſi tacitis quibuſdam igniculis inflammet.* Diuinitus igitur accepta potiùs, quàm laboribus parta eius ſcientia putatur, vt iterum atque iterum affirmem, quod ſuprà etiam dixi.

Bruleſ. prol in 1. ſent
Trecenta ſcripſit opuſcula.
De Script. Eccleſ.

CAPVT XII.

De iis, quæ in illo, tamquàm in eximio Eccleſiæ doctore, fuerunt.

§. 1. NE verò ad egregij doctoris cumulandam laudem quidquam deeſſet: cùm is altiſſimos Sacrorum codicum locos, atque obſcuriſſimos declaraſſet, myſteria aperuiſſet, piamq́ue doctrinam litteris conſignaſſet, quam præcipui Eccleſię doctores diuinè etiam tradiderunt: importunam etiam hæreticorum audaciā propulſauit non modò ſcholaſticâ Theologiâ, quæ tantùm & ad confringendas hæreſes & ad fidei catholicæ dogmata confirmanda valet, ſed etiam libris potiſſimùm ſcriptis, quos enarraui. His quidem, tamquam atramenti ſagittis illos percuſſit, qui longo interuallo abfuerunt: qui verò præſentes manum cum eo conſerere auſi ſunt, vt de Baſilio item Nazianzenus narrat, contumaciam repreſſit linguæ telis: id quod præſertim, prout mox ſcribam, in ſynodo Lugdunenſi Oecumenicâ II. præſtitit ſummâ cum laude.

Hæreticos ſcriptis confutauit.

2. At verò, quæ in egregio ac primario Eccleſiæ doctore ineſſe debent, ea cùm ſæpenumerò beatus Paulus Apoſtolus in epiſtolis, & ad* Timotheum, & ad Titum ſcriptis, tum verò in conſtitutione ſingulari Bonifacius Papa Octauus commeminit: illa porrò omnia; vel potiùs ſingul in S. Bonauenturâ, elucent maximè. Amplexus eſt is, ex Pauli Apoſtoli ſententiâ Sermonem

* 1. Timo. 3. 2. Tit. 1. 7
Veri doctoris in eo munera.

fide-

fidelem, nempe non inanem non vanum, non curioſum. Et ne deſit teſtimonium, de eo Trithemius ſcribit in hæc verba; *Bonauentura Balneoregienſis vir in diuinis litteris eruditiſſimus, profundus eſt non verboſus, ſubtilis non curioſus, diſertus non vanus.* Sermonẽ igitur amplexus eſt fidelem, verum ſcilicet, omniq́ue acceptione dignum; nimirum de ſacræ ſcripturæ pręſtantia, eius veritate, luce & intelligentiâ, de eiuſdem theorijs, figuris, & item myſterijs illius tractantem. Et verò ſermonem amplexus eſt fidelem, quippe qui, vt Græcis doctoribus placet, de fide, ſpe, & charitate differit, docetq́ue quid credendum, quid ſperandum, quid agendum atque operandum. Hac omni doctrinâ cumulati ſunt eius libri, vt pote Dieta ſalutis, Centiloquium, & reliqua opuſcula, de quibus dixi. Eum autem ſermonem, ex ipſius beati Pauli verbis, conſectatus eſt ſecundum doctrinam, nempe illum quidem, cum Patrum ſenſibus ac Traditionibus conſentientem, vt paulo antè expoſui.

De Scrip. Eccleſ.

3. Fuit & item is potens * exhortari in ſanâ doctrinâ. Quam cohortationis vim, ac poteſtatem adhibuit, tum ſermonibus, quos ſanè quàm multos ad populum de tempore & Sanctis habuit, tum libris etiam plurimis: cuiuſmodi ſunt, Speculum animæ, Stimulus amoris Speculum diſciplinæ, & reliqui eius generis. Sunt quoque in eo aliæ res, tamquam in eximio Eccleſiæ doctore præſtabiles: & in primis illa ſalutarium documentorum copia illuſtris, & virtutum innumerabiliũ, quibus Eccleſiam decorauit, decor præclarus. Has res duas Bonifacius Octauus in præcipuis illis Eccleſiæ doctoribus ſummoperè commendauit.

*Tit. 1. 9.

De reliq & ven. Sanct

4. Tertiam conditionem præcipuo doctori Eccleſiæ idem aſcribit, vt facundus ſit. Certè quidem eloquentiæ laudem Sancto Bonauenturæ tribuit Trithemius præclaris his vocibus; *Fuit enim is clarus eloquio, ſubtilis, diſertus, flammantia verba proferens.* Eius autem facundiam demonſtrauit concio in concilio Lugdunenſi Oecumenico habita, quâ Latinorum Græcorumq́ue animos accendit ad concordiam dogmatum conciliandam. Facundus porrò is fuit, non verbis, ſed ſententijs, & multarum rerum comprehenſione; vſque adeo, vt in eo ſingula ferè verba, ſingulæ propè ſententiæ, ſingulaq́ue doctrinarum præcepta appareant. Nemo eſt in Theologicis ſtudijs verſatus, ita rudis, atque ignarus, quin intelligat, illum tam breui quodam ſermone in Luminaribus eſſe complexum totam Dionyſij Areopagitæ Theologiam myſticam. Facundus item fuit expoſitionum vbertate: ſymbolum Apoſtolorum non ſemel ſed iterùm ac tertiùm expoſuit multiplici, variâque ſententiarum copiâ.

De Script. Eccleſ.

Dionyſ. Areopag. myſticã Theologiam cõplexus in Luminaribus.

5. Quòd verò nonnulli ſunt, qui nullum eloquentię florem, nullum dicendi robur, nullumq; neruũ in eo ineſſe dictitant: næ, iſti quidem falluntur. Non enim facundia verbis, ſed ſententijs metienda eſt: & illa quidem negligitur, quæ verborũ inanitate effunditur, nulla ſubiectâ ſententiâ. *Eſt quædam eloquẽtia,* inquit Sanctus Aug. *quæ puerilem magis ætatem decet;* hæc verborũ copiâ affluens, aſperſaque eſt floſculis: altera eſt ſenilis, aut caneſcens, quæ ſuam habet maturitatem & quaſi ſenectutem. Hæc omni ſententiarum grauitate, omni virtutum magnarum ſplẽdore, omniq́ue ſapientiæ lumine enitens, magnam auctoritatem admirationemq́ue habet: hæc viros ſumma auctoritate digniſſimos, & diuinos decet. Ad hanc ipſam Seraphicum Bonauenturam inſtructum eſſe, bene norunt, qui non verborum ſimulatam maieſtatem expetunt, non inani a conformationum ornamenta conſectãtur; ſed maxime ſpectant, quod oratoris eſt proprium, docere, delectare, & mouere. Is certè totâ pene ſacram ſcripturam ac Theologiam dilucide explicando docuit, docendo quadam ſpiritali ſuauitate delectat; & quod perfecti oratoris eſt, delectando mouet atque accendit, vt ſatis dictum eſt, vſuque exploratum ſapientum hominum, ſanctorumq́ue virorum. Sed hactenus de eius eruditione.

Eloquentiã grauis caruit. De doct Chriſt lib. 4. cap 6.

CAPVT XIII.

De actionibus, quas doctrinæ adiunxit.

§. 1. ET quoniam doctrina actionis expers, rurſuſque actio auxilio deſtituta doctrinæ, eſt vtraque quodam modo imperfecta; cùm altera alterius opem quaſi flagitare videatur: Bonauentura ſanctus doctrinę ſubſidio adiunxit præclaras illas actiones, quas Eccleſiæ Dei, & Ordini ſuo Seraphico

præſti-

Peregrinationes eius.

Præſtitit. Boni publici enim cauſa alios adiit, alios accerſiuit; alios admonuit, arguit, obiurgauit; pro gentibus, vrbibus, pro ſingulis etiam hominibus, peregrinationes, itinera, laboreſque ſuſcepit. Atque hæc quidem ipſa Nazianzenus ſcripta de Baſilio Magno reliquit.

Vbi ſup.

Eſt Romam aliquando Pariſiis profectus, cùm ordinis Franciſcani diſciplina in paupertatis ſplendore eniteſcens, ad diſcrimen vocaretur: Galliam omnem peregrinatus, Italiam etiam omnem peragrauit, causâ reſtituendæ vbique terrarum Seraphicæ religionis, tunc ſenſim collabentis.

In diſſenſu, S. Bon. facto compromiſſo, elegit Pontificem.

2 Sed ex iis, quæ narrata ſunt, perſpecti ſunt varij eius innumeriq́ue labores, indeq́ue nobilitatæ egregiæ actiones, in quibus vna omnium præſtantiſſima eſt ad ſempiternam memoriam. Clemente enim Quarto Pontifice Viterbij mortuo, cùm eſſet Interpontificium, diſſentientes inter ſe Cardinales, de Pontifice creando, conuenerunt in eo; tam vitæ integritate, quam ſapientiâ, doctrinaque Sancti Bonauenturæ adducti, vt is vnus diſſenſionem animorum circiter trium dirimeret, ac verus ſine controuerſiâ Pontifex eſſet, quem ille pronunciaſſet, etiam ſi ſe ipſe elegiſſet. elegit autē non eorum quemquā qui præſentes ſeptem & decem Cardinales aderāt, ſed qui in diſiunctiſſimâ prouinciâ, Hieroſolymæ iamdiu ſanctæ peregrinationis cauſa aberat, Theobaldum Vicecomitem, Placentinum, Archidiaconum Leodienſem, virum religionis & pietatis nomine maximè illis temporibus illuſtrem. Quâ in actione ſpectare licet integritatem, æquitatem, ſapientiam, & præclaram eius voluntatem, animumque boni publici deſiderio inſlammatum, nec vllis ambitionis fallacijs fucatum.

CAPVT XIV.

De doctrinæ excellentiâ, & actionibus in Concilio Lugdunenſi; item morte.

§. I. IAM reliqua ſunt eximiè facta, quæ in Lugdunenſi Oecumenico Concilio ſpectata, Seraphici doctoris laudibus in poſteritatem redundant. Gregorius igitur Decimus Pontifex, qui fuit ille ipſe Theobaldus, cùm Lugduni difficillimo Reip. Chriſtianæ tempore, Synodum Oecumenicam indixiſſet, vt præter cetera, quæ maxima acturus erat, Græcos in primis diſſidentes ad Eccleſiæ fidem, auctoritatem, pietatisque officium reuocaret: opus habuit, cùm res litteris decernenda eſſet, doctrinâ & ſapientiâ ſummorum virorum, quos præcipuos duos delegit, tunc clariſsimos ſacrarum litterarum magiſtros & doctores, Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum, & Bonaenturam Ordinis Minorum. Hic adfuit, ille per obitum non potuit. Sed mira videtur eorum coniunctio: qui ambo in ſcholis Pariſienſibus, condiſcipuli, charitatis, conſuetudiniſque mutuis officiis deuincti, in munere publice interpretandi ſocij, ad Lugdunenſis Concilij labores etiam ſimul vocantur: vt mirum non ſit, ſi eodem quoque anno ex hac viâ ad meritorum præmium in cælum abierunt.

Ad Concil. Lugdun. euocati S. Thomas & S. Bonau.

2. Venit igitur Lugdunum Bonauentura, qui tunc Miniſter Generalis, curam vniuerſi Ordinis Seraphici gerebat præclarâ cum laude. Quantum autem ei Pontifex, & ſummi viri omnes tribuerint, mox narrabo. Iam in omnes propè partes fama ſanctitatis, doctrinæ, & virtutum Bonauenturæ excitata erat, ſpectataque maximis in rebus prudentia, ac demum omnibus cognita, prǽſertim ſummo Pontifici Gregorio Decimo; qui in eâ frequentiſsimâ Latinorum & Græcorum Oecumenicâ ſynodo illius conſilio vſus eſt ad omnia. Primùm ei, & alijs duobus Ordinis Franciſcani, quorum vnus Rothomagenſis, alter Tripolitanus Epiſcopus erat, vniuersè mandauit, vt neceſſario eo tempore viderēt, ne quid detrimenti Eccleſia pateretur. In maximâ tunc exiſtimatione ſanctimoniǽ, doctrinǽ, diſciplinæque ordo Seraphicus & habebatur, & erat. Neque enim hi tres ſolùm ad ſumma quæque adhibiti ſunt, ſed Hieronymus Aſculanus Ordinis item eiuſdem, vir in primus ſapiens, egregiéque eruditus: qui Conſtantinopolim Legatus à Pontifice miſſus, cum Græcis præclarè egit, vt Lugdunum ad concilium conuenirent. Is porrò fuit, qui ob merita Pontificatum adeptus, Nicolai Quarti nomen habuit. Verum cùm in vnum Bonauenturam, omni virtute præcellentem, cuncti ferè, qui in Concilio aderant, oculos conijcerent: Gregorius,

Huic Concilij cura impoſita cum alijs duob. Ord. Seraphici patribus.

Hieron. Aſculanus Ord. Minor. Legatus ad Græcos.

gorius, vt erat Pontifex ſingulari diuináque ſapientiâ, eum eſſe maluit, cui potiſſimùm concilij dirigendi curam daret.

Imperator Græcor. cũ alijs multis Lugdunum veniunt.

3. Græcorum igitur Imperator, Michael VII. Comnenius, Palæologus, Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & legati Græciæ Lugdunum aduentarunt frequenti cum Cleri multitudine: in quâ viri eruditiſſimi aderant, quorum vnus fuit Emmanuel Caleca, qui luculentis ſcriptis Eccleſiam Catholicam Romanam adiuuit. Intererant etiam Scytharum Legati. Fuit porrò Concilium frequentiſſimum, cùm ex omni Chriſtiano orbe conueniſſent Epiſcopi quingenti, Abbates ſexaginta, & alij Antiſtites, ac Sacerdotes mille, & item viri primarij laici innumeri. Actum eſt de grauiſſimis maximiſque rebus, atque in primis de Hieroſolymâ ac Palæſtinâ recuperandâ, de Græcis ad fidem Catholicam reuocandis, & præſertim de Spiritus Sancti proceſſione à Patre & Filio; prætereáque cum de multis decretis ad Eccleſiam pertinentibus, tum de præcipuis legibus, quæ in comitiis Romani Pontificis ſeruari debent. In ſummo igitur hoc & celeberrimo conuentu ſpectare licet virtutum opera, atque officia, quæ Eccleſiæ Dei Sanctus Bonauentura præſtitit; vſque adeò vt vnuſquiſque oculorum ſenſu tum aſpexerit Orientem cum Occidente cõiunctum, Græcámque à Romanâ Apoſtolicâ Eccleſiâ matre nullo modo diſſidentem. Quâ in re quantum Seraphicus doctor præſtiterit, breuiter exponam.

Concil. id frequentiſſ.

S. Bon. id Concil. primũ habuit orationem. Baruch. 5. 5.

4. In ipſo porro concilij exorſu is potiſsimùm delectus eſt qui concionem haberet, cuius initium fuit; *Exurge Hieruſalem, & circumſpice ad Orientem; & vide collectos filios tuos ab Oriente vſque ad Occidentem.* Eius profectò orationis tanta vis fuit, tantáque doctrinarum præſtantia, vt cùm ſibi omnium, præſertimque Græcorum animos conciliarit, tum Patrum Oecumenicum conuẽtum excitarit ad rem Eccleſię bene gerendam. Hic doctrinæ Bonauenturæ nomen magnum, hîc Eutychij, (ſic enim Græci illum vocabant) præclara eruditionis ſapientiæque laus. Itaque non modò ſuſtinuit, ſed iam ſuperare cœpit opinionem Gregorij Pontificis, qui illum cùm ad Concilium accerſierat, tum delegerat, qui illius bene gerendi officium gereret, concioneque cunctos, præcipuè Græcos exciperet. Iam verò præcellentem eius doctrinam, ac Theologiam libris explicatam, quos ediderat, magnopere illa ætas admirabatur. Nũc tandem, quod diuinitus factum eſt, vt in omni præclariſsimâ litterarum tractatione prẽſtans eius ſcientiâ eluceſceret, eâdem non ſolùm multis lucubrationibus anteà perſpectam, ſed in Pariſiẽſis Aacdemiæ luce iam ſpectatã at ac probatam Synodus Oecumenica Lugdunenſis in diſputationibus, & congreſsibus cum Græcis admirabiliter intuetur. Nemini autem dubium eſſe poteſt, nec verò debet, quin is, vt eruditiſsimus erat, eruditionis egregiæ curricula confecerit in omni Lugdunenſi illa tractatione. Eius porrò Concilij Acta publica, quæ deſiderantur, ſi his temporibus extarent: certè in ijs quaſi obſignatis tabulis, omnino teſtificatas haberemus actuoſas virtutes, eximiamq; ſapientiam illius: de quo conſtans eâ ætate opinio fuit; Græcos ipſius potiſsimùm virtute, exploſis erroribus in vnitatem fidei Catholicæ redijſſe.

Quã Græcos miro modo conciliauit.

5. Erat enim is, vt primò dixi, humilis, clemens, ab irâ alienus, morum conſuetudine ſuauis, ſermone iucundus, vultu angelicus, atque diuinis ornamentis excultus: quibus ſibi eorum beneuolentiam facile conciliauit. Quo factum eſt, vt, cùm diſputationum curſum ingreſſus eſt, corũ animis veſtigia impreſſa reliquerit veræ orthodoxæq; illius doctrinæ, qua, vt ceteris virtutibus, cum excellere iam omnes in animum ſibi induxerant. Gratus igitur is cùm eſſet cunctis Græcæque nationi, tum charus fuit Græco Cæſari Michaeli Comnenio. Quare eius doctrinâ operâque vſus Pontifex Gregorius id ſanè tandem, auctore ac duce ſpiritu ſancto, perfecit, quod maximè concupierat, vt & Michael Imperator, & Græci Orthodoxam Eccleſiæ Catholicæ Romanæ fidem profiterentur. Quæ quidem res, diu expetita, cum rectè ſucceſſerit: tunc ij ipſi omnes, & item Latini ſimul Latinè Græcéque ſymbolum publicè cecinerunt ſollemnibus illis vocibus; *A Patre Filioque procedit.* Cùm hanc ergò concordiam Sanctus Bonauentura maximopere adiuuiſſet: tum etiam Pontifici operam nauauit permultis decretis conſcribendis, quæ in eo Concilio ſapienter atque vtiliter edita, deinde in ſextum librum * decretalium ordine relata ſunt. Nec prætereà idem Seraphicus

Atque ipſos cum Imperatore ad fidem reduxit.

*6 Dec de elec c. vt pericul.

phicus

phicus doctor, in maximis illis occupationibus, hoc agere præter miſit, vt hæreticos, religionem Mendicantium tum oppugnátes retúderet, & confringeret.

6. Itaque celeberrima illa Synodus Oecumenica Lugdunēſis mirificè tandem ſpectauit illius & facundiam in concione, & in diſputationibus doctrinam, & in Græcorum conciliatione ſapientiam & prudentiam in conſultatione decretorum, & ſcientiæ vim ingenijque præſtantiam in refutatione hæreticorum; & denique, vt breui complectar, egregios labores, præclaraſque functiones in Cardinalatus dignitate, quà illum Gregorius Pontifex Concilij initio ornauerat. In eo enim Cardinales quinq; fecit: è quibus vnum præcipuè ob virtutum amplitudinem delegit Bonauenturam, quem creauit Cardinal. & Cardinalē Epiſcopū Alban. id quod fortaſſe nemini vmquam cōtigit, vt Card. Epiſcopus ante pronuntiatus ſit, quàm presbyter Cardinalis extiterit. Sed diuino id conſilio factum eſt, cùm tam vberes inde fructus Eccleſia Dei, & Pontifex perceperit: qui illius doctrinam ad vitæ ſanctitatem verbis cùm ſæpenumero laudaſſet, factis etiam comprobare voluit. Bonauentura autem, qui præ humilitate, quam virtutem eximiè ſemper coluit, Archiepiſcopatum Eboracenſem conſtanter refutarat, & modeſtiſſimè fruſtra repugnans, demum coactus, Cardinalatum ſuſcepit. His in Concilio Lugdunenſi II. piis laboribus, aliiſque multis in omni vitâ, omniquе munere pro ſanctâ Catholicâ Eccleſiâ ſanctè perfunctus, in eo ipſo Concilio Idibus Iulij, qui dies Dominicus fuit, anno ſalutis M. CCLXXIV. & ætatis LIII. abijt in cælum; quo ipſo anno S. Thomas Aquinas octauo Idus Martij ad ſempiternam etiam illam cæleſtem gloriam migrauit. Qui igitur in hoc vitæ curſu coniunctiſſimi fuerunt & charitate, & ſtudijs, & mutuâ conſuetudine, & alijs multis rebus, quas narraui; ij eodem anno ad vitæ æternæ præmium abeunt.

Cōcilij initio purpurâ Cardinal. decoratus.

Abit è vitâ in ipſo Concilio.

7. Gregorius autem Pontifex, qui ſanctum Bonauenturam non modò in hac vitâ, ſed poſt illius obitum tanti fecit, quanti eum feciſſe perſpicuum eſt, eius mortem intimè dolens, non potuit continere, quin diceret, Eccleſiam, quæ ex tanti viri eruditione tam admirabiles fructus acceperat, magnam ex illius obitu iacturam feciſſe. Immò omnes & clerici, & laici, tum Latini, tum Græci illius obitum mœruerunt, cùm parem ſibi neminem reliquiſſe videretur. *Tantum* porrò ei ob virtutem doctrinamque tributum eſt, vt illius funus & Pontifex, & Græcorum Imperator, Cardinales, Epiſcopique omnes, qui frequentiſſimi in Concilio aderant præſentiâ ſuâ condecorarint. Id cum alio vel præſtantiſſimo viro vmquam actum eſſe, vix in omni Annaliū antiquitate compertum eſt. De admirādis autē virtutibus ſcientiæq; donis, quibus illum Deus ornauerat, luculētam habuit laudationem Cardinalis Epiſcopus Oſtiēſis, Petrus à Tarantaſiâ, qui ab eâ lamentatione fecit initiū: *Doleo ſuper te, mi frater, Ionatha.* Eius corpus Lugduni ſepultū eſt in Eccleſiâ ſancti Franciſci, quæ deinceps, vt infrà exponam, nomine eius nuncupata eſt.

Magno Eccleſia damno.

Pont. cum Imper. exſequias ſuâ honeſtauit præſentiâ.

2. Reg. 1. 26.

8. Cùm autem Bonauētura perpetuò eum vitæ curſum tenuiſſet, atque adeo ipſe inſtitutus eſſet, alioſq; inſtituiſſet, vt eius vita ac morum ratio piè ac religiosè viuendi norma eſſet; & doctrina tamquam præſidium firmiſſimum dogmatis catholici haberetur: in eius obitu fuit vna communis penè omnium vox dicentiū, vel potius lamētantium, rei Chriſtianæ publicæ columnam corruiſſe. Tantâ verò populi celebritate funus elatū eſt, vt omnis Lugduni ciuitas ad illud celebrādum ſeſe cum lacrymis effuderit. Quod igitur ab ineunte eius ætate B. Franciſcus prædixerat, illum in Seraphicâ religione fore magnum hominem, ſummúmque virum, cuius doctrina allatura quamplurimis eſſet lumen ad depellendas tenebras, id certiſſimum atque exploratiſſimū ex ijs eſſe poteſt, quæ iam enucleatè præſcripſi.

CAPVT XV.

De miraculis.

§. 1. DEVS autem, qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis, eius & ſanctitatē, & doctrinam teſtificatam eſſe voluit miraculorū multitudine, ac magnitudine. Longum nimis planè eſſet res illius mirabiliter diuineque geſtas enumerando perſequi: ſed, cùm in Annales Ordinis Franciſcani, perenneſque tabulas relatæ ſunt, nihil attinet, cur pluribus de ijs agam, quæ præſertim in omnium ore ſunt; quæque luculentis teſtimonijs prodita ſunt ad poſteritatem. Multa illius miracula Octauianus Sinueſſanus commemorat, quæ Sixtus Quartus

Pſal. 67. 36.

In Bulla Canonizat. inf.

Pontifex Maximus, rectè atque ex ordine cognita habere voluit, anteà quàm illum in Sanctorum numerum ex ſollemnis ritus ratione adſcripſit. Habent alia Balneoregienſes ciues, quæ omnium ſermone teſtatiſſima, comprobauit etiã ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritas. Nam, cùm in hoc vitæ curriculo verſaretur, multa is miracula operante Domino, edidit: tum poſteaquam hinc in cælum migrauit, ad illius ſepulchrum, tamquam ad commune perfugium accurrebatur. Is porrò peſtilentiæ morbo, & contagio Lugdunum liberauit, periculoſos & difficiles partus diuinè explicuit: malorum ſpirituum æſtu ac vexatione oppreſſos mirificè liberauit; puerum mortuum ad vitam reuocauit.

Lugdunum liberauit à peſte.

2. Et verò, quod ſilentio prætereundum non eſt, auguſtiſſimum eſt miraculum, maximeque inſigne ad ſempiternam teſtificationem ſanæ ſinceræq; doctrinæ, quam & linguâ docuit, & litteris conſignatam reliquit. Centeſimo, & ſexageſimo enim poſt obitum anno, cùm eius corpus aliò transferendum eſſet, nec labris, nec dentibus, nec linguâ, nec capillis quidem exeſis, integrum caput, ac penè ſpirantis habitu repertum eſt. Quæ ſanè res admiranda, ſi rectè perpenditur, non ſine myſterij ſignificatione eſſe potuit. At illud certè interpretari licet, doctrinam, quæ ex illius capite manauit, linguâque olim effluxit, ab omni labe integram conſeruatam in eâ exiſtimatione haberi, in quâ demùm & habetur, & eſt iam inde vſque ab eo tempore, quo ex hac vitâ ceſſit. Nemo quiſquam fere fuit, qui poſt illius obitum cùm vitam, tum eruditionem eius non laudarit.

Caput eius incorruptũ cẽteſimo & ſexageſimo ab obitu anno.

CAPVT XVI.

De doctrinâ eius poſt obitum commendatâ.

§.1. HABVIT is multos induſtriæ ſuæ & ſcientiæ ſectatores; at præcones & laudatores longe plures. Mitto hîc Stephanum Bruleferum, & alios ordinis Franciſcani viros: fuit autem Gerſo qui de doctrina Seraphica ſancti Bonauenturæ librum ſingularem edidit. Iam item commemini ſanctum Antoninum, Henricum Gaudauẽſem, Ioannem Trithemium, ceteroſque de eâdem ſentire admodum egregiè. Immò Trithemius aſſeueranter dixit, illum vtilitate operum omnes ſuperare. Ob eamque rem Eccleſię Romanę monumentis optimo iure proditum eſt, in eo ſummam eſſe eruditionem. In Concilij autem Florẽtini Oecumenici, quò etiam Græci conuenerant, actis apparet, non ſemel atqoe iterum, ſed tertiùm eius doctrinam eſſe prolatam, atque adhibitam ad vſum rationemque difficilium quæſtionum. Protulit autem vir ſummâ eruditione, Cardinalis Turrecremata: cui item Græci tribuerunt vel plurimùm, ex auctoritatibus, quas à Bonauenturæ documentis acceperat: res demũ conſentientibus Latinis Gręciſque patribus decreta eſt ad præſcriptum Seraphicæ illius doctrinæ.

De Script. Eccleſ.

In Concil. Florent. decretum ex ſententia S. Bonauent. Act. 10.

CAPVT XVII.

De Canonizatione.

§.1. ERAT vbique terrarum fama ſanctitatis, atque ſcientiæ præcellentis, quâ ille & in vitâ, & poſt obitum, benedicente Deo, floruit. Quare Fredericus, Romanorum Imperator Auguſtus, Ludouicus Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, Ferdinandus Siciliæ, Matthias Vngariæ, Reges Catholici, ac præterea Duces, & Venetiarum, & Sabaudiæ, & Mediolani, itemque Populi multi, præſertim Florentini, Senenſes, Peruſini, & in Galliâ Lugdunenſes, rurſuſque in Italiâ ciues Balneoregienſes, & vniuerſus, vbique gentium, Ordo Seraphicus illud ab Sixto Quarto Pont. Max. non tantùm poſtularunt, ſed efflagitarunt, vt in Sanctorum Confeſſorum Pontificum, Doctorumque Eccleſię numerum Bonauentura referretur. Tum Pontifex Sixtus, vt res rectè atque ex ordine ageretur, rem tanti momenti fidei credidit Cardinalium trium: quorum vnus fuit Iulianus Ruuerius, Cardinalis ſancti Petri ad Vincula; alter Stephanus, Mediolani Archiepiſcopus, Cardin. Nardinus; tertius Franciſ. Gonzaga, Cardin. Mantuanus.

Reges & Principes S. Bonauent. poſtularunt inter Diuos referri.

De hac quidem cauſâ vbi agi cœptum eſt, vndique extiterunt præclara monumenta & rerum, quas ille ſanctè, diuinè, mirabiliterque geſſit, & codicum, quos eruditè grauiter ac piè ſcripſit. Cauſam Octauianus Sinueſſanus, Sacri Palatij Apoſtolici Aduocatus diſertiſſimus, egit ornatiſſimâ oratione, & rerum lucubrationumque cumulatiſſimâ, quarum prædicatione ille iure ac vere celebrari potuit. Ioannes autem Pauſinius, diuini item humanique iuris conſultiſſimus, de eâdem dixit vberrimè, vſque adeò, vt rei omnis, quæ agebatur, commemoratione in partes duas diſtributâ, quas etiam in certos quoſdam articulos diſtinxit, pluribus ordine demonſtrarit tum præſtantem ac fructuoſam Seraphici Bonauenturę doctrinam, præcellenteſque & diuinas virtutes; tum vitæ ſanctitatem, charitate, morum caſtitate, præclariſque officiis prælucentem, atque miraculorum magnitudine & in vitâ, & poſt obitum teſtatiſſimam.

Oratio eius ſubiicitur.

2. Iis omnibus rectè planeque comprobatis, ac verè cognitis, Sixtus Pontifex, qui poſtquam per ætatem ſapere aliquid potuit, ſe diuina illius ſcripta ſtudioſiſſime legiſſe, atque adeo illis ſemper delectatum eſſe ſcribit, eum in ſanctorum Confeſſorum Pontificum ac Doctorum, quos ſancta Dei veneratur Eccleſia, numero ritè ſollemniterque Romæ adſcripſit in Baſilicâ beati Petri principis Apoſtolorum, quò maxima omnis generis, omniſque ordinis multitudo confluxerat. Et quò ſanctiùs res omnis, pietatis officio, gereretur, tridui ieiunium & orationes indixit. Quos præterea ritus ad eam ſollemnem actionem illius prædeceſſores Pontifices Romani, præſertim Bonifacius Nonus ad ſanctæ Brigidæ; Nicolaus Quintus ad ſancti Bernardini; Pius ſecundus ad ſanctæ Catharinæ Senenſis; Calliſtus Tertius ad ſancti Oſmundi canonizationem adhibuerunt, iis Sixtus Pontifex ſollemniter vſus litteras decretas eius rei geſtæ & confectæ nomine datas, edidit anno M.CD. LXXXII. decimo octauo Kal. Maij. Quibus litteris præter cetera illud etiam teſtatiſſimum eſſe voluit, ſancti Bonauenturæ famã innocẽtię & doctrinæ, perpetuò percrebuiſſe, illumq; magnũ doctrinâ non minorem vitæ meritis extitiſſe; de diuinis autẽ rebus ita ſcripſiſſe, vt in eo Spiritus ſanctus locutus videretur.

Doctor Eccleſiæ à Sixto Quarto denũtiatur.

CAPVT XVIII.

De ſtudio librorum; & aliis quæ poſt Canonizationem facta ſunt.

§. 1. HIS litteris promulgatis, cùm in cuncta Italia extitit publicum ſpiritale gaudiũ, tum in omnibus, ſacrarũ litterarum ſcientia colentibus, ardentius illius librorum ſtudium. Iam tum primùm Ioannes Picus, Mirandulæ princeps, vir Latine, Græce, Hebraicè, Chaldaicè, Arabiceque doctus, & omnium liberalium diſciplinarum vſu litteratè peritiſſimus, atque ad Theologiæ ſcientiam apprimè eruditus, deſiderio incredibili exarſit habendi, legendi, edendique commentarios, quos idem ſanctus Bonauentura in S. Lucam ſcripſerat. Ioannes præterea Franciſcus Picus, eius nepos, itidem, vt ille, doctiſſimus, ſemper Seraphici doctoris exquiſitam doctrinam in ore habuit, cuius etiam ſæpenumero commeminit in iis quæ multa reliquit, ingenij ſui monimentis. In Galliâ autem, iam tum Prouincia, quæ Burgundiæ nomine appellabatur, ſancti Bonauenturæ Prouincia nominari cœpit ob illius venerationem.

Mirandulę Princeps S. Bonauent. admirator.

2. Lugduni item, vbi magnum celeberrimumque nomen illius eſt, locus olim, anno M.CCLII. Sancti Frãciſci titulo extructus, tunc ſancti Bonauenturę nomine ampliſſimâ ſtructurâ ædificatus eſt atque auctus. Is porrò locus, vbique gẽtium illuſtris eiuſdem Sancti doctrinâ vitæ, conſuetudine, rerum geſtarum gloriâ, & pretioſi ſepulcri opere, parum abfuit, quin anno M.D.LXII. tumultu nefario à Caluiniſtis hæreticis totus incenderetur. Erat ibi, vt dixi, ſepulcrum: vbi intrinſecus in capsâ artificiosè pieque elaboratâ, Sancti illius corpus aſſeruabatur. Hoc impij hæretici, inde nefariè ereptum, in Rhodanum fluuium ſceleratè proiecerunt: argentum autem ſitientes, argenteam ſibi capſam reſeruarunt horribili ſacrilegij ſcelere. Sed diuinitùs factum eſt, vt illius caput, quod tot pòſt annis mirabiliter integrum, iam inuẽtum eſſe commemoraui, gemmis, margaritis, opere piè ſumptuoſo ornatum, à periculo conſeruatum ſit impiorum hominum, deteſtabili auri cupiditate æſtuantium.

Reliquiæ corporis eius ab Hugonot. in Rhodanum proiectæ, ſeruato capite.

CAPVT XIX.

De eius reliquiis & veneratione.

§. 1. QVOD ſacrum caput hodie in eadem Seraphici Ordinis eccleſiâ Lugdunenſi, honorificè etiam reconditum eſt. Et vt nihil ſilentio prętermittam, aliæ etiam ſacræ illius reliquiæ diuino beneficio exſtant. Balneoregij, in eccleſiâ Cathedrali eſt eiuſdem brachium, quòd è Galliâ præcipuus illius Sancti cultor, Franciſcus Saraſonius, Miniſter Generalis eò attulit. Pariſijs piè aſſeruatur maxilla, quam olim Carolus, Chriſtianiſſimus Galliæ Rex prę pietatis ſtudio ſibi concedi petierat. Quanta igitur in veneratione, ſemper ſanctus Bonauentura fuerit, iam ſatis dictum eſt; vſque adeò, vt perſpicuum ſit, eius etiam doctrinæ multum ſemper tribuiſſe ſummos Pontifices, quos præcipuos ſigillatim commemoraui. Et verò memoriâ noſtrâ Pius V. Pontifex, ſempiternâ gloriâ digniſſimus, vt tam præcellentis doctoris egregiam doctrinam, negligentiâ quâdam penè collabentem, aliquò modo reſtitueret; in ſcholis Ordinis Franciſcani ad frequentiorem ſtudiorum vſum, interpretationumque conſuetudinem reuocari iuſſit, ac ſtatuit. At verò demum diuino beneficio munereque perfectum eſt, quod cùm anteà ſemper, tum his temporibus eâ de re ſtatuendâ publicis Eccleſiæ catholicæ rationibus in omnes partes vtile & neceſſarium fuit, ac pietatis officio, tamque magnis tanti Doctoris meritis præcipuè debitum.

Extant alibi nonnullæ eius reliquiæ.

Nota.

CAPVT XX.

De iis quæ ob eius ſanctitatem, & doctrinam eximiam Sixtus V. Pontifex egit.

Sixti PP. Quinti laudes.

§. 1. OPPORTVNISSIMO igitur tempore Pontificem Deus dedit Sixtum Quintum, cuius virtute & ſapientiâ plurimùm indigebat reſpublica Chriſtiana. Nolo hîc cõmemorare ſingularem illam planeq; diuinam animi, & ingenij vim, quâ is onus Pontificale ſuſtinet, quâ cũcta tuetur, quâ difficillima queq; ſuſtinet, quâ res maximas cõficit. Sunt facta eius planè ad immortalitatis laudem inſignia: quæ tamen ſingulari libro à me conſcripta, ad poſteritatem litterarum monumentis prodere, meum eſſe exiſtimo. Nunc ergò, vt denique hanc ſuſceptam de vitâ ſancti Bonauenturæ ſcriptionem conficiam; breui narrabo rationes & cauſas, quare is potiſſimùm adductus, illum inter primarios præcipuoſque Eccleſiæ Doctores optimo iure annumerârit.

2. Eſt ſanè Sixtus V. Pontifex, magnâ vir & admirabili ingenij prudentiâ, ſummâ memoriâ, præſtãtium omnium liberalium diſciplinarũ ſcientiâ, Theologiâque in primis, & diuinis litteris eruditiſſimus, ac ſancti Bonauẽturę doctrinæ peritiſſimus. Itaque is, vt vir diuturno ſtudio ſapientiſſimus, cùm & litterarum ſcientiæ, & diſciplinæ morum fructus vberrimos ex Seraphici doctoris libris capi poſſe intelligeret: nihil non egit, nihil non attigi, tcùm in eo Minorũ ordine eſſet, non ſolùm in comitiis, ſed omni tempore, vt illius libri expoſitiones, & opera ad ſtudiorum vſum introducerẽtur. Quod cùm numquam effectum omnino eſſet, id Pontifex creatus in optatis valdè habuit, vt quod iamdudum Ordinis ſui causâ vtiliter ſapienterque deliberarat, demum exequeretur. Eâ de re in Baſilicâ ſanctorum duodecim Apoſtolorum Romæ, vnde, tanquam è fonte, diſciplina doctrinaque in omnes orbis prouincias dimanat, collegium certo annuo cenſu erexit, atque inſtituit; in quo eiuſdem ſancti Bonauenturæ tantùm expoſitionibus, Commentariis, lucubrationibuſque Theologiam dilucidè explicari, ac diuinas litteras doceri voluit.

Qui Romæ S. Bonauen. doceri Theologiã decreuit.

3. Sed profectò quod ceteris, eruditione ſacrâ præcellentibus, iure meritoque à ſummis Pontificibus tributum eſt, idẽ Seraphico ipſi doctori planè tribuendum cenſuit; cùm & æquitatis, & vtilitatis, & neceſſitatis ratio id maximè depoſceret: quæ ſanè res ad omnẽ conſtitutionem, vel grauiſſimam, certè plurimùm valent. Nam is in tanti doctoris lucubrationum ſtudiis diu diligenterque verſatus, cùm doctrinæ atque eruditionis, quâ ille eximiè diuineque excultus erat, vim, magnitudinem, pietatem, vbertatemque ipſe per ſe optimè nouit; tum eandem, omnibus ferè temporibus florentiſſimam, ab Alexandro Quarto primùm, deinde à ceteris, qui deinceps ordine ſucceſſerant,

ſummis Pontificibus, Vrbano Quarto, Clemente item Quarto, Gregorio Decimo, poſteà à Sixto Quarto, & proximè à Pio Quinto collaudatam, tum verò in Oecumenicâ Synodo Lugdunenſi maximè ſpectatam, Florentinâque itidem Oecumenicâ ad ſummarum diſputationum rationem vſumq; adhibitam, ac grauiſſimorũ auctorum locupletiſſimis teſtimoniis, magnificiſque & præclaris vocibus teſtificatam eſſe animaduertit: vſque adeò vt omnium pene iudicio illam eximio doctore dignam, ſemper magnâ in opinione atque exiſtimatione fuiſſe cognouerit.

4. Deinde, quod de illo quidem æquiſſimum iudicauit, maximè etiam vtile viſum eſt; cùm is Spiritus ſancti lumine illuſtratus, datus ſit à Deo ad æ-ficationem Eccleſiæ, etenim magnos labores, vt expoſui, ſummaque ſtudia Seraphicus doctor contulit ad ſacros libros interpretandos, ad fidei dogmata explicanda, & ad præclara pietatis officia, quæ in Eccleſiâ Dei præſtari oportet, accuratiſſimè tradẽdâ. Hanc porrò eius doctrinam cùm Sixtus Quintus Pontifex mirificè antea in omni tempore profuiſſe plane perſpexerit: nunc etiam vtilem eſſe arbitratus eſt, cùm ad cetera illa omnia, tum ad optimã morum conformationem, vitæque Chriſtianæ diſciplinam, quam in clero, populoque vbique terrarum vehementer in Domino expetit.

5. Sed quod valdè in omnes partes vtile putauit, id neceſſarium prætereà atque opportuniſſimum cenſuit. His enim temporibus hæretici, impij ſceleratique Scriptores, cùm legis diuinæ, Prophetarum, Apoſtolorum, Patrumque ſententias alio, quàm oportet, detorquere omni calliditate connitantur: quoniam nefariis ſuis conatibus plurimùm obſtare cernunt Theologiæ Scholaſticæ ſcientiam, cuius vi anfractus eorum longæque circuitiones præcluduntur: eam, tamquam arcem contra eos munitiſſimam, oppugnare in præſenti, vt antea Wicleſus, ſummè contendunt. Operæpretium igitur Sixtus Quintus, ad Eccleſiam Dei tuendam diligentiſſimus, & vigilantiſſimus, id eſſe ſtatuit, quo infenſiùs tantam illi diſciplinam euertere conantur, eo conſtantiùs ac fortiùs eandem tueri, illiuſque rationem atque argumentorum propugnacula ſarta tecta vſquequaque conſeruare. Quam ob cauſam

Scholaſtica Theologia munit aduerſus hæreſes.

Pius etiam Quintus, Pontifex, *ſanctum* Thomam Aquinatem, *clariſſimum Eccleſiæ* lumen, exiſtimauit *nouo cohoneſtandum* eſſe decreto.

6. His igitur rationibus *& aliis*, quas longè plures, eaſque *maximas litteris* ſuis decretalibus oſtendit, *adductus* Sixtus Quintus Pontifex, quod de Seraphico doctore Sixtus Quartus ſanciuerat, hoc vberiùs conſtituendum duxit. Itaque re maturè denique deliberatâ, de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & conſenſu, ob præclaram vitæ ſanctitatem, diuinitus etiam teſtificatam, perennes labores, pro Eccleſiâ Dei ſuſceptos, ac præſtantem doctrinam cum pietate coniunctam, virtutibuſque diuinis illuſtrem, cuius ſplendore illam S. Bonauentura colluſtrauit, dignum eum cenſuit, quem inter primarios præcipuoſque Eccleſiæ doctores annumeraret, de eoque ſtatâ anniuerſariâ die, ſollemni ritu fieret, vt de ceteris primariis, atque eximiis eiuſdẽ Eccleſiæ doctoribus; ad præſcriptũ conſtitutionis Bonifacij Papæ Octaui. Quare litteras decretales, & illas quidẽ omnibus rationibus, & omni pietatis officio inſignes ad ſempiternam memoriam confecit, eoque nomine edidit; quibus litteris omnia explicantur dilucidè.

S. Bonauen. inter primos Eccleſiæ doctores recenſus.

De reliq. & ven. Sanc.

Vide inf.

7. Et vt rectè ac ſollemniter res omnis gereretur: ſtatuit Pontifex certum eius ſollemnitatis diem, qui fuit pridie Idus Martij, dicatus celebritati tranſlationis item ſanctæ Bonauenturæ. Baſilicam verò in vrbe ad rem ritè perficiendum delegit ſanctorum duodecim Apoſtolorum, quæ eſt Ordinis Minorum, vbi collegium ab eo inſtitutum eſſe narraui. Illo igitur die benè manè illuc profectus, multis Cardinalibus comitantibus, rectâ ad altare ſanctiſſimi Sacramẽti venit, vbi pauliſper pie precatus, inde ad ſacrarium accedit; quo loco ſacris veſtibus albi coloris indutus, & mitrâ pretioſâ ornatus, tum prælatâ cruce, & Cardinalibus Cappâ violacei coloris, cùm tempus Quadrageſimæ eſſet, veſtitis, ordine præeũtibus, ad altare maius pergit, vbi etiã paululùm orauit. Erat eo loci ſedes pontificia, ornatu albo veſtita, & ſubſellia Cardinalium; qui de more, vbi obedĩentiæ munus Pontifici præſtiterũt, loco ſuo conſederunt. Tum Thomas Gualterutius, Sẽcretarius Breuiũ Pont. rocheto & cappâ indutus, è ſuggeſtu, à latere Euang. decretales illas litteras, quibus inter primarios Eccle-

Ritus in hoc actu à Sixto V. habiti.

Sup §. 1.

ſiæ doctores ſanctum Bonauenturam Pontifex conſtituerat, de ſcripto legit: eaſque cuncti, qui frequentes aderant, attentiſſimè audierunt. Lectis litteris, mox antiphonam, *O doctor optime*, cantorum chorus ſollemni modulatione cecinit: quæ dum cantabatur, Pontifex, mitrâ ornatus, ſtabat. Tum verſum bini cantores cantarunt: & verò Pontifex orationem dixit de Eccleſiæ Doctore. Quibus ritè peractis, Miſſam ſollemnem de ſancto Doctore Cardinalis Aſculanus celebrauit. Quâ ſollemniter celebratâ, Mauritius Breſſius, homo Gallus, vir ad omnes ingenuas diſciplinas egregiè eruditus, luculentam de ſancto Bonauenturâ orationem habuit, ordine infrà impreſſam.

Opera S. Bona. à typographiâ Vaticanâ edita.

8. Atque hæc quidem, quæ ad eam rem geſtam attinent. Sed quò latiùs ad vniuerſam Eccleſiam hoc beneficium pateat, voluit Pontifex, tam eximij Doctoris opera, vndique impensè diligenterque conquiſita, & quàm ſtudioſiſſimè emendata, è Typographiâ Vaticanâ, quam inſtituit, in lucem emitti ad omnem poſteritatem, vt litteris iiſdem pontificalibus ſignificatum eſt. Et quoniam ab ineunte ferme ætate, ad eius cultum ſingulari exarſit deuotionis affectu, præter cetera ſuæ erga illum pietatis monumenta, hoc etiam extare voluit, vt triremis Romana etiam, quam primariam ac principem decreuit claſſis, quam boni publici causâ parat, religioſiſſimo feliciſſimoque Bonauēturæ nomine appelletur. Sperat enim, Deo benè iuuante, tandem fore, vt ea tantis meritis patroni illius cæleſtis adiuta, victrix ſit piratarum, & hoſtium crucis Chriſti Domini.

9. Tu igitur, Bonauentura Sanctiſſime, cùm ego tam magnam nactus ſim materiam, & quaſi ſegetem cæleſtium meritorum tuorum; etſi, ne cogitando quidem, ne dum ſcribendo aſſecutus videar minimam illorum partem; quoniam id tamen, vt pro ingenij mei imbecillitate potui, me conatum aliquo ſtudio eſſe vides: fac quæſo precibus & interceſſione tuâ, adiumento eſſe velis Sixto Quinto Pontifici Optimo Maximo, vt quàm diutiſſimè incolumem Deus illum conſeruet, Eccleſiæ causâ omnibus maximis in rebus tam ſtrenuè elaborantem, & piâ gratâque memoriâ proſequentem diuinas illas virtutes, quas cùm in huius vitæ curriculo eſſes, ad eiuſdem Eccleſiæ ſalutem, atque ornamentum contuliſti.

FINIS.

OCTAVIANI A MARTINIS SINVESSANI, V. I. DOCTORIS.

De vitâ, & miraculis S. Bonauenturæ ORATIO, quâ poſtulatur à Sixto Quarto Summo Pontifice in Diuorum referri numerum.

§. 1. IVSTITIA ſuffragiorum, Beatiſsime Pater, ad qu porrigenda deſiderabar, hærentem me concitau ad indicti mihi muneris prouinciam, remotâ cun ctatione, capeſſendam. Neque enim me alioquin fallebat, quàm arduum, quámue anceps munus obirem, poſtulare ex merito, Sanctum, Romanæ ſedis decreto, referri in ordinem que catalogum cæleſtium, qui cum Chriſto regnant, Sanctorum: atque in hoc tremendo auditorio, ſub aſpectu Sacri Reuerendiſſimorum Patrum ſenatus, ac ſapientum Prælatorũ & virorum: quibus tua Sanctitas cæleſti ſuperûm dono, in ſua maieſtate ſapientiſſimè præſidet: vbi non ego modò, qui in actione cauſſarum forenſium, noſtri ſæculi ſtylo verſor; verùm & alium quamlibet exercitatum, ac denique conſummatum oratorem, expauere quidem poſſe credendum ſit. Nam, per immortalem Deum, quis tam ſapiens aut diſertus, quidquam adeò elimatum, aut ſtudioſa lucubratione excogitatũ hîc proferat, quo maieſtatem loci, dicendo vel mediocriter æquare poſſit? Quid porrò tanto ſtudio adinuẽtum, quod præuiſum ac tritum non fuerit apud tantæ ſapientiæ Patres? ac te ante alios, ſanctiſſime Princeps? qui cùm ex multis iam annis diuinarum atque humanarum rerum, ac omnis denique Philoſophiæ ſcientiã pleniſſimè edidiceris, velut ſplendidiſſimum ſidus in firmamento, in Dei Eccleſiâ ceteros illuſtraſti. Quæ quidem reuoluenti, non leuem animo tremorem incuſſiſſe poterant, atque ab hac actione, quâ nulla illuſtrior, penitus dehortari: niſi iuſtitia meritorum (vt præmiſeram) Beati Bonauenturæ, pro quo intercedimus, animum erexiſſet atque confirmaſſet.

§. 2. Accedebat præterea, quòd Princeps non profanus pro religioſo, aut indoctus pro litterato rogandus erat: ſed tu profectò, Pater Beatiſſime, qui diuinis obſequijs, in beati Franciſci Religione, ex matris vtero cælitus deſtinatus, in eadem omnipotenti Deo religioſiùs ſeruiuiſti, ac demum ad eius principatum ſingularibus tuis meritis vectus, illam ſapienter ac ſalubriter gubernaſti, auxiſti,

auxiſti, atque ampliaſti. Qui cùm diuinorum myſteriorum ſcientiam, per traditiones Patrum fueris nactus, tum verò ex operibus eiuſdem Diui Bonauenturæ, (quæ diuino ſpirante lumine edidit Conditoris intelligentiam certiſſimè comparaſti. Ita namque par erat te, quem Conditoris vices oporteret gerere in terris, in illius mandatis commiſſum gregem erudire. neque enim illius fauſtè quis vices gerit, quem non penitus nouit: neque illius porrò mandata rectè alios edocet, quæ non priùs luculenter edidicit. Quare cùm pro diuinæ ſapientiæ patre, Ordinis Minorum Generali Miniſtro, Epiſcopo Cardinali Albanenſi, interceſſurus eſſem apud te, Beatiſſime Pater, qui iiſdem meritis clarus, iiſdemque officiis glorioſè perfunctus; & proinde ad hoc opus tibi, in hos vſque dies diuinitus, ſeruatum, electis: nequaquam mihi verendum fuit, ne per inſufficientiam tibi negligerer, qui etiam meritus fidelium Paſtor, imbecillitati noſtræ clementiſſimè compati didiciſti. Iamque ego qui horrore quodam non ſine titubatione occeperam, perſpecto quàm benigno vultu, ac clementi nutu audientiam indulgeas, erectus in ſpem meliorem, fidentior proſequor; tuiq; ſacri affectus oraculo meis auribus illud propheticum inſonare videtur; *Dilata os tuum, & ego implebo illud*. Et rurſus; *Dabo tibi ſermonem bene ſonantem in os tuum, vt complaceas in ore principis*: ac proinde obſecro, pari clementiâ velis fauere, dum diuino numine adiutus, ac tuo benigno fauore firmatus, proferam quæ ad ipſius Conditoris Bonaueturæ, ac huius ſanctæ ſedis laudem perpetuam cedere poſsint.

Vicarius Chriſti in terris.

Pſal. 80. 11. Eſther. 14. 13.

§. 3. Exoraturo à tuâ ſanctitate, Pater Beatiſsime, Diui Bonauenturæ Canonizationem ingens mihi ſtudium, fuit, ſacrarum litterarum codices diligentiùs euoluere, ad dignoſcendum quænam rei, de quâ agimus, conuenirent. Quibus quidem curioſiùs perſpectis, quantum colligere potui, duo potiſsimùm inſpicienda ac merito inquirenda fuiſſe intelligo, vitam ſcilicet & miracula. quæ ſi recitando monſtrauerim in hoc viro eſſe comperta, qualia ad Canonizationem ſufficiant; tua Sanctitas, cuius arbitrio id ſubijcitur, benignè dignabitur votis ſupplicantium reſpondere. Et quoniam vitæ initium, quod ex Religione ſuſcipio, miraculoſum exiſtit: nemo mihi vitio vertet, ſi vitam ante miracula relaturus, alterum cum altero recenſendo permiſceam. Nec rurſus mirabitur, quòd quemadmodum pleriq; cuiuſpiam memoriam commendaturi, non ego primordijs natalium ac pueritiæ Diui Bonauenturæ inſiſtam, aut eo altiùs à parentum ipſius dignitate exordiar. Prohibent namque crebra & clariora viri facinora, ab illo in ſtatu perfectiori agitata. Nec tamen omittam, quòd

In canonizatione inquirendum in vitam & miracula.

Bona-

...tura natione Tuſcus, patriâ Balneoregius, Ioanne F...
...ellâ, fidelibus coniugibus ortus, baptiſmatiſque vn...
... quæ ex Ioanne Medicinæ Magiſtro, & Felice Anton...
... ab illis maioribus originem trahunt, atque alijs teſtibu...
...gijs probè comperta ſunt.

§. ... Cæterùm prætermiſſâ longiore ſerie præmiſſorum...
...exordium capiet, vbi relicto mortalitatis ſtatu, mund...
..., ac omnipotenti Deo meritis beatiſſimi Franciſci, victi...
...rpetuam dedicauit. Glorioſus Deus in ſanctis ſuis, quo...
...terno prædeſtinauit electos, & ſecundùm neceſſitatem ...
poris, ad ſalutem humani generis producit in lucem; cùm bea...
Bonauenturam vas electionis ſibi delegiſſet, ac ſuis obſequij...
Religione ſancti Franciſci deſtinaſſet; quò tamen illius conue...
poſſet aliquando à Deo diſponente profecta intelligi, & in illo...
maieſtatis gloria reuelari: eundem in extremâ valitudine peri...
tari permiſit. Cuius ſaluti, anxiâ ſollicitudine timens cariſſima...
...ens, vbi Phyſicorum, quos adhibuit, diligentiam fruſtra exper...
...ſt, & medelarum vires ad illum leuandum minùs valere comp...
...it: ſolius Dei opem, quem Sancta timebat, & cui caſtos pu...
...ores, quos probè vt mater nouerat, intelligebat acceptos; h...
...militer in ſalutem pueri inuocauit, ac Sancti Franciſci ſuffragia...
...uerenter implorans, illum ſi ſanum recuperaret, ipſius Religio...
perpetuò deuouit. Exaudita eſt pro diuinâ clementiâ & ſua reu...
rentiâ; & ſanitate recuperatâ integer puer euaſit, non ſine adm...
ratione Phyſicorum: præſertim qui eum ſtatum corporis probè i...
illo deprehenderant, vt humanâ ope ægrum leuari poſſe penitu...
deſperaſſent.

§. 5. Idem iam adoleſcens, ac porrò ætate prouectâ, cùm Religioni maturum ſe, & illi, ex parentis voto debitum intelligeret: memorque diuini mandati per Dauid prophetam humano generi prolati: * *Vouete & reddite Domino Deo veſtro:* anno ſuæ ætatis circiter ſecundo & vigeſimo, habitum Religionis ſancti Franciſci deuotiſſimè ſuſcepit, & in profeſſionis emiſſione beneficium illius his verbis apertè teſtatus eſt; *Voto pro me languente grauiſſimè, ad beatum Franciſcum emiſſo à matre, cùm adhuc eſſem puerulus: ab ipſis ſum mortis faucibus erutus, & in robur vitæ incolumis reſtitutus. Quod cum viuâ memoriâ teneam, verâ nunc confeſſione profiteor: ne tantum beneficium reticens, ſceleris arguar vt ingratus.* orationemque ad illum piiſſimè his effundens: *Accipe igitur, Pater beate, quaſcumque exiles, meritiſque tuis, ac beneficijs impares gratiarum actiones; & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras ſic orando excuſa, vt à malis præſentibus eruas, & ad bona ſempiterna perducas.*

§.6. Igi-

§.6. Igitur vir ſanctus in eâdem vocatione progrediens: c omnis ipſius vita, in Dei certâ cognitione & contemplatione v ſaretur, ad quam adſequendam, per ſacrarum ſcripturarum a duam perlectionem, orationes, ac contemplationes intender docente illum Alexandro de Ales ſacræ paginæ Magiſtro: tant doctrinarum perfectionem breui adeptus eſt, vt à ſeptimo ſui i greſſus anno, conſono Magiſtrorum Ordinis iudicio delectus; brum ſententiarum in Pariſienſi vniuerſitate clariſſimè legerit, Cathedram magiſtralem receperit. Admirabilis proindè cuncti quòd tam paruo ſpatio eam ſufficientiam valuerit comparare. Se admirentur ſanè, qui res humanas ex naturali tantùm curſu, non autem ex diuinâ potentiâ metiuntur: quæ duos diſcipulos litterarum prorſus ignaros, Emaus oppidum contendentes, breui itineris ſpatio comitata, diuinorum ſcientiam pleniſſimè docuit.

Gratia Dei & Doctore Alexandro ab Ales acquirit ſummam eruditionem.

Luc. 24. 27.

§.7. Idem Diuus, dona ſancti Spiritus pro ſuis aſſiduis meritis conſecutus, magna indies doctrinæ incrementa recipiebat, quę magis diuinitus inſpirata, quàm humanitus adquiſita videantur. Cumq. per tres annos ſequentes, Cathedram magiſtralẽ rexiſſet, anno ſuæ ætatis ſecũdo & trigeſimo, inter primos, religione & doctrinâ, in Ordine habebatur. Namque illi tãquàm **infinitus theſaurus ſcientiæ erat, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Et quod notabilius & admirabilius erat in illo; quo magis ſcientiâ & auctoritate emerſerat, eo magis humilitate mentis deprimebatur. Nec, vt plerique, litterarum ſcientiâ inflati, vilia miniſteria domeſtica faſtidiebat: ſed vix, nec niſi per obedientiam, ægrè tamen ab illorũ executione coërcebatur, reputantibus Prælatis indignum, ſi à talibus, non, vt egregius, ſequeſtraretur, in quo ſancti Spiritus gratia habitare perſpicuè cernebatur.

Sap 7. 14.
Quo doctior, eo humilior.

§.8. Nec tamen vir ſanctus vlla caritatis officia ob litterarias actiones prætermittebat, ſed in omnes fratres oculos intendens: ſi quem fortè triſtem, aut profeſſionis pœnitentem intelligeret, tantâ dulcedine in ſermone conueniebat, conſolabatur, monebat ac confirmabat: vt nullus ab eo diſcederet, quin libens cœptum Religionis iter proſequeretur. Infirmorum prætereà curâ ſuprà quàm credibile ſit, delectabatur: quoue grauioribus aut contagioſis morbis grauarentur, eo magis ſe totum illorum obſequio adplicabat. Quibus officijs cùm maiorem diei partem abſumeret, non eo minor erat in publicis lectionibus & interpretationibus Scripturarum: quas tantâ claritate audientibus intelligendas reddebat, vt ipſe auctor illarum meritò videri poſſet. In Capitulis verò aut Prouincialibus aut Generalibus, tantâ ſapientiâ ipſius reſpõſa dabantur: vt iam Generalis Miniſter, perſpectâ magnitudine con-

Triſtes benignè ſolatur.

filiorum

[...] illius, nihil omnino graue exſequendum putaret, in[...] [...]i iudicium non anteà exploraſſet.

Quibus donis & gratijs illuſtratus, cùm iam in [...] eſſet omni merito clarus, defuncto Generali Miniſtro [...]o ipſius ingreſſus anno, ex tam multis ſanctis viris, qu[i] [...]io in ſua nouitate florebat, vnus omnium ſine contradi[ctione] [...]titit ſubrogatus. Hic vir ſanctus accingens ſe grauior[ibus] [...]nibus, cùm iam Religioſi cœpiſſent à fundatoris diſcip[...] [...]ulum declinare: & monendo, inſtando, caſtigando, ac o[...] [...]ùs laborando ad meliorem vitæ frugem reduxiſſet: in Capi[tu]lo Generali, quod primum Narbonæ tenuit, Regulam beati Fra[n]ciſci reformauit atque expoſuit; ordinemq́ue in Prouincias & Cuſtodias taxauit, & duas addidit, vbi ſtrenuè decertans aduerſu[s] venenoſas oppugnationes temeratorum & obtrectatorum, qui in Religionem Mendicantium, ac Sanctum virum impudentiùs ora [...]ſoluerant, atque artificioſis calumnijs velitabantur: ſolâ iuſtitiâ atque innocentia tutus, permanſit inuictus, tanquam qui * *Integer [vi]tæ, ſceleriſq. purus, Non eget Mauri iaculis, nec arcu, Nec venenatis graui[da] ſagittis, Fuſce pharetra*: expertus fructum ſanctorum monitorum * Magni Baſilij diuini interpretis Homerici carminis, vbi Vlyſſem pro meritis ad cælum tollit, aſſerens Poëtam clara voce teſtatum; *O homines ſit vobis cura virtutis, quæ cum naufrago enatat, & eiectum in litore venerabiliorem oſtendit*. vbi etiam libellum cõtra Minores perniciosiſſimũ, à Magiſtro Giraldo de Abbatis villa (vt putant) per Apologiam editũ, nõ minùs eloquenter quàm ſubtiliter confutauit. Qui etiã Giraldus nõ longè pòſt, iuſto Dei iudicio damnatus, meritas ſui ſceleris pœnas dedit, paralyticus ac miſerandâ leprâ reſperſus, quibus ærumnis vitam finiuit.

§. 10. Congregato verò Generali Capitulo Piſis, eo auctore inſtitutum eſt, vt *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*, vſque ad Epiphaniam continuaretur, eodem modo quo infra Octauam Natiuitatis Dominicæ cantatur: & aliæ Rubricæ in Breuiario reformatæ, & aliæ additæ. Idem etiã pijſſimus cultor glorioſæ Virginis matris Ieſu, inſtituit, vt fratres populum hortarentur ad ſalutandum eandem, ſigno Campanæ quod poſt Completorium datur: quòd creditum ſit eandem ea hora ab Angelo ſalutatam. Tunc tranſlatum fuit venerabile corpus beati Antonij, ad prægrandem Eccleſiam Paduanam: cuius lingua ſecundo & trigeſimo ſui obitus anno, recens & rubicunda reperta eſt; quam vir ſanctus in manibus deuotè recipiens, ac largioribus lachrymarum imbribus perfundens, talibus reuerenter affatus eſt; O lingua *benedicta*, quæ *Deum ſemper benedixiſti, & alios benedicere docuiſti*: nunc perſpicuè cerni-

Inſtitu[...] Virgin[...] poſt Co[...]pletori[...] ſigno ca[...] pane ſa[...]tandam.

*Luc. 1. 28.

S. Antonij [...] paduam l[...]gua incor[...]rupta ann[...] 32. à mor[...]te.

tur,

tur, *quanti meriti fueris apud Deum!* Cui oſcula deuotè figens, honeſtè collocari curauit. Cuius etiam famâ permotus Po[...] tunc Clemens IIII. vt illum in partem ſolicitudinis traheret, lentæ Eboracenſi Eccleſiæ præfecit: nec tamen adſequi potu[...] vir ſanctus eam promotionem acceptaret: qui propoſiti con[...] maluit in Religione manere, vbi diuitias & dignitates ſibi pr[...] raret in cælis. Cuius conſtantiam Pontifex admiratus, ad ill[...] *Sta,* inquit, *in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mădato[...] tuorum veteraſce.*

Eccli. 11. 12.

De operibus S. Bonauenturæ.

§. 11. Nunc verò ſe offert numeroſior cumulus diuinoru[...] ſcriptorum ipſius. Cùm Pariſijs legiſſet primum librum Geneſ[...] nobile opus, quod de *ſeptem Viſionibus* Bonauenturæ intitulatur, ditum eſt. In libros ſententiarum celebria commentaria edidi[...] Secundum & Quartum præſertim, quos etiă metricè extitit pr[...] ſecutus. Et incipiunt, *O fons ſplendoru, vas dulcoru & amoris.* quibu[...] ob ſublime ingenium auctoris ibi inſperſum, *ſententiæ ſententiarum* Bonauenturæ, titulus inditus eſt. *Super Euangelijs* compendioſè, & vtiliter ſcripſit, Lucæ præſertim Cancellarij piæ matris Ieſu, quam pectori impreſſam aſſiduâ meditatione ſemper extitit veneratus. Rurſus contemplatione Sancti Ludouici Regis Franciæ, *officium de Cruce* deuotiſſimum edidit: quod ab Eccleſiâ nullo immutato receptum, in ea ſolemnitate vbique legitur. Compoſuit & ſolemne *officium in honorem beati Franciſci*, & de ipſius vita *hiſtoriam* ſerioſo tractatu, primum & ſecundò reductoriè adnotauit. Compoſuit & libellum *de ſex alis Seraphim*, in monte Aluernæ. Duo nobilia opuſcula edidit, pijſſimas contemplationes fragrantia: quorum alterum *Itinerarium mentis in Deum*, & alterũ *in ſeipſum*, appellata ſunt. Compoſuit & libellum approbatorium Religionis mĕdicantium, quod *Defenſorium* appellant. Compoſuit & libellum *de vitâ Chriſti*, ſiue meditationum paſſionum ipſius, quem *arborem Crucis* nominant. Compoſuit & *Breuiloquium*. Item & *Sermones dominicales*, ſuper Euangelijs & Epiſtolis per totum anni circulum. Item *Compendium veritatis ſacræ ſcripturæ*. Item libellum ordinationis ſiue *inſtitutionis nouitiorum*. Item & libellum *de ſtimulo amoris*. Item & libellum, quem appellant *pharetram*, de auctoritatibus principalibus Doctorum approbatorum, quem per Alphabetũ extitit proſequutus. Et alia plura opuſcula vſque ad * trecenarium numerum, qui in partibus Galliarum frequentiùs habentur in manibus.

Officium de Sanctæ cruce.

* Trecenta ab eo ſcripta opuſcula teſtătur Ord. monumenta.

§. 12. Et cùm beati Franciſci Religio, quam annis octo & decem, ſancto regimine gubernauit; ipſius monitis & exemplis, in ſolidioris ſanctitatis ſtatu eſſet; & viri claritas ob vitæ ſăctitatem, doctrinæ eminentiam, atque operum diuinitatem vbiq; eluceſce-

ret;

re; tum fortè Romana ſedes plurimum laborabat difficultatibus, quæ in Concilio, quod Lugduni congregabatur, inextricabiles emerſerant: Gregorius tunc Papa X. & reliquus ſacer Senatus, illecti ſtudio viri, (quem leuandis dictis difficultatibus, ac vniuerſalis Eccleſiæ regimini intelligebant plurimùm præſtiturum, atque ob merita alioquin ſubleuandum) in Cardinalem, quamuis reluctantem promouerunt; & quod rarum, ex ipſo initio, ob viri excellentiam, Epiſcopum Albanenſem. Moxque pertractandis arduis rebus Concilij, vnus omnium delectus eſt, deputatis, qui illi adſiſterent, Rhotomagenſi & Tripolitano claris Epiſcopis illius temporis, qui & ipſi de Religione ſancti Franciſci, ad Epiſcopatum, ob meritum vocati fuerant. In quo Concilio de multis, illius ſapientiâ ſanctè conſultum atque decretum, & Græcorum impoſitæ hæreſes: qui tum præſente Palæologo eorum Imperatore, qui in hoc Lugdunum venerât, liberè ad Romanæ ſedis obedientiam redierunt; ad quorum reductionem miſſi fuerant Frater Hieronymus de Eſculo, & Frater Bonagratia Dalmata, Ordinis Minorum religioſi, eximij meriti. Quibus cum litteris reuerſis, idem Gregorius, Fratres ac Prælatos, qui in Concilio aderant, in Lugdunenſi Eccleſiâ conuocauit; vbi vir ſanctus præclarè habuit orationem, propoſito themate, quòd legitur Baruch *5. Exſurge Ieruſalem, & ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente Sole, vſque ad Occidentem.

In Concilio Lugdunenſi Cardinalis & Albanenſis Epiſcopus conſecratur.

Operâ eius Græci ad Eccleſiam redeunt.

Fratres Minores ad Græcos miſſi.

* Bar. 5. Oratio S. Bonauent. de Græcis ad Eccleſiam reductis.

13. Succeſſiuè in eâ vocatione, pari ſanctitate & operum perſeuerans, cùm in Dei Eccleſiâ diutiùs laboraſſet, ita vt cum Apoſtolo iure dicere poſſet; *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui*; anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, & ſuæ ætatis tertio & quinquageſimo, horâ matutinâ diei Dominicæ, quæ menſis Iulij erat tertia & decima; ex humanis ſublatus eſt, & ſanctis Patribus (vt credere debemus) æternùm victurus redditus. Quâ die ipſius venerabile corpus ſepulchro reconditur, in Eccleſiâ ſancti Franciſci Lugdunenſis cum multis lachrymis & conſternatione fratrum, lamentantium ſe tanti viri ſocietate deſtitui, qui parem ſibi in Dei Eccleſiâ relinquere non videbatur; Gregorio Pontifice permaximè eum reputante; quâ ibidem publicè teſtatus eſt; Eccleſiam Dei, illius morte magnam incurriſſe iacturam. In cuius exſequijs primam Miſſam celebrauit Frater Petrus Tarantaſienſis Epiſcopus Cardinalis Hoſtienſis; & ſermonem habuit propoſito themate, * *Doleo ſuper te mi frater Ionatha.* Vbi inter ceteras commemorationes gratiarum & donorum, quæ illi Deus dedit, etiam fuit, quòd quicunque eum videbat, ſtatim ipſius amore capiebatur, eiuſque monita libenter

* 2. Tim. 4. 7.

Abiit è v...

* 2. Reg. 26

Adſpectu eius gr... ſuo omn... fauore ... alliciebat.

benter recipiebat, Græci præſertim; quibus reducendis ip
uina eloquia, & conſilia plurimùm contulerunt. Benignu
bilis, omnibus gratus, & nulli vnquam ſcandalo; pius, pr
humilis, pudicus, ſobrius, caſtus, atque quietus: quarum
tum actiones, & officia ſemper ſtrenuè extitit exſequutus. C
etſi nullo alio probante doceremur, ſatis ex diuinis ſuis ſcrip
quidò patet: quibus tam intenſo affectu, ſingula præmiſſa p
quitur; vt niſi per aſſumptum de illis habitum, adeò ardenter
inſiſtere non valuiſſet. Tum verò, quod Alexandri de Ales p
ceptoris ipſius teſtimonio, mundus ab omni vitio probatus
qui eius vitâ & moribus probè compertis, de eo dicere ſolebat; *V
rus Iſraelita eſt iſte, in quo Adam non peccaſſe videtur.* Cuius docto
auctoritatem tanti apud Eccleſiam valuiſſe conſtat, vt de illius c
ctis aut ſcriptis nefas putauerint dubitare: conſummatumque om
nes teſtati ſunt diuinum oraculum, per beatum Franciſcum de il
lo editum, futurum eum magnum virum in Eccleſiâ Dei, Religio
nemq; ſuam magna per illum ſanctitatis accrementa recepturam.

S. Bonauentura Verus Iſraelita, in quo Adam non peccaſſe videbatur.

§. 14. Iam intelligis Pater Beatiſſime, quod & per te planiùs intelligebas; quis qualiſue fuerit Bonauentura, de quo agimus: cuius vitâ & exemplis, beati Franciſci Religio illuſtrata, & doctrinâ, omnis terra repleta eſt. Nunc quod ſecundo loco aggredimur, pari patientiâ audire digneris, dum refero, quæ memoranda Omnipotens Deus in illo, & ipſius virtute, in alijs monſtrare dignatus eſt. A re mirandâ exordior. Bonauentura adhuc in minoribus agens, demiſſæ mentis humilitate, potiùs quam ex iniuſtitiâ, pluribus diebus abſtinuerat perceptione ſacratiſſimi corporis Chriſti; veritus ne ſi illud * *indignus ſumeret, iudicium ſibi manducaret & biberet.* Cumque die quâdam, in Miſsâ deuotus adeſſet; Deus reſpiciens ad illius humilitatem, particulam conſecratæ hoſtiæ, de manu celebrantis, per Angelum acceptam, illius ori clementer immiſit. Reſpexit enim ad humilitatem ſerui ſui, propter quam beatus omnibus gentibus prædicatur. Rurſus cùm intenſo affectu ſtuderet, contemplando & adnotando vitam beati Franciſci, glorioſus ſanctus *Thomas de Aquino*, qui eâdem tempeſtate meritis claruit, & Bonauenturæ magna charitate coniunctus fuit; accedens ad illius cubiculum, per foramen oſtij introſpexit, viditque illum in contemplatione raptum, & à terra mirificè ſubleuatum, tum retrocedens ad ſuos; Sinamus, inquit, Sanctum, qui laborat pro ſancto. Simona Lugdunenſis beatum Bonauenturam viuentem ſumma deuotione proſequebatur, quæ ſicut Domino placuit, mortuum peperit. Ad quam euocatus vir ſanctus, expoſito cadauere ante illius pedes, & mater, quæ in lecto coràm ingemiſcebat, &

Miracula eius enarrat.

** 1. Cor. 11. 2. Abſtinens à ſacrâ Eucharistiâ humilitate, ab Angelo partē accipit è manu conſecrantis Sacerdotis.*

S. Thomas Thomæ, S. Bonau. amicus.

Dum ſcribit vitam S. Franciſci, à terrâ ſubleuatur.

reliquæ

reliquæ mulieres quæ aderant, Sancti viri opem in ſalutem mortui deprecatæ ſunt. Tum vir ſanctus commiſeratus, manibus atque oculis erectis in cælum, deuotiſſimè orauit. Mox ſigno crucis ſuper puerum facto, viuentem reddidit matri.

Fœtum mortuum ſigno crucis vitæ reddidit.

§. 15. Tritum ac frequens apud Lugdunenſe Caſtrum villanum, ac totam prouinciam, quòd mulieres vtero laborantes inuocatus exaudit, & de periculo eximit. Ioanna Lugdunenſis, octo dies continuos vtero diſtenta, atque aſſiduo enixu parturiendi cruciata, deſperauerat de ſalute. Monita à mulieribus quæ labo- ...anti aderant, ſe Sancti precibus & ſuffragijs commendauit, cer- ...um votum pro ſalute recuperandâ faciens; & ſtatim incolumis ...ncolumem peperit. Petrus filius Ioannis Aiuſe Chapelier, dex- ...râ tibiâ notabiliter claudus, ita vt quatuor menſibus ſine baculo ...e ambulare, nec in veſtigijs conſiſtere poſſet; precibus, voto, & ...ationibus in ſepulchro ipſius factis, ibidem nouennam facere ...pit; & in fine ſex dierum meliùs habere cœpit, & infra nouem ...ſalutem omnimodam recuperauit. Eâdem inuocatione, ſimi- ...gritudine liberatus filius Franciſci Maſſodij Notarij Lugdu- ...ſis. Nobilis Miles Dominus Locorum de Vincellis & de Gro- ...llis, peſtilenti febre attritus & exinanitus erat; quem loquelâ, ...ù, & motu deſtitutum, extra ſalutis ſpem denunciauerat Mar- ...e Ferrarijs nobilis phyſicus Papienſis, qui in illo omnia mor- ...tis ſigna probè compererat. Ceterùm Religioſus quiſpiam ..., Frater Matulinus Biblicus, conuentus ſancti Franciſci ...unenſis, qui commmemorare cœpit, quæ mira omnipo- ...eus per inuocationem dicti Sancti operaretur; & propterea ...opem in ſalutem morientis poſcendam perſuaſit. Tum vo- ...a inuocatione, per cognatos & dictum Religioſum, & certo vo- ...ro illius ſalute ad beatum Bonauenturam facto, qui moritu- ...idebatur ſtatim ſentire, moueri, loqui, & meliùs habere cœ- ...e breui ſalutem omnimodam recuperauit. Simili inuocatio- ...grauiſſimis febribus liberati ſunt Frater Ioannes Benedicti, ...s ſancti Franciſci, ſacræ paginæ Magiſter; Ludouica vxor ...ouer, Gaſparda filia nobilis viri Petri Carionis de Cham- ...Filius Richardi Ridani, Soror Pinetæ vxor Claudij, Pi- ...tonius Cathalanus, Lanzelotus Mercurius, Stephanus ...hapelier, famulus Ioannis Adiuſſe de quartanâ, & fra- ...us Laicerti.

Parturientes facit enixu faciliè.

Claudus ſanatur ad eius ſepulchrum.

Et febrientes.

Franciſca, luem ſiue formicam, in collo patiebatur; ...enſim in reliquam corporis partem ſe prorogabat, & ...æ carnes miſerè vrebat atque vorabat: ſuper quam ...tus Alerij infelix pater, ad venerabile ſepulchrum

Et à varijs morbis liberantur ex voto alij multi.

S.Bonauenturæ ſe contulit, illiuſque opem & ſuffragia in ſa
filiæ deuotiſſimè inuocauit, ac certum votum in hoc fecit.
domum reuerſus, extincto igne, ſanam & liberam mirac
inuenit. Stephaneta relicta Ioannis Michaëlis, caſu trabis o
percuſſa, graues dolores incurrit, & in periculum perdendi
lum deducta fuit; commendauit ſe beato Bonauenturæ, atqu
illius ſepulchrum virgunculam filiam cum cereâ imagine oc
rum, miſit. quâ reuersâ, doloribus liberata eſt, & breui integr
oculorum ſoſpitatem recuperauit. In quâ & illud notabili
quòd cum Lugdunum perueniſſet Religioſus quiſpiam Prædi
tor Verbi Dei, indixiſſetque populo, quod quicunque ſciret a
quid de miraculis beati Bonauenturæ, quòd ſibi reuelare debere
eadem Stephaneta, quæ in oculorum ſuorum ſalutem etiam inuc
cauerat auxilia glorioſæ Virginis MARIÆ; perplexa cuius bene
ficio ſoſpitatem oculorum conſecuta fuerat, aliquamdiu detrecta
uit quidquam Prædicatori referre. Tum in grauiorem oculorum
ægritudinem incidit; mittenſque etiam filiam denuò, vt anteà fecerat, ad idem ſepulchrum, & facta oratione & voto, miraculoſè extitit liberata. Tum ſuum reatum agnoſcens, ad eundem Prædicatorem acceſſit, & rerum ſeriem omnimodam reuelauit. Simili inuocatione de doloribus & periculo oculorum liberati fuerunt Dionyſius de Forreſtâ mercator, Claudia de Piſcariâ, Claudius Poleti Corduernis, Margarita vxor Ioannis Petit textoris, Ioannis Adiuſſe filius.

Imagines cereæ offeruntur ad eius ſepulchrum.

Nota rem mirandam.

§. 17. Ioannes Adiuſſe Chapelier dirâ paralyſi repentè percuſſus, amiſſis ſenſibus & mediâ ſui corporis inferiori parte, hebes factus cecidit; cuius caſum dolens pater, flexis genibus commendauit illum beato Bonauenturæ: & ſtatim qui ceciderat, ſentire, loqui, & meliùs habere cœpit. Tunc imponentes eum lecticæ, pater, mater, & Petrus alter filius, detulerunt eundem ad Sancti ſepulchrum, quem ibidem ſiſtentes, flexis genibus inuocauerunt beatum Bonauenturam; & factis certis orationibus & voto, ſanum ac liberum reduxerunt domum. Eâdem inuocatione de ſimili ægritudine liberati, Franciſcus Dauegnier, aliàs Rauillon, Gulielmus de Bletena textor, Catharina de Bauline, Ioanna relicta Petri Rolini; Margarita relicta Ioannis de Vaulx aurigæ.

Item paralytici reſtituuntur.

§. 18. Illuſtris Dux Aurelianenſis à potenti magnæ Britanniæ ſiue Angliæ Rege captiuus detinebatur, vbi veterem quartanam paſſus, intenſos capitis & renum dolores incurrit: deſtitutus omni auxilio, opem beati Bonauenturæ deuotiſſimè inuocauit, in illius ſuffragijs deuotiſſimè ſperans: ſtatim miraculoſè doloribus & ægritudinibus liberatus, in Gallias infra annum extitit reſtitutus.

A Duce Aurelianenſi febris diſcedit quartana.

tus. Mox Lugdunum petens, viſitauit venerabile Sancti ſepulchrum; & oblationibus factis, gratias Deo, & Sancto pro acceptis beneficijs egit; & quæ per illius inuocationem fuerat conſecutus, Religioſis dicti conuentus manifeſtauit. Laqueda vxor Nicolai Cotineti Lugdunenſis, horrendâ leprâ reſperſa atque infecta, ſuis vitabilis, iam diutiùs detrectare non poterat, quin relicto lare, cognatis & vrbe, miſerabili conſortio leproſorum ſe redderet. Quæ cum ſemper nomen beati Bonauenturæ deuotè coluiſſet, ad illius ſepulchrum procubuit, intenſiùs precata, vt miſereretur ſortis ſuæ; deuotè oblatione ac voto factis, mundari atque à leprâ liberari obtinuit. Michael de Chel, aliàs Gennes, in cuius latus dextrum, equus vehementi ictu validum calcem detorſerat atque impegerat, ita vt duabus coſtis penè attritis, cùm magno anhelitus impedimento, tres menſes languidus iacuerit, varijſque fomentis, ac cataplaſmatibus fruſtra adhibitis, deſperatâ ſalute commendauit ſe B. Bonauenturæ: & certo voto in illius honorem facto, de periculo exemptus, & ſaluti extitit reſtitutus. Simili inuocatione, liberatus etiam de dolore coſtarum Ioannes Michaëlis de Cheual, ſeruiens Curiæ Lugdunenſi, & eâdem, Margarita Ioannis ...it, quæ de celſiori ædium parte delapſa deciderat.

Leproſa mundatur.

Equi calce grauiter ictus ſanatur.

§. 19. Ioannes Garboti regius Secretarius, vxorem perpetuò ...uore habuit tabidam, ſiue hydropicam, & nullo medico iuuante curare poterat; acceſſit ad venerabile Sancti ſepulchrum, ſalutem coniugis, imò communem, illi reuerenter commendans; & certo voto in honorem Sancti, ſanam & liberam, domum reuerſus, extitit conſecutus. Ioannes Duſolier Mareſcallus Lugdunenſis, putri ac marcidâ tibiâ quatuor menſes languidus iacuit. Cumque cruciabiles dolores diutiùs perpeti non valeret, in ſolâ tibiæ amputatione ſpem coniecerat. Nocte fortè per quietem monitus, commendauit ſe beato Bonauenturæ; atque vxorem cum cereâ imagine tibiæ, ad illius ſepulchrum deuotiſſimè miſit. Quâ reuerſâ, doloribus penitus exemptus eſt, & ſalutem omnimodam ...ui recuperauit. Petrus Moyer ligneum molendinum habebat in ...mine Rhodano, qui affluenti aquarum colluuione elatus & au...molendinum ipſum, validâ alioquin catenâ retentum, violen...apu...it, & in ſe vorauit. Quo conſpecto, idem Petrus, qui ſem...luerat beatum Bonauenturam, ad illius ſepulchrum confu...procumbens reuerenter precatus eſt, vt à ſui deuoto, cala...ni iacturam auerteret. Mox egreſſus inconcuſſum molen...d alteram Rhodani ripam in littore eiectum, & miracu...tum conſpexit & recuperauit.

Voto illi facto morbidi varij adiuti.

Damnoſi quoque.

Stephaneta mater prædicti Franciſci Dauegnier, aliàs de

de Rouillon de Squilinciá, in extremis laborabat, quæ allati
minicum corpus, nec agnoſcere nec recipere potuit; quòd
mè ferens Franciſcus filius, qui probè noſcebat matrem
deuotione beatum Bonauenturam ſemper coluiſſe, ad illius
rabile ſepulchrum confugit, deuotiſſimè precatus, ne ſuſtine
deuotam, ſine ſalutis viatico vitâ decedere. Domum reuerſus
liſſimè ſperans in B. Bonauenturâ, corpus Dominicum iteru
ferre curauit; quod ſtatim agnitum mater reuerenter recepit.
Res amiſſæ & perdita reſtituta. nerabilis Religioſus Fr. Benedictus de Lulino, Ordinis S. Ant
Viennenſis, procurator domus S. Antonij Lugdunenſis, cenſu
libros domus amiſerat, quos multâ adhibitâ diligentiâ reper
non valuit, cùm magno ſcandalo & detrimento domus. acceſſit
venerabile ſepulchrum B. Bonauenturæ, & ibidem accenſis canc
lis commendauit ſe eidem, & domum reuerſus libros meruit inu
nire. Pari inuocatione Richardus Ridani mercator, amiſſa inſtr
menta probatoria, & aliàs res apothecæ valuit inuenire. Itidem &
frater Petrus Fabri, res ad ſui vſum deputatas amiſſas.

§.21. Margarita Gruelle vxor Hugonis Franciſci Burgundi Calzetarij, habitatoris Lugdunenſis, intenſo podagræ dolore cruciabatur. *Podagroſi ipſius ope curantur.* Quæ cum probè noſſet medicam artem in hoc parum valere, confugit ad inuocationem ſuffragiorum B. Bonauenturæ, virgunculamq; filiam cum cereâ pedis imagine, ad illius ſepulchrum reuerenter miſit, & ſtatim podagrâ extitit liberata, nec illâ vnquam de cetero grauata fuit. Eádem inuocatione liberata Catharina vxor Ioannis Textoris de Hiſpaniâ, & filius magiſtri Franciſci Maſſedi Notarij. *Item hernioſi.* Margarita vxor Benedicti Garrini, filiũ habuit in inguinibus ruptum, ac viſceribus miſerè putreſcentem; qui medicâ manu ſectus, in deteriorẽ ſtatum, ac certum mortis periculum deductus fuit. quod ingemiſcens mater, quæ ſpecialiùs B. Bonauenturam venerabatur, ad illius ſepulchrum reuerenter confugit; ibidem quàm deuotiſſimè precata eſt, vt ſuę orbitatis miſereretur, nouennamq́ue in illius honorẽ facere cœpit, & octauâ die ſanum ac liberum conſequi meruit. Petrus Morget dolium vino plenum in cellarium inferens, illius oneri impar preſſus ſuccubuit, & illo ſuper eũ incumbente quaſſatus fuit ac penè contritus: commendauit ſe B. Bonauenturæ, & ſalutem conſequi meruit. Simili inuocatione liberata illius cognata, quæ caſu, ſpatulam & brachium enormiter læſerat.

§.22. Sunt prætereà & alij innumeri, qui meritis eiuſdem Sancti, de varijs doloribus, ægritudinibus, ac periculis miraculosè liberari meruerunt: quorum ſingulos ſi recenſere pergam, præſenti operi, detrimẽto potiùs quàm vſui aut fauori indubiè futurus ero. Hoc tamen loco non committam, vt ſilentio tranſeam ſtupendum

ac memorabile quiddam, quod omnipotẽs Deus ad perhibendum certũ teſtimonium ſanctitatis viri in illius venerabili corpore, pro ſua clemẽtiâ monſtrare dignatus eſt. Dum idem venerabile corpus transferretur ad nouam Eccleſiã, ad titulum S. Franciſci, Lugduni erectam; centeſimo & ſexageſimo ſui obitus anno, reliquâ corporis parte alioquin exeſâ atq; corroſâ, caput tamẽ ſolidum, capillamentum hærẽs, labia, dentes & lingua, in nullo à vitali ſtatu, aut colore demutata reperta ſunt. Erat profectò diuinæ clementiæ, illud os à putrefactione ſeruare, quod ad ſalutẽ fideliũ, atq; in diuinis laudib. ſemper extitit operoſum, nec dare ſanctum ſuũ videre corruptionẽ.

Caput S. Bonauen. integrum anno 160. ab eius obitu.

§.23. Extant prætereà crebra & memoranda beneficia, quæ frequenter conciues Balneoregij, & Vrbeuetani, per inuocationẽ eiuſdem Sancti meruerunt obtinere: de quib. tam multis vel vnum, aut alterũ duo recenſere nõ piget. Laodamia Vrbeuetana filiarum ſar- p... ià onerauerat domum; ac proinde Franciſco Matthei Nebie viro ci... dãmodo inuiſa: qui rei familiaris anguſtiâ, impar ſarcinæ, ma- qu... monio abſtinebat, de quo non niſi fœminas cõpererat proficiſci. tri... coniuges conſolatus venerabilis Religioſus Minorũ, Magiſter Fr... Franciſc. de Aquapendente, qui illis admodum cultus erat; affirma- uit ſe habere documẽta ex inſtitutis D. Bonauenturæ, quę ſi moniti ſuſc... iperent, maſculinam prolem conſequerentur. Auſcultantibus, vnà mecũ, inquit, votiuas effundite preces ad glorioſum Bonauentu- ra... n, & piè ſperetis aſſequi quod optatis. Qui parentes monitis, pauc... llis diebus gignendæ proli operã indulſerunt: & vxor grauida fa... ta eſt, & ſtatuto menſe peperit maſculum, cui nomen ex inſtitut... eiuſdem Religioſi, Bonauent. impoſuerunt, laudantes Deum & San... ctum, in cuius virtute mirabilia ſecũ operatus eſt. Triennio poſt, dũ ea ciuitas Epidemiæ morbo atq; internecinio grauiter affligeretur, domus omnis coniugum eo veneno reſperſa eſt; & filiab. omnib. extinctis, Bonauentura extra ſpem ſalutis conſtitutus, credebatur pari mortalitate iam iam ſorores ſecuturos. Qui etiã im...dorum ſpirituum præſentaneâ inſtantiâ vexatus, nullâ domus ...e illorum perſecutionem effugere poterat, clamitans infelix; ...urri te gladio & fuſte, hos Spiritus maligniores fugate. Paren... præ talium afflictione & mœſtitiâ conſternatis, atque omni ...s remedio deſtitutis, ſubijt Sancti recordatio, cuius munere fuerant conſecuti: mox in ſpem adducti, illum hac prece ...ſunt; Sancte glorioſiſſime, qui benignus nobis hunc filium ...ti, eâdem benignitate præſtes, vt fugatis malignis ſpiritibus ...ſte ſaluum retineamus. Et prece factâ, ſpiritus extorres ...ebris ceſſauit: & breui puer omnino ab ægritudine ſal...ie, cum magnâ parentum & omnium ciuium lætitiâ, gauden-

Maſcula proles eius precibus impetratur.

Quæ item ab infeſtis dæmonibus defenſa, & à peſte liberatur.

gaudentium quòd ad ſuperandas morborum & ſpirituur. gnitates, defenſoris tam validi præſidio cognoſcerent ſe mu.

§. 24. Poſſem fortè ineptus videri, ſi ſtudens cœpto pro diem abſumere, recenſendo miracula: quorum relationi nec nec certè dies ſufficere ſatis ſcio. Sed quid vlteriùs exquirimu racula? quaſi verò Baſilium Magnum, Hieronymum, & Aug num, noſtræ fidei lucida ſidera, Thomam Aquinatem, &. quamplures, quos in Dei Eccleſiâ Sanctos colimus, ob mirac non autem ex diuinitate doctrinæ miremur & veneremur: q tamen ſanctitatis teſtimonium non ex alio certiùs conſecutos p bè intelligimus, quàm ex eorum commentarijs; quæ vt diuini tis plena, non niſi per infuſam ſcientiam poterant edidiſſe; ex q bus Spiritum ſanctum in eis habitaſſe veriùs comprobatur. At porrò miracula exigimus, non tam quæ per illum in alijs, quà quæ in eo ipſo adparuerint conſideremus. Si igitur diuum Bon uenturam in ſuis operibus miraculoſum iam conſtat; ſi infuſan dono ſancti Spiritus obtinuiſſe ſcientiam, diuina illius commenta ria profitentur; ſi caritatis officia ardentiùs executum, mundanos honores contempſiſſe, adfectus terrenorum abieciſſe, in perſecutionibus conſtantem manſiſſe, in beati Franciſci ac vniuerſali Religione fructuoſum extitiſſe; ſi supernâ vocatione, vt Paulum, in ſortem Domini miraculosè conuerſum; ſi diuino beati Franciſci præſagio ſanctum prædicatum; ſi Alexandri de Ales Doctoris irrefragabilis ipſius præceptoris ſedulâ obſeruatione Sanctum compertum ac iudicatum; ſi Religioſorum Minorum voto, qui ſanctitate pollebant, vt ſanctior ſummus Prælatus adſumptus; ſi Romanæ ſedis iudicio, vt clarus meritis ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen profuturus accitus; ſi denique communi omnium opinione fidelium, Sanctus tenetur, & nominatur, & colitur; ſi benignus ſuccurrit quotidie inuocantibus ſe: poterat Sanctitas tua etiam nullo petente, Sancto quod vnum deerat, publicos honores decernere; quanto magis id debes celſorum principum votis? Accedunt pientiſſimæ preces Sereniſſimorum ac Clariſſimorum Frederici Romanorum Regis ſemper Auguſti, Ludouici Francorum Chriſtianiſſimi, Ferdinandi Siciliæ, & etiam Matthiæ Hungariæ Regum Catholicorum: qui cùm de Republicâ Chriſtianâ benè mereri ſueti ſint, digni certè videri debent, qui à Sanctitate tuâ, tam ſanctam rem impetrent. Rogant prætereâ Illuſtres Duces ac populi, ac loco maximi muneris hoc petunt, Calabriæ, Venetiarum, Mediolani, Sabaudiæ, & Duciſſæ Calabriæ & Borbonij, Florentini, Senenſes, Peruſini, Lugdunenſes, & ciuitas Balneoregij, quæ licet humilis ſit, tamen clariſſima & Deo gra-

Sanctitas in diuis illis præcipuè ſpectanda, non miracula.

Peroratio.

Catalogus Regum ac Principum, petentium S. Bonau albis Sanctorum inſcribi.

tiſſima

tiſſima videri debet, cui contigit tantum ſidus producere. Rogat
prætereà illius Ordinis Reuerendiſſimorum Patrum, Ioannes de
Arragoniâ, eiuſdem Sereniſſimi Regis Ferdinandi Illuſtriſſ. pro-
les, quæ Sanctos, qui in eo Ordine claruerunt, religioſiùs venera-
tur & colit. Exigit denique ſuo iure beati Franciſci ſancta Religio,
cuius alumnus, vel iuſta petenti deeſſe non potes. Exigit & ipſe
Sanctus, ex promiſſione omnipotentis Dei nomine facta, ſtrenuè
militantibus: quòd illorum laudes cantet Eccleſia; cui obligatio- Eccli. 44. 1.
ni ipſius Vicarius ſatisfacias neceſſe eſt.

§. 25. Tam multis igitur vinculis obligatum, nullus Iudex
quamlibet fauorabilis, niſi ſoluentem ſoluere poſſet.
rus reuocetur Trellius vmbris, Et te defendat Seruius vſque licet: Magnus ab in-
res abſolui. Comperto, præter ea quæ dixi, ſingulari ſtudio, quod
noſcendis vitæ & miraculis Sancti, exactiſſimum ſtudio, quod
uerendiſſimi Patres, Iulianus de Rouere ſancti Petri ad vincula, indulſerunt
diniſ eiuſdem meritus protector, Stephanus Mediolanenſis, &
nciſcus de Gonſaga Mantuanus, tuæ Sanctitatis in hoc Com-
rij; Mediolanenſis præſertim, quem contra aduerſam vale-
nem, acri inſtantiâ colluctantem à ſancto propoſito, nec pro-
ſalutis ratio valuit retardare: qui etiam Reuerendiſſimi Pa-
illecti ſtudio compertæ ſanctitatis viri, id inſtantiſſimè po-
. Quid igitur tua Sanctitas vlteriùs differt? quid cunctatur?
alterius gloriæ id prorogat? Multa certè extant celebria tua
quæ te ac tuos illuſtrant, atque perpetuò illuſtrabunt: nil ta-
ic æquè Romano Pontifici glorioſum, meo captu, continge-
re crediderim, quàm vt Sancto, pro meritis publicam cele- *Sanctis decernere publicum honorem Pontifici Romano glorioſum.*
britatem decernat. Quam & tu Pater beatiſſime, qui omni iure
neceſſitudinis B. Bonauenturæ coniunctus es, auctoritate Omni-
potentis Dei, quem Semideus mortalibus in terris refers, ſuppli-
cantibus concedere pro tuâ clementiâ benignè digneris.

S. D. N. SIXTI PAPAE IV. DIPLOMA,

QVO S. BONAVENTVRA EPISCOP[VS] CARDINALIS ALBANENSIS, DOCTOR ECCLESIÆ DECLARATVS, *in Diuorum refertur minorum.*

SIXTVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuã rei memoriam.

§. 1. *Superna cæleſtis patria ciuitas Ieruſalem*, * cuius participatio eius in idipſum; *ita omnium electorum ſaluatione lætatur, vt quorum præſtantiora ſunt merita, copioſiora etiam ſumant gaudia præmiorum : quod in exceſſu mentis ſuæ, poſitus Iſaias Propheta, ſenſiſſe videtur cùm diceret;* * Exſulta & lauda habitatio Sion : quia magnus in medio tui Sanctus. *Exſultent igitur omnium Angelorum chori, qui de vacuarum ſedium habitatione ſoliciti*, *conantur* de virtute in virtutem, *ad beatas illas manſiones, vnde ſuperbi ruerunt ſpiritus, humilitate perducere. Exſultent quoque omnes animæ iuſtorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti; atque omnes tam veteris quàm noui Teſtamenti fideles, amici Dei : qui contemtis huius ſæculi vanitatibus, con-*

* Pſ.121.3. Gaudia magna à meritis Sanctorum.

* Iſa.12.6.

* Pſal.83.8.

ciuium numeroſitate congaua
Exſultet cælum laudibus, reſu
terra gaudijs : quoniam San
rum editio lætitiam habet plurin
rum : valdè enim pietas fidei ex
git, vt quod pro ſalute multoru
geritur, communibus vbique gau
dijs celebretur. Præcipuè verò exſultet Pontificum cœtus Beatorum, & ſacra Doctorum concio : qui fulgent in cælo tanquam * ſtellæ in perpetuas æternitates : *quos inter, dum ſanctus Bonauentura tanquam nouum ſidus, ex hac lachrymarum valle, ad cæleſtem*, * quæ ſurſum eſt Ieruſalem, *vocante eum Domino migraret, emicuit.*

*

* Gal

§. 2. *Nos autem, qui diſponente Altiſsimo, ad culmen Apoſtolatus euecti, Chriſtiani gregis curam gerimus; quem pro debito paſtoralis officij, iucundo Sanctorum collegio conformare, vt debemus, intenſis deſiderijs affectamus : Eccleſiæ militanti (pro curis ædificatione & incremento,*

ipſum

ipſum Bonauenturam in Catalogum Sanctorum referendum duximus) haud incongruè dicere poſſumus, * Exulta hodie, & lauda habitatio Sion, id eſt, Chriſtiana Religio: in qua tamquam in monte Sion, per veram fidem habitat verus Deus; quoniã magnus in medio tui Sanctus. Quippe * in medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus Spiritu ſapientiæ, & intellectus, & ſtolam gloriæ induit eum; & coronauit ad portas paradiſi, in qua cum Angelis gloriâ & felicitate lætatur. Lætemur itaq; & exultemus: quia cæleſtis illa curia ex nobis habet, cui ſit cura de nobis, qui nos protegat meritis, quos inſtruxit exemplis, illuminauit doctrinis, & miraculis confirmauit; Deus dedit cunctis populis in [illegible] & honorem, cuius memoria in benedictione eſt.

Iſa. 12.6.

Eccl. 15.5.

§. Ea namque de diuinis reſcripſit; vt in eo Spiritus ſanctus locutus videatur; ita piè, religiosè, & ſanctè vixit; vt ſcriptis congrueret, & quod ſcribebat [illegible] exemplo. in quo morum vir[illegible] & ſignorum claritas, ita com[illegible]: vt congruentibus maxi[illegible] & miraculis, veræ ſan[illegible] teſtimonii à militante Ec[illegible] [illegible]tur eidem. Nam cùm in [illegible]te iuuentutis, humanis [illegible]cebris, diuino ſe addi[illegible]o: Religionem beati [illegible]e per ardua tendit) [illegible]rum ſedulâ lectio[illegible] ratione profecit; vt [illegible]ritò dicere poſſet;

* Optaui & datus eſt ſenſus. Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem ſenſum, qui lux, * via, veritas eſt, & vita: paucorum annorum ſpatio, incredibilem eſt ſcientiam conſecutus. Nec * talentum ſibi à Domino creditum ſudario inligauit, aut terræ infodit, ſed vt ſapientiſſimus diſpenſator, in communem vtilitatem conuertit. In celebri enim Pariſienſi Gymnaſio, Cathedram rexit: vbi abſcôdita Scripturarum enucleans, non ſolùm viuâ voce profuit multis: ſed etiam plurima librorum optimorum, tum in ſacris litteris, tum in maioribus ſcientijs, monimenta reliquit, quæ eſſent omni tempore poſteris profutura.

* Sap. 7.7.
* Io. 14.6.
* Mat. 25. 18. Luc. 19. 20.

§. 4. Magnus doctrinâ, non minor humilitate, & vitæ meritis: quem Alexander de Hales Doctor clariſſimus (cui ſe in diſciplinam S. Bonauentura tradiderat) tantæ innocentiæ, ac columbinæ ſimplicitatis expertus eſt eſſe, vt dicere ſolitus fuerit; Sibi videri, quòd in eo Adam nunquam peccaſſet. Magnus etiam in Ordine Fratrum Minorum; cui vnus omnium, poſt beatum Franciſcum plurimum profuit: ad eius enim gubernacula vocatus, & Generalis Miniſter Domino inſpirante creatus, talem ſe ſuis præbuit ſubditis, vt in illo dominicum illud verbum videretur impletum; * Qui maior eſt veſtrũ, ſit miniſter veſter. Nam ſapientiâ, & morum integritate maior, prælationis officium, cum tantâ exercuit charitate; vt ſponte humilis, nunc doctrinâ, nunc monitionibus,

S. Bonauen. encomium.

* Mar. 10. 43.

nunc

nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali ſeruitio, ſatagebat, vt *bonus Chriſti miles, inferiorib. miniſtrare. Nec ſolùm quæ ab ipſo beato Franciſco piè & ſanctè fuerant inſtituta, diligentiſſimè cuſtodiuit: ſed multa etiam adinuenta, quæ creſcente Fratrum numero neceſſaria videbantur, adiecit. Ordinem quoque ipſum in Prouincias Cuſtodiasq́; diuiſit.

* 2 Tim. 2. 3.

§. 5. Magnus etiam dignitate in Romanâ fuit Eccleſiâ. Increbreſcente enim famâ innocentiæ, doctrinæ, ac prudentiæ eius: à felicis recordationis Gregorio Papa Decimo prædeceſſore noſtro, ad Cardinalatus vocatus eſt honorem: vt eius operâ, in maximis difficillimiſque rebus (quæ temporibus illis inciderant) vteretur. In quem Gregorius ipſe, ob ingentia viri merita, nouo eſt vſus exemplo. Statim enim illi Albanenſem commiſit Eccleſiam, quæ non niſi vetuſtioribus Cardinalibus ſolet committi. Non fefellit exſpectationem Summi Pontificis, ac ſacri Senatus, optimus Deoq́; amiciſſimus vir: ſed in Concilio Lugdunenſi præſidens, omniaq́; ad Dei laudem diriges, ſedatis diſcordijs, difficultatibuſque ſublatis, ipſi Eccleſiæ maximo vſui fuit, & ornamento. Quibus rebus apertè cognoſcitur, quod *Statuit illi Dominus teſtamentum pacis, & principem fecit eum: vt ſit illi Sacerdotij dignitas in æternum. Quem inanis gloria non inflauit, non diuitiæ ſiniſtrorſum egerunt: ſed in fide lenitateque perſeuerans, prius in Deum, in pauperes miſericors, iuſtus in omnes [illegible] ptibile corpus exuit; [illegible] lo dicere poſſet, * B[illegible] men certaui, curſu[illegible] maui, fidem ſeruaui. [illegible] repoſita eſt mihi c[illegible] ſtitiæ.

Epiſcopus Cardinalis Albanenſis creatur, & præſes Concilij Lugdunenſis.

*Eccli. 30.

§. 6. Quieſcſ[illegible] rantia poterat ſanctus [illegible] illud; * Eſto fidelis vſq; [illegible] tem, & dabo tibi coro[illegible] tæ: ſubſecuta ſunt tamen [illegible] tam multa maximaque [illegible] quæ certum ſanctitatis [illegible] bent indicium; & nos ad [illegible] nerationem inducunt, q[illegible] meritis præcedentibus ve[illegible] oſtendit. Ipſe enim Deus [illegible] tens, vt ſuæ virtutis poten[illegible] nifeſtet, & noſtræ ſalutis [illegible] pandat, fideles electos ſuos, quos [illegible] ronat in cœlis, ſæpe etiam honor[illegible] in mundo, ad eorum memoriam ſign[illegible] faciens & prodigia: quo hæretica prauitas confundatur, & fides Orthodoxa ſeruetur. Agimus igitur ipſi Deo, quantas poſſumus gratias: quòd nos dignos duxerit, per quos hæc Canonizatio celebraretur: quæ licet diuinis litterarum monumentis exſtantibus, coruſcantibusq́; miraculis, iam pridem potuerit ritè fieri: nunquam tamen antehac vel à principibus, vel ab alijs, tantâ diligentiâ fuit petita. Noſtro tempore, chariſſimi in Chriſto filij noſtri, Fredericus Romanorũ Imperator ſemper Auguſtus, Ludouicus Francorum Chriſtianiſſimus, Ferdinandus Siciliæ, & Matthias Hungariæ Reges illuſtres, dilecti quoque filij, nobiles viri Alphonſus Calabriæ,

Ioannes Mongonico Venetiarum, & Ioannes Hadeam Mediolani, & Ioannes Borbon, Duces inſignes; præterea Conrates, Florentinorum, Senenſium, Lugdunenſium, Peruſinum, & qua tale ... Balneoregium, tanto ſtudio tantaque perſeuerantia petiuerunt à nobis: vt diuturnis & importunis precibus, eis in re tam piâ reſiſtere, quam etiam Dei numen petere videbantur. Acceſſerunt aſſiduæ Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Iuliani Sabinenſis, ipſius Ordinis Protectoris; dilectorumque quoque filiorum Franciſci Samſonis Generalis Miniſtri, & Petri de Rodolphis Procuratoris dicti Ordinis, ſacræ Theologiæ Profeſſoris preces: qui nomine Generalis eorum Capituli, id tanquam iuſtum & debitum repoſcebant. Legeramus ſtudioſiſſimè Sancti huius diuina ſcripta, quibus (poſtquam per ætatem aliquid ſapere licuit) ſemper fuimus delectati. Audiueramus quoque ab antiquioribus præ-
tæ Religionis Fratribus, & gra-
bus quidem viris: qui & ipſi à
oribus natu acceperant, de ſan-
onia vitæ eius; conſtantem fa-
eſſe ſciebamus, de multis ma-
ue miraculis: nec erat præ-
ud nos dubium, quin in tri-
e Eccleſiâ triumpharet in
eneratione mmereretur in

Sed memores, nos eun-
m Ordinem ex voto in-
diuinâ aßiſtente gra-
litteris & religioſis
que profecimus; ea-
riatus officia exer-

cuimus; atque inde ad Cardinalatus dignitatem, ita vt per conſimiles gradus, ad Pontificatus culmen ſublimatos nos fuiſſe, diſponente Domino, cognoſcamus, per quos ipſe Bonauentura ſanctus ad triumphantis Eccleſiæ immarceſcibilem gloriam euectus eſt: ne ad id videremur potius adfectione propriâ, quam debitâ deuotione moueri: eam adhibuimus diligentiam ac grauitatem, quam rei magnitudo poſcebat. Commiſimus enim tribus ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, vt de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque vnus ex eis inchoato proceſſu (vt Deo placuit) ab hac luce migraſſet, alium in locum defuncti ſubrogauimus Cardinalem, quo etiam decedente alium ſubſtituimus. Nec his contenti, cum iam proceſſus ipſe penè perfectus eſſet, & hi qui delegati erant fideliſſimè retuliſſent: tamen quia non videbatur in procedendo tanta quanta requiritur obſeruata ſolemnitas, illum reiterari iuſſimus. Demum cum ex vberiori relatione, & fide dignorum teſtium, ſuper hoc receptione compertum fuiſſet, multa & magna à Deo per ipſum Sanctum miracula fieri, quæ in conſpectu multitudinis cernebantur: nos ne Spiritui ſancto reſiſtere videremur, qui per os Prophetæ * laudare Deum in Sanctis ſuis iubet; in Conſiſtorio noſtro ſecreto, huius rei cauſsâ habito, eorundem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium vota, ſuper huiuſmodi Canonizatione ſumus ſcrutati. Cumque omnium

* Pſal. 150. 1.

omnium vna eademque fuiſſet ſententia, vt in Sanctorum numerum referri deberet; Conſiſtorium publicum deinde habuimus: in quo magnâ multitudine adſtante, in triduum orationes, ieiuniáque indiximus: vt Deus Omnipotens nobis, quod factu optimum in hac re eſſet, oſtendere dignaretur; nec pateretur Eccleſiam ſuam militantem errare, quæ ſe triumphanti conformare ſtuderet. Triduo deinde elapſo, omnes qui in Rom. Curiâ erant, Prælatos iuſſimus conuenire: qui ad vnum interrogati quid faciendum videretur; in eandem ſententiam conuenerunt, beatumque Bonauenturam Canonizandum cenſuerunt.

Qui Deus honorat, & homines honorent.

§. 8. Nos ergo Dei nutum & voluntatem ſequentes, attendenteſque iuſtum ac debitum eſſe, vt quos Deus honorat in cælis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris; cum ipſe potiùs laudetur & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis & glorioſus in ſæcula; huic diem canonizationis ipſius ſancti Bonauenturæ, in medio Baſilicæ principis Apoſtolorum de Vrbe, quo maxima omnis generis ordiniſque multitudo confluxerat, celebrandum ſtatuimus. Ibi reliquis omnibus legitimè peractis, prædicti Ordinis Minorum Procurator in medio ſtans, dictum illud B. Ioannis Apoſtoli clarâ voce proponens; videlicet; ✱ Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; *probauit etiam, habito ſuper præmiſſis proceſſu, ipſas beatiſſimæ Trinitatis perſonas, teſtimonium, quod beatus Bonauenturæ in c[illegible] tiſſe: Patrem videlic[illegible] lorum potentiâ Filium [illegible] ſapientiâ, & Spiritum [illegible] E[illegible] tæ ipſius bonitate. [illegible] non ſolùm nominibus o[illegible] hanc ipſam canoniza[illegible] ſupplicarunt: ſed eti[illegible]m indiuiduæ Trinitatis [illegible] Pa[illegible] Filij, & Spiritus ſanc[illegible] beatum Bonauenturam [illegible] pronunciare dignaret[illegible]r, ter, inſtantiùs, inſtan[illegible]iſſim quiſiuit.*

✱ 1. Io. 5. 7.

§. 9. Confidentes igitur, in hac Canonizatione non perm[illegible] nos Deus errare, qui omnia, quomodolibet requiſita, etiam perabundanter obſeruari fecim[illegible] & obſeruauimus: de eorund. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Prælatorum in Roman. Curiâ exiſtentium, vnanimi conſenſu, & maturo conſilio, de omnipotentis Dei ac beatorum Petri ac Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, beatæ memoriæ Bonauenturam Balneoregienſem, ſacræ Theologiæ Profeſſorem, ex gremio ſacri Ordinis Minorum, & ex officio Generalatus in Epiſcopum Cardinalem aſſumptum; Sanctum eſſe, ac aliorum Sanctorum Dei Catalogo adſcribendum, adijciendum, & adgregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere, decernimus; ipſumque Sanctorum Confeſſorum Pontificum & Doctorum (quos Sancta Dei veneratur Eccleſia) conſortio ſolemniter in præſentiarum adſcribimus, adgregamuſque per præſentes. Statuentes

etiam,

[illegible] Venerabilitatem, & [illegible] Patriarchis, [illegible] Fratribus [illegible] Patribus, ac dilectis [illegible] Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Patriarchis [illegible] Cathedralium, [illegible] Capitulis, [illegible] Ordinum, tam Mendicantium [illegible] Mendicantium [illegible] profeſſoribus, nec non quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis [illegible] ipſius ſancti Bonauenturæ, [illegible] ſecunda Dominica menſis Iulij, ſingulis annis ſolemniter & deuotè celebrent; diuinum officium, veluti [illegible] Confeſſore Pontifice & Doctore, tam publicè quam priuatim [illegible] (prout contigerit) perſoluentes. [illegible] vero alijs Fratribus prædicti [illegible] Minorum Ordinis, quatenus huiuſmodi officium ſub feſto Duplici, & Octaua, eo modo quo aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare feſta & Octauas conſueuerunt, celebrandi concedimus facultatem.

§. 10. Inſuper eâdem auctoritate, omnibus verè pœnitentibus [illegible] confeſſis, qui eâdem Dominicâ [illegible] eccleſiam, in quâ Sanctum eius corpus requieſcit, deuotè viſitauerint; [illegible] ſeptem annos & totidem [illegible]agenas; his verò qui alijs [illegible]bus, in ſingulis diebus Do[illegible]bus, [illegible] centum dies: illis autem [illegible] Fratrum Minorum [illegible] conſtitutas, tam ipsâ die in Octauâ, diuinis offi[illegible]rint, conſimiles indul[illegible] peccatorum remiſsiones, [illegible] aliorum eiuſdem Or[illegible] feſtis, ex indultis [illegible]raliter promulga[illegible]fices conceſſerunt, de iniunctis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus & elargimur.

§. 11. Conſiderantes præterea, quanta ab hoc ipſo ſancto Bonauenturâ, ratione ſcientiæ, & ſanctitatis vitæ, Epiſcopaliſque & Cardineæ dignitatis, Sancta Rom. Eccleſia ſuſceperit incrementa; quantámque idem Sanctus cum B. Thomâ de Aquino, coætaneo, condiſcipulo, & commagiſtro ſuo, familiaritatem & ſpiritualem coniunctionem in hac vitâ ſeruauerit; vt quos in hoc ſæculo fraterna iunxit charitas, & eadem in cælo præmia conſecutos credimus, præſens Eccleſia pari veneretur honore: prædictum feſtum inter feſta Sacri Palatij Apoſtolici adſumentes, adnumerantéſque; eandem indulgentiam in feſto prædicto, in eccleſiâ Sanctorum Apoſtolorum de Vrbe, quæ in feſto S. Thomæ de Aquino, in eccleſiâ B. Mariæ Virginis de Vrbe, (Minerua vulgariter nuncupatâ habetur) concedimus, pariterque decernimus, Fratres Minores in Almâ Vniuerſitate Pariſienſi, eiſdem priuilegijs poſſe ac debere vti & gaudere, ob ipſius S. Bonauenturæ merita, quibus ex Apoſtolicis indultis, Fratres Prædicatores in eâdem Vniuerſitate, intuitu & gratiâ eiuſdem S. Thomæ potiri, & gaudere conſueuerunt, & gaudent, aut potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum.

Feſta eius [illegible] feſtiu[illegible] Sacri Pala[illegible]tij.

§. 12. Quocirca omnes & ſingulos in dignitate conſtitutos requirimus & monemus; quatenus vniuerſis Clericis & populis ſuarum

ciuitatum, diœceſium, & parochiarum, præſentes noſtras litteras ſolemniter publicantes; eoſdem hortentur, vt Deum ipſum à quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur: vt ipſius S. Doctoris & Confeſſoris Bonauenturæ meritis & precibus exoratus, militantem Eccleſiam, Apoſtolicam fidem, & cunctos Chriſti fideles, à paganorum & aliorum infidelium, & hæreticorum tueatur incurſibus, & à periculis cunctis ſemper protegat ac defendat, & illam quam nobis mundus dare non poteſt pacem, hoſtium omnium ſublatâ formidine, firmâ cùm tranquillitate concedat: vtque poſt huius vitæ militiam, depoſitumque paſtoralis officij miniſterium, vnà cum grege nobis credito, ad ſempiterna tandem gaudia peruenire mereamur.

Doctor Eccleſiæ.

§. 13. *Demum quia difficile foret, litteras originales præſentes, ad vniuſcumque notitiam deferri: vo-*

lumus ac decreuimus [illegible]
tranſſumpto ſub ſig[illegible]
Miniſtri Ordinis ant[illegible]
nibus duorum Notar[illegible]
corum debitè ſubſcrip[illegible]
hibeatur indubia in o[illegible]
omnia, & illis vbiq[illegible]
originales litteræ hu[illegible]
exhibitæ vel oſtenſæ. [illegible]
nino hominum liceat, [illegible]
noſtræ conſtitutionis, [illegible]
adgregationis, ſtatu[illegible]
conceſſionis, relaxati[illegible]*nis, l.*
nis, adſumptionis, ad[illegible]
monitionis, ac voluntatis, in[illegible]
re, vel ei auſu temerario con[illegible]
Si quis autẽ hoc attentare pr[illegible]
pſerit, indignationem o[illegible]
tis Dei, ac beatorum Petri & [illegible]
Apoſtolorum eius, ſe nouerit in[illegible]
ſurum. Datum Romæ apud S.[illegible]
trum, anno incarnationis Domin[illegible]
milleſimo, quadringenteſimo, octog[illegible]
ſimo ſecundo, decimo octauo Kalen[illegible]
Maij, Pontificatus noſtri anno XI.

S. D. N.

S. D. N. SIXTI PAPAE QVINTI DECRETALES LITERAE,

QVIBVS SANCTVS BONAVENTVRA, SERAPHICVS DOCTOR, EPISCOPVS CARDINALIS ALBANENSES,

inter eximios, egregioſque Sanctos Catholicæ Eccleſiæ Doctores annumeratur: illiuſque feſtum 14. Iulij ſub duplicis Officij ritu celebrari, & coli mandatur cum Indulgentiarum elargitione.

SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs aliarum Eccleſiarum Prælatis per vniuerſum terrarum Orbem conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. Triumphantis Hieruſalem gloriam ſempiternam, & Sanctorum cum Chriſto feliciſſimè regnantium, nũquam marceſcẽtes coronas, cum gau- io admirans Sancta mater Ec- ſia, adhuc in terris militans, eandem verò iuſtitiæ coro- feſtinans, * Deum in San- ſuis mirabilem prædicare ceſſat. Nec verò inſignes victorias, & præclara rum merita eximijs lau- lebrat: ſed eoſdem San- quos Deus mirificè honorificat, ipſa quoque pięveneratur, ac colit; quorum nimirùm prædicatione, ſalutarique doctrinâ inſtituta, ſanguine fundata, illuſtribus charitatis operibus, atque exemplis educata, feruentibus illorum apud Deum precibus quotidiè adiuuatur. Quamobrem debitis etiam, congruiſque honoribus vnicuique Sanctorum ſingulatim tribuendis, ad cæleſtis illius Hierarchiæ, vbi omnia in * charitate perfectâ ordinata ſunt, normam atque imaginem ſeſe conformare (quantùm quidem in huius prætereuntis mũdi exilio licet) maximè ſtudet. Nam quemadmodum in magnâ illâ ſummi Patrisfamilias, boniſque omnibus cumulatâ domo, * manſiones multæ ſunt, & beatæ illæ animæ mirâ quadam varietate, vnius glorię beatitudine perfruuntur: ſic Catholica

d by Google

S.Bonauenturæ ſe contulit, illiuſque opem & ſuffragia filiæ deuotiſſimè inuocauit, ac certum votum in hoc ſe domum reuerſus, extinctoigne, ſanam & liberam in inuenit. Stephaneta relicta Ioannis Michaëlis, caſu trab percuſſa, graues dolores incurrit, & in periculum perd lum deducta fuit; commendauit ſe beato Bonauenturæ, illius ſepulchrum virgunculam filiam cum cereâ imagi rum, miſit. quâ reuerſâ, doloribus liberata eſt, & breui oculorum ſoſpitatem recuperauit. In quâ & illud n quòd cum Lugdunum perueniſſet Religioſus quiſpiam tor Verbi Dei, indixiſſetque populo, quod quicunque quid de miraculis beati Bonauenturæ, quòd ſibi reuelare eadem Stephaneta, quæ in oculorum ſuorum ſalutem eti cauerat auxilia glorioſæ Virginis MARIÆ; perplexa cu ficio ſoſpitatem oculorum conſecuta fuerat, aliquamdiu detre uit quidquam Prædicatori referre. Tum in grauiorem oculon ægritudinem incidit; mittenſque etiam filiam denuò, vt antea cerat, ad idem ſepulchrum, & facta oratione & voto, miraculo extitit liberata. Tum ſuum reatum agnoſcens, ad eundem Præd catorem acceſſit, & rerum ſeriem omnimodam reuelauit. Sim inuocatione de doloribus & periculo oculorum liberati fuerunt Dionyſius de Forreſtâ mercator, Claudia de Piſcariâ, Claudius Po leti Corduernis, Margarita vxor Ioannis Petit textoris, Ioannis Adiuſſe filius.

Imagines cereæ ſ[illegible] runtur ad eius ſepulchrum.

Nota rem miram.

§. 17. Ioannes Adiuſſe Chapelier dirâ paralyſi repentè per cuſſus, amiſſis ſenſibus & mediâ ſui corporis inferiori parte, hebes factus cecidit; cuius caſum dolens pater, flexis genibus commen dauit illum beato Bonauenturæ: & ſtatim qui ceciderat, ſentire, loqui, & meliùs habere cœpit. Tunc imponentes eum lecticæ, pater, mater, & Petrus alter filius, detulerunt eundem ad Sancti ſepulchrum, quem ibidem ſiſtentes, flexis genibus inuocauerunt beatum Bonauenturam; & factis certis orationibus & votis, ſa num ac liberum reduxerunt domum. Eâdem inuocatione de ſi mili ægritudine liberati, Franciſcus Dauegnier, aliàs Rauillon, Gulielmus de Bletena textor, Catharina de Bauline, Ioanna reli cta Petri Rolini; Margarita relicta Ioannis de Vaulx aurigæ.

Item paralytici reſtringuntur.

§. 18. Illuſtris Dux Aurelianenſis à potenti magnæ Britanniæ ſiue Angliæ Rege captiuus detinebatur, vbi veterem quartanam paſſus, intenſos capitis & renum dolores incurrit: deſtitutus om ni auxilio, opem beati Bonauenturæ deuotiſſimè inuocauit, in il lius ſuffragijs deuotiſſimè ſperans: ſtatim miraculosè doloribus & ægritudinibus liberatus, in Gallias infra annum extitit reſtitu tus.

A Duce Aurelianenſi [illegible] de [illegible] quartana.

tus. Mox Lugdunum petens, viſitauit venerabile Sancti ſepul-
chrum; & oblationibus factis, gratias Deo, & Sancto pro acceptis
beneficijs egit; & quæ per illius inuocationem fuerat conſecutus,
Reingolis arch conuentus manifeſtauit. Laqueda vxor Nicolai
Co.neti Lugdunenſis, horrendâ leprâ reſperſa atque infecta, ſuis
vitabilis, tam amicus detrectare non poterat, quin relicto lare, co-
gnatis & vitæ, miſerabili conſortio leproſorum ſe redderet. Quæ
cum ſemper nomen beati Bonauenturæ deuotè coluiſſet, ad illius
ſepulchrum procubuit, intenſiùs precata, vt miſereretur ſortis ſuæ;
deuotè oblatione ac voto factis, mundari atque à leprâ liberari ob-
tenuit. Michael de Chel, aliàs Gennes, in cuius latus dextrum, e-
quus vehementi ictu validum calcem detorſerat atque impegerat,
ita vt duabus coſtis penè attritis, cùm magno anhelitus impedi-
mento, tres menſes languidus iacuerit, varijſque fomentis, delini-
mentis, ac cataplaſmatibus fruſtra adhibitis, deſperatâ ſalute com-
mendauit ſe B. Bonauenturæ: & certo voto in illius honorem fa-
cto, de periculo exemptus, & ſaluti extitit reſtitutus. Simili inuo-
catione, liberatus etiam de dolore coſtarum Ioannes Michaëlis de
Cheual, ſeruiens Curiæ Lugdunenſi, & eâdem, Margarita Ioannis
Petit, quæ de celſiori ædium parte delapſa deciderat.

§. 19. Ioannes Garboti regius Secretarius, vxorem perpetuò
languore habuit tabidam, ſiue hydropicam, & nullo medico iuua-
mine curare poterat; acceſſit ad venerabile Sancti ſepulchrum, ſa-
lutem coniugis, imò communem, illi reuerenter commendans; &
facto certo voto in honorem Sancti, ſanam & liberam, domum re-
uerſus, extitit conſecutus. Ioannes Duſolier Mareſcallus Lugdu-
nenſis, putri ac marcidâ tibiâ quatuor menſes languidus iacuit,
cumque cruciabiles dolores diutiùs perpeti non valeret, in ſolâ ti-
biæ amputatione ſpem coniecerat. Nocte fortè per quietem moni-
tus, commendauit ſe beato Bonauenturæ; atque vxorem cum ce-
reâ imagine tibiæ, ad illius ſepulchrum deuotiſſimè miſit. Quâ re-
uerſâ, doloribus penitus exemptus eſt, & ſalutem omnimodam
... recuperauit. Petrus Moyer ligneum molendinum habebat in
... ine Rhodano, qui affluenti aquarum colluuione elatus & au-
... molendinum ipſum, validâ alioquin catenâ retentum, violen-
... uit, & in ſe vorauit. Quo conſpecto, idem Petrus, qui ſem-
... erat beatum Bonauenturam, ad illius ſepulchrum confu-
... rocumbens reuerenter precatus eſt, vt à ſui deuoto, cala-
... iacturam auerteret. Mox egreſſus inconcuſſum molen-
... alteram Rhodani ripam in littore eiectum, & miracu-
... itum conſpexit & recuperauit.

Stephaneta mater prædicti Franciſci Dauegnier, aliàs de

Lepra mun- tur.

Equi gran- ictus natura

Voto ... ſtomo- varij ... inti.

Damnoſ- quoque.

de Rouillon de Squilinciâ, in extremis laborabat, quæ al... minicum corpus, nec agnoſcere nec recipere potuit; quo... mè ferens Franciſcus filius, qui probè noſcebat matrem... deuotione beatum Bonauenturam ſemper coluiſſe, ad illi... rabile ſepulchrum confugit, deuotiſſimè precatus, ne ſuſti... deuotam, ſine ſalutis viatico vitâ decedere. Domum reue... liſſimè ſperans in B. Bonauenturâ, corpus Dominicum i... ferre curauit; quod ſtatim agnitum mater reuerenter rece... nerabilis Religioſus Fr. Benedictus de Lulino, Ordinis S... Viennenſis, procurator domus S. Antonij Lugdunenſis, ... libros domus amiſerat, quos multâ adhibitâ diligentiâ re... non valuit, cùm magno ſcandalo & detrimento domus. ac... venerabile ſepulchrum B. Bonauenturæ, & ibidem accenſis ca... lis commendauit ſe eidem, & domum reuerſus libros meruit in... nire. Pari inuocatione Richardus Ridani mercator, amiſſa inſt... menta probatoria, & aliàs res apothecæ valuit inuenire. Iridem frater Petrus Fabri, res ad ſui vſum deputatas amiſſas.

Res amiſſæ & perditæ reſtitutæ.

§. 21. Margarita Gruelle vxor Hugonis Franciſci Burgundi Ca... zetarij, habitatoris Lugdunenſis, intenſo podagræ dolore cruciaba... tur. Quæ cum probè noſſet medicam artem in hoc parum valere, confugit ad inuocationem ſuffragiorum B. Bonauenturæ, virgunculamq; filiam cum cereâ pedis imagine, ad illius ſepulchrum reuerenter miſit, & ſtatim podagrâ extitit liberata, nec illâ vnquam de cetero grauata fuit. Eâdem inuocatione liberata Catharina vxor Ioannis Textoris de Hiſpaniâ, & filius magiſtri Franciſci Maſſedi Notarij. Margarita vxor Benedicti Garrini, filiũ habuit in inguinibus ruptum, ac viſceribus miſerè putreſcentem; qui medicâ manu ſectus, in deteriorẽ ſtatum, ac certum mortis periculum deductus fuit. quod ingemiſcens mater, quæ ſpecialiùs B. Bonauenturam venerabatur, ad illius ſepulchrum reuerenter confugit; ibidem quàm deuotiſſimè precata eſt, vt ſuç orbitatis miſereretur, nouennamque in illius honorẽ facere cœpit, & octauâ die ſanum ac liberum conſequi meruit. Petrus Morget dolium vino plenum in cellarium inferens, illius oneri impar preſſus ſuccubuit, & illo ſuper eũ incumbente quaſſatus fuit ac penè contritus: commendauit ſe B. Bonauenturæ, & ſalutem conſequi meruit. Simili inuocatione liberata illius cognata, quæ caſu, ſpatulam & brachium enormiter læſerat.

Podagroſi ſanantur, curantur.

Item hernioſi.

§. 22. Sunt prætereà & alij innumeri, qui meritis eiuſdem Sancti, de varijs doloribus, ægritudinibus, ac periculis miraculosè liberari meruerunt: quorum ſingulos ſi recenſere pergam, præſenti operi, detrimẽto potiùs quàm vſui aut fauori indubiè futurus ero. Hoc tamen loco non committam, vt ſilentio tranſeam ſtupendum

quod omnipotēs Deus ad perhibendum
ac memorabile quiddam, tis viri in illius venerabili corpore, pro
certū teſtimonium ſanctitatis dignatus eſt. Dum idem venerabile corpus
ſua clemētiā monſtrare Eccleſiā, ad titulum S. Franciſci, Lugduni
transferretur ad nouam sexageſimo ſui obitus anno, reliquâ corporis
ercētam, centeſimo & parte alioqui exeſâ atq; corroſâ, caput tamē ſolidum, capillamentum hærēs, labia, dentes & lingua, in nullo à vitali ſtatu, aut colore
demutata reperta ſunt. Erat profectò diuinæ clementiæ, illud os à
putrefactione ſeruare, quod ad ſalutē fideliū, atq; in diuinis laudib.
ſemper extitit operoſum, nec dare ſanctum ſuū videre corruptioné.

§. 23. Extant prætereà crebra & memoranda beneficia, quæ frequenter conciues Balneoregij, & Vrbeuetani, per inuocationē eiuſdem Sancti meruerunt obtinere: de quib. tam multis vel vnum, aut
porrò duo recenſere nō piget. Laodamia Vrbeuetana filiarum ſarcinā oneraueras domum; ac proinde Franciſco Matthęi Nebie viro
quodāmodo inuiſa: qui rei familiaris anguſtiâ, impar ſarcinæ, matrimonio abſtinebat, de quo non niſi fœminas cōpererat proficiſci.
Eos coniuges conſolatus venerabilis Religioſus Minorū, Magiſter
Franciſc. de Aquapendente, qui illis admodum cultus erat; affirmauit ſe habere documēta ex inſtitutis D. Bonauenturæ, quę ſi moniti
ſuſciperent, maſculinam prolem conſequerentur. Auſcultantibus,
vnà mecū, inquit, votiuas effundite preces ad glorioſum Bonauenturam, & piè ſperetis aſſequi quod optatis. Qui parentes monitis,
paucculis diebus gignendæ proli operā indulſerunt: & vxor grauida facta eſt, & ſtatuto menſe peperit maſculum, cui nomen ex inſtituto eiuſdem Religioſi, Bonauent. impoſuerunt, laudantes Deum
Sanctum, in cuius virtute mirabilia ſecū operatus eſt. Triennio
[...]ſt, dū ea ciuitas Epidemiæ morbo atq; internecinio grauiter af[...]eretur, domus omnis coniugum eo veneno reſperſa eſt; & filiab.
[...]nib. extinctis, Bonauentura extra ſpem ſalutis conſtitutus, cre[...]tur pari mortalitate iam iam ſorores ſecuturos. Qui etiā im[...]rum ſpirituum præſentaneâ inſtantiâ vexatus, nullâ domus
[...]lorum perſecutionem effugere poterat, clamitans infelix;
[...]ite gladio & fuſte, hos Spiritus maligniores fugare. Paren[...]e talium afflictione & mœſtitiâ conſternatis, atque omni
[...]medio deſtitutis, ſubijt Sancti recordatio, cuius munere
[...]rant conſecuti: mox in ſpem adducti, illum hac prece
[...]t; Sancte glorioſiſſime, qui benignus nobis hunc filium
eâdem benignitate præſtes, vt fugatis malignis ſpiritis exorres
ſaluum retineamus. Et prece factâ, ſpiritus ex[...]
is ceſſauit: & breui puer omnino ab ægritudine ſal[...]
cum magnâ parentum & omnium ciuium lætitiâ,
gauden-

Caput S. Bonauen. integrum anno 160. ab eius obitu.

Maſcula proles eius precibus impetratur.

Qua iterum ab infeſtis dæmonibus defenſa, & à peſte liberatur.

gaudentium quòd ad ſuperandas morborum & ſpirit
gnitates, defenſoris tam validi præſidio cognoſcerent ſe
9. 24. Poſſem fortè ineptus videri, ſi ſtudens cœpto
diem abſumere, recenſendo miracula: quorum relationi
nec certè dies ſufficere ſatis ſcio. Sed quid vlteriùs exquir
racula? quaſi verò Baſilium Magnum, Hieronymum, &
num, noſtræ fidei lucida ſidera, Thomam Aquinatem
quamplures, quos in Dei Eccleſiâ Sanctos colimus, ob
non autem ex diuinitate doctrinæ miremur & veneremur
tamen ſanctitatis teſtimonium non ex alio certiùs conſe
bè intelligimus, quàm ex eorum commentarijs; quæ vt diu
tis plena, non niſi per infuſam ſcientiam poterant edidiſſe; ei
bus Spiritum ſanctum in eis habitaſſe veriùs comprobatur.
porrò miracula exigimus, non tam quæ per illum in alijs, qu
quæ in eo ipſo adparuerint conſideremus. Si igitur diuum Bo
uenturam in ſuis operibus miraculoſum iam conſtat; ſi in ful
dono ſancti Spiritus obtinuiſſe ſcientiam, diuina illius commen
ria profitentur; ſi caritatis officia ardentiùs executum, mundan
honores contempſiſſe, adfectus terrenorum abieciſſe, in perfecti
tionibus conſtantem manſiſſe, in beati Franciſci ac vniuerſali Re
ligione fructuoſum extitiſſe; ſi ſupernâ vocatione, vt Paulum, in
ſortem Domini miraculosè conuerſum; ſi diuino beati Franciſci
præſagio ſanctum prædicatum; ſi Alexandri de Ales Doctoris ir-
refragabilis ipſius præceptoris ſedulâ obſeruatione Sanctum com-
pertum ac iudicatum; ſi Religioſorum Minorum voto, qui ſan-
ctitate pollebant, vt ſanctior ſummus Prælatus adſumptus; ſi Ro-
manæ ſedis iudicio, vt clarus meritis ad vniuerſalis Eccleſiæ regi-
men profuturus accitus; ſi denique communi omnium opinione
fidelium, Sanctus tenetur, & nominatur, & colitur; ſi benignus
ſuccurrit quotidie inuocantibus ſe: poterat Sanctitas tua etiam
nullo petente, Sancto quod vnum deerat, publicos honores decer-
nere; quanto magis id debes celſorum principum votis? Accedunt
pientiſſimæ preces Sereniſſimorum ac Clariſſimorum Frederici
Romanorum Regis ſemper Auguſti, Ludouici Francorum Chri-
ſtianiſſimi, Ferdinandi Siciliæ, & etiam Matthiæ Hungariæ Re-
gum Catholicorum: qui cùm de Republicâ Chriſtianâ benème-
riti ſuerint, digni certè videri debent, qui à Sanctitate tuâ, tam
ſanctam rem impetrent. Rogant prætereà Illuſtres Duces ac
populi, ac loco maximi muneris hoc petunt, Calabriæ, Vene-
tiarum, Mediolani, Sabaudiæ, & Duciſſæ Calabriæ & Borbo-
nij, Florentini, Senenſes, Peruſini, Lugdunenſes, & ciuitas
Balneoregij, quæ licet humilis ſit, tamen clariſſima & Deo gra-
tiſſima

Sanctitas in diuis ... præcipue ſpectanda, non miracula.

Peroratio.

Catalogus Regum ac Principum petentium S. Bonau. aliorum Sanctorum inſcribi.

tiſſima videri debet, cui contigit tantum ſidus producere. Rogat
præterea illius Ordinis Reuerendiſſimorum Patrum, Ioannes de
Arragonia, eiuſdem Sereniſſimi Regis Ferdinandi Illuſtriſſ. pro-
les, quæ Sanctos, qui in eo Ordine claruerunt, religioſiùs venera-
tur & colit. Exigit denique ſuo iure beati Franciſci ſancta Religio,
cuius alumnus, vel iuſta petenti deeſſe non potes. Exigit & ipſe
Sanctus, ex promiſſione omnipotentis Dei nomine facta, ſtrenuè Eccli.44.1.
militantibus: quòd illorum laudes cantet Eccleſia; cui obligatio-
ni ipſius Vicarius ſatisfacias neceſſe eſt.

§. 25. Tam multis igitur vinculis obligatum, nullus Iudex
quamlibet fauorabilis, niſi ſoluentem ſoluere poſſet. *Magnus ab in-
fernis reuocetur Tullius vmbris, Et te defendat Seruius vſque licet: Non
potes abſolui.* Comperto, præter ea quæ dixi, ſingulari ſtudio, quod
prænoſcendis vitæ & miraculis Sancti, exactiſſimum indulſerunt
Reuerendiſſimi Patres, Iulianus de Rouere ſancti Petri ad vincula,
Ordinis eiuſdem meritus protector, Stephanus Mediolanenſis, &
Franciſcus de Gonſaga Mantuanus, tuæ Sanctitatis in hoc Com-
miſſarij; Mediolanenſis præſertim, quem contra aduerſam vale-
tudinem, acri inſtantiâ colluctantem à ſancto propoſito, nec pro-
priæ ſalutis ratio valuit retardare: qui etiam Reuerendiſſimi Pa-
tres, illecti ſtudio compertæ ſanctitatis viri, id inſtantiſſimè po-
cunt. Quid igitur tua Sanctitas vlteriùs differt? quid cunctatur?
uid alterius gloriæ id prorogat? Multa certè extant celebria tua
eſta, quæ te ac tuos illuſtrant, atque perpetuò illuſtrabunt: nil ta-
en ſic æquè Romano Pontifici glorioſum, meo captu, continge-
oſſe crediderim, quàm vt Sancto, pro meritis publicam cele- *Sanctis decernere publicum honorem Pontifici Romano glorioſum.*
tatem decernat. Quam & tu Pater beatiſſime, qui omni iure
eſſitudinis B. Bonauenturæ coniunctus es, auctoritate Omni-
entis Dei, quem Semideus mortalibus in terris refers, ſuppli-
ibus concedere pro tuâ clementiâ benignè digneris.

S. D. N. SIXTI PAPAE IV. DIPLOMA,

QVO S. BONAVENTVRA EPISCOPVS CARDINALIS ALBANENSIS, DOCTOR ECCLESIÆ DECLARATVS, *in Diuorum refertur minorum.*

SIxtvs Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuã rei memoriam.

§. 1. *Superna cæleſtis patria ciuitas Ieruſalem*, * cuius participatio eius in idipſum; *ita omnium electorum ſaluatione lætatur, vt quorum præſtantiora ſunt merita, copioſiora etiam ſumant gaudia præmiorum: quod in exceſſu mentis ſuæ, poſitus Iſaias Propheta, ſenſiſſe videtur cùm diceret;* * Exſulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus. *Exſultent igitur omnium Angelorum chori, qui de vacuarum ſedium habitatione ſoliciti*, conantur de virtute in virtutem, *ad beatas illas manſiones, vnde ſuperbi ruerunt ſpiritus, humilitate perducere. Exſultent quoque omnes animæ iuſtorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti; atque omnes tam veteris quàm noui Teſtamenti fideles, amici Dei: qui contemptis huius ſæculi vanitatibus, conciuium numeroſitate congaudent. Exſultet cælum laudibus, exſultet terra gaudijs: quoniam Sanctorum editio lætitiam habet plurimam fidelium: valdè enim pietas fidei exigit, vt quod pro ſalute multorum geritur, communibus vbique gaudijs celebretur. Præcipuè verò exſultet Pontificum cœtus Beatorum, & ſacra Doctorum congregatio:* qui fulgent in cælo tanquam * ſtellæ in perpetuas æternitates: *quos inter, dum ſanctus Bonauentura tanquam nouum ſidus, ex hac lachrymarum valle, ad cæleſtem*, * quæ ſurſum eſt Ieruſalem, *vocante eum Domino migraret, emicuit.*

§. 2. *Nos autem, qui diſponente Altiſſimo, ad culmen Apoſtolatus euecti, Chriſtiani gregis curam gerimus; quem pro debito paſtoralis officij, iucundo Sanctorum collegio conformare, vt debemus, intenſis deſiderijs affectamus: Eccleſiæ militanti (pro cuius ædificatione & incremento,*

ipſum

* Pſ.121.3. Gaudia magna à meritis Sanctorum.
* Iſa.12.6.
* Pſal.83.8.
* Ga

Digitized by Google

ipſum Bonauenturam in Catalogum
Sanctorum referendum duximus)
haud incongruè dicere poſſemus;
Ca. 12.6. *Exſulta hodie, & lauda ha-
bitatio Sion, id eſt, Christiana
Religio: in qua tanquam in monte
Sion, per veram fidem habitat ve-
rus Deus; quoniã magnus in me-
dio tui Sanctus. Quippe * in me-
.5. dio Eccleſiæ aperuit os eius, &
impleuit eum Dominus Spiritu
ſapientiæ, & intellectus, & ſto-
lam gloriæ induit eum; & coro-
nauit ad portas paradiſi, in qua
nã cum Angelis gloriâ & felici-
te lætatur. Lætemur itaq; & ex-
temus: quia cæleſtis illa curia ex
is habes, cui ſit cura de nobis, qui
nos protegat meritis, quos in-
auit exemplis, illuminauit do-
is, & miraculis confirmauit;
Deus dedit cunctis populis in
& honorem, cuius memoria
ictione eſt.

Ea namque de diuinis re-
ſit; vt in eo Spiritus ſan-
s videatur; ita piè, reli-
ſanctè vixit; vt ſcriptis
eret, & quod ſcribebat
plo. in quo morum vir-
um claritas, ita com-
congruentibus maxi-
miraculis, veræ ſan-
niũ à militante Ec-
dem. Nam cùm in
entutis, humanis
, diuino ſe addi-
Religionem beati
ardua tendit)
ſedulâ lectio-
ne profecit; vt
dicere poſſet;

* Optaui, & datus eſt ſenſus. Il- *Sap 7.7.
luminatus enim ab eo, qui illuminat
omnem ſenſum, qui lux, * via, ve- *Io 14.6.
ritas eſt, & vita: paucorum anno-
rum ſpatio, incredibilem eſt ſcien-
tiam conſecutus. Nec * talentum *Mat. 25. 18.
ſibi à Domino creditum ſudario in- Luc. 19.20.
ligauit, aut terræ infodit; ſed vt
ſapientiſſimus diſpenſator, in com-
munem vtilitatem conuertit. In ce-
lebri enim Pariſienſi Gymnaſio, Ca-
thedram rexit: vbi abſcõdita Scri-
pturarum enucleans, non ſolùm vi-
uâ voce profuit multis: ſed etiam
plurima librorum optimorum, tum
in ſacris litteris, tum in maioribus
ſcientijs, monimenta reliquit, quæ
eſſent omni tempore poſteris profu-
tura.

§. 4. Magnus doctrinâ, non
minor humilitate, & vitæ meritis:
quem Alexander de Hales Doctor
clariſſimus (cui ſe in diſciplinam S. Bonauen. encomium.
S. Bonauentura tradiderat) tantæ
innocentiæ, ac columbinæ ſimplici-
tatis expertus eſt eſſe, vt dicere ſoli-
tus fuerit; Sibi videri, quòd in eo
Adam nunquam peccaſſet. Magnus
etiam in Ordine Fratrum Mino-
rum; cui vnus omnium, poſt beatum
Franciſcum plurimum profuit: ad
eius enim gubernacula vocatus, &
Generalis Miniſter Domino inſpi-
rante creatus, talem ſe ſuis præbuit
ſubditis, vt in illo dominicum il-
lud verbum videretur impletum;
*Qui maior eſt veſtrũ, ſit mi- *Mat. 10. 43.
niſter veſter. Nam ſapientiâ, &
morum integritate maior, præla-
tionis officium, cum tantâ exer-
cuit charitate; vt ſponte humilis,
nunc doctrinâ, nunc monitionibus,

nunc

nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali ſeruitio ſatagebat, vt * *bonus Chriſti miles, inferiorib. miniſtrare. Nec ſolùm quæ ab ipſo beato Franciſco piè & ſanctè fuerant inſtituta, diligentiſſimè cuſtodiuit: ſed multa etiam adinuenta, quæ creſcente Fratrum numero neceſſaria videbantur, adiecit. Ordinem quoque ipſum in Prouincias Cuſtodiasq́; diuiſit.*

* 2. Tim. 2. 3.

§. 5. Magnus etiam dignitate in Romanâ fuit Eccleſiâ. Increbreſcente enim famâ innocentiæ, doctrinæ, ac prudentiæ eius: à felicis recordationis Gregorio Papa Decimo prædeceſſore noſtro, ad Cardinalatus vocatus eſt honorem: vt eius operâ, in maximis difficillimiſque rebus (quæ temporibus illis inciderant) vteretur. In quem Gregorius ipſe, ob ingentia viri merita, nouo eſt vſus exemplo. Statim enim illi Albanenſem commiſit Eccleſiam, quæ non niſi vetuſtioribus Cardinalibus ſolet committi. Non fefellit exſpectationem Summi Pontificis, ac ſacri Senatus, optimus Deoq́; amiciſſimus vir: ſed in Concilio Lugdunenſi præſidens, omniaq́; ad Dei laudem dirigẽs, ſedatis diſcordijs, difficultatibuſque ſublatis; ipſi Eccleſiæ maximo vſui fuit, & ornamento. Quibus rebus apertè cognoſcitur, quod * Statuit illi Dominus teſtamentum pacis, & principem fecit eum: vt ſit illi Sacerdotij dignitas in æternum. *Quem inanis gloria non inflauit, non diuitiæ ſiniſtrorſum egerunt: ſed in fide lenitateque perſeuerans, pius in Deum, in pauperes miſeri-*

Epiſcopus Cardinalis Albanenſis creatur, & præſes Concilij Lugdunenſis.

*Eccli. 45. 30.

cors, iuſtus in omnes, it[illegible] *ptibile corpus exuit; vt* [illegible] *lo dicere poſſet,* * Bon[illegible] men certaui, curſum [illegible] maui, fidem ſeruaui. [illegible] repoſita eſt mihi [illegible] ſtitiæ.

§. 6. Qui etſi ex [illegible] *rantia poterat ſanctus* [illegible] *illud;* * Eſto fidelis v[illegible] ad tem, & dabo tibi co[illegible] *tæ: ſubſecuta ſunt ta*[illegible] *tam multa maximaque* [illegible] *quæ certum ſanctitatis* [illegible] *bent indicium; & nos ad ipſius* [illegible] *nerationem inducunt,* [illegible] *meritis præcedentibus* [illegible] *oſtendit. Ipſe enim Deus* [illegible] *tens, vt ſuæ virtutis potenti*[illegible] *nifeſtet, & noſtræ ſalutis* [illegible] *pandat, fideles electos ſuos,* [illegible] *ronat in cœlis, ſæpe etiam* [illegible] *in mundo, ad eorum memori*[illegible] *ſigna faciens & prodigia: quo h*[illegible]*etica prauitas confundatur, & fides Orthodoxa ſeruetur. Agimus igitur ipſi Deo, quantas poſſumus gr*[illegible]*ias: quòd nos dignos duxerit, per* [illegible] *quos hæc Canonizatio celebraretur: quæ licet diuinis litterarum mon*[illegible]*entis exſtantibus, coruſcantibusq́; miraculis, iampridem potuerit ritè fieri; nunquam tamen antehac vel à principibus, vel ab alijs, tantâ diligentiâ fuit petita. Noſtro tempore, chariſſimi in Chriſto filij noſtri, Fredericus Romanorũ Imperator ſemper Auguſtus, Ludouicus Francorum Chriſtianiſſimus, Ferdinandus Siciliæ, & Matthias Hungariæ Reges illuſtres; dilecti quoque filij, nobiles viri Alphonſus Calabriæ,*

Ioannes

Ioannes Mocenico Venetiarum, Ioannes Haleam Mediolani, & Ioannes Borbon, Duces inſignes; præterea Ciuitates, Florentinorum, Senenſium, Lugdunenſium, Peruſium, & quæ tale nobis tulit Balneoregium, tanto ſtudio tantaque perſeuerantia petierunt à nobis: vt durum & improbum putaremus, eis in re tam piâ reſiſtere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Acceſſerunt aſſiduæ Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Iuliani Sabinenſis, ipſius Ordinis Protectoris; dilectorumque quoque filiorum Franciſci Samſonis Generalis Miniſtri, & Petri de Rodolphis Procuratoris dicti Ordinis, ſacræ Theologiæ Profeſſoris preces: qui nomine Generalis eorum Capituli, id tanquam iuſtum & debitum repoſcebant. Legimus ſtudioſiſſimè Sancti huius
ſcripta, quibus (poſtquam
tem aliquid ſapere licuit)
ſuimus delectati. Audiuera-
mus ab antiquioribus præ-
gionis Fratribus, & gra-
dem viris: qui & ipſi à
natu acceperant, de ſan-
ta eius; conſtantem fa-
bamus, de multis ma-
raculis: nec erat præ-
dubium, quin in tri-
leſiâ triumpharet in
tionem mereretur in

memores, nos eun-
dinem ex voto in-
ſâ aßiſtente gra-
ris & religioſis
rofecimus; ea-
us officia exer-
cuimus, atque inde ad Cardinalatus dignitatem, ita vt per conſimiles gradus ad Pontificatus culmen ſubleuatos nos fuiſſe, diſponente Domino, cognoſcamus, per quos ipſe Bonauentura ſanctus ad triumphantis Eccleſiæ immarceſcibilem gloriam euectus eſt: ne ad id videremur potiùs adfectione propriâ, quam debitâ deuotione moueri: eam adhibuimus diligentiam ac grauitatem, quam rei magnitudo poſcebat. Commiſimus enim tribus ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, vt de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque vnus ex eis inchoato proceſſu (vt Deo placuit) ab hac luce migraſſet, alium in locum defuncti ſubrogauimus Cardinalem, quo etiam decedente alium ſubſtituimus. Nec his contenti, cùm iam proceſſus ipſe penè perfectus eſſet, & hi qui delegati erant fideliſſimè retuliſſent: tamen quia non videbatur in procedendo tanta quanta requiritur obſeruata ſolemnitas, illum reiterari iuſſimus. Demum cum ex vberiori relatione, & fide dignorum teſtium, ſuper hoc, receptione compertum fuiſſet, multa & magna à Deo per ipſum Sanctum miracula fieri, quæ in conſpectu multitudinis cernebantur: nos ne Spiritui ſancto reſiſtere videremur, qui per os Prophetæ * laudare Deum in Sanctis ſuis iubet; in Conſiſtorio noſtro ſecreto, huius rei cauſâ habito, eorundem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium vota, ſuper huiuſmodi Canonizatione ſumus ſcrutati. Cumque

* Pſ. 150. 1.

omnium vna eademque fuiſſet ſententia, vt in Sanctorum numerum referri deberet; Conſiſtorium publicum deinde habuimus: in quo magnâ multitudine adſtante, in triduum orationes, ieiuniaque indiximus: vt Deus Omnipotens nobis, quod factu optimum in hac re eſſet, oſtendere dignaretur; nec pateretur Eccleſiam ſuam militantem errare, quæ ſe triumphanti conformare ſtuderet. Triduo deinde elapſo, omnes qui in Rom. Curiâ erant, Prælatos iuſſimus conuenire: qui ad vnum interrogati quid faciendum videretur; in eandem ſententiam conuenerunt, beatumque Bonauenturam Canonizandum cenſuerunt.

Quos Deus honorat, & homines honorent.

§. 8. Nos ergo Dei nutum & voluntatem ſequentes, attendenteſque iuſtum ac debitum eſſe, vt quos Deus honorat in cælis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris; cùm ipſe potius laudetur & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis & glorioſus in ſecula; hunc diem canonizationis ipſius ſancti Bonauenturæ, in medio Baſilicæ principis Apoſtolorum de Vrbe, quo maxima omnis generis ordiniſque multitudo confluxerat, celebrandum ſtatuimus. Ibi reliquis omnibus legitimè peractis, prædicti Ordinis Minorum Procurator in medio ſtans, dictum illud B. Ioannis Apoſtoli clarâ voce proponens; videlicet; * Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; probauit etiam, habito ſuper præmiſſis proceſſu, ipſas beatiſſimæ Trinitatis perſonas, teſtimonium, quod bea-

*1. Io. 5. 7.

tus Bonauentura in cælo tiſſe: Patrem videlicet lorum potentiâ Filium i ſapientiâ, & Spiritum ſ te ipſius bonitate. Et non ſolùm nominibus om hanc ipſam canonizati ſupplicarunt: ſed etia ex indiuiduæ Trinitatis, Patris Filij, & Spiritus ſancti vt ip beatum Bonauenturam Sanct pronunciare dignaremur, inſt ter, inſtantiùs, inſtantiſſimè, quiſiuit.

§. 9. Confidentes igitur, qui in hac Canonizatione non permitt nos Deus errare, qui omnia in e quomodolibet requiſita, etiam ſuperabundanter obſeruari fecimus & obſeruauimus: de eorundem Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Prælatorum in Roman. Curiâ exiſtentium vnanimi conſenſu, & maturo conſilio, de omnipotentis Dei ac beatorum Petri ac Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, beatæ memoriæ Bonauenturam Balneoregienſem, ſacræ Theologiæ Profeſſorem, ex gremio ſacri Ordinis Minorum, & ex officio Generalatus in Epiſcopum Cardinalem aſſumptum, Sanctum eſſe, ac aliorum Sanctorum Dei Catalogo adſcribendum, adijciendum, & adgregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere, decernimus; ipſumque Sanctorum & Doctorum Confeſſorum Pontificum (quos Sancta Dei veneratur Eccleſia) conſortio ſolemniter in præſentiarum adſcribimus, adgregamuſque per præſentes. Statuentes

Sanctorum albo aſcribitur.

etiam,

...etiam, & (Cardinalis?) Venerabili-bus Fratribus nostris Patriarchis, ac dilectis Archiepiscopis, Episcopis, ac Patriarcha-lium, Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, ...gularium Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, necnon quibuscumque professoribus ...Ecclesiasticis personis: vt quotannis festum ipsius sancti Bonauentura, secunda Dominica mensis Iulij, singulis annis solemniter & deuotè celebrent; diuinum officium, veluti de vno Confessore Pontifice & Doctore, tam publicè quam priuatim ...contigerit persoluentes. Dilectis verò filijs Fratribus prædicti ...rum Ordinis, quatenus huiusmodi officium sub festo Duplici, & ...ta, eo modo quo aliorum dicti ...s Sanctorum celebrare festa ...nus consueuerunt, celebrandi ...tribuimus facultatem.

10. Insuper eâdem aucto-
...ibus verè pœnitentibus
...s, qui eâdem Dominicâ
...in quâ Sanctum eius cor-
...r, deuotè visitauerint;
...ptem annos & totidem
...; his verò qui alijs
...n singulis diebus Do-
...m dies. illis autem
Fratrum Minorum
...itas, tam ipsâ die
...auâ, diuinis offi-
consimiles indul-
...rum remiſsiones,
...um eiusdem Or-
...is, ex indultis
...er promulga-
concesserunt, de iniunctis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus & elargimur.

§. 11. Considerantes præterea, quanta ab hoc ipso sancto Bonauentura, ratione scientiæ, & sanctitatis vitæ, Episcopalisque & Cardineæ dignitatis, Sancta Rom. Ecclesia susceperit incrementa; quantamque idem Sanctus cum B. Thomâ de Aquino, coætaneo, condiscipulo, & commagistro suo, familiaritatem & spiritualem coniunctionem in hac vitâ seruauerit; vt quos in hoc sæculo fraterna iunxit charitas, & eadem in cælo præmia consecutos credimus, præsens Ecclesia pari veneretur honore: prædictum festum inter festa Sacri Palatij Apostolici adsumentes, adnumerantesque; eandem indulgentiam in festo prædicto, in ecclesiâ Sanctorum Apostolorum de Vrbe, quæ in festo S. Thomæ de Aquino, in ecclesiâ B. Mariæ Virginis de Vrbe, (Minerua vulgariter nuncupatâ habetur) concedimus. Pariterque decernimus, Fratres Minores in Almâ Vniuersitate Parisiensi, eisdem priuilegijs posse ac debere vti & gaudere, ob ipsius S. Bonauenturæ merita, quibus ex Apostolicis indultis, Fratres Prædicatores in eâdem Vniuersitate, intuitu & gratiâ eiusdem S. Thomæ potiri, & gaudere, & gaudent, aut potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum.

Festum eius inter festa Sacri Palatij.

§. 12. Quocirca omnes & singulos in dignitate constitutos requirimus & monemus; quatenus vniuersis Clericis & populis suarum ciui-

ciuitatum, diœceſium, & parochiarum, præſentes noſtras litteras ſolemniter publicantes; eoſdem hortentur, vt Deum ipſum à quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur: vt ipſius S. Doctoris & Confeſſoris Bonauenturæ meritis & precibus exoratus, militantem Eccleſiam, Apoſtolicam fidem, & cunctos Chriſti fideles, à paganorum & aliorum infidelium, & hæreticorum tueatur incurſibus, & à periculis cunctis ſemper protegat ac defendat, & illam quam nobis mundus dare non poteſt pacem, hoſtium omnium ſublatâ formidine, firmâ tranquillitate concedat: vtque poſt huius vitæ militiam, depoſitumque paſtoralis officij miniſterium, vna cum grege nobis credito, ad ſempiterna tandem gaudia peruenire mereamur.

Doctor Eccleſia.

§. 13. Demum quia difficile foret, litteras originales præſentes, ad vniuſcuiuſque notitiam deferri: volumus ac decreuimus, quod earum tranſumpto ſub ſigillo Generalis Miniſtri Ordinis antedicti, & manibus duorum Notariorum publicorum debitè ſubſcriptis, fides adhibeatur indubia in omnibus, & per omnia, & illis vbique ſtetur, ac ſi originales litteræ huiuſmodi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ conſtitutionis, adſcriptionis, adgregationis, ſtatuti, mandati, conceſſionis, relaxationis, largitionis, adſumptionis, adnumerationis, mortizationis, ac voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringenteſimo, octogeſimo ſecundo, decimo octauo Kalend. Maij, Pontificatus noſtri anno XI.

S. D. N. SIXTI PAPAE QVINTI DECRETALES LITERÆ,

QVIBVS SANCTVS BONAVENTVRA, SERAPHICVS DOCTOR, EPISCOPVS CARDINALIS ALBANENSIS,

inter eximios, egregiosque Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Doctores annumeratur: illiusque festum XIV. Iulij sub duplicis Officij ritu celebrari, & coli mandatur cum Indulgentiarum elargitione.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis venerabilibus Fratribus nostris, Pa... Fratribus, Primatibus, Archiepi... copis, Episcopis, & dilectis filijs ... Ecclesiarum Prælatis per ... terrarum Orbem con... Salutem & Apoſtolicam be... em.

Triumphantis Hie... gloriam ſempiternam, ...rum cum Chriſto ſe... gnantium, nũquam ... s coronas, cum gau... s Sancta mater Ec... in terris militans, ... erò iuſtitiæ coro... * Deum in San... bilem prædicare ... ec verò inſignes ...s, & præclara ... ita eximijs lau... d eoſdem San... s mirificè honorificat, ipſa quoque pièveneratur, ac colit; quorum nimirùm prædicatione, ſalutarique doctrinâ inſtituta, ſanguine fundata, illuſtribus charitatis operibus, atque exemplis educata, feruentibus illorum apud Deum precibus quotidiè adiuuatur. Quamobrem debitis etiam, congruiſque honoribus vnicuique Sanctorum ſingulatim tribuendis, ad cæleſtis illius Hierarchiæ, vbi omnia in * charitate perfectâ ordinata ſunt, normam atque imaginem ſeſe conformare (quantùm quidem in huius prætereuntis mũdi exilio licet) maximè ſtudet. Nam quemadmodum in magnâ illâ ſummi Patrisfamilias, boniſque omnibus cumulatâ domo, * manſiones multæ ſunt, & beatæ illæ animæ mirâ quadam varietate, vnius gloriæ beatitudine perfruuntur: ſic Catholica

*Cant. 2. 4.

*Io. 14. 2.

tholica Eccleſia, quæ cæleſtis illius effigies eſt (vt * caſtrorum acies ordinata) in veneratione Sanctis Dei adhibenda, ſacros illos ordines, diuino illuſtrata lumine agnoſcit, atque diſtinguit.

*Cant 6 3.

Quæ ſanctis piè defert ſuos honores.

§. 2. Itaque dum glorioſum Apoſtolorum Chorum, dum Prophetarum laudabilem numerum, dum fortiſſimorum Martyrum laudat exercitum, ceteriſque Sanctis ſuo loco, & ordine ritè honores defert: in vno charitatis ſpiritu, & conſimili piæ deuotionis affectu multipliciter exultat. Inter illos verò beatiſſimos Sanctorum choros, quorum memoria à cunctis fidelibus religioſo cultu meritò celebratur, inſigni ſplendore elucet, Sanctorum Doctorum ordo à Paulo Apoſtolo disertè enumeratus, cùm ait, * *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores:* * quos vineæ ſuæ ſtrenuos, fideleſque cultores, atque operarios conſtituit, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Hi ſunt, de quibus diuina Sapientia clamat, * *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* de his Angelus apud Danielem loquitur; * *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* eos denique Saluator ipſe Christus Dominus inſigni illo elogio ornauit; * *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

*Epheſ.4. 11.

*Mat.20 1 *Doctores Eccleſiæ fideles operarij.*

*Eccl.24. 31.

*Dan.12 3

*Ma

§. 3. Cùm autem omnibus temporibus, ſacrorum Doctorum ſtudium, & doctrina in Eccleſia Dei vtilis, & ſalutaris fuit: tùm maximè fructuoſam, & planè neceſſariam eſſe res ipſa demonſtrauit, cùm perſecutorum Christiani nominis horribili furore repreſſo, in ipſa Eccleſiæ pace, teterrima hęreſum bella vehementiùs excitata ſunt: tunc enim hæreticorum doli & fallaciæ, qui diabolo inſtigante, * in agro Domini zizania ſuperſeminare nõ intermittunt, Doctorum cura, & diligentia detectæ, & peſtiferi, ac deteſtabiles errores * gladio ſpiritus amputati, & Catholicæ veritatis vi, ſacris Doctoribus adminiſtris, mendacium proſtratum. quare iure optimo * Hyadum ſtellarum nomine Sancti Doctores in Eccleſia deſignantur: qui perfrigida hyeme, & longis infidelitatis noctibus expletis, & perſecutionis tempeſtate ſedata, tunc clariores Sanctæ Eccleſiæ exorti ſunt, cùm veritatis ſol per corda fidelium altiùs caleſceret, & tanquam nouo fidei vere lucidior annus aperiretur.

Hæreſes comutantur.

* Mat. 13. 25.

* Ephe. 6. 17.

* Iob 9.9.

§. 4. Iam verò inter eos, quos * Dominus magnus, ſpiritu

*Eccl 39.6

ritu intelligentiæ replere voluit, quique tanquam imbres eloquia ſapientiæ ſuæ in Eccleſia Dei emiſerunt, meritò numeratur ſanctus Bonauentura Confeſſor & Pontifex, & in eadem Catholica Eccleſia Doctor eximius, quem fel. rec. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, ob admirabilem vitæ ſanctitatem, & præcellentem doctrinam in Sanctorum numerum adſcripſit. Is enim Balneoregij in Etruria natus, (vt piæ matris voto ſatisfaceret) adoleſcens Seraphicam ſancti Franciſci religionem eſt ingreſſus, per cuius veſtigia recentia adhuc nouus Chriſti miles humiliter, & conſtanter incedens, ſaluberrimam regularium inſtiturorum obſeruantiam tanto animi ardore, tantaque cordis auiditate hauſit, vt ſumma in eo ſanctitas appareret: ac vitæ innocentia, & caſtitate, ſancta humilitate, patientia, manſuetudine, terrenarum rerum deſpicientia, cæleſtium deſiderio, omnibus & exemplo & admirationi eſſet: tanta quoque ſpiritus dulcedine, & diuini amoris feruore inflammatus in Deum rapiebatur, vt iam * in cellam vinariam ſponſi introductus, & vino optimo charitatis ebrius, IESVM Chriſtum crucifixum, & patientem vbique intueri, & in eius vulneribus habitare videretur.

S. Bonauentur. Eccleſiæ Doctor.

In Bulla Canonizationis §. 9.

* Cant. 2. 4.

§. 5. Ad hanc verò eximiam vitæ Sanctitatem, vir Dei magnam præſtantis doctrinæ laudem adiunxit, Deo ita diſponente: vt ad eius gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem, non ſolùm exemplo, ſed verbo, & eruditione magnoperè proficeret. Itaque cùm in ſacrarum litterarum ſtudio, ſanctorum Patrum lectione, & Scholaſticæ Theologiæ perneceſſaria diſciplina, Alexandro de Ales Magiſtro, inſigni illius ætatis Theologo, diligentiſſimè verſaretur: breui temporis ſpatio excellentis ingenij bonitate, aſſiduo labore, (& quod caput eſt) gratia Spiritus ſancti, qui * *vas aureum* in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progreſſus fecit, & ad tantam doctrinæ perfectionem peruênit; vt Doctoris, & Magiſtri inſignibus in celeberrimo Pariſienſi Gymnaſio ſolemni more decoratus, Sacram Theologiam ibidem publicè profeſſus ſit. Tantam verò laudem in interpretandi munere, & in vniuerſæ Theologiæ ſcientia eſt conſecutus: vt viri doctiſſimi eius doctrinam, & eruditionem admirarentur.

Pietate & doctrinam iungit.

* 2. Tim. 2. 20.

§. 6. Et quidem multiplices ſancti viri lucubrationes, & præclara ſcripta, quæ adhuc magnâ Eccleſię vtilitate, & non mediocri Dei beneficio extant, quæque & noſtræ, & ſuperiorum ætatum viri eruditi multo cum fructu ſemper legerunt, & magnoperè comprobarunt;

quantus ille in Theologiâ fuerit, ſatis declarant. Ea enim diuini ingenij ſui monimenta poſteris reliquit, quibus perdifficiles, & multis obſcuritatibus inuolutæ quæſtiones, magnâ optimorum argumẽtorum copiâ, viâ & ordine, enucleatè ac dilucidè explicantur, fidei Catholicæ veritas illuſtratur, pernicioſi errores, & profanæ hæreſes profligantur, & piæ fidelium mentes ad Dei amorem, & cæleſtis patriæ deſiderium admirabiliter inflãmantur. Fuit enim in ſancto Bonauenturâ id præcipuum, & ſingulare, vt non ſolùm argumentandi ſubtilitate, docendi facilitate, definiendi ſolertiâ præſtaret, ſed diuinâ quadam animos permouendi vi excelleret: ſic enim ſcribendo cum ſummâ eruditione parem pietatis ardorem coniungit, vt lectorem docendo moueat, & in intimos animi receſſus illabatur, ac denique Seraphicis quibuſdam aculeis cor compungat, & mirâ deuotionis dulcedine perfundat, quam ſanè gratiam, in eius ore, & calamo diffuſam, admirans prædeceſſor noſter Sixtus IV. Pontifex, illud dicere non dubitauit, Spiritum ſanctum in eo locutum videri.

Scripta eius animos mouentia.

§. 7. Cùm igitur ſeruo fideli tàm multa, & præclara à Domino talenta eſſent credita, vt illis ad fratrum vtilitatem exercendis & negotiandis, cæleſtis gratiæ theſauros amplificaret: diuino conſilio, & ſummo totius ſui ordinis conſenſu, Romæ Miniſter generalis ſeptimus poſt beatum Franciſcum eſt factus, quò in officij munere non ſolùm prudentiam, vigilantiam, ſolicitudinem præſtitit: ſed tanto fraterniæ charitatis ardore exarſit, tantaque Chriſtianæ humilitatis demiſſione fratribus inſeruiuit, vt in eo illud Saluatoris agnoſceretur; * *Qui maior eſt in vobis, ſit veſter miniſter.* Quin & piæ mem. prędeceſſor noſter Clemens Papa IV. qui ſanctum virum valdè dilexit, & eius doctrina mirificè eſt delectatus, vt tam excellens virtus, & prudentia ad multorum vtilitatem latiori in campo excurreret, inſignem Eboracenſem Archiepiſcopatum ei obtulit. Ille verò cùm ſe à Seraphicæ paupertatis complexu diuelli non facilè pateretur, oblatam dignitatem modeſtè, atque humiliter recuſauit. Cæterùm cùm Gregorius Decimus Summus Pontifex ob grauiſſimas Chriſtianæ Reipublicæ cauſas Concilium generale Lugdunum indixiſſet, viroſque ſanctitate, doctrinâ, ſapientiâ præſtantes, perquireret, quorum forti, & fideli operâ ad rei maximæ tractationem, atque explicationem vteretur: duo in primis clariſſima illius ætatis lumina, è duobus florentiſſimis ordinib. Prædicatorum, & Minorum delegit, Sanctos Thomam & Bonauenturam: quos

* Mat. 25. 15.

* Ibid. 26.

Ad Concil. Lugdun. cum S. Thoma uocatur.

ad

adſe ire iuſſit. Sed cùm alter in ipſo itinere in morbum incidiſſet, atque ad gloriæ coronam feliciter euolaſſet, ſanctus Bonauentura Lugdunum profectus humaniſſimè exceptus eſt à Romano Pontifice Gregorio; qui in eius virtute, & ſapientiâ ita acquieſcebat, vt Concilij rectè dirigendi, & adminiſtrandi partes ei præcipuè tribuendas eiſe decerneret. Quare ex publicâ Eccleſiæ vtilitate, & neceſſitate, vt maiori cum dignitate, & auctoritate Concilij rebus non ſolùm intereſſet, ſed præeſſet: ſtatuit*lucernam ardentem & lucentem ſupra excelſum candelabrum ponere, vt in domo Dei magis luceret.

*Io.5.35. Mat.5.16.

§.8. Itaque ſanctum Bonauenturam nullos honores appetentem, fugientem potiùs, ſed Chriſti Vicario obtemperantem, nulloſque pro Eccleſiâ labores ſubire recuſantem, tanquam in totius Orbis terræ theatro, in ſacrum Cardinalium Collegium, & in Epiſcoporum ordinem ſtatim cooptauit: nam Eccleſiæ Albanenſi illum præfecit, qui honos antiquioribus Presbyteris Cardinalibus tribui ſolet. Quâ ille ampliſſimâ dignitate auctus, vniuerſam in Dei gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem contulit: etenim in rebus Concilij arduis operam egregiam præſtitit, Catholicam fidem conſtantiſſimè defendit, prauas opiniones acerrimè refutauit eiuſdemque prudentiâ, doctrinâ, ſanctitate, orationibus, Gregorij Pontificis paſtoralis ſollicitudo tantopere adiuta eſt, vt ſublato per Dei miſericordiam ſchiſmatis diſſidio, Michael Palæologus Græcorum Imperator orientaleſque nationes, ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam, vnitatem, communionemq; redierint: ac denique dignus habitus eſt, quem Græci Eutychij nomine appellarent. Meritò igitur, cùm paulò pòſt in eodem Concilio, fortiſſimus Chriſti athleta ex huius vitæ peregrinatione ad cæleſtem patriam emigraſſet; omnes eius mortem doluerũt, omnes communem iacturam deplorarunt, omnes illius funus lachrymis, & laudibus ornarunt: ſed vnus præter cæteros viri ſanctiſſimi vitam integerrimè actam, mores probatiſſimos, labores permultos pro Eccleſiâ ſuſceptos, doctrinam in illo ipſo Concilio ſpectatam inſigni laudatione veriſſimè celebrauit. Is fuit piæ memoriæ Petrus Cardinalis à Tarantaſiâ, vir eruditione, & Chriſtianâ eloquentiâ præſtãs: qui poſtea ad Pontificatus faſtigium euectus, Innocentius Papa Quintus eſt appellatus. Ipſe verò ſummus Pontifex Gregorius Decimus ex intimi animi ſenſibus amiſſum fratrem, adiutorem, & conſiliarium fideliſſimum dolens, palàm grauibus verbis teſtificatus eſt, Catholicam Eccleſiam, quæ ex

Græci vocant Eutychium, qui cauſa opera ad Eccleſiam redire.

tanti viri pietate & doctrinâ, fructus vberrimos acceperat, magnam illius morte iacturam feciſſe.

* Pſal. 111. 7. Eccl. 10. 67. 36.

Miracula eius ſanctitatem ſequuntur.

§. 9. Sed verè à Spiritu ſancto dictum eſt, * *In memoriâ æternâ erit iuſtus*: nam qui in vitâ illuſtris fuerat, multo poſt mortem factus eſt illuſtrior, Deo, qui admirabilis & glorioſus eſt in Sanctis ſuis, ſignis compluribus, ac prodigijs, & miraculis maximè inſignibus, ſerui ſui ſanctitatem comprobante. Quorum miraculorum fama cùm apud omnes percrebeſceret; idem Sixtus prædeceſſor noſter è ſublimi Apoſtolicæ Sedis ſpeculâ ea aſpiciens, * digitum Dei, qui facit mirabilia magna ſolus, ibi planè eſſe intellexit. Itaque & ſponte ſuâ, & claræ mem. Frederico Romanorum Imperatore, Regibus, Rebuſpub. Ducibus, Ciuitatibuſque permultis vehementer requirentibus, ac omnium ferè fidelium conſenſu efflagitante, de viro præſtantiſſimo Bonauenturâ Epiſcopo Cardinali in Sanctos referẽdo Pontifice Romano dignam cogitationem ſuſcepit. Summâ igitur curâ & diligentiâ, vitæ illius eximiâ ſanctitate, & miraculorum veritate examinatâ, atque compertâ, omnibus denique quæ ad eam rem pertinebant ritè, recteque actis ad Dei gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ exaltationem pro ſuâ ſummâ, eique à Deo in beato Petro Apoſtolo traditâ poteſtate, eundem beatum Bonauenturam de fratrum ſuorum Sanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Prælatorum omnium conſenſu, in Sanctos retulit, & in ſanctorum Confeſſorum, Pontificum, Doctorum numerum adſcripſit, atque aggregauit, eiuſque feſtum anniuerſarium diem, ſecundâ menſis Iulij Dominicâ die celebrari, officiumque de eo, veluti de Confeſſore Pontifice, Doctore in vniuersâ Eccleſia recitari iuſſit, alijs item decretis adiectis; quæ in eiuſdem Sixti litteris pleniùs continentur.

* Exo. 8. 10.
* Pſ. 135. 4.

Cur Eccleſiæ doctoribus adnumerandus.

§. 10. Et quamuis glorioſus hic Doctor S. Bonauentura, & in Eccleſiâ Catholicâ celeberrimus ſit, & in cœlo maximè reſplẽdeat; * vbi coronâ illâ eſt coronatus, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, nec vllâ humanâ re indigeat, qui bonis illis cum Chriſto perfruitur, * quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt; vrget * nos tamen charitas Chriſti, & ardens quidam deuotionis affectus, quo erga eum ab ineunte ferè ætate perpetuò exarſimus: vt de eius ſanctitate, & doctrinâ magis magiſque propaganda, atque illuſtranda (quantum cum Domino poſſumus) cogitemus. Mouemur quidem, vt par eſt, ſancta cum eo communione Seraphicæ Religionis noſtræ, in qua educati, & tot annos verſati ſumus, & eâ

* Iac. 1. 12.

* Iſa. 64. 4.

* 2. Cor. 5. 14.

tanquam matri optimè meritæ, omnia pietatis & grati animi monumenta præſtare debemus: ſed multò magis mouent nos Dei gloria, paſtorale officium quod gerimus, viri ſanctiſſimi pro Eccleſiâ Dei tot ſuſcepti labores, tot illuſtria merita, tanta cum Romanâ Eccleſiâ coniunctio, in cuius ampliſſimo ordine, & ſenatu ſummâ cum laude conſedit. Denique mouet nos Eccleſiæ vniuerſalis vtilitas, quæ ex tanti doctoris eruditione ſemper maior, & vberior capi poteſt: præſertim cùm hæreticorum inſidiæ, & diabolicæ machinationes, quibus ſacram Theologiam, quæ Scholaſtica appellatur, hoc luctuoſo ſæculo oppugnant vehementiſſimè, nos magnoperè admoneant, vt eandem Theologiam, quâ nihil Eccleſiæ Dei fructuoſius, omni ſtudio retineamus, illuſtremus, propagemus.

§. II. Diuino enim illius munere, qui ſolus dat ſpiritum ſcientiæ, * & ſapientiæ, & intellectus, quique Eccleſiam ſuam ſæculorum ætates, (prout ...s eſt) nouis beneficijs au... nouis præſidijs inſtruit; in...a eſt à maioribus noſtris ...ntiſſimis viris Theologia ...laſtica: quam duo potiſſi... glorioſi Doctores, Ange... ſanctus Thomas, & Se...us ſanctus Bonauentura ...imi huius facultatis pro...s, & primi inter eos, qui in Sanctorum numerum relati ſunt, excellenti ingenio, aſſiduo ſtudio, magnis laboribus, & vigilijs excoluerunt, atque ornarunt, eamque optimè diſpoſitam, multiſque modis præclarè explicatam poſteris tradiderunt: & huius quidem tam ſalutaris ſcientiæ cognitio, & exercitatio, quæ ab vberrimis diuinarum litterarum, ſummorum Pontificum, Sanctorũ Patrum, & Conciliorum fontibus dimanat, ſemper certè maximum Eccleſiæ adiumentum afferre potuit, ſiue ad ſcripturas ipſas verè & ſanè intelligendas, & interpretandas; ſiue ad Patres ſecuriùs, & vtiliùs perlegendos, & explicandos; ſiue ad varios errores & hæreſes detegendas, & refellendas. His verò nouiſſimis diebus, quibus iam aduenerunt *tempora illa periculoſa ab Apoſtolo deſcripta, & homines blaſphemi, ſuperbi, ſeductores proficiunt in peius, errantes, & alios in errorem mittẽtes; ſanè Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, & hæreſibus confutandis perneceſſaria eſt, & profectò rem ita ſe habere ipſimet veritatis * inimici ſunt iudices, quib. Theologia Scholaſtica maximè eſt formidoloſa: qui profectò intelligunt, aptâ illâ, & inter ſe nexâ rerum, & cauſarum cohærentiâ, illo ordine, & diſpoſitione tanquam militum in pugnando inſtructione, illis dilucidis definitionibus & diſtin-

* 2. Tim. 3. 1.

Ad firmandam fidem, & hæreſes confutandum.

* Deut. 32. 31.

ctionibus, illa argumentorum firmitate, & acutiſſimis diſputationibus, lucem à tenebris, verum à falſo diſtingui; eorumque mẽdacia multis præſtigijs, & fallacijs inuoluta, tanquam veſte detractâ patefieri, ac denudari. quantò igitur magis illi hanc munitiſſimam Scholaſticæ Theologiæ arcem oppugnare, & euertere conantur, tantò magis nos decet hoc inuictum fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem patrum noſtrorum conſeruare, & tueri, & acerrimos veritatis defenſores meritis honorib. quantùm poſſumus decorare.

§. 12. Quamobrem vt Seraphici Doctoris eruditio, ad multorum vtilitatem latiùs diffundatur; & ex eius libris & operibus, eruditi & ſtudioſi viri, copioſiores ſuauioreſq; in dies fructus capiant, (quod ad ipſius Sancti, quamquàm in cælo beatiſſimi, gloriam aliquam facere non eſt dubitandum) primùm quidem in Almâ Vrbe noſtrâ in hac Baſilicâ SS. duodecim Apoſtolorum, S. Bonauenturæ nomine Collegium inſtituimus, in quo ex huius præcipuè eximij, deuotique doctoris operibus, & commentarijs Sacra Theologia publicè explicetur: deinde etiam opera illius omnia, quæ inueniri potuerunt partim nondum edita, noſtraq; auctoritate, & impenſis vndiq; conquiſita; partim iam euulgata ſimul omnia decenti formâ, & quâ emendatiſſimè imprimi, & è Typographia noſtra Vaticana in lucẽ emitti curamus. Quod autem ab ipſo Pontificatus noſtri initio, Deo (vt piè credimus) inſpirante cõſtanter propoſuimus Sancti huius Doctoris nomen, & merita glorioſa apud omnes pro viribus celebrare, fideliumque erga eum venerationem augere, & amplificare, ſanè ad id quoq; non mediocriter excitati ſumus exemplo ſanctæ me. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri de Chriſtiana Repub. optimè meriti, & quem vt parentem adhuc reueremur & colimus. Is enim religioſâ pietate, & ſingulari deuotione permotus, quâ afficiebatur erga S. Thomam de Aquino Ordinis ſui decus, & Eccleſiæ Catholicæ ornamentum; cupiens eodem modo, eundẽ Sanctum ob eius præſtantiſſima in Catholicã Eccleſiam merita, congruis honoribus exornare, præter alia hoc iuſſit atq; decreuit, vt illius feſtus dies quotannis Duplicis Officij ritu, ad inſtar Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum perpetuò celebraretur; quòd & ſancto Bonauenturæ Doctori eximio tribui debere, æquum profectò exiſtimamus, cùm tam multa inter eos virtutis, ſanctitatis, doctrinæ, meritorum coniunctio, & ſimilitudo intercedat.

Collegium S. Bonauenturæ in Vrbe inſtitutum.

§. 13. * *Hi enim ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in domo Dei lucẽtia*, qui & charitatis pinguedine,

* Apoc. 11. 4. Nobile par amicorum.

dine,

dine, & ſcientiæ luce totam Eccleſiam colluſtrant: hi ſingulari Dei prouidentiâ, eodem tempore, tanquam duæ ſtellæ exorientes, ex duabus clariſſimis Regularium ordinum familijs prodierunt, quæ ſanctæ Eccleſiæ ad Catholicam Religionem propugnandam maximè vtiles, & ad omnes labores, & pericula pro orthodoxâ fide ſubeunda paratæ ſemper exiſtunt, ex quibus tanquam ex fertili, & benè culto ſolo quotidiè, per Dei gratiam fœcundæ, & fructuoſæ plantæ procreantur, hoc eſt viri doctrinâ & ſanctitate præſtantes: qui Petri nauiculæ (*Mat. 8. 14.) tot fluctibus agitatæ, & Romano Pontifici, eius clauum non ſine magnâ ſolicitudine tenenti, fortem & fidelem operam nauant. Hi duo Sancti cùm eſſent coæui, iiſdemq; ſtudijs dediti condiſcipuli, ſimul Magiſtri, pari ratione à Gregorio Decimo Summo Pontifice (cũ ambo ad Concilium euocarentur) honorati, & in huius vitæ peregrinatione fraternâ charitate, ſpirituali familiaritate, Sanctorum laborũ ſocietate valdè coniuncti fuerunt & denique pari greſſu ad cæleſtem patriã commigrantes pariter, felices & glorioſi illâ ſempiternâ beatitudine perfruuntur, vbi eodem charitatis affectu, (vt piè credimus) pro nobis in hac lachrymarum valle laborantibus orant, diuinamq; opem implorant: vt meritò idem Sixtus Quartus hos duos Sanctos perſimiles, & quaſi geminos in Chriſto fratres agnoſcens, ſtatuerit S. Bonauenturam conſimili venerationis, & honoris prærogatiuâ, atque ſanctus Thomas decorandum eſſe. (In Bulla Canonizat. S. Bonau. § 11.)

§. 14. Quòd igitur à nobis, & Seraphici ordinis charitas, & ſancti Bonauenturæ meritorum magnitudo, & Catholicæ Eccleſię, cuius gubernacula nobis licèt immerentibus à Deo commiſſa ſunt, vtilitas, & ædificatio requirit; habitâ ſuper his omnib. cum Venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, deliberatione maturâ; de eorundem conſilio & vnanimi aſſenſu, & ex certâ noſtrâ ſcientia, ac de attributæ nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtrâ perpetuò valiturâ conſtitutione, doctrinam ipſius S. Bonauenturæ à ſupradictis prædeceſſoribus noſtris Clemente IV. Gregorio X. & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunenſi maximè ſpectatam, in * Florentino (* Seſs. 10.) etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, grauiſſimorum virorum auctoritate teſtificatam, & commendatam, & eximio Eccleſiæ Doctore dignam, nos quoque plurimùm in Domino laudamus, & commendamus, ac litteras eiuſdem Sixti IV. quas pro expreſſis hoc loco haberi volumus, (exceptâ eius ordinatione de feſto die S. Bonauenturæ ſecũdâ Dominica (In Bulla Canonizat. §. 9.)

Decernit Sixtus V. S. Bonau. Doctorem Eccleſiæ.

Iulij celebrando) harum tenore approbantes & innouantes, ipſum S. Bonauenturam, iure ſanctorum Doctorum conſortio ab eodem Sixto IV. aſcriptum & connumeratum, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium inter præcipuos, & primarios, qui Theologicæ facultatis magiſterio excelluerunt habendum, ac venerandum eſſe decernimus, & declaramus.

§. 15. Atque ob eam cauſam, ſperantes in Domino, huius Seraphici Doctoris lucubrationes ad doctrinam & deuotionem, quam in clero Populoque Chriſtiano magnoperè lucere, & ardere cupimus, maximo adiumẽto fore; illius libros, commentarios, opuſcula, opera denique omnia, prout ex noſtrâ Typographiâ Vaticanâ, quàm emendatiſſima (vt ſuprà dictum eſt) emittuntur, vt aliorum Eccleſiæ Doctorũ qui eximij ſunt, non modò priuatim, ſed publicè in Gymnaſijs, Academijs, Scholis, Collegijs, lectionibus, diſputationibus, interpretationibus, concionibus, ſermonibus, omnibuſque alijs Eccleſiaſticis ſtudijs, Chriſtianiſque exercitationibus citari, proferri, atque (cum res poſtulauerit) adhiberi volumus, & decernimus. & nihilominus, vt ſapientiſſimi huius Doctoris glorioſa recordatio, ſi non pro ipſius dignitate, at ſaltem pro humanâ tenuitate, ob ingentia illius merita, ardentiori ſtudio recolatur, fel. rec. prædeceſſorum noſtrorum Bonifacij Papæ VIII. qui de ſanctis quatuor Doctoribus, & Pij Papę V. qui de prædicto ſancto Thoma eadem præceperunt, exemplo adducti pręcipimus, vt eiuſdem S. Bonauenturæ dies feſtus in omnibus Chriſtiani orbis partibus, ſub duplici officio à cunctis perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumuis ordinum regularibus, tam publicè quàm priuatim, pridie Idus Iulij, (non obſtante prædictâ Sixti Quarti ordinatione de ſecundâ Dominicâ dicti menſis) celebrari, atque in Calendarijs, cum doctoris nomine, & feſti duplicis adiectione deſcribi, & imprimi debeat, etiam ſi in nouiſſimis Breuiarij, & Miſſalis Romani reformationib. aliter diſpoſitum fuerit, neque ſecus, atque à nobis, vt ſuprà, ordinatum fuit, per quoſcunque quâuis auctoritate præditos, cenſeri, aut interpretari poſſe decernimus. Hortantes vniuerſos vtriuſque ſexus Chriſti fideles Ciuitatis Balneoregij, quæ clariſſimum hoc edidit lumen, & illius diœceſis; vt eodem die feſto à ſeruilibus, de ſanctæ Eccleſiæ more, operibus abſtineant.

Cuius dicta auctoritatem habent publicè, priuatim.

§. 16. Vt autem Chriſti fidelium deuotio, ad Seraphici huius doctoris diem feſtum colendum, eiuſque opem piè implorandam, eò magis accendatur, quò ex hoc cæleſtis gratiæ dono ſe vberiùs conſpexerint

eſſe

De R. & Ven. cto. in

eſſe refectos: de Omnipotentis Dei miſericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorū eius auctoritate confiſi, omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus tam in dictâ Ciuitate, & diœceſi Balneoregij, quàm in præclarâ Galliæ Vrbe Lugduno, vbi ille * bono certamine legitimè decertato, curſu conſummato, fide ſeruatâ, ex hoc calamitoſo ſæculo ad meritorum ſuorum præmium, & coronam in cælum feliciter migrauit, in Almâque Vrbe noſtrâ, vbi in hac Baſilicâ Sanctorum duodecim Apoſtolorum Collegium à nobis, (vt iam diximus) eſt erectū, conſtitutis, qui eius feſtum huiuſmodi, vt cæteras de præcepto Eccleſię ſeruari ſolitas feſtiuitates, deuotè colentes, verè pœnitentes, & Sacramentali peccatorum ſuorum confeſſione præmiſſâ, eo die ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramētum ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Qui verò Eccleſias Fratrum Minorum S. Franciſci, ipſo die feſto, à primis veſperis vſque ad occaſum Solis eiuſdem diei deuotè viſitauerint, pias inibi ad Deum preces, (prout ſua cuique ſuggeret deuotio) effundentes, decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentijs, per præſentes literas perpetuò duraturas, quas ſub quibuſuis Indulgentiarum reuocationibus, vel limitationibus, nullo modo comprehendi volumus, miſericorditer in Domino relaxamus.

* 2. Tim. 4.

Indulgentia in die feſto anniuerſario.


§. 17. Quocirca fraternitati, & diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, in ſuis quilibet Prouincijs, Ciuitatibus, Eccleſijs, & Diœceſibus ſolemniter publicari, & ab omnibus perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumuis ordinum regularibus, vbique locorum & gentium, inuiolatè perpetuò obſeruari procurent. Volumus autem, vt earūdem præſentium tranſſumtis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam noſtrarum, approbationis, innouationis, decretorum, declarationis, voluntatum, præcepti, conceſſionis, elargitionis, relaxationis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autē hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe nouerit incurſurum. Datæ Romæ apud Baſilicam ſanctorum

Diploma hoc publicandum obſeruandúmque.

Et tranſſumtis fides habenda.

duodecim Apoſtolorum, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, **Pridie Idi** Martij. Pontificatus **Noſtri an**no tertio.

✠ Ego Sixtus Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ ſub**ſcripſi.**



✠ Ego A. Card. Farneſius Vicecan. Epiſc. Oſtienſ.

✠ Ego Io. Ant. Epiſc. Portueñ. Card. S. Georgij.

✠ Ego Alph. Card. Geſualdus Epiſc. Tuſc.

✠ Ego Inn. Aualos Card. de Arag. Epiſc. Sabinenſ.

✠ Ego Marcus Anton. Card. Columna Epiſc. Præneſtin.

✠ Ego Ptolomæus Card. Comenſis Epiſc. Albanenſis.

✠

✠ Ego Marcus Siticus Card. ab Altaemps, tt. S. Mariæ Tranſtiberim.

✠ Ego P. Card. Sanctacrucius, tt. S. Clementis.

✠ Ego Gabr. Card. Paleottus tt. S. Laurentij in Lucina.

✠ F. Michaël Bonellus Card. Alexandrinus, tt. S. Mariæ ſupra Mineruam.

✠ Ego Lud. tt. S. Anaſtaſiæ presbyter Card.

✠ Ego Nicolaus de Pelleue, tt. S. Praxedis Card. Senoñ.

✠ Iul. Ant. tt. S. Bartholomæi in Inſula presbyter Card. S. Seuerinæ.

✠ Ego Hieron. Card. Ruſticucius, tt. S. Suſannæ.

✠ Ego Io. Hieronymus Card. Albanus, tt. S. Io. ante portam Latinam.

†Ego

✠ Ego Hier. Card. Simoncellus, tt. S. Priſcæ.

✠

✠ Ego Petrus Card. Deza. tt. S. Hieronymi.

✠

✠

✠ A. tt. SS. Io. & Pauli presbyter Card. Carafa.

✠ Ego Io. Ant. Card. SS. Quatuor.

✠ Ego Io. Baptiſta Card. ſancti Marcelli.

✠

✠

✠

✠ Ego Franciſcus Cardin. de Ioyeuſe, tt. ſanctiſſimę Trinitatis in Monte Pincio.

✠ Ego Iul. Card. Cananus, tt. ſancti Euſebij.

✠ Ego Nic. Card. Cremoñ. tt. ſanctæ Cæciliæ.

✠ Ego Ant. Maria Card. Saluiatus, tt. S. Mariæ de Pace.

✠ Ego Auguſtinus Card. Veronenſ. tt. ſancti Marci.

✠ Ego Vincent. tt. S. Mariæ in Viâ Card. Montis Regalis.

✠ Ego Philippus Card. Spinula, tt. S. Sabinæ.

✠

✠

✠ Ego Scipio Card. Lãcellotus, tt. S. Saluatoris in Lauro.

✠ Ego Vincen. Card. Gonzaga, tt. ſancti Alexij.

✠ Ego Henricus Card. Caietanus, tt. ſanctæ Pudentianæ S.R. E. Camerarius.

✠ Ego Io. Bapt. Card. Caſtruccius, tt. S. Mariæ in Aracæli.

✠ Ego Federicus Card. Cornelius, tt. ſancti Stephani in Monte Cælio.

✠

✠ Ego Dom. tt. ſancti Laurentij Card. Pinellus.

✠ Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus, tt. ſancti Pancratij, Maior pœnitentiarius.

✠ Ego Hieronymus, tt. S. Petri ad Vincula Cardin. de Ruuere.

✠ Ego Philippus Card. de Lenoncourt, tt. ſancti Honuphrij.

✠ Ego Fr. Hieronymus Card. Aſculanus, tt. S. Thomæ in Parione.

✠ Ego Antonius Maria, tt. S. Agnetis in Agone, Card. Peruſinus.

✠ Fr. Conſtantius Card. Sarnanus, tt. S. Petri in Monte Aureo.

✠ Ego G. Cardinalis Alanus, tt. ſancti Martini.

✠ Ego Scipio Card. Gonzaga, tt. ſanctæ Mariæ de Populo.

✠ Ego Antonius Card. Saulius, tt. ſancti Vitalis.

✠ Ego Euangeliſta Card. Cuſentinus, tt. ſancti Matthæi in Merulanâ.

✠

✠ Ego Fr. Stephanus Cardinalis Aretinus, tt. SS. Marcellini, & Petri.

✠

✠

✠

✠ Ego F. Cardinalis Sfortia, Diaconus ſancti Nicolai in Carcere.

✠

✠ Ego A. Cardinalis Montaltus, Diaconus ſancti Euſtachij.

✠ Ego Hieronymus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, Diaconus Cardinalis Matthæius.

✠ Ego Benedictus S Agathæ, Diaconus Cardinalis Iuſtinianus.

✠ Ego Aſcanius ſanctorum Viti, & Modeſti, Diaconus Cardinalis Columna.

✠

✠ Ego Federicus ſanctæ Mariæ in Domnica, Diaconus Cardinalis Borromæus.

Tho. Thom. Gualterutius

Regiſtrata apud eundem Thomam Secretarium.

A. de Alexijs.

Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, Indictione prima, die verò Veneris, decimaoctaua menſis Martij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno eius tertio, Retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis, ſeu portis ſancti Ioannis Lateranenſ. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & aciei Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ, per nos Io. Baptiſtam Bagni, & Io. Burlurault, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſ.

Alex. Parabiachus Magiſter Curſ.

MAVRITII BRESSII
DE
SANCTO BONAVENTVRA,
A S. D. N. SIXTO QVINTO
PONTIFICE MAX. INTER PRIMARIOS ECCLESIÆ DOCTORES ANNVMERATO,
ORATIO.

§. 1. FORTIS Imperatoris decus eſt, Beatiſſime Pontifex, iuſtis ex hoſtibus virtute ſuperatis, parta victoria, boni autem Paſtoris, tutus à furum ferarumque inſidijs pecudũ paſtus: periti verò gubernatoris, vt placato pacatoque mari, ſic irato & ſęuiente proſpera nauigatio. At Pontificis Maximi, qui illa cõplexus omnia, quod Imperator ciuib. quod paſtor ouibus, quod nauclerus vectoribus, id humano generi, non magis verbo, quã re factiſq; ſit, vera laus eſt, ſeruata ab hoſtium Chriſtiani nominis incurſionibus, à belluarum immanium laniatibus, à terrorib. ac periculis circumfrementũ fluctuum, ſacroſancta Ieſu Chriſti Eccleſia. *Sixti V. laudes.* Quę quidem, etſi rudibus, veris tamen lineamentis, ſanctitatẽ adumbrant tuã. Cùm namq; animaduerteres inſtrui in Catholicos hæreticorũ acies; rapaces lupos, rugienteſq; leones ouile Chriſti circũſiſtere, B. Petri nauim varijs inſanorũ dogmatum procellis ac tempeſtatib. agitari: non otioſè deflendas Chriſtiani gregis anguſtias, ſed enixè ſummáq; ope ſubleuandas exiſtimaſti.

2. Itaque, vt Princeps bellicâ laude clarus, aduerſus hæreticorum exercitus, non ſolùm ex viuis fortiſſimos Tribunos militum, quos hinc inde circumſpicio, delegiſti: ſed etiam clariſſimum Magiſtrum equitum fuſurum proculdubiò & cæſurum perditorũ hominum copias, à ſuperis deuocaſti. Vt paſtor vigilans, canem acerrimum: non mutum, ſed latrantem; nec latrantem modo, ſed lacerantem, in feras, Chriſti ouibus inſidiantes, immiſiſti. vt gubernator ſcientiſſimus, aſſumſiſti in partem moderaminis experientiſſimum proretam, cuius remigio, vectoribus incolumibus, concreditum tibi nauigium ad ſalutarem portum appulſurus es. Credo, vel ſi verbum non addam ampliùs, ſatis intelligi, non alium Magiſtri equitum, nec excubitoris canis, nec proretæ appellatione, quàm B. Bonauenturam deſignari; cuius, in Sanctorum pridem, in egregiorum Eccleſiæ Doctorũ modò, relati numerum, illud à Sixto IV. hoc à virtutũ ipſius æmulo Sixto V. conſecuti, quãtum deinceps ſit valitura auctoritas; quãtum ad profligandas hæreſes ſubtiliſſima &

pietatis pleniſſima ſcripta ſint habitura pōderis, quis ignorat? Non enim certiora curandorum corporū & morborum depellendorum remedia præſcribūt medici, quā Eccleſiæ Doctores, præcepta purgandorum falſis opinionib. & erroribus animorum. Id cauſæ fuit, cur Ieſus Chriſtus Doctores tātoperè extulerit; vt, quemadmodum ex Euangelio modò recitato audiuimus, eos tū *ſal terræ*, tum *mundi lucem*, vocauerit, dixeritque; Eum, qui mādata Dei fecerit & docuerit, magnū vocatum iri in Regno cælorū. Id cauſæ eſt, cur de ijs tam magnificè prædicauerit Daniel; *Qui docti fuerint, fulgebūt quaſi ſplendor firmamēti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Ceterarū igitur artium hominibus, leuia & exigua ſacris literis decernuntur præmia; Medicis, propter neceſſitatem, honos; Magiſtratibus propter conſcientiam, obedientia; Cæſari, propter Imperium, vectigal: at Doctoribus, quòd docendo, & ad veritatem inſtituendo præluxerint alijs, vt ſtellarū fulgentiſſimarum inſtar in perpetuum radient, & ſplendeant peculiari priuilegio attributum eſt. Merito. Nam ſi nihil hominibus eſt viſibili hac luce charius, quòd per eam vitæ ſuauitatibus fruamur, eâque ſublatâ, tollantur & ipſæ pariter: quanto pretioſior lux animorum iudicanda eſt, quiq; ipſam ceteris præferunt, duces & monſtratores itineris, quod ad æternam beatitudinem deducit, vt celſo & honorato ſunt habendi loco? Cumq; Paſtorum omnium ea ſit dignitas: maiora tamē ſunt eorum merita, qui non tantùm voce præſentes, verùm etiam abſentes ſcriptis erudiunt. Ceterùm namq; vna ferè cum ſuis auditorib. intermoritur beneficium: at horum, ſæculis innumerabilibus viget. Ac illorum quidem documenta, ad certos eoſq; paucos duntaxat pertinent: horum autem, ad omnes omnium ſæculorum homines. Hi ſtudiorū noſtrorum, hi vigiliarum, hi ruſticationum ſunt ſocij. Horum monitis & bene religioſeq; inſtituēdæ vitæ præceptis, quæ aſſiduè ſcaturientia noſtris mentib. inſtillant, inſtillabuntq; ſemper; non pacis, non belli tempore, non noctu, non interdiu, non ſani, non ægroti, non iuuenes, non ſenes deſtituimur.

Doctorum Eccleſiæ fructus & vtilitas.

Mat. 5. 13.

Cap. 12. 3.

3. Ex hoc genere B. Bonauenturam futurum, hoc eſt, *ſal terræ, mundi lucem, Eccleſiæ ſidus clariſſimum, facem Euangelij, falcem hæreſeon, ventilabrum Eccleſiaſticorum dogmatum, ſecurim emortuarum & infrugiferarum arborum, propugnaculum Catholicorum, arcem fidelium*, Deus tanti operis fundamēta iam tum iaciens, excellenti animo & diuinâ quâdam vi ingenij donauit. Vtq; generoſa illa indoles ad perfectum virtutis robur adoleſceret, permouit eum vt cōtenderet Lutetiam, vrbem Gallorū Regiam, matrem diſciplinarum, nutricem literarum. Vnde cùm Chriſtianam philoſophiam hauſiſſet, miniſtrantib. viris eâ abundantiſſimis, ac præſertim Alexandro Alenſe,

S. Bonauentura Lutetiæ docuit magnâ auditorum frequentiâ.

Doctor

Doctor renunciatus, ad Theologiam docendam, maximo concurſu auditorum, & incredibili admiratione vniuerſorum, aggreſſus eſt; cùm quidem Petri Lombardi Magiſtri ſententiarum & Pariſienſis Epiſcopi libros, quibus ſummus ille vir ſingulari artificio ac breuitate, fidei Chriſtianæ ſummam complectitur, publicè interpretatus eſt. Ac ne doctiſſimæ ipſius ſcholę & commentationes vtiliſſimæ intercideret, ſed ijs frueretur omnis poſteritas, eundem auctorem luculentiſſimis & ſubtiliſſimis cõmentarijs explanauit; nihil vt in ipſo reliqui fecerit, aut tam anceps, tamque ambiguum, quod non diſtinxerit, aut tam obſcurum, quod non clariſſimè illuſtrauerit; aut tam reconditum & abſtruſum, quod non eruerit. Idq; illũ ſic præſtitiſſe, vt quiſquã poterat optimè, argumento eſt, quòd qui deinceps eundem auctorem attigerunt, vbi à B. Bonauenturæ ſententiâ receſſerunt, deterius id reddidiſſe: ijdem ſi quid acutè accurateq; ſcripſerunt, eius è commentarijs deprompſiſſe videantur.

4. Nec tamen hoc vnum eſt eruditionis ac ingenij monumentum ipſius: ſed ſacra, propè dixerim, pagina, quanta quanta eſt, eius eximias in omni genere literas teſtatur. Nam tanquam ſimilis patrifamilias de theſauro ſuo noua proferenti & vetera, bonã partem, cùm Veteris, tum noui Teſtamenti commentando perſecutus eſt. Exorſus enim ab ipſo & mundi & Bibliorum exordio Geneſ. libro, adeo ſublimiter in eo enarrando philoſophatus eſt, vt nihil ſuprà. Pſalmi quoq; & Canticũ, & Eccleſiaſtes eius operâ & lucubrationib. fructuoſiùs, quã anteà, euoluuntur. Quantas porrò Salomonis è Sapientiâ opes profert? Quantas diuitias? quã variam & copioſam ſupellectilẽ? Idem miſerandum Iudæorũ caſum, & ſeruitutẽ Babylonicã, vt flebiliter & miſerabiliter cũ Hierem. deflet & lamẽtatur.

Commentarea eius in Vetus Teſtam. Mat. 13. 52

5. Atque vt ad nouum Teſtamentum veniam; ille Euangelia, præſertim Lucæ & Ioannis; ille Epiſtolas, quæ ad præſcriptas anni totius conciones ſelectæ ſunt; ille deniq; [a] bibliorum Apocalypſin, tenebrarum obſcuritatibus, & ſalebrarum aſperitatibus liberauit. Quippe qui rectam interpretandæ Scripturæ ſacræ viam ingreſſus fuerit, quam eandem monſtrauit præſcripſitque nobis in diuino illo Breuiloquij opere; vt Verbi Dei oracula alia exponeret & illuſtraret ex alijs. Vt autem periti palæſtritæ eſt, non ſolùm præſtare illæſum & intactum ab antagoniſtâ corpus, verùm etiam cædere & ferire aduerſarium: ſic ille non ſatis habet germanam ſacræ Scripturæ mentem, ſinceramque doctrinam tradere: ſed vnâ eâdemque operâ hæreticorum prauas opiniones deſtruit. Quo in genere; quid eo cogitari poteſt mirabilius? Nihil enim contra ipſos demonſtrandum ſuſcepit vnquam, quòd non pleniſſimè probauerit, nihil oppugnandum quod non penitus euerterit.

Item in nouum Teſtamentum.

6. Iam

Et aduerſus hæreſes. — Tit. 1. 9. — Num. 12. 10. Iud. 16. 33. 4. Reg. 2. 23. Theodor. 1 Eccleſ. hiſt. c. 14.

6. Iam verò cùm priſci illi Patres,ſui ſæculi hæreſes confutauerint : Beatus Bonauentura,perinde ac ſi prophetico inſtructus ſpiritu futura tanto antè proſpiceret, nō illas modò,ſed & quas Satan ætate noſtrâ ſeuit, conuellit. Ac illorum quidem, vt facultate oratoriâ ſuadere conantium,lenior & placidior fluit oratio : huius autem adamantinis Logices & Scholaſticæ diſciplinæ neceſſitatibus conſtricta lacertiſq; dialecticis vibrata epicheremata,vel inuitos & repugnantes quocunque volunt,pertrahunt: vt talem ipſum agnoſcas, qualem Epiſcopum B. Paulus deſcribit, *Potentem exhortari in doctrinâ,& contradicentes arguere.* Quod cùm paſſim ex eius ſcriptis perſpicies, tum vel maximè ex Apologiâ pauperum ; quorum obtrectatorem,Giraldum quendam de Abbatis villâ,diuina vindicta (ad confirmandam & ſtabiliendam ſummi viri doctrinam) duplici pœnâ, paralyſeos & lepræ,vlta eſt. Sic Mariam,quòd in Moyſen inſurrexiſſet,lepra corripuit; ſic Dathan,Core,& Abiron,dehiſcens terra abſorbuit ; ſic pueros,qui Eliſæo maledixerant , vrſi cæleſtis iræ adminiſtri dilaniarunt. Sic Arius , qui impuram aduerſus veritatem linguam ſtrinxerat , cùm naturæ neceſſitati pariturus pauliſper à viâ ſeceſſiſſet,vnà cum viſceribus & inteſtinis,inſtar Iudæ impiam profudit animam ; adeo ſeuerè Deus ius ſuum, in Prophetis ſacriſque Doctoribus malè acceptis, violatum perſequitur.

Cuius doctrina in admiratione.

7. Beatus autem Bonauentura,non ea tantùm,quæ antè dixi, opera conſcripſit;ſed tam multa inſuper,quorum partim in lucem prodierūt, partim in Gallicis Bibliothecis alijſq; hactenus aſſeruata ſunt,vt vel ipſos recenſere eorum indices longū ſit futurum. Atqui ne illud quidem nos fugiat,vt eximia,& admirāda ſint ea,quæ mandauit litteris , nec quiſquam tot retrò ſæculis ad eius ſublimitatem adſpirare potuerit ; fuiſſe tamen illa craſſa quædam & rudia doctrinæ ingenijque ipſius ſimulachra; vt mihi, quod apud Platonem eſt, occurrat dicere ; *Ludum eſſe ſapientum ſcripta , præ ipſorum colloquijs & congreſſibus.* Quocirca, ne mihi tantum Doctorem ex eius duntaxat ſcriptis æſtimes, niſi forſitan , vt ex vngue leonem : ſed metire ex Clementis Papæ Quarti iudicio; qui cùm perdiuite Eboraci Britanniæ oppidi Epiſcopatu , ipſius litteras pietatemque decoraſſet; vir pius in eo munere repudiando Silueſtros , Ambroſios, Gregorios Nazianzenos, Syneſios,Gregorios Magnos,atque alios præſtantes ſanctitate viros imitari maluiſſet. metire ex octodecennali totius Franciſcanorum Ordinis Præfecturâ,ſummâ cum laude geſtâ : metire ex Lugdunenſi Concilio , quod eius potiſſimùm celebratum & adminiſtratum eſt conſilio.

8. Cùm enim Gregorius X. maximis grauiſſimiſq; de cauſis, imprimis autem, vt Græci ad Apoſtolicæ Sedis vnionem & obſer-

uantiam

uantiam reuocarentur Lugdunum Patrum Concilium indixiſſet; è veſtigio omnes in vnum Bonauenturā coniecerunt oculos, quòd eum quantiſlibet difficultatibus explicandis & expediendis omnium maximè idoneum ducerent. Itaq; vt ſententiam de ſuperiori loco diceret, (Non enim tantùm Eccleſiæ lumen æquum erat ſub modio occultari diutiùs, ſed ex altiſſimi cuiuſpiam montis vertice largâ luce terras complere) idem Gregorius eum S.R.E. Cardinalem & Epiſcopum Albanenſem dixit. Ac vt olim ſummum illum Thebanorum Ducem Epaminondam, cùm alijs ducibus conſtitutis priuatus mereret, copijs in procinctu ſtantibus ex milite Imperatorem creatum legimus: ſic ſanè difficillimis Chriſtianæ rei temporibus, B. Bonauenturæ Cardinalitia dignitas eſt delata; eidemq́; vnà cum duobus Epiſcopis, Rhotomagenſi, & Tripolitano, Triumuiris vtique familiæ Franciſcanæ alumnis, mandatum eſt, vti proſpiceret, ne quid Eccleſia detrimēti acciperet. crediidiſſes ipſam tum maximè vnius S. Franc. humeris ſuſtineri, viri & termaximi, & termaximæ ac religioſiſſimæ diſciplinæ principis, quæ tantum cultorum, & ſectatorum nacta eſt, vt æquè numero, æquè litteris, æquè ſanctimoniâ, ceteras vna vicerit, & longo præcurrerit interuallo. Vt enim Cardinales, quos illa & plurimos & egregios extulit, in præſentiâ omittamus; ne perorationi, ad quam feſtinat oratio, longior afferatur mora: an vel olim Nicolai IV. Alexandri V. Sixti IV. maiores veſtros pœnituit? vel hodie, vos Illuſtriſſimi Reuerendiſſimique Patres, te ſacra panegyris, te Roma, te Italia, vos omnium orarum & regionum gentes, Sixti V. Pontificis Opt. Maximi pœnitet? Quo ſedente, ac moderante terris (quantū potero voce contendam, vt hoc omnes exaudiant) beatiſſima Vrbium Roma eſt, feliciſſima prouinciarum Italia, totuſq; terrarum orbis fortunatiſſimus. Tantum commodi apportat ſapientia, quoties, vel ea ad Principem, vel ad eam principatus acceſſerit. Verùm de tuis B. Pater laudibus dicendi pleniùs & copioſiùs, Tua Sanctitas maximis & mirabilibus quotidie gerendis rebus ſuppeditabit nobis argumenta ſæpiſſimè. Nunc autem B. Bonauenturam Lugduni in ſanctâ Synodo paulò antè relictum, quid agat, reuiſamus.

Franciſcani Triumuiri in Concil. Lugdunenſi.

9. Ipſi igitur præcipuum Lugdunenſis Concilij incumbebat onus, vt Orientem cum Occidente coniungeret, Grȩcam cum Latinâ Eccleſiam, quas intermedius diſcrepantium in quibuſdam religionis capitib. opinionū paries dirimebat; hunc Verbi Dei malleo diſiecit & diſturbauit, coëgitque vt Paſtor, in ſtabulum errabundas oues, ſic Græcos anteà palantes & deuios in vnum cùm Romanis corpus Eccleſiæ. Docuit enim ipſos, ſanctū Dei Spiritum vnà cum Patre & Filio, tanquā ab vtroque, non ab altero tantùm manantem adorare.

Qui Græcos Eccleſiæ adunârunt.

adorare. docuit, Pontificem Romanũ ſummum eſſe toto orbe Pontificem. docuit delicta noſtra poſt mortem igne purgatorio expiari. docuit celebrandam pane azymo Euchariſtiam: vt appareat, quod antè dixi, eius Theologiam, non in ſcriptis tantùm eluxiſſe, ſed etiam in ſermonibus, diſputationibus, congreſſibus, maximeque Lugdunenſi concilio claruiſſe. dignam quam omnis ſuſpiciat & veneretur poſteritas, ac vel ipſo Græcorũ teſtimonio auguſtam. Qui, quo tempore diuinus ille Doctor ſupremum diem obijt, flentes & quiritantes clamabant, Chriſtianiſmi columnam corruiſſe, diuino tamen auguſtiorem miraculo.

10. Quid enim, quæſo, aliud voluit illa B. Bonauenturæ capitis centeſimo & ſexageſimo poſt obitum anno integritas, quàm, vti quodam humano capite, dum fundamenta Capitolij ageretur, inuento, reſponſum eſt ab hariolis, portendi futuram caput mundi Romam; ſic ipſum aliquando Doctoribus Eccleſiaſticis, quòd perfectum hodie videmus, aggregatum, fore Theologiæ ſtudioſorum caput? Ego verò video ex ſacrarum rerum ſcriptoribus fuiſſe, qui ſubtiles vocarētur, qui Angelici, qui Irrefragabiles: at hunc vnum, eximiarum virtutum & perfectionum merito conſecutum, vt communi conſenſu conceſſuq; omnium, Doctor Seraphicus nuncupetur; idque eam, opinor, habet ſententiam: quòd vti Seraphin Eccleſiaſticæ hierarchiæ primas obtinent, ad diuinæ maieſtatis amorem mirabiliter inflammati; ſic ipſe, egregiè inter ceteros, & ſcriptis & vitâ Deum ſpiret, eiuſque colendi & venerandi ardore incredibili exardeſcat. Quamobrem, alijs alij Doctorum dignoſcantur notis & indicijs; Doctoris quidem Seraphici inſigne & character erit, flagrantiſſimum pietatis, vt ita dicam, incendium: non eum ſolummodò perurens, ſed & quicquid appropinquauerit ad eumque acceſſerit, concalefaciens & inflammans. Denique is verè Doctor eſt Doctorum vetuſtiſſimos & celeberrimos æquiparans. Doctor omnibus eximij & exquiſitiſſimi Paſtoris Eccleſiæ numeris abſolutus. Doctor & olim, & nunc, & in poſterum, & à cunctis, & vbique laudatus. Doctor qui non ſecus inter Theologos coruſcet, quàm inter ſidera Heſperus.

Capitis S. Bonau. integritas prodigioſa.

Doctor Seraphicus pietatis incendium.

11. Iure igitur optimo, publicoque bono factum eſt, vt tanti viri doctrinam S. D. N. Sixtus V. de Collegij Pontificij ſententiâ, vel potiùs, ſancti Spiritus afflatu, ad auguſtam ſanctorum Patrum, priſcorumque Doctorum religionem & venerationem conſecrauerit. Quamquam ſi apud Sanctitatem Tuam fas eſt loqui liberiùs (vt vera dicenti ſemper fas erit) vereor, vt non eum Doctoribus Eccleſiæ primus annumeraueris: ſed hoc pij iampridem omnes, hoc Eccleſia vniuerſa, in quâ tantum tamque celebre ipſius

Doctor Eccleſiæ.

nomen

nomen eſt, iamdudum conſenſione tacitâ decreuerit; Apoſtolicam modò auctoritatem interpoſueris, ne quis cuiquam deinceps inijciatur ſcrupulus, vllaue dubitatio ſuperſit. Quod quidem à nemine Pontificum potiùs quàm abs te, cui tanta cum Doctore Seraphico ſimilitudo & cognatio intercedit, factum oportuit. Ecce enim principio, quod non ſine Dei numine, tantis quidem in viris, accidit; paria vobis, & affinia, non magis nomina, quàm fauſta & feſta ipſorum omina. Illi Bonauenturæ, tibi Felicis: exinde idem ordinis caput, eademque vos extulit eduxitque familia, pietas, zelus Dei, eruditio ſingularis, Theologiæ in Academijs profeſſio, conciones, eloquentia, ſcripta, Præfectura Ordinis, Epiſcopatus, Cardinalatus. De reliquo, Chriſtiani illius Herois vitâ functi, ſanctimoniam, & opera decretis confirmauit Eccleſia: tibi ad celſiſſimum & auguſtiſſimum inter mortales, longeque Cardinalitio illo ſublimiorem dignitatis gradum, diuinâ prouidentiâ euecto (vtpote non vnius Paſtori vrbis, ſed orbis terrarum Rectori & Mederatori:) vt ampliorem & vberiorem de re Chriſtianâ benemerendi ſegetem & materiam Deus præbuit; ita poſteaquàm rectè & ex dignitate (ſicuti feciſti hactenus, facturumque te ſemper confidimus) eâ in terris vſus fueris, ſed cætera quilibet laudatiſſimum & glorioſiſſimum vitæ tuæ curriculum intuens, facilè per ſe adijciet & diuinabit. Nota.

12. Quod reſtat, vt eum, quem par eſt, ex tantâ Sanctiſſ. D. N. bonitate tamque ſingulari beneficio fructum orbis percipiat, vos, qui vbique eſtis gentium, Chriſtianæ ſapientiæ candidati; vos monachi, eremitæ, anachoretæ, qui puritatis & integritatis morum magiſtras ſolitudines incolitis; vos politici, qui piè fouendæ & tutandæ humanæ ſocietati eſtis præpoſiti; vos Theologi, quorum vita eſt aſſidua verbi Dei meditatio & commentatio; vos ſacerdotes, quibus ſacrarum rerum tractatio & adminiſtratio delegata eſt; vos Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, quibus regendi & moderandi cleri poteſtatem, quaſi quaſdam habenas Deus tradidit; vos fideles Pontificis Maximi Conſilarij S. R. E. Cardinales, B. Bonauenturæ & Seraphici, & eximij Eccleſiæ Doctoris ſanctimoniam ſectamini, doctrinam exoſculamini & amplexamini, eiuſque exemplaria, quæ felicibus Sixti Patris ſanctiſſimi auſpicijs & munificentiâ auctiora & politiora breui lucem aſpicient, nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

COMMENTARIVS
AD VITAM
S. BONAVENTVRÆ.

AD quam vt multa adſcribam, non eſt: tam accuratè conſcriptam vides à Petro Galeſinio, Apoſtolicæ Sedis roboratam auctoritate. pauca tamen addidi: & pretium eſt operæ, ampliora facere quæ accepimus: vt maior hereditas ad poſteros veniat. Nulli nato poſt ſecula præcludetur occaſio ſemper aliquid adijciendi. Habetur hiſtoria vitæ eius hac Tomo primo operum Sancti Bonauenturæ editionis Romanæ, Anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi octaui, ex bibliothecâ Vaticanâ.

IN CAPVT I.

§. 1. BONAVENTVRA … id poſteà nomẽ ex eo habuit.] *Pelbertus à Temeſvvar Sermone priore de Sancto Bonauenturâ circa medium ſcribit in hæc verba;* In pueritiâ fuit infirmatus vſque ad mortem, cuius ſaluti anxia mater Medicorum diligentiam adhibuit: quæ ſpe ſalutis fruſtrata, Sancti Franciſci implorauit ſuffragia, deuouens ipſius religioni illum, ſi ſanum reciperet: &, vt fertur, pia mater ipſum, ad Beatum patrem Franciſcum, tunc viuentem adduxit, & vt ſuâ oratione ſanũ ſibi hunc filium redderet, reuerenter, & humiliter, ac deuotiſſimè ſupplicauit. Beatus autem pater Franciſcus, cum ad Deum lachrymosè ſuſpiraſſet: ecce, ſubitò puer ſanus exiliuit. ad quod miraculum Sanctus pater, repentè, infuſus Spiritu Sancto, exclamauit; O Bonauentura! exinde hoc nomen Bonauẽturæ ſortitus eſt.

Cur dictus ſit Bonauent.

IN CAPVT II.

§. 1. Alexander Alenſis.] *Nonnulli pro cuiuſque proprietate dialecti cum aſpiratione ſcribunt & dicunt. In huius viri laudem notaui pauca, in Commentario meo ad Vitam S. Franciſci, in caput 3. quibus aſſcribo, quâ ratione venerit in Ordinem Seraphicũ. Albertus Krantz. hæc tradit;* Bonauentura magiſtrum habuit excellentiſſimum virum, Alexandrum de Hales, qui parem in florentiſſimo Palladio non haberet. Hunc fratres Chriſto & Ordini piſcati ſunt hoc modo; Conſtituerat in animo Alexander, nihil ſe cuiquam negaturum, qui precibus ſuis interponeret D. Mariam. Viderunt fratres excellentiſſimum virum, & in vrbe nominatiſſimũ; & incidit animo alicuius ex ipſis, vt virum de Religione pertentaret; Obſecro, inquit, excellentiſsime magiſter, vt paucis me audias pauperem fratrẽ. quumque ille auſcultaret; Innotuiſti, inquit, mundo clariſſimè, magnum habes vbique nomen: ſed vide, ſi hæc via ſit ad æternitatem. Vides Ordinem pauperum fratrum Minorum, in quo multi ſimplices & boni fratres, ſed pauci docti: quantùm in eo fructificares! Obſecro te per Diuam Mariam, vt nobis accedas. Miſſum à Deo credidit hominem: aderat inſpirator caſtorum votorum; recordatur, quia per nomen Mariæ admonetur: mox conſenſit & ſequitur fratres, Ordinem ingreſſus Minorum. *Libro octauo Metropol. capit. 31. vnde penè ad verbum Petrus Rodulphius libr. 3. hiſtoriæ Seraphicæ Religionis, Bartholomæus Piſanus Conformit. fructus XI. & Conformit. fructus decimi ſeptimi; Guillermus Pepin initio ſermonis de Sancto Antonio Paduano, Sanctus Antoninus, parte tertiâ hiſtor. titulo vigeſimo quarto, capite octauo, §. primo. Vbi commemorat poſtmodum tentatum fuiſſe, vt deſereret ordinem.* Vidit in ſomnis Bonauentura Franciſcum crucem de ligno ponderoſiſſimam portantem in humeris, cum quâ volebat montem aſcendere. cumque Magiſter compatiens vellet eum ad portandum iuuare, indignanter repulit eum dicens; Vade miſer! tu non vales portare vnam crucem leuem de panno; & portabis ponderoſam de ligno? *quo monito confirmatus, in Ordine perſeuerauit. Alteram porrò cauſam ſcribit Bartholomæus Piſanus Conformit. fructus vndecimi ad finem. Cùm iam deliberaſſet regredi, viſo mirando in ſomno, perdurauit.* Vidit enim ſcalam à terris protenſam vſque ad cælum, & multos vidit fratres per ipſam aſcendentes, & cœlum intrantes. & cùm ipſe etiam aſcenderet, & ad medium deueniſſet; vlteriùs progredi, nullâ vi, potuit, licet toto conamine niteretur. Ad ſe tandem reuerſus, cognouit per ſcalam ſibi Ordinem & Religionem demonſtrari, per quam frater Minor aſcendit cælum, ſi vſque in finem perſeuerat, &c. *Quâ viſione confirmatus in Ordine fuit. Itaque* hic miraculosè Ordinem fratrum Minorum intrauit, miraculosè remanſit, & gloriosè obijt. *Bartholomæus Piſanus Conform. fruct. 8.*

Alexander ab Hales quâ ratione pertractus fuerit ad Ordinem S. Franc.

Vt fuerit mirandouiſo in Ordine confirmatus.

§. 3. Fredericus II. Imperator … hoſtis Eccleſiæ declaratur] *In Concilio …dunenſi. Scio nonnullos laudare Frederi-[illegible], hominem vitijs opertum, & prorſus impium: de quo Commentarium meum adi in Vitam Sancti Franciſci ad caput 3. paullò poſt initium. Horum vt arguam imperitiam, audi quid de Frederico ſcribit Germanus Hiſtoricus, & miraberis impium eius dictum;* Tres ſeduxerunt omnem mundum; videlicet, Moſes Hebræos, Chriſtus Chriſtianos, Mahumetus Barbaros. Quamobrem, ſi Principes Imperij inſtitutioni meæ aſſentirent: ego vtique meliorem modum credendi & viuendi cunctis nationibus ordinare vellem.

Impium ac Blaſphemũ Fo derici I. Imp. dictũ.

Hæc Compilatio Chronologica ad annum milleſimum ducenteſimum quadrageſimum quintum Tom. primo Hiſtoriarum Germaniæ.

IN CAPVT V.

§. 2. Cùm ſe indignum putaret Sanctiſſimo Chriſti corpore.] *Eo ab Angelo refectus eſt, cùm diebus multis ſe à Sacrificio abſtinuiſſet. Diuus Antoninus narrat factum:* Sanctus Bonauentura cùm per multos dies, ſe indignum communione corporis Chriſti reputans, minimè celebraſſet: Dominus humilitatem eius reſpiciens, cùm vnâ die Miſſam audiſſet deuotiùs: ad eius confortationem, vna de particulis hoſtiæ conſecratæ, etiam per Sacerdotem diuiſæ, ſolo Domini iuſſu, in os eius intrauit, & ipſum guſtu ſuauiſſimo ſaginauit. *Addit Bartholomæus Piſanus Conformit. fruct.* 8. Sacerdote nullatenus aduertente. *Vide Pelbert. à Temeſuar Sermone priore de Sancto Bonauentura, Petrum Rodulphium libro 1. Hiſtoriæ Seraphicæ religionis.*

S. Euchariſtia reficitur, cum abſtineret à Miſſa.

§. 4. Si quem triſtem ac conturbatum videret.] *ſeriò conſolabatur, idque docente Sancto Franciſco, qui lætitiæ ſpirituali ſtudendum ſemper monuit.* Dicebat enim, quòd ſi ſeruus Dei ſtuduerit habere & conſeruare interiùs & exteriùs lætitiam ſpiritualem, quæ prouenit ex munditiâ cordis, & acquiritur per deuotionem orationis: dæmones nihil poſſunt nocere ei. porrò exſultant, quando poſſunt extinguere, vel aliqualiter impedire. Si diabolus in ſeruo Dei poteſt habere aliquantulum de ſuo; niſi fuerit ſapiens & ſolicitus delere & deſtruere illud, quàm citiùs poterit, per virtutem ſanctæ orationis, contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis: in breui tempore, de vno capillo faciet trabem, ſemper adijciendo. Ex munditiâ cordis, & puritate conti[nuæ] orationis prouenit hæc lætitia ſpiri[tua]lis. Circa duo illa acquirenda principaliter eſt ſtudendum, fratres mei; vt ipſam lætitiam, quam in me, & in vobis ſummo affectu cupio & diligo cernere & ſentire, poſſitis habere interiùs & exteriùs, ad ædificationem proximi, & vituperationem inimici: ad ipſum enim, & ad membra eius pertinet contriſtari; ad nos lætari, & gaudere ſemper in Domino. *Id quod Diuum Apoſtolum hortari ſcimus, ad Philippenſ. cap.* 4. 4. *Appoſitè Seneca ad hanc rem.* Hoc ante omnia fac, diſce gaudere.... Nolo tibi vmquam deeſſe lætitiam. Volo illam tibi domi naſci: naſcitur, ſi modo intra teipſum ſit. Ceteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, leues ſunt: niſi fortè tu iudicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet eſſe alacris, & ſuper omnia erectus. Mihi crede, res ſeuera eſt verum gaudium. An tu exiſtimas quemquam ſoluto vultu, &, vt iſti delirati loquuntur, hilari oculo mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptates tenere ſub fræno? meditari dolorum patientiam? Hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. In huius gaudij poſſeſſione eſſe te volo. numquam deficiet, cùm ſemel vnde petatur inueneris..... Veri boni auiditas, tuta eſt. Quid ſit iſtud, interrogas, aut vnde ſubeat? dicam: Ex bonâ conſcientiâ, ex honeſtis conſilijs, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam, &c. *Epiſtola vigeſima tertia.*

Lætitia ſpiritalis acquirenda.

Vnde verum gaudium naſcatur.

IN CAPVT VII.

§. 1. De illius eruditione & doctrinâ.] *Qua, teſte Platinâ,* Clemens Quartus *ſanctiſſimus pôtifex* mirificè delectatus fuit. *Vide Elogia Sancti Bonauenturæ à quinto ſequentia. Magni viri, maximi fecerunt. Et cum Ioanne Gerzone queri licet;* Admirari non ſufficio, qualiter patres & fratres Minores, dimiſſo tanto Doctore (qualem, neſcio, ſi vmquam ſtudium Pariſienſe habuerit) conuerterunt ſe ad neſcio quos nouellos, pro quibus parati ſunt pedibus & manibus decertare. tandem, quantum in alijs proficiant, ipſi viderint. *Part. quarta oper. primâ Lectione, cuius initium, Pœnitemini, primâ conſideratione, numero duodecim, littera, M.*

S. Theologia S. Bonauen. dandam operam Fráciſcanis.

IN CAPVT VIII.

§. 3. Tertio poſt anno quàm Pariſios venit .... Theologiæ.] *Bartholomæus Piſanus ita ſcribit:* Septimo anno poſt ingreſſum Ordinis legit Sententias Pariſijs: in decimo anno recepit Cathedram magiſtralem: in tertio decimo anno ad regimen

Ordinis

Ordinis eſt aſſumptus, decem & octo annis Ordinem rexit. *Conformit. fruct.8.*

§.6. Hexaemeron... Luminaria Eccleſiæ, aut viſiones quinque vocauit.] *Adi Elogium duodecimum è Sixto Senenſi, & inteliges.*

Crux S. Bonauentura liber fuit.

Diuo Thomæ Aquinati Chriſti Domini cruci affixi imaginem demonſtrauit.] *Nempe Sanctus Bonauentura, ab eâ, quod ſciret ſe didiciſſe conteſtans. Simile quid factum lego, dum à quodam Epiſcopo rogaretur, quâ viâ ac ratione tantam adeptus eſſet doctrinam. Valde inter ſe amabant Sanctus Bonauentura & Sanctus Thomas, cuius ergo ſapiuſcule alter alterum inuiſebat. Sanctus Bonauentura ſubinde vidit in humeris Diui Thomæ albam ſedere columbam, cùm ſummis teneretur meditationibus. Diuus Thomas cùm Sanctum Bonauenturam adiiſſet, reperit aliquando genu flexum imagini crucifixi, mirum in modum fulgentem à luce, quæ videbatur è quinque Crucifixi vulneribus vibrans illũ illuſtrare. Quare Crucifixi imagine ſignificare voluit, ſe plus opera contemplationibus illius dediſſe, quàm libris. Vinea Sancti Franciſci cap.4. vita Sancti Bonauentura. Vtinam ſequamur omnes exemplum ſalutare; qui diſcimus, non vt melius ſciamus, ſed vanius; nec vitæ ſtudemus ſed ſcholæ.*

IN CAPVT IX.

§.4. Veſtitui cucullam addidit.] *Pet. Rodulp.* Fertur inſtituiſſe habitum, & capitium, quo nos vtimur, à Ioanne XXII. Pont. approbatum, vel vti diſtinctiuum à quibuſdam fratribus, qui à communi aliorum vitâ ſe ſubduxerant; quorum habitum colore, figuraque differentem eſſe voluit à noſtro. *Lib.2. Seraphica religion. in recenſu Generaium Miniſtrorum.*

§.7 Romæ inſtituit Confraternitatem Confalonis.] *Origines Sodalitiorum ſiue confraternitatum ſi videre lubet, adi cap.20. mea Diua Moſa Traiecten.*

Diui Antonij à Paduâ linguam.] *Incorruptum fuiſſe anno ab exceſſu trigeſimo & ſecundo, in tranſlatione corporis, ſcripſi in meo Commentario in vitam eiuſdem ad caput viceſimum octauum*

IN CAPVT XI.

§.9. Trecenta ſcripſiſſe dicitur opuſcula.] *Firmamentum trium Ordinum de Sancti Bonauentura ſcribens opuſculis, memorat* circa trecenta parua fuiſſe, quæ ſimul iuncta, quaſi quatuor volumina mediocriter magna efficerent. *Part.1. vbi de viris & feminis trium Ordinum.*

IN CAPVT XIII.

§.2. Viterbij.... vt Pontifex eſſet, quem ille pronuntiaſſet.] *Viterbij factum ſcribit Bapt. Plat. Gregorio X. Pont: non Peruſia, quod Petr. Rodulphius lib. 1. Seraph. Relig. meminit Amandus Zir'xſæus Chronico ſuo ad annum Chriſti milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum ſecundum*

IN CAPVT XIV.

§.6. In Cardinalatus dignitate.] *Vt coactus conſenſit, qui Clem. IV. Pont. Archiepiſcopatum Eboracenſem iam delatum ſibi, recuſauerat. Vide cap.8.*

Pilleus Cardinalitius palo appenſus, qui in arborem creuit.

§.5. *Verùm Pelbertus à Temeſwar ferm. priore de Sancto Bonauentura tradit, cùm ei pilleus Cardinalitius deferretur, Generalem Miniſtrum fuiſſe, ac lauiſſe ſcutellas, neque ſalutaſſe legatos, pilleum palo appenſum, qui (vt teſtatur Vinea Sancti Frãciſci cap.3.) in arborem fronduerit: atque id contigiſſe Florentiæ in Conuentu fratrum Minorum, etiamnum eius extare monumentum. Addit etiam, tum Sanctum Bonauenturam inſignia ſibi feciſſe, non nobilis ſua gentis vſurpaſſe, ſed Chriſti manum Diui Franciſci manui clauo confixam: quo ſignificare voluit, profeſſionis noſtra ſponſionem nullâ ratione ſoluendam, ſed perpetuò ratam fixamque ſeruandam: vnde hæc deinceps Ordinis Seraphici ſigna habentur.*

Signa Ordinis Franciſcani.

§.6. In ipſo Concilio Lugdunenſi.... abijt in cælum.] *Mirum prorſus, quod Vinea Sancti Franciſci cap.4. memorat in eius vitâ contigiſſe Sancto Bonauentura ſub mortem. Subito viribus deſtitutus in tantum vomitu fatigabatur, vt nihil ſumptum tenere potuerit. Nihilominus ex Chriſtiano more valdè deſiderabat confirmari ſacro Viatico: ſed tamen abſtinuit ſe, præ reuerentiâ & periculi cauſâ. Iuſſit Corpus Domini adferri, cuius præſentiâ ſaltem, cùm ſumere vereretur, confirmatus, latiùs conſtantiuſque excederet. Pixis, quod Ciborium vocant, in quo corpus Domini portabatur, lateri admoueri voluit, ſumendi deſiderium indicans. Sub pixide lateri appoſitâ, in formam roſæ rubentis latus aperitur, quà Chriſti corpus è pixide, in eius cordis intimum, ſe immiſit, nullo poſt apertura relicto veſtigio.*

Mirum ſub mortem S. Bonauent.

IN CAPVT XV.

§.1. Difficiles partus.] *Solemne S. Bonauenturæ eſt iuuare vterumgeſtantes feminas, vti facilius enitantur. Vide Elogium 10. ex Tho. Bozio, Orat. Octauiani §.15.*

Caput incorruptum in translatione viſum.

§.2. Centeſimo & ſexageſimo poſt obitum anno.] *Dum ſacrum eius corpus eſſet transferendum, caput eius integrum repertum eſt: lingua, labia, caro omnis, & capillitium, omnia incorrupta. Pet Rodul. ſcribit etiã cor eius integrum viſum. lib. 1. Seraph. religionis. Vide Orat. Octauiani Sinueſſani de vitâ & miraculis Sancti Bonauentura §. 22. quæ extat Tom. 2. opuſculorum Sancti Bonauenturæ. Surius exſcripſit Tom. quarto ad diẽ decimũ tertiũ Iuly. digeſſit in paragraphos. Bulla Canonizationis eodem Tom. ſecundo Opuſculorum Sancti Bonauenturæ habetur. Decretales Sixti Quinti, quibus Sanctus Bonauentura Doctor Eccleſiæ cenſetur, addidi ex editione Romanâ Anni milleſimi quingenteſimi octuageſimi octaui apud hæredes Antonij Blady impreſſores Camerales. Mauritij Breſſij orationem de Sancto Bonauentura ad Sixtum V. ex editione Vaticanâ Tom. 1. operum Sancti Bonauenturæ.*

APPROBATIO.

S. Bonauenturæ Eccleſiæ doctoris vitam, & annotationes ad hiſtoriã vitæ ipſius à R. admodũ ac Religioſo Patre F. Henrico Sedulio Minorita, conſcriptas, cum legiſſem; dignas inueni, vt in lucem prodeant: maxime namque illuſtratur iiſdem & fides hiſtoriæ, & viri Seraphici corona præfulgida. datum Bruxellæ 28. Ianuarij anno 1612.

F. Andreas à Soto.

SANCTI
LVDOVICI
CAROLI II.
REGIS SICILIÆ
FILII,
EX ORDINE MINORVM
EPISCOPI TOLOSANI
VITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLOQVIVM
AD LECTOREM.

SVPERIORI *tempore, benigne lector, cùm nonnihil operæ ponerem in edendâ, illuſtrandáque meo Commentario hiſtoriâ vitæ S. Patris Franciſci; varia exemplaria conquirebantur, ad quæ illa corrigenda eſſet. Cum aliis è bibliothecâ Fratrum noſtrorum Louanienſi allatus fuit vetus admodùm liber membraneus manuſcriptus, in quo præter vitam S. Franciſci, alia pleraque. & euoluens inueni ſub finem adſcriptam vitam S. Ludouici ex Ordine Minorum Epiſcopi Toloſani. Subſultabat mihi animus præter ſpem inuento publico theſauro hactenus abſconſo. Nam quamuis Ioannes* XXII. *Pont. Max. ſuo diplomate, quo cæleſtes illi decreuit honores, ſat multa conſcripſerit, quæ inſignem eius teſtantur ſanctitatem · tamen curioſum hoc æuum plura deſiderat, quàm eius breui & abſciſâ ſcriptione narrantur. plura & vberiora liber ille præbebat. Subiit igitur mihi hanc ipſam hiſtoriam à tenebris & obliuionis iniuriâ luci aſſerere: ſed abſterrebat primùm tacitus auctor; tunc etiam ſtilus illius ſanè quàm incultus; denique prorſus inordinata & confuſa diſpoſitio, Quid agerem? licet incurſurus tam ſæua & infeſta virtutibus tempora, iudicia etiam huius æui fatua aut iniqua, hæc auſus ſum. Capita, quæ ille ſeptem tantummodo poſuit, ordinis gratiâ aptioris, & vitandi ex nimiâ longitudine faſtidij, diſparaui in viginti duo. deinde ſecutus hiſtoriæ fidem, aptiùs (meo quidem iudicio.) ſingula diſpoſui; monitis ſalutaribus & ſententiis ornans, paulò meliorem feci, latinioremque. atque id exemplo bonorum auctorum, qui facta, dictaque adſtrictiùs, ſpatioſius & vberiùs explicare ſolent. Iuuit equidem, eóque lubentiùs ſubire laborem, quòd ipſa hiſtoria à S. Ludouici æquali conſcripta ſit, & quod plus eſt, familiari. Tacet nomen ſuum, quæ eius modeſtia, nec mihi quicquam de eius nomine compertum: tamen aperit aliquando ſe familiarem S. Ludouico fuiſſe. Sic enim inter alia præloquitur;* Ipſius geſta non quidem omnia, quia nec omnia ego didici aut ſcire potui; ſed aliqua, quæ partim in eius domo & ſocietate exiſtens, oculatâ fide perſpexi: partim à quibuſdam viris fide dignis auditu percepi, ad Dei & Sancti gloriam exponere decreui. *& initio hiſtoriæ ſcribit ſe nonnulla accepiſſe à matre S. Ludouici, quæ litteris mandauit. alibi quoque vidiſſe ſe illum Barcinone publicè diſputantem. Si hiſtoria propriè eſt rerum, quibus interfuit qui ſcripſit: iure tibi, mihi, atque adeò cuique beniuolo gratulandum erit de ſcriptore, qui quæ vidit, quæ certò cognouit, perſcripſit. ex quo etiam ambigua quædam & dubia definiri poſſunt. Etenim nonnulla ſunt, de quibus in Commentario meo ad vitam eius, ſi modò*

Cap. 1. ind. 9.

vacabit inſpicere, certior fies. Itaque ſuperior ætas, incurioſa ſuorum cum hiſtoriam vitæ ſanctiſſimi Epiſcopi penè amiſerit, amicis quoque eam valdè exigẽtibus, ipſam poſteris tradam: & in hac tenebroſâ vitiorum nocte, ſummarum virtutum lucidiſſimam faculam accendam, bonis, malis, omnibus, ſolatio, medicamento, exemplo futuram. In quo, ita noſtri quoque rationem commodi ducimus, vt non inanem ab hominibus memoriam, ſed æternum à Deo præmium exſpectemus. Quia etſi non ita viximus, vt aliis exemplo eſſe poſſimus: dedimus tamen operam ne is lateret, qui eſſet imitandus. *Cuius gratiâ præmitto nonnulla* *Sulpit. S. Mar. in prologo.*

ELOGIA

In S. Ludouicum Epiſcopum Toloſanum.

IOANNES PP. XXII.

Qvi facit mirabilia magna ſolus, dilectũ ſuum, confeſſorem eximium, Beatũ videlicet Ludouicum, puritate candidum, caritate feruida rubicundum, electum ex millibus, produxit nouiter vt exẽplar præfulgidum, cunctis fidelibus imitandum; eius vitæ ſingularis excellentiam ſignis probans, & prodigiis coruſcantibus, crebris miraculis manifeſtans. *In bullâ Canonizat. §. 1.*

Pſalm. 135. 4.

S. Ludouicus electus ex millibus.

Hymnus.

Vergente mundi veſpere, Sol mũdo miſit heſperum:
Qui micans vt in æthere, lucem monſtrauit operum.
Ludouicus per omnia, ductu diuinæ gratiæ,
Vectus eſt, ab infantiâ Solem ſequens iuſtitiæ.
Regali ſtirpe genitus contemſit primogenita:
Regno terreno penitus mente carens gratuitâ.
Detentus in Heſperiâ claret per patientiam:
Nam paſſus nimis grauia, præfert ſemper lætitiam.
Dum patitur exſilium, datur ſolerti ſtudio:
Chriſtus eius ingenium ſuo perfudit radio.
Quo repletus deificè, profert cunctis ſaluifica:
Vbique fans authenticè præco Dei mirifica.
Factus Franciſci filius, virgo candens vt lilium.
Fit & præſul eximius, collega nunc cæleſtium.

Ex officio Breuiarij antiquiori ad primas Veſperas.

Omnium virtutum ſimulacrum.

Pelbartus à Themeſwar Ordinis Minorum.

De Sancto Ludouico dicere licet, Rex mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum. *Conc. de S. Ludouico.*

Mutato habitu ingreſſus eſt bellũ. 3. Reg. 22. 30.

Hieronymus Platus Societatis Ieſu.

Ludouicus Caroli II.* Gallorum regis filius * primogenitus, omnibus certè animi & corporis bonis ornatus. Hic cùm obſes in Hiſpaniâ ſalutare religionis conſilium cepiſſet, ſed à Franciſcanis ob regis reſpectum differretur: ipſe ſe voto, nec ſemel, publice obſtrinxit. deinde cũ anno* M. CC. XCVII. à Bonifacio VIII. Toloſanus ei Archiepiſcopatus deferretur: aſſentiri numquam voluit, niſi priùs veteris voti compos fieret, vt Franciſcanum habitum ſuſciperet, quem in magnâ nobilium coronâ ſuſceptum numquam ampliùs depoſuit: ſed potiùs cum habitu vitæ illius rigorem perpetuò retinuit, Epiſcopales curas religioſis officiis cumulans. *Lib. 2. de bono Status relig. cap. 26.*

*Vide Cõmentarium meũ in c. 1.

*Vide Com. ad cap 19. *A quo diu dilatus non tamen abſentus.*

Robertus à Licio Ordinis Minorum, Epiſcopus Aquinatenſis.

Quis non magnificiat Sanctũ Ludouicũ? qui regis & reginæ filius, formoſus

corpo-

Omnibus dotibus ornatus.

corpore, diuitiis affluens, ætate florens, ingenio acutus, ac quibuſlibet temporalibus bonis abundans, vitia ſpreuit, terrena calcauit, & Chriſtũ Ieſum benè beateque viuendo quæſiuit? *Conc. de S. Ludouico cap.* 1.

Hieronymus Platus Societatis Ieſu.

Illud manet, quod ſuprà poſitum & confirmatum eſt, magnam eſſe huius ſtatus, etiam apud homines dignitatem; multoque eminentiorẽ omnibus regũ ſceptris atq; imperiis. Hoc benè intellexit Ludouicus ille Caroli* Gallorum regis filius, de quo ſuprà à nobis alio loco dictum eſt. qui cùm terreni regni tam opulenti hæreditatem contemnens, Frãciſcani Ordinis habitum ſuſcepiſſet, quem diuturnis ardentiſſimiſque votis concupierat; eique à quodam eiuſdem Ordinis fratre inter gratulandum dictum eſſet, valde illum eo die Franciſcanam familiam honoraſſe: reſpondiſſe fertur, Imò verò ego potiùs ex hoc habitu, magno ſum hodie honore affectus. *Lib. 2. de bono Status relig. cap. 37. Ex lib. Conform. fruc.* 8.

*Vide Cõmentarium meum in cap. 1.

Tam honoratus ab ordine quàm eum honorauit.

Laurentius Surius Carthuſianus.

Excelluit in eo humilitas.

Inter omnia diuina chariſmata, præcipuè in eo relucebat eximia humilitas, haud aliter atq; carbunculus in aureo ornamento.

Item paulò pòſt.

Ad eius conciones audiendas tantâ auiditate adcurrebãt homines, vt propter turbas ſeſe inuicem comprimentes, quidam in mortis diſcrimen adducerentur. *Tom. 4. ad diem 19. Auguſti.*

Et gratia concionandi.

Hartmannus Scheydel.

Vita eius totius breuiarium.

Ludouicus, felix, ſanctus, ex regali progenie, patre Carolo ſecundo rege Siciliæ, matre Mariâ reginâ Siciliæ & Hungariæ, originem habuit. In ætate tenellâ religioſum præceptorem habens, ductus eſt in Cathaloniam, cum duobus è fratribus ſuis datus obſes pro liberatione regis Caroli genitoris. vbi per ſeptẽnium à fratribus Ordinis Minorũ liberalibus ac diuinis artibus inſtructus, doctus euaſit: vt publicè ac priuatim diſputaret, clero ac populo verbum Dei manifeſtaret. fuit in orationibus ſedulus. factus Sacerdos fermè ſingulis diebus celebrabat. Caſtitatis amator: vt exceptâ matre, ac ſororibus, cum ſolâ numquam loqueretur. Corpus caſtigabat aſſiduè. Inde ad petitionem Bonifacij Pontificis, priùs Ordinem minorum profeſſus, & habitum ſuſcipiens, Epiſcopatum Toloſanum regendum accepit. vbi mira opera pietatis perfecit. Demum in infirmitate vltimâ conſtitutus, ſuſceptis deuotiſſimè Sacramentis, reſolutus in mortem, ad cælum feliciter euolauit; quem Dominus magnis miraculis magnificauit: conſummatis enim operibus bonis, tempora multa expleuit. *Sextâ ætate mundi.*

Mors ſalutaris.

INDEX CAPITVM.

CAP. I. DE *S. Ludouici regiâ ſtirpe, & pura vita ab ætate tenerâ primordiis.*

CAP. II. *Cum duobus fratribus obſes datur pro patre, de conſtantiâ eius in captiuitate.*

CAP. III. *De morbo eius & voto, quo ſe inſtituto D. Franciſci adſtrinxit.*

CAP. IV. *In periculo mortis prodigioſè à morte ſeruatus, mundo nuncium remittit.*

CAP. V. *Aſſiduus fuit & attentiſſimus in precibus die noctúque, à quibus eum diabolus deterrere conatur.*

CAP. VI. *Sacris Miſſæ myſteriis niſi peccata confeſſus non voluit intereſſe, ſæpe ſumens Corpus dominicum. Sacerdos ferè quotidie ſacrificabat. De pietate eius in lignum & ſignum S. Crucis, & ſanctas reliquias.*

CAP. VII. *Otium vitat, ſemper fructuosè occupatus. vanorum conſuetudinem fugiens delectatur ſolitudine.*

CAP. VIII. *De conſuetudine cum probatiſſimis viris, quorum ſtabilitus conſilio ſe ſuáque regebat.*

CAP. IX. *De eius eruditione, & indefeſſo labore in concionando.*

CAP. X. *Amore paupertatis Euangelicæ regnum paternum ſpernit. factus clericus iterat votũ capiendi inſtituti Franciſcani.*

CAP. XI. *De voto ſoluendo cogitans fit Minorida, paupertatem Ordinis illius lætiſſimè complectens.*

CAP. XII. *Ludouicus pauperibus humiliter miniſtrat, leproſum oſculatur; cuius merita Deus miraculis comprobauit.*

CAP. XIII. *Vt ſe geſſerit Ordinibus Eccleſiaſticis initiandus. Sacerdotij dignitas. Ab humilibus fratrum exercitiis noluit abſtinere ipſe Epiſcopus.*

CAP. XIV. *De abſtinentiâ eius & continentiâ.*

CAP. XV. *De moderatione quâ fuit in reprehenſione, quam amabat. Detractionem & diſcordiam execratur. Pacem reparat, & caritatem inter diſſidentes conciliat.*

CAP. XVI. *Cunctis prodeſſe laborans, etiam Iudæos & Ethnicos Chriſto lucrari conatur. Egenis & ægris largas eleemoſynas dilargiens, pauperes viſitat, & captiuos, quos liberauit.*

CAP. XVII. *Probatos tantùm admittit in ſortem Domini, quos non veſtibus ornari cupit, ſed virtutibus. De prudentiâ vitæ totius directrice.*

CAP. XVIII. *Ludouicus omnibus corporis & animi dotibus cohoneſtatus, febriens ad mortem ſe parat.*

CAP. XIX. *Sacramentis Eccleſiaſticis pro more Chriſtiano munitus, in precibus ad Deum, ad B. Mariam, moritur; ætate iuuenis, maturè ſenex, Maſſiliæ ſepultus.*

CAP. XX. *Recenſentur miracula, & prodigioſa beneficia, quæ in pios contulit viuus, mortuus, in tredecim paragraphos diſparata.*

CAP. XXI. *Refertur in numerum Sanctorum.*

CAP. XXII. *De tranſlatione illius corporis ſacri.*

Additum

Diploma S. D. N. Ioannis PP. XXII. quo S. Ludouicus refertur inter Diuos.

Commentarius ad Vitam S. Ludouici.

S. LODOVICI CAROLI II. REGIS SICILIÆ FILII, EX ORDINE MINORVM, EPISCOPI TOLOSANI VITA.

De S. Ludouici regiâ ſtirpe, & puræ vitæ ab tenerâ ætate primordiis.

CAPVT. I.

Ludouici parentes.

LVDOVICVS patre Carolo II. rege Siciliæ, è Francorum regali ſtemmate; matre Mariâ Hungariæ regis filiâ, natus eſt. quo, initio florentis ætatis aucti parentes, aſpectu ſanctitatis B. Ludouici regis Galliarum, filium Ludouicum nominarunt: vt referret mores cuius nomen exprimeret. Nec fefellit eos votum. Nam puer minimè indulgebat puerilitati, vt pueri ſolent: ſed pietate & grauitate morum maturè ſenex, ætatem probitate, ſpem parentum incredibili virtute ſuperabat. Animum necquidquam voluptati relaxauit: ſed conformans ad diuinum cultum, Deo ſtudebat magno opere placere. Quaſi alter Salomon *optauit, & datus eſt illi ſenſus: inuocauit & venit in eum ſpiritus ſapientiæ.* quâ præditus coætaneos quibuscum educabatur, deliciis, iocis, luſibus puerilibus more principalium liberorum occupatos, nonnunquam ſubterfugiebat, ipſis ſenſu maior, non annis: ſtimuloſque præſentiens diuini amoris, totum iam ſe tunc conſecrabat precibus & pietati. Mirum ſanè, quod à sereniſſimâ eius matre reginâ Mariâ accepi, & quibus erat illum cura educandi: nempe ſeptennem, cùm adhuc delicatè ac molliter veluti Regis filius haberetur, inuentum eſſe ſæpiùs ſpreto lecto humi cubuiſſe in tapetibus. Itaque ſicut Ioannes Baptiſta pænitentiam agens in pueritiâ, molles ac delictaas voluptates cœpit ineunte ætate abhorrere: maturè ad eam ſe vitæ normam componens, quam ſemper teneret. quaſi iam tum intelligens quod nondum legerat, *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab eâ.* tenero animo totius probitatis grauitatem percepit, quam quoad vixit perſeueranter ſeruauit. Frequentabat aſſiduè Scholas Spiritus ſancti, templa & monaſteria: tempeſtiuè cogitans, quod poſteà deuotus impleuit. Manſuetudine, lenitate, patientiâ, elegantiâ morum, & maturitate erat incredibili, & ſuprà quàm dici poteſt, tractabili ingenio. Hæc probitatis initia in tenello puero, tanquam in herbis, ſignificabant, quæ, quantæque fruges eſſent futuræ virtutis & ſanctitatis.

Nominis eius ratio.

Tenera pietas.

Sap. 7. 7.

Aſperitas.

Prou. 22. 6.

Mores probi.

CAPVT II.

Cum duobus fratribus obſes datur pro patre. de conſtantiâ eius in captiuitate.

AT enim cùm eſſet dilectus Dei filius, neceſſe fuit eum tentatione, *quaſi aurum in fornace probari.* Annis igitur puerilibus, exemplo ſancti Patriarchæ Iacob, domi ſimpliciter actis; diſpoſitione Dei flagellantis omnem filium quem recipit, cùm attigiſſet annum ætatis quartum decimum, miſſus eſt in Cathaloniam pro liberando patre, filius Ludouicus obſes, cum

Sap 3.6

Gen. 25. 27

ſtitur ... in Ca... ſtellantam.

duobus germanis fratribus; vbi toto ſeptennio conſtantiam eius tum ipſa captiuitas, tum adhibiti cuſtodes mirum in modum exercuerunt: plures vt confirmaret pijs exemplis, & ſalutaribus monitis ad patientiæ virtutem animaret. Aliquando rogatus, qui poſſet illi in tot aduerſis, tanta eſſe æquabilitas, idem vultus, eadem frons? tum ille, Aduerſa, inquit, amicis Dei plus conducũt, quàm proſpera. tunc Deo ſubditi ſumus, quando aduerſis vrgemur. Secundæ res mentem extollunt, atque efficiunt vt Deum nõ cogites, non verearis. Fortuna etenim vt ignarus medicus, cæcos eos plerumque efficit quos complectitur; & quem nimiùm fouet, ſtultum facit. Atq; ideo infelix ille in quem nihil triſte incurrit: hic aut ſibi ignotus, vt qui nunquam ſui periculum fecerit; aut Deo inuiſus, quem præterit velut ignauum ad conflictum. Aduerſi aliquid eueniat oportet, quod probet virum. ſed magni animi proprium eſt, placidum eſſe, & tranquillum: triſtia quæque ſupernè deſpicere, humanóſque caſus virtute inferiores putare; calamitates mortalium ſub iugum mittere proprium eſt magni viri. Itaque in arenâ illâ tam ſalutariter exercitatus, in tantum promouit, vt, poſtquam eſſet cuſtodiâ liberatus, adfirmauerit nunquam ſe rogaſſe Dominum Deum, carcere liberari, præter ſemel: hac tamen cautione, ſi eſſet ſalutare. & quod magis mireris, noluiſſe opibus totius mundi carcerem illum commutatum: potiùs iterum repetere, in cuius gymnaſio tantùm profeciſſet. Citabat huic fini illud Prophetæ, *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti; annis quibus vidimus mala*. Vix enim ſapimus niſi experti.

...uerſa ...ibant ...rum.

Quibus ille ...

Pſal. 89. 15.

CAPVT III.

De morbo eius, & voto, quo ſe inſtituto D. Franciſci adſtrinxit.

LICET verò in ipsâ captiuitate, tanquam alter Tobias, *viam veritatis non deſereret*; decreuit tamen diuina prouidentia, quæ ipſum ad maiora ſeruabat, amplius probare & grauioribus moleſtijs exercere: vt varijs tunſionib. perpolitus, formaretur in vas pretioſum & electum. Quamobrem in arce Suranâ grauiſſimo morbo correptus, purulentum & tinctum fœdo cruore phlegma cœpit eijcere, vt medici læſum pulmonem ſuſpicati ſint. Ingraueſcebat morbus in dies magis magiſque, ſed maximè pridie Purificationis B. Mariæ Virginis: adeò vt catarrhi grauedine propemodùm ſuffocaretur. Tunc ad ſe rediens, vouet Deo pro ſalute, B. Mariæ Virgini matri, S. Patri Franciſco, vitam & inſtitutum Fratrum Minorum, ſeque in eo, quoad viueret, perſeueraturum. Voto reualuit, & patrocinio Sanctorum. Nec oblitus beneficij fuit: ſed proximâ Pentecoſte, Spiritu ſancto adflatus, ſummo manè in æde arcis, ad memoriam beatę Dei Genitricis exſtructâ, quod ſecum tacitè promiſerat, ad altare Domini, apertè renouans, manifeſtè ſeipſum obtulit Domino gratiſſimam oblationem & holocauſtum; conſultius eſſe ratus Deo dari, quàm ſibi relinqui.

Tob. 1. 2.

Morbo correptus.

Voto ſuſcepto ſanatur.

CAPVT IV.

In periculo mortis prodigiosè à morte ſeruatus, mundo nuntium remittit.

ANIMI remittendi gratiâ, cùm ei copia facta fuiſſet, & Roberto fratri, poſtea Siciliæ regi, equis, armis, curſu & congreſſu exercitari: aſſenſus eſt vel in fratris gratiam, quem oblectabat eiuſmodi luſio. Spectantibus omnibus, ſubitò equus Ludouici magnus & fortis labitur: atque in ipſum reſupinum, tertiò ſe ſupinus equus rotans circumagit, magno & quaſi præſenti vitæ Ludouici diſcrimine. Territis cunctis & conſternatis, nec niſi mortem illius cogitantibus, ſurgit Ludouicus præter omnium expectationem illæſus: & puluerem extergens, periculo fuit liberatus. Mirabantur omnes magnum hoc miraculum, Deo facti ſupplices; qui nouit ſuos, cùm expedierit in periculis conſeruare. Ipſe verò, vt ſe recepit, ſecum altiùs cõſiderabat rerum humanarum imbecillitatem, & ſummam Dei clementiam in noſtrâ tutelâ: ruminans illud regij prophetæ. *Fallax equus ad ſalutem: in abundantiâ autem virtutis ſuæ non ſaluabitur. &, Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordiâ eius.* Toto igitur corde ad Deum conuerſus, militiam relinquere

Cùm equo periculosè cadit, ſed illæſus.

Pſal. 32. 17. Pſ. 146. 10.

cogitans.

Spreuit mũdi pompam.

cogitans, ſpernere incepit pompam mundi, Chriſto Domino qui ſolus habet, & dat immortalitatem, obſequi firmiùs proponens, ſtatuit ex illâ horâ, nullo pòſt tempore, equitare in equo, nec arma geſtare. quod ipſum quoad vixit, diligenter obſeruauit. Nam etiam Epiſcopus, ſemper memor humilis Pótificis, & pauperis regis Domini noſtri Ieſu Chriſti, aſello olim vecti in vrbem Ieruſalem, nunquam in equo, ſed vulgari mulo equitare voluit. Præclara res & amabilis, modeſtia & humilitas: in paupere grata, in potente meritò glorioſa prædicatur.

CAPVT V.

Aſsiduus fuit, & attentiſsimus in precibus die noctuque: à quibus eum diabolus deterrere conatur.

HAC initia puerilis libaſſe pietatis ſat eſt: ſequitur vt ad cæteras virtutes eius, ſed priùs ad orandi ſtudium, quod Chriſtiani hominis ſempiternum opus eſſe debet, tranſeamus. Igitur lumine Spiritus ſancti animo illuſtrato, didicit mentem piam, cæleſti ſponſo aſſiduo precandi ſtudio coniungi. Quapropter vehementer deſiderans, ſalutari frui complexu IESV Chriſti dilecti ſui, magno opere conatus eſt illi ſe totum orandi perpetuitate, tum publicè, tum priuatim, conſecrare. Etenim adhuc laicus pẽſum diuini officij, diurnum pariterque nocturnum, ex more ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtudioſiſſimè Domino quotidie perſoluebat: moleſtè ferens & ſeuerè arguens, ſi quos in precando videbat properare nimiùm, aut quouis modo diuinum illud opus interturbare. Pſalmos legebat miro feruore, animo adeò intento, tanquam ipſum Deum præſentem intueretur: vt exemplo ſuo torpidos & ſegniores ad affectum pietatis vehementer excitaret, ſerenâ facie, & vultu placido, ſemper interiorem ſignificans lætitiam ſpiritus & iucunditatem. Quia verò eſt, quod vulgò dicitur, *Vbi cor, ibi oculus*: tantiſper dum orabat, in eccleſijs præſertim, oculos in crucifixi imaginem defigebat: vt flamma ſibi in pectore creſceret rerum geſtarum. Ad horarias preces addebat quotidie Pſalmos, qui Pœnitentiales appellantur, cum Litanijs; & plerosq; alios guſtui ſuo, & inflammandę pietati opportunos: quos ſingulos piâ illâ oratione ad B. Virginem, *Salue regina, mater miſericordia*, claudere ſolebat. Item laudes de S. Cruce Domino recitabat quotidie vnà cum ſocio, fratre ex Ordine Minorum, clauſo conclaui ab alijs ſeiunctus. vbi cupiens *ſentire quod & in Chriſto Ieſu*, quamdiu cruciariæ illæ preces durabant, permanebat immotus, brachia extendens in formam crucis. Poſt completorium nonnullas orationes de gaudijs B. Mariæ, quam piè colebat, fundere conſueuit, & aliquot alias preces: ita iugiter Deo *reddens vitulos labiorum ſuorum, & hoſtiam laudis*. Dulce IESV nomen calido venerabatur adfectu: quoties illud audiebat, iubilo quodam videbatur repleri; & caput reuerenter inclinans, oſculanſq; terram, illi *admirabili nomini* debitum exhibebat honorem. Sub noctem cùm ad cænam vocaretur, adeò multus eſſe ſolet in orando, vt moleſtè id ferrent eius familiares: nunquam tamen accumbere voluit, niſi oratione præmiſsâ conatus eſſet pabuli cæleſtis dulcedinem prægustare. cùm etiam, quod amicis Dei familiare eſt, metu & diffidentiâ ſui, ab omnibus flagitabat ſubſidia orationum: indignum ſe arbitratus & ineptum, qui Deum poſſet exorare. Denique feſſa membra quieti concedens, cum rege Dauide, *lauabat per ſingulas noctes lectum ſuum, lachrymis ſuis ſtratum ſuum rigabat*: multo conſultius arbitratus, fonte purgari quàm igne. Ad hæc, aſſiduus in libris ſacris, & auidiſsimus ſermonis diuini, menſam etiam antequam eſſet Epiſcopus, ſacrâ lectione condiebat: omni ratione ac modo *hauriẽs aquas è fontibus Saluatoris*, quas orationis tempore libans Domino, vberiùs terram cordis irrigabat. Ad orationẽ videbatur à Deo accepiſſe *ſpiritum precum*: ad lectionem, *in lege Domini voluntatem*. Itaque erat illi perpetua talis exercitatio; oratio excipiebat lectionem, lectio orationem: cenſens omne tempus, cuius erat cuſtos parciſsimus, ſibi periiſſe, quod in diuinis cogitationibus, ſiue orationibus non conſumſiſſet. Hic mos eius interdiu orandi: ſed ne quidem internoctu volebat vnquam à longis precibus vacare. Quod ægerrimè ferẽs humani generis hoſtis, conatus eſt, nonnunquam eum ab orandi ſtudio deterrere. Nam obſidi in Cathaloniâ, viſus eſt cacodæ-

Preces eius quotidianæ. — *Et in eis feruor.* — *Preces eius in honorem S. Crucis.* — Phil. 2.5. — *Affectus in S. Mariam.* — Oſe. 14.3. Heb. 13.15. — *Et in nomen Ieſu.* — Pſal. 8.2. — *Orationes ab alijs petit pro ſe.* — Pſal. 6.7. — Iſa. 12.3. — Zach. 12.10. Pſal. 1.2. — *Alternat orationem, & lectionem.* — *Spectrũ dæmonis ſigno S. Crucis profligat.*

mon nocte intempeſtâ oranti, in formâ horribilis felis: vt iniecto timore abſterreret ab oratione. At impauidus adoleſcens, potentiâ Domini fretus, muniuit ſe viuificæ ſigno crucis: atque ita timor menti deceſſit, virtute illius tropæi ſtatim hoſte maligno profligato. Vbi verò reſciuit hoc fratrem ſuum Raymundum animaduertiſſe, qui in eodem cubiculo vnà dormiebat: illius fidem iureiurando adſtrinxit, ne hoc cuiquam ante mortem ſuam indicaret. Ille conſeruãdi quidem iuriſiurandi causâ tenuit fidem: ſed poſt deceſſum fratris, rem compluribus enarrauit.

CAPVT VI.

Sacris Miſſæ myſterijs niſi peccata confeſſus non voluit intereſſe, ſæpe ſumens corpus Dominicum. Sacerdos ferè quotidie ſacrificabat. de pietate eius in lignum & ſignum S. Crucis, & ſanctas reliquias.

DE pietate eius in ſacroſancta myſteria Chriſtianorum, & ſanctas reliquias, etiam nonnulla promẽda nunc veniunt. Ad Miſſarum myſteria diligentiſſimè ſe præparabat, quibus nunquã voluit intereſſe, quod ſingulis diebus conſueuerat, niſi peccata confeſſus, maximè verò quoties eſſet ſanctam Euchariſtiam ſumturus: vt expurgatus virtute ſalutaris pœnitentiæ, *Agnum illum ſine maculâ*, puro corde & corpore manducaret. In more erat illi antequam Sacerdos eſſet, principalibus ſolemnitatibus corpus ſumere Dominicum, tantâ reuerentiâ & affectu, vt ſpectantes exemplo ſuo vehementiſſimè inflammaret. Factus Sacerdos & Epiſcopus, tametſi pro officij ratione maximis diſtineretur occupationibus, ferè quotidie, confeſſione præmiſsâ operari diuinis non intermittebat; ne quidem cùm magnum iter feciſſet, cælo etiam valdè pluuio. Factum aliquando, vt longo itinere confecto, ſacrificare volens, non inueniret Sacerdotales veſtes, niſi viles & ſordidas: tamen, vt erat auguſtiſſimo illi Sacramento deuotiſsimus, & modeſtiſsimus, ſacrificauit: probè ſciens ſupremum numẽ placari & delectari potiùs affectu puræ mentis, quàm exter-nis ornamentis. Et vt erat fidus amicus Chriſti, partem ligni ſanctæ Crucis, cum alijs multis ſanctorum reliquijs veneranter geſtabat. Sed & ſignum crucis ad expeditionem tranſmarinam contra nominis Chriſtiani hoſtes dari conſuetum, donec S. Franciſco nomen dediſſet, propalàm ex more gerebat in veſtibus.

CAPVT VII.

Otium vitat, ſemper fructuoſè occupatus. vanorum conſuetudinem fugiens delectatur ſolitudine.

HVMANVM ingenium ita vni alicui rei nequit alligari, vt illi perpetuum inhæreat: ſed alternis opus eſt, quò mentis acies, animus, & intentio reparata firmetur; maximè verò pietatis & litterarũ ſtudioſo, qui ſentinam omnium vitiorum ignauum otium vitare cupit. In quo præclarè excelluit Ludouicus, vices orandi, legendi, alternans, faciendique aliquid operis boni. Fructuoſiſsimè occupabat ſingula temporis momenta: ne pectoris ager ceſſante manu, malarum cogitationum ſentibus premeretur. *Temporis momenta parcè diſpenſat.* Nam ſubterfugiens etiam iam tum obſes vanorum hominum conſuetudinem, iungebat ſe fratribus Minoribus, claros viros & ſapientes ſequens: ſciens malignos comites, quamuis candido & ſimplici rubiginem ſuam adfricare. Illi, inquit, mecum ſemper volunt garrire de rebus friuolis & futilibus: inutiles mihi eiuſmodi ſermones; diuina & ſalutaria audire iuuat, vnde mihi haurienda ſapientia nõ vulgi iſtius & leuium hominum, ſed piorum, quamuis eos mundus iſte ſpernat, grata eſt familiaritas: quia ab illis eruditio & pietas, vt ab aromatibus bonus odor. *Colloquia vana vitat.* Talibus & cum Deo eſt vſus, de quo ſcriptum, *Et cum ſimplicibus ſermocinatio illius.* Prou. 3. 32. Porrò autem, ne ſuo aliorumue multiloquio ſibi peccata colligaret, reſtringebat ſermonem; & ſuis ripis coërcebat, ne citò lutum colligeret amnis exundans. Hinc ſacerdos factus, ſeceſſu & ſeiunctione ab alijs ſecretus, ſecum viuens in arce quadam, quæ à Neapoli propè aberat, vitæ genus cæleſtis agebat in terris. *Secum agit ſolus.* Quotidie cùm ſacrificaſſet, vſque ad prandium, totum ſe dabat lectioni.

ſimi. à prandio non vanos miſcere ſermones, quod vulgus ſolet: ſed cum viris doctis & religioſis communicare, conferre, diſputare de ſerijs & fructuoſis. deinde cantum addiſcere Eccleſiaſticum. poſteà breuem in cellâ aliquâ capere ſomnum. demum à conſpectu hominum prorſus ſecedere; in ſeceſſu ſtudioſiſſimè perlegere ſacrã Scripturam, & monimenta Patrum, maximè verò Meditationes D. Bernardi, cuius librum de Conſideratione, equitans quoque in ſinu gerebat, cum Epiſtolis, & alijs aliquot eius opuſculis. Fatigatus autẽ multâ lectione, corporis exercendi gratiâ, hortum colebat, ſolum inuertens, lolia extirpans, & iaciens bonam ſementem, externo cultu ſubmonens ſe, qui animum coleret. Semper aliquid faciebat boni, ſemper inueniebatur occupatus. Itaque duæ res quę languorem adferũt ceteris, illum acuebant, otium & ſolitudo. Nunquã minus otioſus aut ſolus, quàm cùm ſolus eſſet aut otioſus.

CAPVT VIII.

De conſuetudine cum probatiſſimis viris, quorum ſtabilitus conſilio ſe ſuáque regebat.

AD eruditionem & pietatem aſſequẽdam plurimùm facit conſuetudo cum bonis & doctis viris. Itaq; talis Ludouicus euaſit, quòd viris grauibus, eruditis, religioſiſque ſemper vteretur: ex quibus delegebat optimos quosq; & probatiſſimos, quorum conſilio & auctoritate niteretur. Neq; enim ſuâ ſolertiâ fretus facilè quicquam ſecum ſolet decernere: ſed ætatis ſuæ imbecillitatem, & inſcitiam ſenum conſtituebat, regebatque prudentiâ. Adhibebat in conſilium familiariter Iacobum ab Osâ Iuris Ciuilis clariſſimum profeſſorẽ: qui poſtquam adlectus eſſet in numerũ Epiſcoporum, ac deinceps in primum ordinem purpuratorum Patrum S. R. E. Cardinalium, nunc gerit ſanctiſſimum & ſummum Põtificatum, dictus *Ioannes* XXII. Magna quoque illi conſuetudo cum venerabilibus Patribus, Fr. Gulielmo à Fulgariâ, & F. Richardo à Mediâ villâ, Ordinis Minorum S. Theologiæ doctoribus & eximijs profeſſoribus; & pleriſq; alijs ſpectatâ pietate & eruditione clariſſimis viris. Et quidem hac ratione nedum iuuenes, ſed in vniuerſum omnes, plurimum laudis ſibi adplicant: quoties de rebus arduis ambigentes, ad peritorum conſilia recurrunt. Sed paucos profectò inuenias, qui ſe ſuáque ſic diſponunt: negligentiores conſilij plures, & in rebus præcipites. Hi tales cadunt ſæpiùs, & more eorum qui innatant fluminibus feruntur, fluctuant, pereunt. Contrà verò, nõ minuunt auctoritatem, qui conſilia ſua ad probos conſultores reijciunt: ſed tuentur potiùs & confirmant, meliorum iudicia conſequentes.

CAPVT IX.

De eius eruditione, & indefeſſo labore in concionando.

HACTENVS de eius labore, ſtudio & induſtriâ, poſt quam, Salomone docente, *ſequetur ſapientia*: quam viâ & ratione conſecutus, in ſalutaribus concionibus maximo fructu manifeſtauit. Cùm in animum ſuum demiſiſſet ſalubre monitum Hebræi Sapientis, *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccato*; ſed, *Facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt eam*: tanquam alter **Daniel vir deſideriorum*, **propoſuit in corde ſuo non pollui de menſâ regis Babylonis, neque de vino potus eius*; **cogitãs abſtrahere à vino carnem ſuam, vt animam transferret ad ſapientiam*, cuius ardebat vehementi deſiderio. Docuit itaque illum *Deus ſcientiarum Dominus, bonitatem & diſciplinam & ſcientiam*, breui ſpatio temporis. Nam illo dumtaxat ſeptẽnio ſuæ captiuitatis, quo perpetuã conſuetudine Fratrum Minorum vtebatur, qui illum in diſciplinam acceperant; tantos fecit progreſſus, ne dum in litteris humanioribus, verùm etiam ſacris, vt in coronâ etiam doctiſsimorum virorum prudenter reſpõdere poſſet (vt ipſe vidi Barcinone) & argutè diſputare. Nec hoc ſolùm, verùm etiam tanquam vir Apoſtolicus, ad omnes paratus conciones promptuſque, Clero & populo concionabatur magnâ gratiâ & fructu. Quin etiam in conuentibus Religioſorum, Epiſcoporum præſentiâ, totius quoque Cardinalium Collegij conſiſtorio, imò & Regum Principumque conſeſſu, aliquoties orationem habuit luculentam & vtilẽ, tanto ardore, & efficacię neruis,

vt non tam ipſe, quàm ſecundum promiſſum Chriſti, cœleſtis Patris Spiritus in ipſo loqui videretur. In concionibus igitur ipſe, etſi corpore debilior, tamen aſſiduus erat: quòd noſſet ſeruũ pigrum & malum à Domino reprobari, *qui talentum acceptum fodit in terram, abſcondens pecuniam Domini ſui.* & quod alibi ſcriptũ, *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populo: benedictio ſuper caput vendentium.* Itaque dicendi facundiâ pollens, ipſius naturæ habitu, tum etiam munere diuino, ſummæ eruditioni cõiunctâ, iam Epiſcopus non rarò ad alias Diœceſes concionaturus acciebatur. Pariſijs cùm diceret in concione, quæ conſtabat ex viris doctis, & vniuerſitate ſtudioſorum, admirationi fuit: atque eo magis, quòd non ornatu Epiſcopi, ſed (vt erat ſummâ modeſtiâ) Fratrum Minorum veſtitu, ſuggeſtum aſcenderit. Toloſæ quoque vbi Epiſcopus præfuit, & pleriſq; alijs locis, etiam bis in die, magno auditorum fructu, ſæpe concionatus eſt. Sed quàm gratę fuerint Deo conciones eius, ſub vno capiamus exemplo. Mulier apud Montẽ Peſſulanũ nomine Roſa, vxor Petri à Villars, iurata adfirmauit, à concione beati viri, quam ſupradicto loco habuit, feriâ ſextâ, filiolum ſuum vnius anni, ſtrumis grauiſſimè laborantem, ab ipſo in hunc modum ſanatum fuiſſe. Iam Ludouicus finitâ cõcione mulum inſederat abiturus, cùm mater pueli frænum tenens ſanctum orat, vt eum tangat ſacratis manibus: ſpes enim illi, manuum eius contactu, paruulum ſanatum iri. Signat vir ſanctus infantem ſigno viuificæ crucis, collum benignè contrectat: & continuò puer nullâ interpoſitâ morâ reualuit. Caræ Deo eius conciones: quia in illo os, mens, manus concordabant, ſermo cum vitâ.

CAPVT X.

Amore paupertatis euangelicæ regnum paternum ſpernit, factus Clericus iterat votum capiendi inſtituti Franciſcani.

A STVDIIS litterarijs & aſſiduis concionibus eius, pergo ad amorem euangelicæ paupertatis, quæ adeò beati viri mentem occupauerat, vt præ Chriſto, *qui propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues*, quem velut *faſciculum myrrhe dilectum inter vbera commorantem geſtabat* perpetuò; omnem gloriam, diuitias omnes, & potentiſsimum regnum, quod ſibi hereditariâ ſucceſsione debebatur, prorſus ſperneret, & putaret pro nihilo. Pater ſuadebat vxorem ducere; promittebatque ſi morem gereret, mox ei regnum ceſſurum. At ille nihil magis habuit in votis, quàm iſtis temporalib. ſemel liberari: vt admiſſus in Domini ſortem, ſoli Deo poſſet vacare. Itaque iam initiandus, cùm pro Eccleſiæ more primam tonſuram acciperet, magnâ omnium admiratione, & fletu circumſtantium; flexis genibus, profuſis lacrymis, illud regij prophetæ, regius adoleſcens ex animo pronuntiabat, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*: reipsâ declarãs illum verè Clericum, cuius pars & hęreditas Dominus eſt. Et quo ſe gratius Deo offerret holocauſtum, rurſus Deo votum nuncupauit perpetuę caſtitatis, & capiendi inſtituti Fratrum Minorum, cuius deſiderio ſoluendi, quotidie magis magiſq; tenebatur: ſed amici aliqui id diſſuaſere, & quidem animo candido. Nam & ſi facilior, (inquiebat familiaris quiſpiam) & tutior, & minus alijs grauis aut moleſta eſt vita otioſorum: tamen fructuoſior hominum generi, & ad claritatem amplitudinemq; aptior vita illorum, qui ſe ad Rempublicam, & ad magnas res gerendas accommodauerunt. Regno neglecto, quæ incommoda non ſequi? rectè adminiſtrato, augeri merita: vt in ipſam tuendam, omnes curæ cogitationeſq; conferri debeant; negligendam nullâ ratione. Non adſenſit vir ſanctus, doctus ab Apoſtolo, *Non currendum in incertum: Nec facienda mala vt veniant bona.* Intelligebat vir prudens, Regnum ſplendidam eſſe ſeruitutem: principem non minus ſeruire populo, quàm principi populum debere. Ibi multa diſsimulanda, & in multis ſępe conniuendum, & difficillimum, res alienas curare, nec offendere. Igitur mihi, inquit Ludouicus, priùs pereat, non dico regnum hoc caducum & temporarium, ſed orbis totus, quàm in Deum meum ſemel peccem, cuius honorem & amicitiam omnibus anteponendam noui. ſimul hanc ipſam vitam contemnẽdam, quæ ſine frequenti noxâ & peccato non tranſigitur. Domum & regnum paternũ contemplor: paruum vt eſt, ita mihi quidem videtur

Cant. 1.13

Regnum hæreditarium deſerit.

Pſal. 15.5.

Factus Clericus, votum ſuum iterat.

Propoſitum eius quidam improbant.

1. Cor. 9.26

Rom. 3.8.

Regnum ſplendida ſeruitus.

Et cæli conſpectu paruum eſt.

ſpe-

ſpectanti ingentia ſpatia, quæ ſupra ſunt: in quorum poſſeſsionem animus admittitur, ſi ſe homo erexerit ſupra ſe. diuitiæ meæ Chriſtus. deſint cetera, ſe mihi det: ſolus mihi ſufficit. Omnis copia, quæ Deus meus non eſt, mihi inopia eſt. Quâ animi magnitudine, neſcias vtrum maiore cum laude regnum reiecerit an meruerit.

CAPVT XL.

De voto ſoluendo cogitans fit Minorida, paupertatem Ordinis illius lætiſſimè complectens.

IN Cathaloniæ cùm eſſet cuſtodiâ, aperuit ſuæ mentis arcanum religioſo patri, Deo ſe vota feciſſe perpetuæ caſtitatis, & capiendi inſtitutũ D. Franciſci. Deo me obligaui, inquit, nec licet fidem frangere. Detrahunt quidem illi de iſto ſancto Ordine: ſed hoc magis mihi animus accenditur, cùm quod voui præſtãdum eſſe ſciam. Iuſtè exigitur ad ſoluendum, qui ad vouendum non cogitur. Sed & ſancti honeſtiq; propoſiti dilatio habet periculum, ſæpe etiam ruinam. Itaque vt maturè votum præſtem, ſententia eſt. Ceterùm hîc hæreo, & animi dubius ſum: ne hîc inter meos notus, an alibi ignotus rem adgrediar. Si in meâ patriâ initior, non licebit illam humilitatẽ pro voto colere: quòd timeam fratres nimio plus me honoraturos eſſe. Quare mecum ſtatui in Alemaniam ſecedere, vel aliam procul quamlibet prouinciam: vbi incognito licebit abluere catillos, coquinari, domos verrere, & cetera humilia facere. Scio etenim nihil eſſe tam gratum Deo, quàm ſi vitæ merito magni, tamen non magni, ſed humilitate infimi videamur: cùm tanto quis pretioſior Deo ſit, quanto quis propter eum vilior ſibi. Laudat pius pater Ludouici candorem: ſed, inquit, vt patrem lateas, fieri non poteſt. Habent Generalis Miniſter, & Prouinciales vniuerſa fratrum ſuorum nomina. pater facilè poterit reſcire, in quemcumque te angulum abdideris, ſi inquirat. At verò res erit memorabilis exempli, ſi quod tecum tacitè ſtatuiſti, apertè, & manifeſtè facias. Nam quod tu feceris, tu inquam, id plures ſibi imitandum putabunt. Qui in occulto benè viuit, ſed alieno non ſtudet profectui, carbo eſt: qui verò lumen rectitudinis ex ſe multis demõſtrat, lampas eſt; ſibi ardet, alijs lucet. Honeſta bonis viris non occulta quærũtur. Cogita, inquit, quantùm exempla bona proſunt: & magnorum virorum non minus memoriam quàm præſentiam vtilem eſſe. Dixerat bonus pater, cùm Ludouicus ſeriò preces eius efflagitat, vt quod eſſet ſalutare, diuino munere conſequi poſſet. Itaque animo verſans quod ſcriptum eſt, *Vouete & reddite Domino Deo veſtro*; libertate redditâ, apud montem Peſſulanum adiuit Patrem Miniſtrum Prouinciæ inſtituti Franciſcani, obnixè ſupplicans, vt in Ordinem ſe & ſodalitium ſuſciperet ſuorum fratrum: ſed non eſt ille auſus, nec reliqui fratres, Regis patris deterriti offenſione. At ille cũ aliud non poſſet, quo libentiùs & ſecuriùs ab illis admitteretur, ſpõſionem voti, quâ iam tunc in illâ captiuitate, inſtituto Minoridarum ſe obligauerat, apertè, ſolemniter, manifeſtè renouauit multis circùm audientibus. Venit cum Patre Romam: ibi Bonifacius eius nominis Papa VIII. voluit eum capere Epiſcopatum Toloſanum. Ille verò ſecũ ſtatuit non priùs aſſentiri, quàm voto, quo tenebatur, ſe liberaſſet. Summo autẽ Pontifice deuotioni eius annuente, profeſſus eſt inſtitutum B. Franciſci, Romę in conuentu Aræ cæli, ſuſceptus à R. Patre Ioanne à Murro Generali Miniſtro in Ordinem Minorũ. Et ne pater offendi poſſet, indulget Pontifex, vt occultatâ monaſticâ veſte, vteretur vulgari Clericorum, qua etiam aliquanto tempore vſus fuit. Sed non ita diu pòſt, inſtinctu Spiritus ſancti, & amore Chriſti, ad cuius exemplum & voluntatem ſe modis omnibus conformare ſatagebat; illum cultum honoratiorem poſuit; ipſâque die S. Agathæ ſacrâ, duobus Cardinalib. præſentibus, indutus vili tunicâ, & fune præcinctus, ad præſcriptum regulæ S. Franciſci, à Capitolio ad vſq; palatiũ S. Petri, per luta illa Romana, nudis pedibus conſpectus eſt inceſſiſſe. Nec pudebat eum illius volũtariæ paupertatis, & vilitatis ſui, aut verecundabatur: quia (quod regula S. Franciſci præformat) *Dominus pro nobis ſe fecit pauperẽ in hoc mundo.* Paupertatẽ Chriſti exemplo, adeò complexus eſt, vt etiam Epiſcopus cùm eſſet, vnâ veſte monaſticâ, vnâ tunicâ, nequicquam pretioſâ, & fune ad cinctum contentus fuerit, & ſolis ad pedes ſoleis: non rarò tamen nudus pedes viſus

Vota ſoluenda.

Alemaniam cogitat vbi initietur.

Quod diſſuadet vir religioſus.

Pſal. 75. 12

Sponſionem voti rurſus iterat.

Profitetur regulam S. Franciſci.

Cap. 6.
Læta illi paupertas inſtituti.

eſt ambulaſſe. Tota ſupellex paupertatem teſtabatur: lectus, cortinæ, ſellæ, colores Ordini Franciſcano cõuenientes, cetera omnia. Nihil poſsidere voluit elegans aut pretioſum, cùm & veſtem ſuam paulò cultiorem aliquando egentiori dedit Epiſcopo. detritâ tunicâ alicuius fratris indui malebat, quàm nouâ. Tanta ei abiectio ſui, & contemtus omnium, quæ ſolâ opinione cara, pretio ſuo vilia ſunt. Et hęc quidem diſplicere amicis & familiaribus, multo aliter ſentientibus, patri verò maximè: ſed firmabat illum B. Gregorij ſententia,

Hom. 37. in Euangel.

Quaſi per odium diligitur, qui carnaliter ſapiens, dum praua nobis ingerit, non auditur. Itaque Euangelicæ paupertatis amore, nihil tam ſublime in mundo, quod non putaret pro nihilo: nec quicquam tam humile, cui non libenter ſe ſubmitteret.

Aurea & argentea aſpernatur.

Clericus omnia aurea & argentea patri reddidit: tantummodò in vſum ligneis & fictilibus contentus. Factum, vt aliquando tonſor barbam illi demturus ad crines rigandos adtulerit argenteam peluem: ſed is aſpernatus faſtum hunc, pro illâ vſus eſt conchâ, quâ equis annona admenſurabatur. Epiſcopus, tandem perſuaſione bonorum virorum non ſui pretio, ſed aliorum reſpectu, paucis argenteis vti permiſit; quæ tamen ſub mortem iuſſit diſtribui pauperibus.

Epiſcopatu cupit defungi.

Aliquando adijt ſecretò ſummum Pontificem, & adductis multis rationibus obnixè rogauit, vt Epiſcopatu ſibi liceret defungi: ſed non potuit impetrare. Et cùm nonnulli id eius conſilium imprudentiam interpretarentur: Non laboro, inquit, habeant me fatuum, modò onere iſto & labore ego ſemel explicer. Sanè in ſupremo hoc ordine, multi quidem ſunt qui ſalui fiunt, ſed & multi qui pereunt: adeoque longè glorioſiùs fuerit, Epiſcopatus ſarcinam propter pericula deponere, quàm propter periculoſiſſimam gubernationem ſuſcepiſſe.

CAPVT XII.

Ludouicus pauperibus humiliter miniſtrabat. leproſum oſculatur, cuius merita miraculis Deus comprobauit.

VIRTVS humilitatis, Euangelicæ paupertatis indiuidua comes, non philoſophis ſed ſolis Chriſtianis cognita, mirandum in modum ſe in illo declarauit: cuius hactenus licet nonnulla exempla præluxerint, nunc tamen de eâ ſummatim non cõtemnenda proponã. Doctus igitur humilitatem certam tutamque in cælum viam moliri, ſolet quotidie alere viginti quinque pauperes, quorum manibus lauandis aquam ipſe fundebat, flexis genibus prẽſcindebat panem, quoque ſabbatho tribus illorum miſerrimis lauabat pedes, extergebatque. Hoc officio nihil illi fuit antiquius.

Alebat xxv. pauperes, quibus miniſtrabat.

Nam cũ Barcinone adhuc eſſet captus, cœnæ Dominicæ die, inuitauit ad prandium ſuũ viginti quinque mendicos, quibus ipſe miniſtrabat, fundens aquam, cibum potumque adferẽs: qui manu capere cibum non poterant præ valetudine, ipſemet ori eorum ingerebat. deniq; omnibus pedes abluit, & exemplo Chriſti abſterſit.

Pedes eorum lauabat.

Sequenti die Paraſceues, factâ copiâ eundi ad vicinam eccleſiam Templariorum, obuium habuit miſerum hominem, horribili leprâ infectum: quem publicè oſculatus fuiſſet, niſi fratris ſui Roberti (qui poſtea fuit Rex Siciliæ) timuiſſet offenſam. Sed non potuit committere, quin ſequẽte die, in Ieſu Chriſti dilecti ſui memoriam,

Iſa. 53. 4.

qui putatus eſt quaſi leproſus, & percuſſus à Deo, & humiliatus; accitum leproſum, admirando feruore, pallio poſito, complexus amiciſſimè exoſcularetur.

Leproſum oſculatur.

Quod videns Robertus frater pœnè obſtupuit, & adeò fuit commotus hoc eius exemplo, vt ipſe quoque, quẽ antè valdè inhorruerat, vlnis comprehenſum, oſculo ſuo, benigniſſimè acciperet. Verùm hæc eius obſequia, & benignitatem in illos miſellos, quantis prodigijs Dominus Deus compenſauerit, vno atque altero dignum eſt vt exemplo commonſtremus. Petrus à Romas, aliquando petijt à B. Ludouico non ſibi, ſed cuidam pauperi eleemoſynam, moleſtiſſimâ ſcabie laboranti, ſiue potiùs leprâ. Ludouicus quandam ſuam veſtem dedit: quã cùm miſer ille induiſſet, ſtatim conualuit.

Miraculis officia iſta compenſata.

Item F. Petrus Scaraſſonus inſtituti Fratrum Minorũ, tredecim diebus acutiſſimâ febre correptus, reualere vt poſſet, omnino Medici deſperauerant. Aderat id temporis B. Ludouic. in cœnobio Brinoniæ, vbi æger frater decumbebat. Hic ſpe cõceptâ in merita ſancti, rogauit reſiduum ciborum eius ad ſe perferri. Allata eſt ſcutella cum aliquanto obſonij & panis, de quo ipſe comederat.

Febriens ille frater ſimul atq; viri ſancti guſtauit reliquias, ſanatus eſt. Maior itaque & felicior Ludouicus euaſit tali miniſterio, quàm regali imperio.

CAPVT XIII.

Vt ſe geſſerit Ordinibus Eccleſiaſticis initiandus. Sacerdotij dignitas. ab humilibus fratrum exercitijs noluit abſtinere ipſe Epiſcopus.

TENERIORIS ætatis virtutibus incremēta maiora procedentis adijciam. Vigeſimum ætatis annum cùm exegiſſet, initiatus eſt ordinibus Eccleſiaſticis. Nec verò maiorum qui ſacri vocantur duntaxat, ſed minorum etiam ſingulorum officijs voluit perfungi. Romæ in natali Domini, ſe inter pueros conſtituens, non eſt dedignatus cæreum geſtare, Acoluthi officium diligentiſſimè adminiſtrans. Conſecrandus Diaconus & Sacerdos Neapoli in æde S. Laurentij, vbi Fratrum Minorum eſt monaſterium, nullo modo permiſit ſibi quicquam honoris præ ceteris haberi: ita ſe gerens quaſi omnium minimus & poſtremus. Summus Pontifex conſecraturum illum Sacerdotem pollicebatur, modò accederet: noluit venire, & honorem hunc humilitate declinauit. Sed quis eximiam illius pietatem explicet? durante ſacrificio quo ipſe in Sacerdotem conſecrabatur, è liquido canali pectoris ſui copioſas lachrymas profundebat, contemplans Ordinis illius ac Status ſublimē dignitatem. Agitur in terrâ: ſed officium cæleſtibus negotijs tractatur. Non enim homo, non Angelus, non alia creatura: ſed Deus officium hoc inſtituit. ipſe facit, mutat, ſanctificat, hominibus duntaxat miniſterium ſuum exhibentibus: vt omni iure ſobriam à turbis grauitatem, ſeueram vitam, ſingulare pondus, dignitas ſibi vindicet Sacerdotalis. Quamobrem ſocio fratri lubens miniſtrabat in ſacris myſterijs Miſſæ, idque cum omni alacritate. nimirum & ſe contemplans, & contra ſe ponens illum, in cuius honorem locus altari vicinus Angelorū choris plenus eſt. Pariſijs aliquando cùm eſſet apud fratres, voluit ex præſcripto officium ſibi quodlibet demandari etiam tum Epiſcopo, quemadmodum ceteris fratribus officia ſingula iniungi ſolent. Frequenter etiam ex itinere diuertit ad fratres, cum quibus abluebat vtenſilia culinæ. Factum aliquando, vt Pariſijs die cœnæ Dominicæ, cùm veſtiuiſſet centum pauperes, fratribus pedes abluerit: & pro more inſtituti acceperit corporis caſtigationem. atque ipſo die Paſchæ (quod fieri ſolet) cum ſanctæ Theologiæ Magiſtris orbes, ſcutras, conchas, & cetera è quibus fratres cibum ſumſerant, vnà lauerit. Omnia ſua facta decorabat humilitate, nimirum in toto Pontificis ornatu, nulla gemma ſplendidior eſt: citra quam omnis virtutum congregatio, ſi qua eſt, velut abſque calce arena eſt. Sed iam tu mihi hîc aduerte, Chriſtianæ humilitatis amore, regia proles quò ſe abiecit? ad pauperum obſequia, ad vulnera lepróſorum, ad quæque abiectiſſima: vt verè de eo dicas, *Poſuit in puluere os ſuum.* Quis non obſtupeat ad hanc, quid dicam? humilitatem, an vilitatem, & ſui contemtum? Rege in hoc mundo quid ſublimius? quid inter homines maius? paupere mendico, morbido, quid abiectius? ſed deſpexit ille proſapiâ ſuâ generoſior labentis regni faſtigium, Chriſti ſeruitutem regalibus ſceptris præferens, humilitatemque Chriſtianam regum opibus & ſuperbiæ præponens. Salubre illud monitum in animum admiſerat, & factis adæquabat, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilib. honoratur.* Quamuis ipsâ humilitate nihil ſit excelſius. Neſcit extolli, quaſi ſemper ſuperior. Nemo id facilè affectat, quod infra ſe poſitum deſpicit, nihil ſupra eum eſt, qui ſupra omnem fortunam eſt.

[Margin notes:] Ordinum eccleſiaſt. ſingulorum officijs perfungitur. — Quantâ pietate ſit initiatus ſacerdotio. — Sacerdotij ſumma dignitas. — Humillima fratrum officia ipſe Epiſcopus facit. — Abluit vtenſilia. — Omnia opera decorauit humilitate. — Thre 3.29 — Quæ regalib. ſceptris præſtantior. — Eccli. 3.20. — Humilitatis laudatio.

CAPVT XIV.

De abſtinentiâ eius, & continentiâ.

PATRIMONIA quidem, & regni ſplendorem, fortunæ ludibria, & maximarum ærumnarum materiam, ſic contemſit. Neque tamen hîc ſiſtere voluit gradum, ſed ſemper ad maiora conari. Quemadmodum cæmentarij lapides ſtruunt ſuper lapides, vt muros & domos exædificent: ita ille virtutes virtutibus aggerebat, ad conſummandum

cumulum abſolutæ ſanctitatis. Auxit enim continentiam, gulam temperauit, coërcuit luxuriam. Corpus ſuum iam inde à teneris annis, ieiunijs, vigilijs, laboribus detritum, maioribus quotidie moleſtijs & caſtigationibus macerabat. Pridie ſollemnitatum Domini, beatæque Virginis matris, in cibum, aquam tantum ſumebat & panem, vix neceſſitati naturæ ſatisfaciens: vt theſaurum virginitatis in fictili vaſe, integerrimè conſeruaret. Antequam eſſet receptus ad Ordinem, aſperâ vtebatur interulâ; cingebat lumbos duro fune & nodis exaſperato, ſemper veſtitus cubabat: noctu ſemper, nec rarò interdiu, ferreis catenis fragilem & rebellem carnem ſuâ manu, aut ſocij fratris caſtigans, motus illius & cupidinem ſummo rigore cohibuit. Nulla ei vnquam cum fœminis conſuetudo ſuſpecta, aut familiaritas: quòd ſciret paradiſi colonum è poſſeſſione ſuâ mulierem eieciſſe. Colloquia fœminarum prorſus abhorrebat, præcipuè ſecreta: auerſabatur adſpectus, quibus & fortiſſimi effœminari poſſunt. abſq; probo teſte & arbitrio, ſolus non loquebatur vlli mulieri, niſi forſan matri aut ſororibus. In teſtimonium illibatæ pudicitiæ, vnà in illius cubiculo cum eo dormiebant duo Fratres Minores, interdū plures. Cauebat omnes ſuſpiciones: quicquid probabiliter fingi poterat antè ne fingeretur deuitans. Ex multis mirabilibus exemplis prætereundum non eſt vnicum illud, factum ſapientiâ imbuti animi abſtinens. Cùm ageret in Cathaloniæ carcere, ſuggeſſerunt illi cuſtodes conſilium prorſus improbū & noxium. Domine, inquiunt, homo es, neque enim caro tua ænea eſt, ſed compactus natuſque vt ceteri: vtere ætate; ſolare miſeriam hanc conſuetudine pulcherrimarum mulierū. curas iſtas & languorem, cur non leuas aliquâ voluptate? At ille grauiſſimè ferens, pro monſtro eam vocem accepit. Et nonne ſatis eſt, inquit, corpus meum à vobis captum haberi? an & animum quoque vinctum vultis? Malum eſt carcer hic, fateor: ſed eſtne malum vllum turpitudine maius? Et hæc ſi in deformitate corporis habeat aliquid offenſionis: quanta illa deprauatio & fœditas turpificati animi debet exiſtimari? Abſit, abſit, vt hoc meum corpus Deo dicatum, velociter abeunte adulterē voluptate. Captum eſt corpus? vel animus liber ſit. auertat Deus, vt corpus & animā proijciat in gehennam. Et ſummoto improbo homine, auerſiſſimum animum ab omni venere declarauit. Sed quid de factis commemoro? quando & turpem ſermonem à ſe ſuiſque proſcriptum voluit? In illâ ſuâ cuſtodiâ legem ſanciuit, vt quicunque inhoneſtum quid, turpe, petulans, ſcurrile effudiſſet leuiter, cibum capere deberet nudâ menſâ: quâ agens, nedum in familiares, & ſuos cuſtodes, verùm etiam in germanos fratres, quâ neminem ſoluendum decreuit: adeò vt ipſemet alioquin innocens, tamen quia offendiſſe alij interpretabantur, ſtatutam à ſe pœnam perſolueret. Exemplum addebat imperio. Quod principes faciunt, præcipere videntur. Volebat ſuos eſſe caſtos: ipſe erat. Legem tulit, legi paruit. Rectè facere principes ſuos, faciendo docet.

Corpus ſuum macerat.

Ieiunijs.

Aſperâ veſte & nodis fune exaſperato.

Cum fœminis nulla colloquia, nulla familiaritas.

Exemplum integerrimæ abſtinentiæ.

Turpes ſermones à ſe ſuiſque proſcriptos voluit.

Et grauiter punit.

CAPVT XV.

De moderatione qua fuit in reprehenſione quam amabat. Detractionem & diſcordiam execratur. pacem reparat, & charitatem inter diſſidentes conciliat.

ERAT profectò ſeuerus caſtigator improbitatis, primùm ſuæ, tum etiam alienæ. Vitia vt à ſe penitus exſtirparet, contemni deſiderabat, non laudari: nec extolli, ſed reprehendi, quod rarum in magnatibus. Hinc, probe cùm noſſet illud Sapientis, *Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus*, &, *Argue ſapientem & diliget te*; reprehenſiones ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas, æquo ferebat animo, imò etiam amabat; volens & peccanti ſibi vitia oſtendi; corripi, vt poſſet corrigi. Socio fratri amiciſſimo iuſſit peccata ſua ſeriò obſeruare, & admonere liberrimè: nec quicquam commouebatur, etiamſi ille leniſſima quæque argueret. Idem ille frater aliquando liberiùs ſubmonuit beatum Ludouicum, multis coram aſtantibus: qui factum indignè ferentes, eius rei gratiâ, obiurgatorem illum grauiter obiurgarunt: quos Ludouicus benignè mitigans, Hoc in rem meam eſt, inquit, & ſic ſtatui. Nam & amici monendi ſunt & obiurgandi; & hæc accipienda amicè, cùm fiunt: quandoquidem vera amicitia

Pro. 27. 5.
Ind. 9. 8.

Corripi volebat vt poſſet corrigi.

Monere & monere amicorum eſt.

quod

quod ſentit diſſimulare non debet. At cuius aures ſunt clauſæ veritati, vt ab amico vera audire nequeat, huius ſalus eſt deſperata. An neſcitis multo meliùs de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm amicos qui dulces videntur? Illi verum ſæpè dicunt, hi nunquam. Adulatoris eſt iucunda duntaxat adferre, amici verò etiam triſtia: vt te videas, & emendes. Profectò, æquo animo audiendæ reprehenſiones, imò conuitia imperitorum: & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemtus. Oportet delicto dolere, obiurgatione gaudere: minimè verò obiurgari moleſte ferre, & peccaſſe non angi. Porrò autem ipſe ab omni vitio liber, etiam alios quâ poterat conatus eſt liberare. Itaque qui ſuam improbitatem iam ſuperauerat, iure alienam caſtigare poterat. Nullo modo ferebat quenquam detrahere de alterius exiſtimatione: hominum aures cupiens optimo ſermone compleri, diffamatione non pollui. Linguam illam ſanguinariam, quæ fraternæ detractionis venena diffundit, prorſus execrabatur. Scribit Salomon, *Si mordeat ſerpens in ſilentio: nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Nihil tam noxium, atque ad omnem tollendam amicitiam efficax, quàm audire obtrectatores, & temerario ſenſu mentis ſequi. Hinc crebræ diſſenſiones, hinc odia iniuſta naſcuntur. diabolica lingua de amiciſſimis facit inimiciſſimos, concordeſque diſſocians grauiſſimis facit odijs diſſidêre. Ille verò offenſarum acerbitatem deponens, conſociationem & omnis boni fontem caritatem, & concordiam colens in primis, cunctis ſuadebat. Quando igitur diſſenſio ab alijs, ab ipſo incipiebat reconciliatio, benigniſſimè inter alios deponente inimicitias, ſecumque diſſentientium iniurijs ignoſcente. Et ſi quos ſe offendiſſe vereretur, non diſtulit beneuolentiâ & humilitate, imò & oſculo pacare. Dilectioni ſtudebat & caritati, ex animo dimittens peccantibus, ſæpe etiam veniam petens ab eis, qui læſerant. Qualem erga ſe Deum optabat, talem ſe exhibuit his qui in ſe deliquerant. Nam fruſtra quærit ſibi Deum propitium fieri, qui citò proximo negligit reconciliari.

Rectè alium monet, qui vitio caret.

Eccleſ. 10.

Lingua detractoris officium.

…ri ſtudeat, & caritati commendanda.

CAPVT XVI.

Cunctis prodeſſe laborans, etiam Iudæos & Ethnicos Chriſto conatur lucrari. Egenis & ægris liberales eleemoſynas dilargiens, pauperes viſitat, & captiuos, quos liberauit.

LIBERALITATI eius nunc vacandum eſt: cuius probabiles fontes, verum iudicium & honeſta beneuolentia, quibus eum decoratum fuiſſe in parte dictum eſt, & nunc paulò vberiùs dicetur. Chriſti amore, omnes miſeros diligebat ad ſalutem. Vt mater omnibus filijs conſultum cupit, ſic ille deſolatis omnibus, quâ poterat & egenis. Neque enim ſe intuebatur ſolùm, aut omnia conuertebat ad vtilitates ſuas: ſed alijs quoq; volebat viuere, cùm viueret ſibi. Prima illi cura cunctos ad Deum adducere, à quo omnia, ad quem omnes. Et ideò ſe præbebat exemplũ morum, ſimulachrum virtutum. variæ ac moleſtæ peregrinationes eius; frequentes ac diuturnæ preces; feruidæ conciones, quibus multos lucrifaciebat Iudæos & Ethnicos; quibuſcum ſæpiſſimè congrediebatur, errores eorum fortiſſimis argumentis & rationibus conuincens. Hos de fonte leuabat; illos ipſe baptizabat alacri animo, & ad ducendam vitam neceſſaria ſufficiebat liberaliter. Indidit ei quoque natura, ſiue potius Deus auctor naturæ, ſingularem affectum in pauperes & ægrotos, quibus etiam proprias veſtes nonnunquam largiebatur. Omnes cupiebat iuuare, quia membra illius magni corporis omnes. Magnates illi ſuas veſtes detritas cùm donare ſoleāt alijs, ipſe puer etiamnum ſolis pauperibus dare conſueuit. Aliquando cum patre iter habens ex Franciâ, iam Epiſcopus obuium habuit miſerum eleemoſynam petẽtem. Ille memor verborum Domini, *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; monaſticam nouam veſtem paulò cultiorem exuens, illi dedit. Re intellectâ pater, iuſſit quæri pauperem, per omnes vias & loca vicina, vt redemta pretio, non ille veniret in ſuſpicionem furti: ſed nuſquam inuẽto, creditum eſt Chriſtum, qui propter nos pauper & nudus de cruce pependit, in nudi formâ pauperis com-

paruiſſe.

paruiſſe. Epiſcopus iuſſit inquiri in annuos prouentus; de quibus tãtum vſurpauit, quantum ſat eſſet moderatè alendæ familiæ: reliqua vniuerſa in Eccleſiæ & miniſtrorum vſum, & pauperum, miſerorumq; neceſſitatem diſtribuens. Malebat ipſe egere quàm pauperes. cui perſuaſum erat, valde fœcundum eſſe agrum pauperum; citiuſque reddere, & quidem cum fœnore magno, donantibus fructum. Non mimos aut ludiones, non canes venaticos, non aluit rapaces aues, Ordinis illius primi dedecora, non honeſtamenta: ſed quicquid ſupererat, in pauperibus Chriſto, à quo acceperat omnia, à quo omnia expectabat, largiebatur hilariter. Dabat alacri animo, quod non poterat retinere: vt acciperet, quod non poſſet amittere. Familiare illi fuit pantochæa frequentare & hoſpitia pauperum obire; infirmorum exomologeſin & confeſſionem excipere: quos dulci ſermone & beneficijs eleemoſynarum confirmabat & ſolabatur. Præcipua illi cura peccatorum conuertendorum, quibus oratione ſtudebat Deum facere propitium, & proſpectum de idoneis Sacerdotibus, ipſe paratus, quâ potuit, omnium audire confeſſiones, Chriſti exemplo, *qui tollit peccata mundi, qui vult omnes homines fieri ſaluos.* Cõtigit eum eâdem æſtate, quâ ex hac vitâ migrauit ad cælum, cùm proficiſceretur in Cathaloniam, longo diei illius cõfecto itinere, in Pyrenæis montibus, veſperi inuiſere infirmam pauperculam, quam ſeriò hortabatur peccata confiteri ſocio fratri, aut ſibi. nam & ego, inquiens, frater Minor ſum; ſed illa noluit. Itaque demulcens eam dulcibus verbis, interrogauit, ne luberet aliquid comedere. petenti, cibi allati ſunt, quos Ludouicus propiùs accedẽs, & lecto eius reſidens, ori eius ingeſſit. atque ita ex eius attactu multis fuit pediculis opertus. Conſtanter id tulit vir ſanctus, & ſine motu. Nam blanda eſt, & officioſa ſemper humilitas. Et cùm nihil ſit tam regium ac liberale, quàm opem ferre miſeris: iuuit eum ſæpè inuiſere captiuos, nonnunquam eximere, & morti addictos ſeruare à morte. Centum & quinquaginta patris hoſtes damnatos capitis, ſuâ deprecatione liberauit, ſibi gratiam concilians, patri gloriam. Hæc regi, non ex ſæuâ animaduerſione ſed clementiâ. Neque enim minus turpia ſunt principi multa ſupplicia, quàm medico multa funera. Igitur quo nihil magis ſecundùm naturam, iuuabat conſortes naturæ. Homines enim hominum cauſsâ generati ſunt: vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poſſint.

CAPVT XVII.

Probatos tantùm admittit in ſortem Domini, quos non veſtibus ornari cupit, ſed virtutibus. De prudentiâ vitæ totius directrice.

TEMPVS eſt tandem, præcipua iuſtitiæ facta paucis perſcribere, in quâ ſemper verſatus fuit religioſâ cum obſeruatione: quia rationi cupiditatem ceteris affectionibus cedere iubens, nihil vtile exiſtimauit, quod æquum videri non poſſet. ex vno atque altero illius, de Eccleſiaſtici ſtatus curâ, exemplo, quid de alijs cenſendum ſit, facilè recognoſces. Itaque Ludouicus à Chriſto inductus in cellam vinariam, ordinatam in ſe habuit charitatem: quâ inſtructus, nouerat digna delegere, reprobanda ſubmouere, rectè iudicare; & quæ omnia conſeruat, colere iuſtitiam, quæ tribuit cuique ſuum. Summo amore complectebatur viros pios, doctos præſertim: quos etſi mundus contemneret, tamen efferebat. Contrà verò, potentes, diuites, ſed improbos, indignos putabat Dominicâ ſorte. Amore & reuerentiâ illius auguſtiſſimi Sacramenti, quo nihil pretioſius eſt in cælo aut in terrâ; magnum habebat delectum miniſtrorum altaris, in delegendis idoneis ſacerdotibus iudicium adhibens, & diligentiam ſummam. Nam initiandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, vitam, doctrinam, fidem accuratè inueſtigabat, examinabatque, Canonum præſcripta ſeuerè exſequens. Probis moribus cum honeſtæ vitæ teſtimonio conſpicuos, dignos cenſebat Dominico myſterio. Eccleſiaſtica Sacerdotia antequam cuiquam conferret, merita ſingulorum librabat, perſonas non reſpiciens: mores ſequebatur, non fortunam. & vt rectè beneficia collocaret non ſpargeret, dabat iudicio & habito delectu, vt perueniret ad dignos. Decet enim actuum, operumque noſtrorum teſtem eſſe publicam

Cant. 2. 4. *Iuſtitiæ prædita cuiq; ſuum tribuit.*

In mores initiandorum ſeriò inquirit.

Merita conſiderans non perſonas.

blicam

blicam exiſtimationem, ne derogetur muneri: vt qui videt miniſtrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet, & Dominum veneretur, qui tales habeat ſeruos. Laus Domini vbi munda poſſeſſio, & innocens familiæ diſciplina. Igitur primùm ſtudebat Clericos mundari, deinde mundare; lucem fieri, pòſt, alios illuminare; ſanctificari, tum ſanctificare; adpropinquare Deo, & ita demum alios adducere. Magnam agebat curam Miniſtrorum Chriſti: arbitratus longè melius eſſe, Domini Sacerdotium paucos habere idoneos, quàm multos inutiles, qui addant onus, non honorem. Porrò autem nimium corporis cultum, nitidas & pretioſas veſtes Clero ſuo prohibuit: etenim cui cultus nimia cura, magna eſt virtutis incuria. cùm plerumque ſordidæ veſtes candidæ mentis indicia ſunt, & contemtum ſæculi probant: ordini tamen cuiuſq; veſte conueniẽte volebat ornatos. At verò multo pulchrius animum præferre compoſitum, quàm corpus ornatum. Proprius ornatus miniſtri Chriſti, mores boni. Erat in eo ſolers & circumſpecta prudentia, ſine quâ nulla virtus; & hæc aucta Dei beneficio; ars illi fuit & norma viuendi. Ita enim moribus erat compoſitis & aptis in omni vitæ ſtatu, nuſquam vt à recto exorbitaret & decoro. Necdũ initiatus, probiſſimè; factus Clericus, religioſiſſimè; creatus Epiſcopus, ſanctiſſimè vixit. Omnem vitam optimè inſtituit, quaſi ſingulis officijs aſſuetus, & in omni functione detritus: quia ad omnia adhibebat ductorem bonum, Dei timorem, & rectæ rationis ſanum iudicium.

Veſtes Sacerdotales.

Prudentia fuit illi norma viuendi.

CAPVT XVIII.

Ludouicus omnibus corporis & animi dotibus cohoneſtatus, febriens ad mortem ſe parat.

POſtquam Deus Optimus Maximus, ad ſui honorem, & Chriſtianorum bonum, lucernam illam poſitam ſuper candelabrum omnibus lucere, qui in Eccleſiæ domo, per varias regiones circumduxiſſet, quaſi quandam Iſraeliticam arcam, ad fidelium confirmationem: viſum tandem eſt illi, Ludouicum admodum adoleſcentem, traducere ad optimam vitam, in quo emicuit ſemper ſingularis gratia Dei. Omnes ipſum videre deſiderabant, vultu angelico decoratum, factis mirificum, conſpicuum honeſtate. Mira inerat amœnitas faciei & pulchritudo. in fronte, in oculis, in toto corpore habitare videbatur humanitas: mel in linguâ, in pectore candor & ſimplicitas. formæ gratia & honeſtatis omnium oculos in ſe conuertebat, angelum arbitrantium potiùs quàm hominem. Pulcherrimo erat corpore, & aptiſſimâ compoſitione membrorum: ſed longè pulchrior moribus & ſanctitate. Augebantur eius exemplis omnes: tam purâ vitâ, tantâ modeſtiâ & humilitate, maximâ pietate in re diuinâ; feruido dulciq́ue ſermone apud omnes gratioſo; igneis concionibus. Simulacrum iure dixerim omnis virtutis, adoleſcentem talem, genere tam ſublimem, filium regis: cuius ætatem non opes, robur, pompa ſæculi; ſed pietas, patientia, contemtus ſæculi, calidæ preces, diligens induſtria, abſtinentia, & continentia, diſertæ & ſalubres conciones, Euangelica paupertas, humilitas Chriſtiana, grauitas, caritas in proximos, iuſtitia, & omnes coronæ omnium virtutum ornabant, vt ſe per omnes numeros hominibus in illo oſtenderent. Itaque luce ſuâ orbem cùm illuſtraſſet, imminente tranſitu eius ad patrem cæleſtem, poſt multas peregrinationes in aliorum bonum; reuertens ad Toloſanos ſuos è Cathaloniâ, vbi ſororem reginam inuiſerat, Taraſcum venit, vbi corpus S. Marthæ, hoſpitalitate in Chriſtum illuſtris, quieſcit. Illic vir ſanctus iam nunc cæleſti accipiendus hoſpitio, in laudem hoſpitæ Chriſti inſignem habuit concionem. Inde arcem petens, quæ Brincola dicta, febre corripitur, quâ conſumtus eſt. Et diuinitus certior vitæ finis, ſtudioſè parat ſe ad mortem. Totus itaque erat in prece, aſſiduus in contemplatione rerum diuinarum. Admonitiones ſacras & pias libentiſsimè audiebat: & quotidie iuxtim ſe faciebat ſacrificari. Quod aliquando futuri ſumus, præmeditabatur, nec, velimus nolimus, abeſſe longiùs poteſt. Ita venientem mortem hilaris excepit, quòd ſe rectè ad illam compoſuit. Ego, inquit fratri ſocio, morior: & gaudeo quaſi terram videns, venturuſq́ue in portum ex longâ naui-

1. Reg. 8.

Pulchritudo corporis eius magna.

Sed maior in moribus & ſanctitate.

Ioan. 11. 9

Febre corripitur.

Vt hilaris mortem excipiat, ad illam ſe componit.

gatione huius vaſti & vndoſi maris, quod mihi diu in votis fuit: & optatum mihi expoſituro hoc graue onus quod humeri mei ferre recuſant. Occupationes illæ me nimium diſtinent, & deripiunt, vt mecum eſſe nequeam, nec pro meo arbitrio, Deo, & mihi vacare. Vero verius eſt, Epiſcopalem dignitatem, non tam grandis eſſe nomen honoris quàm oneris. In portum cùm appulero, onus exponam.

CAPVT XIX.

Sacramentis Eccleſiaſticis pro more Chriſtiano munitus, in precibus ad Deum, ad Beatam Mariam, moritur, ætate iuuenis, maturè ſenex, Maßiliæ ſepultus.

PRO Chriſtiano & Catholico ritu, Sacramenta Eccleſiaſtica ſibi iuſſit adminiſtrari, ipſo die feſto Aſſumtionis B. Mariæ Virginis. Et ſi verò languore grauiſſimo adeò extenuatus eſſet, vt præter cutem & vix oſſa hærentia nil haberet: tamen Dominico Chriſti corpori, quod priſco Chriſtiano more adportabatur, honorem debitum voluit exhibere: cùm mox è lecto ſurgens iuit obuiam Chriſto, tum genua flectens ad altare, ſumſit deuotione maxima Chriſtianæ ſalutis certum fidumque viaticum. Quintadecima valetudinis die, cùm ex hac vita abijt, poſt longas orationes in lecto paullulum reſidens oculos figebat in cælum; & precabatur aſſiduè in hæc verba, *Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi: quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.* Item illud Pſalmi, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Salutationem quoque ad beatiſſimam Virginem matrem continenter frequentabat. Rogatus, cur toties repeteret, Citò moriar, inquit, & B. Maria iuuabit me. atque ita obdomiuit in Domino, integrâ mente, certis ſenſibus, Anno ſalutis noſtræ milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo ſeptimo, quarto decimo Kalendas Septembris, feria ſecunda in octauis Aſſumtionis B. Mariæ, cuius fuit ſemper cultor ſtudioſiſſimus. Facies illius ſolito videbatur pulchrior nec mortuus, ſed dormire. Sepultus eſt Maſſiliæ apud fratres Minores, prout teſtamento ſuo ipſe inſtituerat: in medio chori; magnificè peractis exſequiis. Conſpectus eſt autem paullò poſt à fide digniſſimis viris, qui ſe eum vidiſſe teſtati ſunt in eccleſiæ choro, ſupra ſummum altare, formâ qua notus erat; pontificio ornatu, eoq; ſplendidiſſimo; facie admodum læta & ſerena, felicitatem beatitudinis æternæ ſignificante, quæ omnium piorum deſideratiſsima eſt alba meta. Admodum iuuenis obiit B. Ludouicus ætate; ſed probitate morum maturè ſenex, numerum annorum operum multitudine ſuperauit. Canus non crinibus, ſed ſenſibus: ſenex meriti, non annis. *Ætas ſenectutis* (ſcribit Hebræus Sapiens) *vita immaculata.* Totius vitæ decurſus fuit, viginti trium annorum & ſex menſium. Quartum decimum annum iam agere cœperat, cùm obſes mitteretur in Hiſpaniam pro patre; ibi hæſit annis circiter ſeptem, à liberatione vixit plus minùs duobus annis, menſibus decem. *Conſummatus in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum, de medio iniquitatum.* Et verò quàm diu vixeris non refert, ſi rectè: cùm breue tempus ætatis, ſat eſt longum ad benè honeſtéque viuendum. Ante mortem, ille curauit ſanctè viuere, vt bene moreretur. in vere iuuenili fecit ſementem: iam meſſem immortalitatis. Igitur quamquam initio florentis ætatis ereptus; quantum ad gloriam, longiſſimum æuum peregit, cuius memoriam excipient omnes anni conſequentes.

Conſpectus eſt à morte glorioſâ formâ.

Sap. 4. 9.

Ætas illius breuis.

Ind. 13.

Vita breuis ſat longa ad benè viuendum.

CAPVT XX.

Recenſentur miracula, & prodigioſa beneficia, quæ in pios contulit viuus, mortuus, in tredecim paragraphos diſparata.

QVEM locum B. Ludouicus obtinuerit apud Deum, non obſcurè declarant frequentia prodigia & miracula, quibus eum mox à morte tum ad ſepulchrum eius tum alibi glorioſè voluit illuſtrare, & operæ pretium eſt, de benè multis nonnulla promere, & diducere per partes.

§. 1. De

§.1. *De mortuis qui reuixerunt.*

Septennis puer mortuus vitæ redditur S. Ludouici beneficio.

1. Perottus puer ſeptennis continuatâ febre ad nonũ vſque diem, mortuus eſt. Pater ad flebile funus cari filij eiulans, quem prece à S. Ludouico, cui fuerat ſtudioſiſſimus, impetrauerat, rurſus ab eo cum voto repetere incepit his verbis; Sancte Ludouice, carum meum pignus, filius meus mortuus eſt; tu mihi eum donaſti cùm rogarem: ſed nũc quorſum? redde mihi, redde eum. Cùm ille miſerabiliter huiuſmodi verba profunderet, puer reuixit.

Puella mortua reuiuiſcit vt baptizetur.

2. Domina Sanctia à Tribulâ, enixa eſt femellam mortuam: illa dolens potiſſimum animæ damnationem, votum ſuſcepit in ſanctum orans, vt vel tantiſper vitę reddatur, dum poſſet baptizari. Reuiuiſcit puella, & baptizata duodecim diebus nihil accepit alimenti. Rurſus orante matre, vt ſi ei viuendum eſſet aliquantulum acciperet lactis; comprehendit ſtatim mamillas, & ad menſem ſuperuixit.

Item alia reſuſcitatur.

3. Alazatia Lombarda dum geſtaret filiolam in vlnis, caſu grauiſſimo puella colliſa, moritur. Mater freta auxilio S. Ludouici, precata eſt pro vitâ cari pignoris. Sanctus Ludouicus ſibi deuotam exaudiens, mortuam filiolam reſuſcitauit: non ſolùm, ſed & ipſam matrem à ſurditate, quam morbo contraxerat, liberauit. Denique abundè ſubminiſtrauit ei lac, quo caruerat duobus puerperiis.

Item alia.

4. Margarita vxor Cicardi Maſſilienſis reperit filiolam ſuam Bertrandetam infantulam menſis vnius, mortuam in lecto: cuius os & naſus repletus cùm eſſet ſanguine, opinabantur oppreſſione vel ictu, quod plerumque fit, extinctam. Mater vocatis amicis flebiliter lamentabatur, inuocans pro filiæ vitâ potentiam S. Ludouici, cunctis ſimiliter ſupplicantibus. Puella caput cœpit mouere, aperire oculos, conſecuta vitam & ſanitatem.

Item voto in ſanctum alia vitæ redditur.

5. Rixendis vxor Domini Comparati è ciuitate Carpentinâ, teſtata eſt, ſuam filiam Raymundam conculcatam, fracto collo defunctam, iudicio multorum. Mater facto voto, quòd nudis pedibus ſepulchrum inuiſeret S. Ludouici, ſi filia reuiueret: filia mortua flere cœpit ac loqui ab omni colliſione ſanata.

6. Bellioda Aquenſis vxor Hugonis Lamberti iurauit filium ſuum octo annorum, quem iuxtim ſe in lecto poſuerat, poſt primum ſomnum è lecto ſublatum humi iacuiſſe, mortuum. Parentes factâ promiſſione S. Ludouico, ex voto filium viuum receperunt, puer autẽ retulit parentibus viſum, ſibi virum S. Ludouico ſimilem, aſperis veſtibus indutum, dixiſſe, Si hic puer etiam talibus veſtiretur, poſſet venire ad ſanctitatem, quâ fuit ſanctus Ludouicus.

7. Maſsilieta Maſsilienſis peperit filium mortuum; mater magnâ deuotione implorat virtutem Sancti Ludouici pro filij vitâ. Portatur ipsâ volente ad Eccleſiam vt baptizaretur. Et licet Sacerdote ipſo iudice videretur mortuus, tamen baptizatur, id multis petentibus. Baptizatus oculos aperit, & ad matrem reportatus, quaſi iam in partu editus, *primam vocem ſimilem omnibus emiſit plorans.*

8. Pontius Durandus habitans iuxta ædem S. Mariæ ab Aquis, filium habuit diuturnâ febre conſumptum ac mortuum. Pater inuocato S. Ludouico, ex voto, quem plorabat mortuum, recepit viuentem.

9. Margareta Viella Maſſilienſis nutrierat puerum, qui mortuus eſt. Illa recolens miracula S. Ludouici, vouet ſepulchrum viſitare, candelam cæream offerre cum frumento, pro pueri ſalutę. Puer qui obierat mortem nocte mediâ, reuixit in aurorâ.

10. Beatrix Portamira ab Aquis, filiam habuit Alazatiam nomine, quæ prægnans de aſino cui inſederat cecidit, & grauiter læſa abortiuit, mortuum enixa maſculum: deinde etiam mortuam femellam, liuido corpore, & vt videbatur, brachiis cõfractis. Abortiuo puellæ proiecto in angulum ſtabuli, mater huiuſmodi verbis, poplitibus flexis, & magno fletu, precabatur, S. Ludouice te rogo, vt quemadmodum me capitis dolore liberaſti, ita me nunc exaudias. & ſicut te vidi viuentem, ſic puellæ huic vitam dones. promiſit etiam ſepulchrum eius inuiſere, & offerre cæreum. Sic illa puella abiecta in ſtabulum, reuixit, & baptizata ſuperuixit ad quatuor circiter menſes.

11. Filia Raimundi Vitalis vehementiſſimâ vi febris abiit è vitâ. Amita eius Catharina Beſteria, magnâ pietate puellam cõmendauit patrocinio S. Ludouici, cuius beneficio ad vitam rediit.

12. Adam Auinionenſis bimulam filiam habuit, quæ poſt grauem infirmitatem mortua eſt. Pater cũ voto opem poſtulans S. Ludouici pro vitâ filiolæ, ſic rogabat; S. Ludouice, redde mihi filiolam meam viuam & incolumem, quam à te precibus obtinui: te oro vt vitæ redditam rurſus accipiam. Quod ſi mihi præſtiteris, tumulum tuum adibo oblatum cæream imagunculam. patris voto filiola aperiens oculos, vitæ reſtituitur, & valetudini.

13. Ioannis Imberti à Taraſco, Auinionenſis Diœceſis, filius Poretus grauiſſimâ febre & copiâ vermium vitam cum morte commutauit. pater domum veniens, certior factus mortis filij, cum voto eum commendauit Sancto Ludouico, atque mox rediit ad vitam.

14. Raymunda Maſſilienſis dum brachiis geſtaret in ſolario filiolam, contigit priùs cadere paruulam, & deinde matrem ſuper filiam. Paruula læſa eſt valde, ceruicem fregiſſe videbatur, iam iam moritura, cùm pater eius Petrus Raymundi, ſuſcepto voto in Sanctum, nullâ morâ interpoſitâ vitam impetrauit filiæ & incolumitatem.

§. 2. *De claudis & impeditis reſtitutis.*

1. Paupercula quædam enixa mortuum fœtum, atque in vtero actum tranſuerſum, toto biẽnio vitiatis femoribus, manuum quoque officiis priuata, ambulare non poterat, nec operari. Votum pro ſalute nuncupat viro ſancto, & promittit qualibet ſeptimanâ templum eius verſuram. Obdormiuit paulîſper; expergefacta ſanata eſt.

2. Sanctiæ Maſilienſis coxas miſerandum in modum ſacer ignis (vt vocant) adeò depaſtus eſt, vt nequiret incedere. Senex mater filiæ miſeriâ commota, voto implorat auxiliũ S. Ludouici, & integræ reſtituitur incolumitati.

3. In opido Siſtaricenſi, puer Ioannes inuentus eſt à matre pannis infantilibus illigatus tãto perfuſus ſanguine, vt nihil in eius corpore manſiſſe videri poſſet, Mater vt diligenter inſpexit, deprehendit filiolo inter tibias & genua oſſa deeſſe, ipſaſque tibias præpoſterè collocatas, gibbum etiam in dorſo è miſerabili ſpinæ flexu, & in occipite inter aures nil oſſeum eſſe, ſed carneum dumtaxat. filius qui parenti gaudio eſſet, triſtitiæ fuit & dolori. Mater deſperatâ ſpe remedij humani, ſecundum Deum, in S. Ludouicum ſpem concepit; vouet magno fletu, ſi filium ſanauerit, repræſentaturam ſe eum ad eius ſepulchrum cum aliquot cæreolis. Mira res. Facto voto filiolus cœpit melius habere, & paulò poſt totus conualuit.

Vouentur cereoli pro ſalute filij.

4. Maſſiliæ puer quidã Iacobus nomine, claudus natus eſt, miſere retortis tibiis & pedibus; cuius mater, conſpectis miraculis S. Ludouici, profuſis lachrymis implorat opem viri ſancti pro filiolo: vouens ſi curetur ſe oblaturam ad eius tumulum cæreas tibias cum pedibus. Tam prodigioſè ſtatim ſanatus eſt, vt etiam calcei ad pedes informes facti, pedibus ad naturalem formam redditis, recte conuenirent.

Tibia item cerea.

5. Guilielmi Raymundi à Toloſâ vxor, filium peperit contortis tibiis, quaſi cancellatis & connexis. Vouet B. Ludouico: quo facto infans incolumis effectus eſt.

6. Anſelmæ Maſſilienſi filia fuit octennis, admodum clauda & debilis: nec poterat ire ſine fulcris ſiue crucibus humeris ſubiectis. Votum facit ſancto viro, ſi filiam liberet, duas cruces ex cera ad eius ſepulchrum oblaturam. Nullâ morâ poſt votum, filia crucem alteram abiicit: & paulo pòſt, mater filiam alterâ cruce vtentem ducit ad eius ſepulchrum. Votum illa ſoluit Sancto, qui filiæ integram ſanitatem reddidit.

Cruces itẽ cerea.

§. 3. *De podagricis & chiragricis ſanatis.*

1. Ioannes ciuis Maſsilienſis grauiter laborabat podagrâ ex altero pede vt gradi non poſſet, perpetuumq; torquebatur ſummo dolore. At ille gratiam implorans S. viri, vouet illi tibiam cæream cum pede pro ſalute. Dicto citiùs curatus eſt. Sed negligens votum ſoluere, eodem afficitur tormento: votum autem repetens & reddens, mox liberatus fuit.

Negligens voti nuncupati punitur.

2. In opido Carpatacenſi, vir aliquis totis octo annis adeò fuit debilis pedibus & tibiis ex graui podagrâ, vt foramina efficeret, per quæ oſſa conſpiciebantur, & vermibus ſcaterent. Omnia conſumſerat fruſtra in medicinam. Tũc vxor toto ſe obſtrinxit, viſitaturam, ſi viro ſanitas optata redderetur,

tur, vnà cum ipſo ſepulchrum ſancti Ludouici, in eiuſq; honorem tibias cæreas daturam. Maritus cùm ire non poſſet, adportatus fuit. Factâ oratione, & voto ſoluto, qui ambulare non potuit, domum reuertit pedes, ac paucis elapſis diebus curantur tibiæ cum vulneribus.

§.4. *De febrientibus curatis.*

1. Raymundus miles cùm tribus continuis ſeptimanis febre laborans etiam periculoſo grauaretur apoſtemate, atque adeò ſalus eius, medicorũ iudicio deſperaretur: de morte eius & exſequiis cogitari cœptum eſt. At Raymundus ex toto animo inuocat B. Ludouicum, eique ſe totum deuouit. Adeſt vir ſanctus ſine morâ in ſchemate fratris Minoris; quo, ſacrâ manu affectum locum tangente, rumpitur apoſtema, & eiectâ ſanie, ab imminente morte ſeruatus conualuit.

S. Ludouicus apparet in formâ fratris Minoris.

2 Maſſiliæ mulier quædam Maria, continuâ febre adeò infirmabatur, vt omnes de ſalute Medici deſperarent. Vidit nocte vigilans, ad ſe Epiſcopum introire ornatu pontificio, magno lumine micantem, qui his verbis affatus eſt decumbentem: Mulier pro te multi mihi ſupplicant: vt commitere non poſſem quin te adiuuem. Scito te multa paſſuram breui, ſed tertiâ die ab hinc ſanaberis. Quo diſparente, Maria perterrita famulas inclamat, & quæ viderat eis exponit. Illæ verò S. Ludouicum fuiſſe interpretatæ, bono iubent eſſe animo. Viſum verò tale narrabat ſe vidiſſe. Animam ſuam ſiſti tribunali ſuperni iudicis, & librari omnia facta ad iudicij diuini lancem. Deinde horribilem dæmonem deuorare velle miſeram animam. Illa ad terrorem tetri & hiantis diaboli adeò exclamauit, vt omnes ſtuperent. Tunc ſanctus Epiſcopus priùs ſibi viſus adfuit, & in illo diſcrimine defenſam, ſuo corpori reddidit, & (quod ille prædixerat) optimè habuit, die tertiâ. Votum ipſa, maritus, filij in Sanctum cui erant deuotiſſimi ſuſceperunt, & exſoluêre quod vouerant.

Item ornatu pontificio rurſus videtur.

Viſum terribile cuiuſdam matronæ.

3. Alia matrona Alazatia dicta filium habuit bimulum, qui toto anno ampliùs febriens decubuit: habenſque in dorſo ſeptem magna vulnera, nihil cibi accipiebat. Paruulo conſtituto in periculo mortis, pia mater vota facit S. Ludouico, ſtatimque puer liberatur febre, eadémque hebdomade vulnera illa ſanantur.

§.5. *De ſurdis.*

1. Nobilis quædam puellula, gerulæ brachijs excidens, ſic conquaſſabatur, vt multo ſanguine per os & nares effluente, ſenſu audiendi deſtitueretur toto octennio. Pater filiolam miſerans S. Ludouico promittit, ſi ſanat, ſepulchrum eius aditurum, oblaturumque imaginem cæream. vt fecit, ſanam recepit filiam.

2. Antonius hieme in montibus iter habens, nimij frigoris algore, triennio obſurduit. Cùm verò nutibus & ſignis intellexiſſet, quàm mirifica Dominus ad S. viri ſepulchrum efficeret, cum magnâ fiduciâ in Sanctum, vouet, ſi reddat auditum, inuiſurum ſepulchrum eius, & cæreas aures oblaturum. Mirum dictu. Voto, quo tam diu caruit, auditum recuperauit.

§.6. *De mutis.*

1. Quidam Petrus nomine, longæ febris moleſtiâ loquelam amiſit, & prorſus factus eſt mutus. Ducitur à ſuis ad ſepulchrum Sancti; & voti ſponſione factâ, illius curæ ſeriò commendatur. Dum ſummum inciperetur ſacrum, miſer Deum & S. Ludouicum ex corde ſupplex inuocabat: & mox quod animo conceperat, depromſit voce, Sancte Ludouice, inquiens, adiuua me. Completo ſacro, promtè loqui cœpit, cunctis admirantibus.

2. Alazatia à Campis, Aquenſis Diœceſis, vehemẽti quâdam affectione muta effecta, etiã brachij alterius orbatur officio. voto à matre pro filiâ facto, redditur ei loquela & brachij ſanitas.

3. Similiter alia quædam muta manens ad octiduum, corde vouens quod nõ poterat verbis, ſubitò fandi recepit beneficium,

§.7. *De cæcis qui viſum receperunt.*

1. Hugo Gregorius orbatus oculis ſpatio trimeſtri, ſummâ deuotione factus eſt ſupplex B. Ludouico. Nocte quâdam videbatur ſibi videre B. Antiſtitem, templum ingreſſum, tantâ luce ſplenduiſſe, vt oculorum acies nõ ferrent. Expergefactus pollicetur ſepulchrũ eius adire, ſi lumen recipiat. Mox vt vouit, viſum recepit, clare vidit: quod promiſit, præſtitit.

2. Stephanus ex oculis laborans

ambobus, dextrum perdidit, ſiniſtro periclitante. ducebatur vt cæcus. Anxia vxor pro incolumitate viri, freta Dei potentiâ & Sancti meritis, vouit B. viro, & mox oculi incipiunt curari, & paucis elapſis diebus, deterſis maculis quibus adſperſi erât, perfectè ſanari.

3. Sanctia iureiurando firmauit ſe habuiſſe filium quinquennio toto cæcum: vouiſſe S. Ludouico, tumulum eius inuiſuram, & cæream imaginem. Sequenti die cùm veniſſet cum filio, qui cæcus fuerat, factus eſt videns.

Oculi cæci S. Ludouico vouentur.

4. Petrus Medicus quatuor annis cæcus, audiens S. Ludouici frequentia prodigia, vouet ſi lumina recipiat, ſe quartâ quaque feriâ quoad viueret ieiunaturum, duoſque oculos cæreos adportaturum ad eius ſepulchrum. Veniens Maſſiliam, ad tumulum Sancti hæret biduo. Tertiâ die cùm eleemoſynas peteret cum ceteris mendicis, (omnia enim erogauerat in Medicos & peregrinationes ad loca Sanctorum pro recuperandâ ſalute) Cur, inquit vxor, hic ſtas? cur non hæres & dormis ad ſepulchrũ Beati, vbi omnes reddũtur incolumes? Ille verò, neſcis, inquit, mulier, Sanctũ, me & hîc poſſe iuuare, & inſomné, & quocumque loco? Hæc mihi in eum fiducia, quam tu mihi habere non videris. Equidem ſpero B. Ludouicum me exauditurum eſſe. Et quomodo? inquit, mulier. Mox ille, video, ait, vnam columnãin templo, video duas, video hanc domum tectam ſcandulis, diſcerno colores veſtium, quibus homines induti. Sic meritis B. Antiſtitis diu optatum viſum tandũ recuperauit.

§. 8. *Amentes & inſani facti mentis compotes.*

1. Bartolomæus in villâ Salome adeò fuit alienatus à mente, vt inſtar rabidi canis, ſine diſcrimine quoſuis dentibus peteret. Ligna quoque & lapides, & quæcumque contingere poterat, rodebat, vt homo furioſus. Parentes filij miſeriâ commoti, factis precibus & voto, miſer ille potentiam ſenſit B. viri; & gratias agens Deo, furore curato, redditur priſtinæ ſanitati.

2. Apud Niciam ciuitatem, quædam Beatrix nomine, ſic omnem rationis ſenſum vſumque perdidit, vt non ſolùm in homines, ſed in ipſum quoq; Deum & in Diuos blaſphema admodum profunderet. Cetera bona mulier erat, ſed hoc affectu ſuperata, non ſe moderari poterat. Huc illucque curſitans, lapides, ligna, gladioſq; arripiens, cunctos petebat acerbis verbis, imò & verberibus. Vinculis conſtringi oportuit. Maritus condolens de vxoris calamitate, voto inuocat B. Ludouicum, atque eâdem ipsâ die, optatâ valetudine potitur.

3. Gulielma Maſſilienſis puella admodum, ratione & iudicio priuata, poſſeſſa tenebatur à dæmone. Turpia verba citra omnem effutiens verecũdiam, faciem vnguibus laniabat, lacerabatq; veſtes; quam obrem vinculis ligari debuit. Parens eius, regis cæleſtis filium B. Ludouicum orat ſui misereri, quia filia ſua malè à dæmonio vexaretur. Ducit filiam ad Sancti ſepulchrũ, cæreum illi vouens: atque poſt preces, filiam rectè valentem reduxit. *Simile miraculum.*

4. Raymundus Oliuerius Clericus ciuitatis Carpentracenſis, mentis alienatione adfectus, ne quem læderet, cippo terræ affixo alligari debuit; & catenis multis, idque non paucis menſibus. Parentes ſtatim vt vouerunt B. Ludouico, rediit ille ad ſanam mentem.

5. Marinetus ab Aquis, rationis orbatus vſu, noctu, interdiu cantillabat; ſtulta euomens, proprios non agnoſcebat parentes, cùm nullum ei in re aliquâ iudicium. cibos etiam ſpargebat in humum, nihil cibi penitus ſumens. Cæcilia cognata eius ſupplex facta S. Ludouico, vouet pro eius ſoſpitate. Mox cibum petens, edit, bibit, ad mentem rediit.

6. Raimundus textor iuratus dixit, filiolũ ſuum furialiter correptũ inſaniâ, dixiſſet turpia, ſe patrem momordiſſe, & alia pleraq; nefanda patraſſe. Vouiſſe ſe, & oraſſe S. Ludouicum pro ſanitate filij: qui illico intelligens votum paternum, vouet etiam ipſe, ſic mentis ſanitatem conſecutus.

7. Ioanni Olerio filia erat vndecennis prorſus ſine mente, vt à dæmone poſſeſſa crederetur. Voto facto S. viro à patre pro illius ſalute, mox ſanam mentem recepit.

8. Bertranda Moreta biennio & menſibus duobus amens, à voto ſocerus ſuſcepto in S. Ludouicum, ſenſum & intellectum recuperauit.

§. 9. *Naufragi adiuti.*

1. Gulielmus Viellus ciuis Maſſilienſis, dum nauigaret, tanta eſt exorta

tempe-

tempeſtas, vt fluctus nauem penè ſubmergerent. Ille factus B. Ludouico ſupplex, vouet ſi diſcrimen euadat, ſtatim aditurum eius ſepulchrum, funibus ſibi de collo ſuſpenſis. Hoc voto pericula ceſſarunt. & quod valdè mireris, mari procellis agitato, & fluctuum impulſu, cadente grandine cum magnâ pluuiâ, ne gutta quidem nauem contigit, nec tempeſtas iter rectum tutumque præpedire potuit.

Nota votũ.

2. Gulielmus Maurella, Nat t i Petri Domini Maioricarum adfirmauit, exortâ tempeſtate & procellâ, è naui tria vela ex c iſſa, & incidiſſe in arenarũ inſulas: quare moriendum certo certius videbatur. Promittũt vniuerſi, ſi euadant naufragium, S. Ludouici ſepulchrum adituros, fune à collo pendente: atque hoc voto viui euaſerunt tempeſtatem, & periculum naufragij.

Aliud tale.

§. 10. *De epilepticis ſanatis.*

1. Beatrix quindecim annis laborauit morbo caduco, ſæpiùs bis térue in die morbo correpta. Voto emiſſo, optatâ valetudine potita eſt.

2. Alia quædam toto octiduo ferè comitiali hoc morbo vexata, audiens, quanta Dominus Deus ad ſepulchrum S. Ludouici efficeret, vouit pro ſalute quotannis inuiſere ſepulchrum eius, & ſine morâ ſanitatem recepit.

§. 11. *A variis morbis & incommodis alij curati.*

1. In Thelonenſi diœceſi, Guilielmus iuuenis admodum, toto decennio herniâ vehemẽtiſſimè laborauit. Contigit eum aliquando grauius pondus leuare quàm ferre poſſet, quo rupturâ factâ maiore, ineptus fit ad labores quibus victitabat. Et propemodum ipſe deſperans, tamẽ ſurſum mentẽ leuans, votum concepit in ſanctũ Ludouicum vt ſe adiuuaret. Mirum certè: eodem momento integrè reualuit.

Ab herniâ voto liberatur iuuenis.

2. Filia Guilielmi à Tolone infantula, in naſi extremitate tuber habebat, quod illâ creſcente etiam augebatur. Pater cum deuotione inuocat B. virum, filiæque impetrat naturalem formam tumore ſublato.

3. Petrus Maletus habitans Maſſiliæ iuxta cœnobium fratrũ Minorum, filium habuit Brandotum dictum, quem miſerè torquebat in pedibus ſacer ignis, quem vocant Sancti Antonij, cuius nec poterat fœtorem ipſa nutrix perferre. Portatur puer ad templum Sancti Antonij, vbi manet decem continuis diebus & noctibus, vel eo maximè quòd affirmarent talem eſſe morbum: at nihil curationis accepit. Tunc parentes vouent Sancto Ludouico pro ſalute filioli pedes cæreos ad eius ſepulchrum, cuius ope ſanatus eſt.

4. Gaufridus à Maſeto miles iurauit ex tibiis ſe laboraſſe circiter viginti quinque annis: quæ puſtulis plenæ quotidie fundebant ingentem copiam ſaniei. Is concepto voto ad Sanctum Ludouicum, intra triduum, meliùs cœpit habere, nec ita multo pòſt perfectè curari.

5. Eminardæ Viliæ à Turbanâ, Vapienſis Diœceſis filius, calculum habuit in veſicâ, qui cruciatum gignebat aſperrimum, vrinæ meatum prohibẽs. Mater, cùm ſic toto anno cruciaretur filius, poſt multa vota, variaque medicorum fruſtra tentata conſilia, fit ſupplex Sancto Ludouico pro in columitate filij ſepulchrum eius viſitaturam ſe pollicetur, daturámque ibi donum cæreæ imaginis. Filius nocte ſequenti calculum eiecit bene cruentatum & magnum citra dolorem.

6. Ioannes Galeotus Maſſilienſis per mare nauigans captus fuit à Saracenis, cum aliis octodecim. Voto facto ad S. Ludouicum, iuſſu regis Tunetis, eâdem die, capta triremis, cum omnibus libera dimittitur.

7. Matrona quædam iureiurando firmauit, ſe ex matrice laboraſſe ſeptem annis: adeoque infirmam vt per os plurimo eiecto cruore ad mediam diẽ mortua videretur; & quod in morte fieri ſolet, animam Deo ſæpiùs commendaſſe. Tandem ægrota mulier inuocato Sancto Ludouico, vouet viſitaturam ſe eius ſepulchrum, ſi ſanaretur, & conualuit.

8. Dulceta vxor Michaelis Bermondi, fœtum mortuum tribus diebus noctibúſq; in vtero geſtans, non potuit eniti, ſed extrahi abortiuum oportuit arte medicâ. In ipſâ extractione os fractum in corpore, vt toto biennio infelix mulier ne quidem ſedere poſſet, ſed decumbere tantũ in lecto, omnium vſu membrorũ ſublato. Illa mori malẽs quàm ſic viuere, vocat chirurgum, poſtulans cauterio, inciſione, quouis modo ſibi mederi. Antequã chirurgus ad

eſſet ad diem dictam, votum in S. Ludouicum concepit pro ſuâ valetudine, ſe ieiunaturam ſemel, viſitaturã etiã eius ſepulchrum; quoque ſabbatho templum eius ſcopis verſuram, ſi fratres permitterent, & ſequenti die perfectè curata eſt.

§.12. *Qui de S. Ludouico eiuſque miraculis detraxêre, grauiter puniti ſunt.*

Sepulchrũ S. Ludouici magnâ frequentiâ viſitatur.

1. Gunfrida Maſſilienſis cùm aliquando videret S. Ludouici monimentum magnâ fidelium deuotione frequentari, & honorari multis donariis: nec rarò à ſuâ conſanguineâ Richarda, eiuſque matre Beatrice viſitari; quòd ipſa Richarda ad eius ſepulchrum à tibiarũ infirmitate liberata fuiſſet: prorupit in huiuſmodi verba blaſphema, Citò Fratres Minores hunc vt ſanctum colere cœperunt, vt rem augeant, candelarum & donariorum oblationibus. & vos quidem eum ſanctum aſſeritis, & facere iſthæc miracula; ego verò non credo; neque illi aut eius miraculis quicquam defero. abſit vt illic quicquam donem, aut aliquem exhibeam honorem. Talibus verbis, leuatâ manu aduerſus eius ſepulchrum, Sanctum virum deſpexit. Impia mulier à piis cognatis grauiter obiurgatur: nec tamen deſiit maledicta talia in Sanctum euomere. At verò paulo poſt, vt ſe recepit, cogitat S. Ludouicũ, ſi beatus & ſanctus eſſet, pœnamà ſe poſſe repoſcere. Si, inquit, intra triduum oculis priuatæ & aſpectu, tantum etiam dolorem meo capiti immittat, ne queam dormire, credam Ludouicum eſſe ſanctum. Tertiæ diei ſummo manè, horribiliter incipit laborare ex oculis, qui prominebant è cauernis ſuis, nec poterat quicquam videre. atque ipſe vultus, ceruix, & totum caput ſic tranſuerſum actum eſt, vt monſtrum videretur admodum deforme; & quidem triduo ſic acerbiſſimè cruciabatur. Vexatione igitur intellectum dante, peccatum confitetur, & voto facto S. Ludouico, liberatur ab omni dolore & deformitate, præterquàm quod dextro oculo cæca permanſit.

En vt blaſphema iſta puniatur.

Item alius talis.

2. Gulielmus à Moſato ſimiliter aliquando ſubſannans miracula B. viri. Amodò, inquit, pro nihilo putabuntur ſancti reliquiæ: iſte enim omnia facit. Mox vitio diuinitus blaſphemum conſequitur. Nam illud os eius impium ſtatim torquetur in partem poſteram, ne ampliùs loqui poſſet. Sed & dexter oculus liquore fluente & dolore afficiebatur. Nouem diebus in hac pœnâ exactis, tandem miſer culpam fatetur: & ſancti potentiam quam irriſerat ſuppliciter incipit inuocare, ex animo vouens ad ſepulchrum eius daturum caput è cærâ, quò etiam peregrinaturus eſſet. Quod vouerat fecit: & antequam templum egrederetur, priſtina redditur compoſitio capitis, omni pœnâ ſublatâ.

Vouet pro ſalute caput cereum.

Oblationes variæ ad eius reliquias.

3. Domina Beatrix ab Aureolo videns multa ad reliquias S. Viri offerri donaria, candelas, imagines; audiẽſque quotidie fieri ſtupenda miracula, nihilominùs incredula permanens, omnia cõntemſit & ſannauit. Domum rediens, & aſſidens menſæ panem ſciſſura, pollicem vehementer vulnerat per medium vnguem, ex quo grauiſſimè affligebatur. Cùm autem ſæpiùs oculos mentis pœna aperit, quos culpa clauſit: cognouit hanc eſſe pœnam ſuæ temeritatis in Sanctum. Itaque ſuppliciter orat Beatum Ludouicum, vouens ei in rei memoriam cæreum pollicem pro ſoſpitate. Mox pollex curatur à vulnere & dolore, beneficio Sancti Ludouici.

§.13. *Sepulchrum eius viſitantibus mens ſanior reddita.*

Mens viſitantium ſepulchrum eius mutata in melius.

Cumplura talia prodigia & miracula feciſſe legitur, & varia cõtuliſſe in malè affectos beneficia, quæ breuitatis gratiâ omittimus. Sed non prætereundum quod multorum eſt confirmatum teſtimonio: nimirum viſitantibus ſepulchrum ſacri illius corporis, mentem ſæpe mutatam in melius, mirabili affectione, cum admiratione multorum. Nec dubium ſacris illis reliquiis diuinitus talem efficaciam conceſſam eſſe.

CAPVT XXI.

Refertur in numerum Sanctorum.

MIRACVLORVM itaque gloriâ, & famâ eximiæ ſanctitatis per orbem currentibus, & ad ſacras eius reliquias

pro

pro ſuâ ſalute fidelibus vndequaque aduolantibus, Toloſani & vicini, miſſis legatis ad D. Bonifacium Papam VIII. mirabilia illius prædicant, extollentes magnis laudibus: poſtulantes, vt quem Chriſtus ſanctorum collegio ſociauerat in cælis, hunc quoque ipſe Vicarius Chriſti Diuorum catalogo adſcriberet in terris. Etſi verò Summo Pontifici vita Beati Ludouici & ſanctitas probè cognita eſſet (viderat etenim partim, & alia à fide dignis acceperat) diſtulit tamen vir prudens negotium: ne quis calumniari poſſet, præproperè rem attentatam, aſpectu magis generis & fortunæ, quàm meritorum. Interim migrat è vitâ Bonifacius, cùm rem eſſet aggreſſus, & infectam reliquit ſucceſſori Benedicto, qui citiùs & ipſe defunctus facere non potuit. Clemens V. in eius locum ſuffectus, ſollicitatur à variis nũtiis Eccleſiarum Galliæ Narbonenſis, quæ nunc Prouincia dicitur, ad rem aggrediendam. Qui Cardinalium conſilio, commiſit duobus Epiſcopis, vt ſeriò & diligenter in vitam & miracula B. Ludouici inquirerent. Veniunt Maſſiliam cum mandatis, & ſtudioſè exſequuti, omnia Sanctitati illius perſcribunt. Deinde res datur Cardinalibus multò diligentiſſimè examinanda: interim etiam moriente Pontifice hoc, cùm in demortui Clementis locum ſuccedit Ioannes XXII. olim ſocius & magiſter S. Ludouici, qui etiam illi adſuit morienti. Nec dubium quin diuinæ prouidentiæ nutu hoc pietatis officium huic ſeruatum ſit, cui omnis vita, mores, pietas, mors, & omnia acta B. viri probè cognita & perſpecta eſſent. Sed ne præcipitanter agere videri poſſet, rurſus omnibus & ſingulis actis eius a Cardinalibus accuratè examinati & adprobatis: eorundem fratrum ſuorum Cardinalium, omniumque Prælatorum præſentium (Auinione, vbi Apoſtolica ſedes id temporis erat) conſilio & adſenſu, magnâ pompâ & ſollemnitate, anno ſalutis reparatæ milleſimo, tercenteſimo, ſexto decimo, ſeptimo Idus Aprilis B. Ludouicum in Sanctorum numerum retulit, Pontificatus ſui anno primo.

Pro canonizatione illius multi inſtant.

Cui diuinâ prouidentiâ, Ioan. XXII. fuit decretus.

CAPVT XXII.

De tranſlatione illius corporis ſacri.

ANNO verò tercenteſimo ſupra milleſimum & decimo ſeptimo, ſexto Idus Nouembris miſſis à Pontifice ſummo Cardinalibus, & aliquot Epiſcopis, præſente germano S. Ludouici fratre, Roberto Siciliæ & Ieruſalem Rege, eiuſque vxore reginâ, cum Reginâ Franciæ conſanguineâ S. Ludouici, cum multis aliis Principibus & nobilibus viris; innumerâ quoque populi inundante multitudine, qui ad S. Ludouicum interpellandum cum muneribus, & ad celebrãdum tranſlationem ſacri corporis confluxerant; theſaurus ille ſacri corporis B. Ludouici, in medio chori hactenus ſepulti, transfertur ad ſummum altare thecâ argenteâ incluſus, iuſtis magnificè factis more regio, & quæ deceant ſanctum. Ibi hactenus ipſum deuotè inuocantibus ingentia beneficia conferuntur, eius meritis, & gratiâ Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in æternum. Amen.

S.D.N

S. D. N. IOANNIS
PAPÆ XXII.
DIPLOMA,

Quo S.Ludouicus Epiſcopus Toloſanus inter Diuos adnumeratur.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus, vniuerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum rectoribus, per vniuerſum orbem conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pſ 109 3.
Pro 3.10.

§.1. SOl oriens mundo in altiſsimis Dei, Deus Dei Filius, ex paterno vtero ante Luciferum genitus, Deus Verbum, qui rerum in principio fundans terram in ſapientiâ, cœlos prudentiâ ſtabiliuit; adornando cœlos ſideribus, germinantibus cũctis terram. quique in fine temporum, pro humani generis ſalute noſtram aſſumendo naturam, texit nube noſtræ carnis fragilis ſemetipſum: nunc horâ inſtante nouiſſimâ, illuminando per cuncta reſpiciens, opus produxit mirabile, claritate gloriæ ſuæ plenum, bonitatem ſuam monſtrans magnificè, ſponſamque ſuam ſanctam matrem Eccleſiam reddens nouitate tam claræ ſobolis lætabundam. Nam *qui facit mirabilia magna ſolus*, dilectum ſuum confeſſorem eximium, beatum videlicet Ludouicum puritate candidum, caritate feruidâ rubicundum, electum ex millibus, produxit nouiter, vt exemplar præfulgidum cunctis fidelibus imitandum: eius vitæ ſingularis excellentiam ſignis probans, & prodigiis coruſcantibus, crebris miraculis manifeſtans.

S. Ludouicus opus Dei mirabile.

Pſal.135.4.

Encomia eius.

§.2. Igitur lætentur cæli & exultet terra, iucundetur pariter totus orbis. Nam qui effulſit in templo, dum viueret in medio nebulæ ſuæ carnis, vt matutina ſtella ac luna plena ſolari lumine, veluti ſol refulgens in ſuâ formoſus ſtolâ, in virtute multâ repentinè ad ſumma graditur, regalibus dignus adſpectibus, vt candens lilium, ac odoris ſuauiſſimi roſa rubens. Huic cæli præſtant hoſpitium, cæli ciues vt ſibi conformem & comparem ad ſuum hunc conſortium admittunt in ſupernis. Chriſtus hunc reficit, idem ipſe prandium, & conuiua. Hic felix Sanctus ex regali proſapiâ, patre videlicet claræ memoriæ Carolo Rege Siciliæ; matre verò cariſſimâ in Chriſto filiâ noſtra, Mariâ Siciliæ Reginâ, ex Hungariâ originem ſuam trahens, altum ſui generis recuſauit ſapere, humilia ſemper diligens & amplectens. Sciebat namque quod *excelſus Dominus, alta de longinquo proſpiciens, humilia è vicino contemplatur.* Quamquam autem ſingula præclara opera lucidæ vitæ ſuæ verbis paucis enarrari non poſſunt, aliqua tamen de quàm plurimis ad vtilitatem legentium referemus: vt ex his Deũ Patrem glorificent, & in his reperiant viuendi regulam, quam ſequantur.

Regalis proſapia.

Pſal.137.6.

§.3. Sanctus iſte, ſicut probatum eſt teſtimoniis fide dignis, in ætate exiſtens tenerâ, ſub magiſtri religioſâ diligentiâ, cum ſuis fratribus tenebatur. Ipſe tamen ibi maturis intendendo moribus, ſub tenello pectore geſtare ſe ſenilem animum oſtendebat. Ductus in Cathaloniam cum duobus è ſuis fratribus, datus obſes pro liberatione antè dicti Regis, tam feruenter dedicauit ſe ſtudio, quòd infra ſeptennium, quo etiam ibi obſes fuit, ſub inſtructione fratrum Minorum, quos ſecum habebat in ſocios: in primitiuis ſcientiis & ſacrâ paginâ ſic profecit, quòd vir Dei pollens ingenio, de prædictis ſcientiis, non ſolùm publicè ac priuatè ſubtiliter diſputare valeret, ſed & ſollemniter Clero ac populo proponere verbum Dei: vt putaretur ſcientia hæc infuſa ſibi magis diuinitus, quàm humanitus acquiſita.

Obſes datur cum duobus fratribus.

§.4. In orationibus ſedulus & deuotus, mentem ad Deum eleuatam tenuit: profectò ſciens quòd *oratio humiliantis ſe nubes penetrans* pro exauditionis ſuffragio Deum adit. In tempore namque dicto, ſacramentali confeſſione præmiſſâ, Miſſas audiebat deuotè. in magnis verò feſtiuitatibus, cum præparatione multâ corpus ſumebat Dominicum. Factus autem ſacerdos diebus ſingulis celebrabat. Audientiæ verbi Dei inſiſtebat attentè: pro paſſu

Eccli. 35. 21.

Pietas eius in Miſſam.

1.Mac.12.9. verò animæ, in ſcripturis deuotus ſtudens, habebat ad hoc pro ſolatio ſanctos libros.

Caſtitas illibata.

§.5. Caſtitatis autem amor à puero affecerat eius mentem adeò, quòd ob ipſius fidam cuſtodiam, mulierum conſortia fugiebat omnino: intantum quod niſi forſan cum matre & ſororibus, ſolus cum ſolâ, nullo vnquã tempore loquebatur. Eccl 7 27. *Mulierem namque amariorem nouerat eſſe morte.* *Obſcœna verba horrebat.* Verba etiam inhoneſta horrebat audire, ac loquentes talia grauiter arguebat: attendens prudenter quod 1.Cor.15.33. *corrumpunt mala colloquia bonos mores.* Fratres nihilominus duo & interdum quatuor in ſuâ iacebant camerâ in ſuæ teſtimonium nitidæ puritatis. 1.Cor.9.27. Cum Apoſtolo Paulo ſobrietate cibi & potus, corpus ſuum caſtigabat aſſiduè: ſéque frequenter manu ſuâ, quandoque autem alicuius fratris conſocij cum catenis ferreis diſciplinans, veſtiendo, pro camiſiâ rude ſtamen, & deferendo ad nudum, pro cingulo chordam groſſam, ipſam carnem in ſeruitutem redigebat.

§.6. Summo etiam ſtudio terrena cuncta calcare ſtuduit, ex deſiderio æternorum. Conſiderans etiam ſanctus iſte quòd 1.Io.5.19. *mundus totus ſit poſitus in maligno,* Iud 2 16. quodque *cum concupiſcentiâ ſuâ tranſit*: ipſum fugiendo deſeruit totaliter & contemſit. *Voto ſe conſecrauit Ordini Minorum.* Nam rediens de Cathaloniâ, cum rege prædicto, votum quod de intrando ordinem fratrum Minorum in obſidione fecerat, in conuentu eorundem fratrum de Monte Peſſulano, voluit adimplere. Sed videns quòd timore dicti Regis ipſum fratres recipere non audebant, votum ipſum ſolemniter iterauit.

§.7. Et quia vouentibus præceptum nouerat de reddendo: ſuadenti felicis recordationis Papæ Bonifacio prædeceſſori noſtro, quòd adſenſum præberet prouiſioni de ſe factæ Eccleſiæ Toloſanæ, nullatenus conſenſit, quoadusque votum dictum quod fecerat compleuiſſet. *Epiſcopus fit Toloſanus poſt votum ſolutum.* Cuius deuotioni annuente prædeceſſore noſtro prædicto, habitum Ordinis prædicti ſuſcipiens, in præſentiâ bonæ memoriæ Ioannis Epiſcopi Portuenſis, tunc eiuſdem Ordinis Generalis Miniſtri expreſſam profeſſionem flexis genibus in manibus eius fecit: ſicque prouiſioni prædictæ ſuum præbendo adſenſum, mandatis Apoſtolicis obediuit. Et quamquam de iuſſu prædeceſſoris eiuſdem, dictum habitum velatum portauerit vſque ad feſtum beatæ Agathæ tunc vicinum: in dicto tamen feſto, in præſentiâ duorum Cardinalium recepit publice; ac ſic extunc portauit continuè, atque ipſo die ad ſanctum Petrum patenter detuli peditando. Miranda res, & aliàs inſueta: vir namque virtutum poſitus in ſublimi, iuri primogenituræ renunciauit & regno: regalis ſolij ſpretâ pompâ pro regno corruptibili, æternum ac plenum delitiis regnum mercans.

In pauperes liberalis.

§.8. Mirâ verò compaſſione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam priuatas quàm publicas eleemoſynas faciebat. Vnde iam factus Epiſcopus Toloſanus, per vnum ſuum familiarem Secretarium mandauit inquiri de ſuorum quantitate redditaum, quantúmque ſibi ſufficeret pro moderatis expenſis faciendis & rationalibus: volens quòd totum reſiduum in ſuſtentandis pauperibus poneretur, quamquam Prælatus tam magnus eſſet, & filius tanti Regis. Cùm autem iret Pariſios, pauperem quendam nudum reperit, cui multum compatiens abſconditè cappam contulit quam portabat, ſibique fecit aliam ſecretè adportari.

§.9. In hoc etiam Chriſti imitatore nihilominùs humilitas vera fulſit. Iob. 5 11. Attendit namque quód Deus qui mœrentes ſoſpitate erigit, ponit humiles in ſublime. *Pauperes alit xxv. ipſis quotidie miniſtrans.* Ipſe enim viginti quinque pauperes in domo ſuâ reficiebat quotidie, aquam manibus infundebat, manúque ſuâ ipſis fercula adponebat, ac panes ſcindebat eiſdem, etiam genu flexo: in ipſis Chriſto ſeruire & ipſum recipere ſe delectans.

§. 10. Hoſpitalia pauperum aliquoties viſitabat. Matth. 11. 8. Sciens denique quòd qui veſtiuntur mollibus, in hoc à Domino non laudantur, *Ipſe paupertatis amator.* poſt Diaconatus ſumptum Ordinem, ſemper veſte humili vſus fuit. Poſt ingreſſum verò prædicti Ordinis, vili habitu ac bruno colore in tapetis, cortinis, & lecti coopertoriis vtebatur.

§.11. Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentiâ ſeruus hîc Chriſti fidelis & prudens; *Præclarè fungitur Sacerdotal munere.* Miſſas dicendo aſſiduè, deuotiſſimè Ordines celebrando, Clericos quibus de beneficiis prouidere volebat examinando de virtutibus & vitiis, & articulis fidei, vitâ, & moribus diligenter. Iudæos &

gentiles zelo feruens Dei, inducebat ſedulè ad baptiſmum, ac quoſdam eorundem ſacro de fonte leuauit,

§. 12. Demum glorioſus iſte Sanctus, curſu vitæ conſummato, feliciter ad Deum fontem viuum, quem auidè ſitierat migraturus, infirmitate decumbens vltimâ, deuotiſſimè ſumſit corpus Dominicum, quamuis debilis, de lecto exſiliens in occurſum Domini Saluatoris. Cruce autem ſibi datâ, per quendam ex ſociis, deoſculabatur illam genuflexus in lecto, vt potuit: ac in oratione deuotâ & ſilentio poſtmodum diu manſit. In Cruce namque Domini noſtri Ieſu Chriſti, & non in alio didicerat gloriari. Iandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hic viuus ambulauit in innocentiâ in medio domus ſuæ, ad Deum ſuum contemplandum in gaudio, facie reuelatâ in ſuâ innocentiâ eſt ingreſſus.

Pſal. 41. 3.

Ad mortem ſe parat.

Gal. 6. 14.

§. 13. Verùm quia decebat multùm diuinæ magnitudinem bonitatis, quòd illum quē in terris ipſum præclaris adornãdo virtutibus, ſuæ imagini fecerat tam conformem, ſecum oſtenderet regnare in cælis, virtutis ſuæ teſtimoniis: quædam per eum miracula operari dignatus eſt, quæ ad Sancti huius declarandam gloriam, præſentibus duximus adnotanda.

Miracula eius poſt mortem.

Mortui reuixerunt.

§. 14. Quædam namque duorum annorum puella, quæ vi febris, quam paſſa fuit duobus menſibus, exſpirauit. Facto voto per patrem Sancto iſti, qui ipſi imaginem de cærâ offerret, ſi vitam à Deo filiæ ſuæ impetraret, reſuſcitata, vbera matris ſuxit.

§. 15. Quidam etiam quinque annorum puer, vehementiâ febris continuæ vitâ functus, facto voto per patrem, eſt vitæ priſtinæ reſtitutus, nec dictæ febris in eo adparuit vllum ſignum.

§. 16. Quædam puella annorum ſeptem, quæ per ſeptimanas tres, febrem paſſa continuam, exſpirauit: facto ad dictum Sanctum voto per ſuos, ſpiritum recuperauit & reuixit.

Abortiuum mirabiliter vita redditur.

§. 17. Quædam denique mulier, quæ duas conceperat filias, vnâ illarum in ventre mortuâ, ex caſu dictæ matris de aſino, & in eius ventre ex morâ diutinâ putrefactâ, cœpit puerperio laborare. Cumque dictus partus iam putridus per fruſta fuiſſet extractus, & alia filia mortua iam educta eſſet obſtetricum miniſterio violenter, & proiecta in ſtabulo ſuper fimum: emiſſo ad ipſum Sanctum voto, quod ſi partus ille reſurgeret, vnam ſibi ceræ imaginem præſentaret, puella palpitare cœpit, & baptizata ſeptem menſibus ſuperuixit.

§. 18. Quidam etiam puer ætatis annorum ſeptem, dum ſub lecto in quo cum ſuis iacebat parentibus, repertus mortuus, rigidus & frigidus aliquo tempore permanſiſſet, facto per parentes ad hunc Sanctum voto, fuit diuinitus ſuſcitatus.

§. 19. Mulieri cuidam quæ propter vehementem infirmitatem diem extremum clauſerat, emiſſo per ſuos ad Sanctum iſtum voto, eius meritis reddita fuit vita.

Surdæ ſanantur.

§. 10. Quædam puella nobilis, quæ ex caſu ad terram de nutricis brachiis, per octo menſes paſſa fuerat ſurditatem, facto voto ad prædictum Sanctum per patrem, à dictâ ſurditate ad plenum extitit liberata.

Muti loquuntur.

§. 21. Quidam quoque cùm poſt fortem febrem continuam perdidiſſet loquelam, & ſic mutus per menſem integrum permanſiſſet, adductus ad ſepulchrum Sancti huius, fuit ibidem loquelæ finitâ Miſſâ reſtitutus.

§. 22. Mulier quædam quæ ſubitò muta, & impotens de vno brachio facta fuit, hac infirmitate ſibi per menſem durante, emiſſo voto per matrem, ſtatim ad ſanitatem priſtinam eſt reducta. Quædam etiam mulier dum ex partu quodam violento de puero mortuo, & in eius vtero tranſuerſato, contracta in manibus & pedibus & fœmoribus, biennio permanſiſſet, facto voto ad Sanctum præfatum, quòd ſi curaretur, ſcoparet in totâ vitâ Eccleſiâ, in quâ iacet, dormire cœpit; & expergefacta à morbo prædicto penitus eſt curata.

Podagrici curantur.

§. 23. Vir quidam paſſus annis ſex guttam in manu & brachio, ventre ac humero; facto voto, quòd eius limina viſitaret, ſtatim fuit ſanitatis beneficium conſecutus.

§. 24. Quidam denique preſbyter paſſus guttam in latere, quæ ipſum afflixit grauiter diebus ſeptem, facto voto ad memoratum Sanctum, diligentiùs eius tumulum viſitando, recepit continuò ſanitatem.

§. 25. Quædam mulier quæ per octo annos morbo Epileptico quaſi quotidie grauabatur, emiſſo voto, quòd ſepulchrum eius, ſi curam reciperet, annis ſingulis viſitaret, curam recepit,

ſicque

ſicque ex tunc de morbo ipſo nihil penitus ſenſit.

Attactu veſtis S. Ludo. quadã ægra ſanatur.

§. 26. Monialis quædam quæ poſt febrem longam, quam paſſa fuerat, dolorem incurrebat in omnibus membris ſuis, intantum quòd in duodecim diebus niſi alieno adiutorio de lecto non poterat ſe mouere: portato ſibi pedali panno, qui quondam Sancti huius dicebatur fuiſſe, ac ſibi applicato ad carnem, ſana & incolumis eſt effecta.

Punitur qui Sancto detraxerat.

§. 27. Cùm homo quidam, qui miraculis iſtius Sancti detrahere nitebàtur, reuerſationem faciei & oculorum turpiter incurriſſet; ſicque manens per dies ſex, huic Sancto cum deuotione quâ poterat ſe deuouiſſet: ad ſepulchrum eius veniens, & offerens caput cæreum, antequam exiret Eccleſiam, perfectè reperit ſe curatum.

§. 28. Hæc ſunt mirabilia opera ſolius Altiſſimi, quibus & aliis quàm pluribus mirificare voluit Sanctum iſtum, ac toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnificè Deus noſter, cuius dextera huic Epiſcopo confert ſtelliferum regni diadema. Applaudant & iſti pariter cæli ciues, quorum cœtibus Sanctus hic ſole ſplendidior eſt inſertus. Canant quoque altiſſimè Franciæ, Siciliæ, ac Hungariæ regna felicia: de quorum horto candoris niuei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem vuam; cuius liquor cælos lætificans abundè funditur in calice ſummi Regis. Lætetur inſuper ciuitas Toloſana, tanto ditata Præſule, quem apud Deum aduocatum habet ſedulum & patronum. Verè felix es ô tu Maſſilia facta diuinorum aromatum tam ſancti corporis apotheca. Sed & Fratrum Minorũ Ordo conſpicuus, nouæ laudis canticum promere non deſiſtat: in aulâ cæleſti tam præclarum alumnum diuinis feſtiuè conſpectibus repræſentans.

Mundus colat quem Deus honorat.

§. 29. Ceterùm, quia conuenit, vt quem Dominus in cælo magnificat, mundus colat: nos de ſanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipſius, inquiri fecimus diligenter. Et quia poſt inquiſitionem ſolertem, & ſtudioſam examinationem, & diſcuſſionem ſollemnem, ſupplicatione deuotâ & humili Prælatorum omnium tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium cum inſtantiâ requiſiti: de fratrum noſtrorum conſilio & adſenſu, de omnipotentis Dei virtute confiſi, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius & noſtra, ipſum ſeptimo die Aprilis, ſanctorum Confeſſorum catalogo duximus adſcribendum. Ideóque vniuerſitatem veſtram monemus, & exhortamur attentè, per Apoſtolica ſcripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quarto decimo Calendarum Septembrium, feſtum eiuſdem Epiſcopi & Confeſſoris deuotè celebretis, ſollemniter; & faciatis à veſtris ſubditis deuotione congruâ celebrari: vt piâ eius interceſſione hîc à noxiis protegi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi valeatis.

Adſcribitur catalogo Sanctorum.

§. 30. Et vt ad mirabile eius ſepulchrum ardẽtiùs & affluẽtiùs Chriſtiani populi confluat multitudo, ac celebriùs eiuſdem Confeſſoris colatur feſtiuitas: omnibus vere pœnitẽtibus & confeſſis, qui cum reuerẽtiâ illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia petituri; de omnipotentis Dei miſericordiâ, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, duos annos, & duas quadragenas; accedentibus verò ad prædictum ſepulchrum, annis ſingulis infra eiuſdem feſti octauam, vnum annum & quadraginta dies, de iniunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Datum Auinione ſeptimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

Indulgentia ad eius ſepulchrum.

F. HENRICI SEDVLI

ORDINIS MINORVM COMMENTARIVS

Ad vitam ſancti LVDOVICI Epiſcopi Toloſani.

VERE *ac ſapienter iam olim ab eloquentiæ Romanæ principe dictum*, Omnia præclara rara. nec quidquam difficilius, quàm reperire quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectũ: *quod equidẽ ſub vno exemplo ſumto ab agriculturâ declarare lubet. Meſſores etiamſi diligentiſſimè demeſſas ſegetes colligant in manipulos: tamen nullos inuenias tam operoſos, quorum nonnulla ſpica, manus oculoſque volentes nolentes non prætereant. Ita prorſus quibus hiſtoriam ſcribere propoſitum eſt, plerumque contingit. Nam licet vt omnia complectantur ad-*

Cic. Læl.

Nihil ex omni parte perfectum.

habeant ſummam diligentiam, fieri tamen vix poteſt, quin aliqua velut paucas ſpicas inſtar meſſorum poſt ſe relinquant. Quod cum de quolibet ſine inuidiâ, ſine notâ dici poſſe facilè concesseris, poterit etiam quiuis de ſcriptore vitæ S. Ludouici adfirmare; quia præcipua tradidit, & nonnulla præteriuit. At horum, ego quo perfectior hiſtoria ſit, in meo breui Commentario (bonorum ſubinde auctorum ſalutaria monita interponens) ſpicilegium facio: pauca ab illo relicta colligens, quæ ad illuſtrandam hiſtoriã vitæ beati viri mihi facere videbantur.

Spicilegium hoc Cõmentarius relictorum.

IN CAPVT I.

LVDOVICVS patre Carolo II. rege Siciliæ.] *Carolo huic II. pater fuit Carolus I. S. Ludouici IX. Galliarum regis frater; Phocenſis ſiue Narbonenſis (nunc ditionem illam, Prouinciam vocant) Comes. poſtmodum à Clemente IV. Pont. Max. contra Manfredum Frederici II. Imperatoris ex concubinâ filium, Siciliæ regni vſurpatorem, Siciliæ Rex creatus. Romam ſiquidem euocatus,* ipſe vxorque in æde Lateranenſi, *(auctore Æmilio)* à purpurato legato, iuſſu Põt. reges Siciliæ, Hieroſolymorumq; deſignantur. *Quamobrem Carolus hic dictus eſt I. Siciliæ rex. cuius filius regni hæres, & patri ſucceſſor, Carolus II. pater fuit S. Ludouici, de quo nunc agitur, Epiſcopi Toloſani. huius auus Carolus I. occupatum non ſine ſanguine Siciliæ regnũ, An. ſalutis noſtræ M. CC. LXXXI. totâ Siciliâ cæſis omnibus Francis perdidit in Veſperis Siculis, Petro Tarraconenſi Rege Siciliam inuadẽte: quòd illi Conſtãtia filia Manfredi vxor eſſet, cuius iure regnum petebat. Carolus I. dum bellũ reparat, filius eius Carolus II. capitur ab Hiſpanis, & captiuus in Hiſpaniã abductus eſt. cum (teſte Æmil.) eius* pater ætate graui, laboribus, luctu, tędio aduerſarum rerum ſic quoque non cedere, non ſuccumbere animo ſtatuens, ſed experiendum agendumque ratus, dum Calabrorum, Apulorum, Lucanorum, Picentinorum, Brutiorum vrbes, ad cõfirmandos animos circumiit, morbo correptus deceſſit: rex indole animi ſummus vir, ſed peccato ſuorũ (vt auctores tradunt) miſer; maximis victoriis perdiu clarus, ſed ſenior vim fortunæ malis expertus. *Carolus eius filius dum in cuſtodiâ haberetur Barcinone, tranſactum eſt, vt illi ad componenda regni negotia dimiſſo, filij obſides ſubſtituerentur: quorum vnus fuit hic S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus. Itaque S. Ludouico Epiſcopo Toloſano patruus magnus fuit S. Ludouicus IX. Galliarum rex, qui Caroli I. Siciliæ regis frater. hæc ex Paullo Æmil. lib. Conformitatum, aliiſque diligenter collecta, pluſculis verbis adſcribenda fuerunt ad hiſtoriæ lucem.*

Stirpis paterna S. Ludouic. ſeries.

Paul. Aem. S. Lud IX. Gal. rege.

Auus S. Ludouici quâ ratione regnũ Siciliæ ſuſceperit.

Quod perdidit in Siculis Veſperis.

Idem Phil III rege Gal.

Indidem.

Quomodo recuperauerit Carolus II. S. Ludouici pater.

Fruct. 8.

Stirpis materna S. Ludouic. ſeries.

Matre Mariâ Hungariæ Regis filiâ.] *Hic mihi face opus eſt, in propemodum inextricabilibus tenebris, quas offundunt (à me tamen nõ nominandi) qui S. Ludouici Epiſcopi ſeriem materni generis explicare ſunt conati: quam ego, ſecutus P. Æmilium, & Antoniũ Bonfinium, hac de re ex profeſſo ſcribentes, in hunc modum recenſeo.* Andreas II. Vngariæ rex (*inquit Æmil.*) ex vxore Gertrude Sueuâ genuit Belam, Colomanũ, Andream, & quaſdam prçterea filias, in quibus D. Elizabetam, &c. Cùm Andreas exceſſiſſet humanis (*auctore Bonfinio*) Bela filius natu maior ab Vngaris omnibus rex conſalutatur. Extincto Belâ, Stephanus eius filius hæreditario iure regnum accepit. Stephano V. Belæ IIII. filio Maria gnata fuit, auiæ ſortita nomen, quæ Imperatoris Græcorum quondam filia fuerat. Hanc pater Stephanus Carolo Claudo, Caroli filio, qui auctoritate beneficentiâq; Senatus Apoſtolici Siciliæ regnũ ſibi vendicauerat, legitimo vinculo coniugauit. Huic ex vxore Mariâ regis Vngariæ filiâ filij quatuordecim fuere, mares nouem, fæminæ verò quinque. In primis, Carolus Martellus Princeps Salernitanus, Ludouicus Epiſcopus Toloſanus, inter diuos non immeritò relatus, Robertus dux Calabriæ, Philippus princeps Tarentinus, Raymundus, Berẽgarius, item Ioannes & Chriſtianus. Ioannes dux Dyrrachius, Petrus deniq; Grauiæ Comes. Maior natu (*inquit paullo ante hæc verba*) Carolus Martellus, Vngariæ regnum maternâ hæreditate expectabat: imò (*vt ipſe ſcribit*), viuentibus adhuc parentibus rex Vngariæ creatus eſt, & ſuperſtitibus eis Neapoli ex humanis exceſſit. Ceterùm is (*inquit Æmil.*) ſolo apud ſuos nomine fuit rex: nec faciliores æquioréſve res illi Vngaræ, quàm patri Siculæ extitere. *Poſuit ferè eadem verba, licet non eiſdem locis A. Bonfinij. Primùm, vt intelligas, quoto cõſanguinitatis gradu, S. Ludouicus Epiſcopus attigerit S. Elizabetham: cùm illa fuerit matri S. Ludouici Mariæ proamita. Deinde, vt videas S. Ludouicum non fuiſſe primogenitum patris, ſed Carolũ Martellum natu maiorem. Errant igitur, quotquot Ludouicũ primogenitum ſcribunt: vt liber Conformitatum fruct. 8. atque illum ſecutus Robertus à Licio Ser. de S. Ludouico. qui eſt 40. Pelbertus à Themeſvvar Serm. de S. Ludouico. Petrus Rodulphius l. 1. hiſtor. Seraphicæ religion. Vinea S. Frãciſci Teutonũ linguâ cõſcripta. Item Hier. Plat. l. 2. de Bono ſtat. relig. cap. 26. &c. Robertus pro ſe bullam Canonizationis adducit, quæ tamen nuſquam S. Ludouicum appellat primogenitum: ſed dicit eũ* iuri primogenituræ renunciaſſe & regno, quod (*hiſtoriâ narrante*)

P. Aemil. Philip. IV.

Rer. Vngar. Dec. II. l. 8.

Id lib. 9.

Fratres S. Ludouici complures.

Vbi ſup.

S. Elizabet. S. Ludouici cognata fuit.

Nec ille primogenitus.

§. 7. Cap. 10.

rante) ſibi hæreditariâ ſucceſſione debebatur. *Debebatur illi regnum, non quia primogenitus: ſed quia primogenitus eius frater Carolus Martellus abierat è viuis, cui ille legibus & iure ſuccedere poſſet, cùm ſecundogenitus eſſet.*

Sed ſecundo genitus.

Vtroque parentũ genere, regali ſtemmate clarus, & ſanctitate (ſi dicere licet) agnatâ illuſtris fuit. Ceterùm Hieron. Platus, candidus (ſi quiſquã alius) ſcriptor, ſubindicare videtur duos tantùm è regum filiis Ordinem Sancti Franciſci cohoneſtaſſe: primùm Iacobum primogenitum, regis Maioricarum; alterum Ludouicum, de quo nunc agimus. ſed errat: quia duos Imperatores in Ordine Franciſcano fuiſſe, duodecim reges, multos regum filios, principes viros plures, in Commentario meo ad Vitam S. Franciſci comprobatum eſt, in §. 8. cap. 3.

L. 2. de Bono ſtat. rel. 26.

Multos, reges, regumq́ filios Ordo Sancti Franciſci habuit.

Aſpectu pietatis S. Ludouici regis Galliarũ.] *Veteribus Chriſtianis in more fuit, Sanctorũ nomina imponere filiis, vt virtutes imitarentur, quorum nomina tenerẽt. Hoc ſpectantes parentes, Ludouico filio, nomen patrui magni dederunt. S. Ludouicus rex Galliarum, auo paterno S. Ludouici frater fuit. Itaque ille patrui magni nomen retulit, & pro voto parentum ſancti cognominis ſui etiam ſanctitatem repræſentauit.*

A sereniſſimâ eius matre reginâ Mariâ accepit.] *Ita loquitur ignotus auctor hiſtoriæ, hîc, & nonnullis aliis locis, ſignificans, S. Ludouici Epiſcopi ſe æqualem & familiarem fuiſſe: quo fides hiſtoriæ maior auctoritas accedit.*

Auctor hiſtoriæ æqualis S. Ludou.

IN CAPVT II.

FILIVS Ludouicus obſes cum duobus fratribus.] *Carolum II. patrẽ Ludouici in bello captũ ab Hiſpanis dictum eſt ad initium capitis præcedentis: ſed dimiſſum paullo pòſt ad componenda regni negotia, certis conditionibus, atque filiis datis obſidibus, & (quod P. Æmil. narrat)* quadraginta præterea è prouinciâ Phocẽſi nobilibus viris. *S. Ludouicum datum obſidem omnes ſcribunt: in numero tamen obſidum plerique variant. Æmilius duos tantùm obſides ſcribit,* Robertum & Ludouicũ. *Blondi Epitome,* Carolum primogenitũ, cui poſtea Martello regi Hũgariæ fuit cognomentum, & Loyſium. *Similiter Platina. At verò noſter auctor S. Ludouico familiaris, Ludouicum obſidẽ pro patre datũ teſtatur, cum duobus germanis fratribus, quod ipſum atteſtatur Ioannes PP. XXII. in bullâ Canonizationis, hiſtoriæ vitæ S. Ludouici: à nobis additâ. Primus obſes S. Ludouicus: alter Robertus frater eius, cuius mentio fit initio cap. 4. Vitæ S. Ludouici. Tertium Raymundus, cuius meminit ſub finem capitis quinti.*

Philip IV.

Quot fratres cum S. Ludouico patre obſides.

Ind. apud Aen. Sil.

Nicol IV. PP.

§. 1.

Qui poſſet in tot aduerſis tanta eſſe æquabilitas.] *Iuuat ſaluberrimũ Senecæ monitum adſcribere: vt habeat ab Ethnico Chriſtianus quod miretur non ſolùm, ſed etiam imitetur. hæc ait, vt putemus talia quæcũque ſunt, debuiſſe fieri: adeoque non naturam, non auctorem naturæ à nobis obiurgandum eſſe.* Optimum eſt pati quod emendare non poſſis: & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui imperatorem gemens ſequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia; nec deſinamus hunc operis pulcherrimi curſum, cui quicquid patimur, intextum eſt.

Epiſt. 197.

Patiendum quod vitari nequit.

IN CAPVT V.

ORANDI perpetuitate.] *A teneris annis adeò aſſueuit ſtudio precandi, vt cùm ſe quieti dediſſet, & abeuntibus famulis ſecum eſſet, paruulus adhuc ſingulis noctibus ſoleret è lecto ſurgere, & in oratione & lachrymis vſque ad mediam noctem perdurare, quod omni tempore eum feciſſe ſcribit liber Conformitatum fruct. 8. vbi Vita S. Ludouici enarratur.*

S. Ludouic. nocte in precibus aſſiduus adhuc puer.

IN CAPVT VI.

SIGNVM Crucis ad expeditionem tranſmarinam.] *Vrbanus PP. II. ſacrum bellum pro recuperatione Hieroſolymorum, in Concilio Claromontenſi, quos exhortatus induxerat, ſigno Crucis ſignauit in humero dextro. quem ritum alij Epiſcopi ſecuti, milites in expeditionem contra Saracenos proficiſcentes, etiam ſigno S. Crucis ſignare ſolebant. Multi hiſtoriam ſcribunt. ſatisfecerit Iacobus à Vitriaco hiſtoria Orientalis Eccleſiæ cap. 16. Paullus Æmilius Philippo I. Francorum rege. Hinc iſta Bulla Cruciata, quæ etiam poſtmodùm contra hæreticos ſolent denuntiari.*

Milites olim in ſacro bello cruce ſignati.

IN CAPVT VII.

CORPORIS exercẽdi gratiâ hortum colebat.] *Sapienter Seneca.* Interdum quies inquieta eſt. Et ideò ad rerum actus excitãdi, ac tractatione bonarum artium occupandi ſumus, quoties nos malè habet inertia ſui impatiens. Magni imperatores cùm malè parêre militem vident, aliquo labore compeſcunt, & expeditionibus detinẽt. Numquam vacat laſciuire diſtrictis: nihilque tam certum eſt, quàm otij vitia negotio diſcuti.

Otij inquieti vitia negotio aliquo diſcutienda.

Epiſt. 87.

IN CAPVT VIII.

PLERISQVE aliis pietate & eruditione.] *Vſus eſt S. Ludouicus præceptore*

S. Ludouici præceptor.

F. Pontio Carbonello, ex Ordine Minorum, tantiſper dum Barcinone degeret in cuſtodiâ. Conform. fruct. 8.

IN CAPVT IX.

Miracula conciones comprobãt.

QVAM gratæ fuerint Deo conciones eius.] *Alia miracula refert liber Conformitatum fruct.* II. *Aliquando in Monte-peſſulano à concione eius, mulier tactu eius, à fluxu ſanguinis eſt liberata. Alia, impoſitione manuum eius à dolore capitis curata.*

IN CAPVT X.

Val. 7. *c.* 2. *Ext.* 5.

quàm felix. gis nobile Regnũ ma-

Ad Polyb. Conſol. 28.

OMNES diuitias & potentiſſimum regnum.] S. *Ludouicus omnia pro nihilo putans deſeruit. à cuius mente non procul* rex ille ſubtilis iudicij, quem ferunt traditum ſibi diadema, priuſquam capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe, ac dixiſſe, O nobilem magis quàm felicem pannum! quem ſi quis penitus cognoſcat, quàm multis ſolicitudinibus & periculis, & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet. *Pulcherrimè Seneca.* Mihi crede. is beatior eſt, cui fortuna ſuperuacua eſt, quàm is cui parata eſt. Omnia iſta bona, quæ nos ſpecioſâ ſed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura; ad quæ generis humani cæca cupiditas obſtupeſcit, cum labore poſſidentur, cum inuidiâ conſpiciuntur: eoſque ipſos quos exornant & premunt; plus minantur quàm proſunt. Lubrica & incerta ſunt, numquam bene tenentur. nam vt nihil de tempore futuro timeatur, ipſa tamen magnæ felicitatis tutela ſolicita eſt.

IN CAPVT XI.

Bul. Can. §. 7.

Lib 7. *c* 77.

SVSCEPTVS à R. P. Ioanne à Murro.] *Hunc Ioannes PP. XXII. vocat Epiſcopum Portuenſem. is erat Generalis Ordinis Minorum poſtea Cardinalis, & Ordinis Protector. vt tradit lib. Conform. fruct.* 8. *quo loco etiam ſcribit S. Ludouicum anno ætatis decimo nono, aut vigeſimo, Ordinem ingreſſum eſſe. & quidem (auctore Petro de Natalibus) in Vigiliâ Dominicæ Natiuitatis. cùm* de licentiâ Summi Pōtificis ſtatim profeſſus, eâdem die per Summum Pontificem pronũtiatus eſt Epiſcopus Toloſanus. *Ceterùm ſi dicatur profeſſus anno ætatis vigeſimo primo, videbitur conſtare computatio ætatis S. Ludouici poſita ab auctore cap.* 19.

Epiſt. 5. *Nota, nota.*

Omnia aurea & argentea,] *priùs patri amore paupertatis reddidit, ſed poſt paucorum vſum permiſit ſibi*, non ſui pretio, ſed aliorum reſpectu. *Breuiter & eleganter à Senecâ ſcriptum*, Magnus ille eſt qui fictilibus ſic vtitur quemadmodum argento: nec ille minor eſt, qui ſic argento vtitur, quemmodum fictilibus. infirmi animi eſt pati non poſſe diuitias.

IN CAPVT XV.

De benef. 6 *cap* 30. *Verum qui dicat omnia poſſidẽtibus abeſt.*

NAM & amici monendi ſunt.] *Rurſum haud immerenter Romani Sapientis verba adſcribo.* Omnia ſanè excluſerit opulenta felicitas, monſtrabo tibi cuius rei inopiâ laborant magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit; ſcilicet, ille qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu concentuq; falſorum.

IN CAPVT XVI.

S. Ludouici annuus redditus.

EPISCOPVS iuſſit inquiri in annuos prouentus.] *Hi ad quadraginta millia librarum aſcendebant. quorũ decem millia pro ſuis impenſis accipiens, reliqua pauperibus erogauit. Lib. Conform. fruct.* 8.

IN CAPVT XVIII.

Pulchritudo faciei.

MIRA inerat amœnitas faciei.] *Tam formoſus erat, vt ad eum videndum, quocumque veniſſet, omnes accurrerent, dicerentque ſe numquam pulchriorem faciem conſpexiſſe. Lib. Conform. fruct.* 8. *Pomerij Sermo de Sancto Ludouico.*

Epiſt. 93. *Vt in paruo corpore perfectus eſſe poteſt homo: ſic in breui tempore vita perfecta.*

Omnes coronæ omnium virtutum ornabant.] *Seneca.* Quemadmodum in minore corporis habitu poteſt homo eſſe perfectus, ſic & in minori temporis modo, poteſt vita eſſe perfecta.

Taraſcum.] *Gallia Narbonenſis, quæ nunc Prouincia dicitur, opidum. A. Ortelius Taruſcon vocat.*

Brincola.] *Arx, vbi natus & mortuus eſſe dicitur S. Ludouicus. Lib. Conform. fruct.* 8. *alij tamen alium mortis locum adſignant.*

IN CAPVT XIX.

QVINTADECIMA valetudinis die.] *Cœpit ægrotare Nonis Auguſti, quibus S. Dominici celebratur anniuerſarii ſolemnitas. Moriturum ſe poſt triduum prædixit, auctore Petro de Natalibus. Mortuus eſt XIV. Kalend. Septembr. Collegi ex lib.* I. *hiſtor. Seraph. relig. Petri Radulph. & aliis.*

Quando S. Ludouic. ſit mortuus.

Anno ſalutis milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo,] *mortuus ab auctore noſtro dicitur. conſentit lib. Conform. fruct.* 8. *& Baronij nota ad Martyrol.* 19. *Auguſti diem. At Petr. de Natalibus mortuum ſcribit anno nonageſimo quinto ſupra milleſimum ducenteſimum. Ceterum & hîc denſa tenebræ; forſan à numeris, quibus ſcribendis vitium facilè irrepit.*

Firma-

Ioan. à Murro Gen. XV.

Firmamentum trium Ordinũ S. Franciſci (ſic liber inſcribitur; tradit S. Ludouicum regulam S. Franciſci profeſſum, Anno ſupra milleſimum ducenteſimum nonageſimo ſexto. adhoc, auctor noſter diſertis verbis docet ipſum, poſteaquam cuſtodiâ liberatus eſſet, duobus annis & decem menſibus vixiſſe. *quod ſi verum eſt, ſequitur, aut priùs fuiſſe profeſſum; aut non nonageſimo ſeptimo, ſed nonageſimo nono anno diſceſſiſſe. quod*

Vbi ſup.

legitur quintâ lectioneni octauâ Sancti Ludouici, cui Firmam. trium Ordin. cõſentit: aut certè alicubi in numeris ſcribendis erratũ eſſe. quod in aliis nonnullis contigiſſe mihi equidem perſuaſum eſt.

Admodum iuuenis obiit.] *Sapiens documentum Senecæ tibi rurſus ingero.*

Conſol. ad Matt. 23. *Ingenia quo illuſtriora, breuiora.*

Quicquid ad ſummum venit, ad exitum prope eſt. eripit ſe aufertq́; ex oculis perfecta virtus, nec vltimum tempus expectãt quæ in primo maturuerunt. Ignis quò clarior fulſit, citiùs extinguitur. Viuacior eſt qui cum lentâ difficilique materiâ commiſſus fumoque demerſus ex ſordido lucet: eadem enim detinet cauſa quæ malignè alit. Sic ingenia quò illuſtriora, eò breuiora ſunt. Nam vbi incremẽto locus non eſt, vicinus occaſus eſt.

Tempus breue vſu ampliſſimũ fieri poteſt. Val. Max.

Et nos, ſi tempore bene vti velimus, etiam paruum ampliſſimum faciemus, numerum annorum multitudine operum ſuperando. Alioqui quid attinet inerti morâ gaudere, ſi magis vitam exigis quàm approbas? *Non eſt poſitum vitæ bonum in ſpatio vitæ, ſed in vſu: atque ita fieri poteſt vt qui diu vixerit, parũ vixerit, ſiue potius mortuus fuerit diu. Vt ſatis vixerimus nec dies faciunt nec anni, ſed animus, pietate & relig. repletus.*

Sen. ep. 77.

Igitur quomodo fabula, ſic vita: nõ quàm diu, ſed quàm benè acta ſit, refert.

Totius vitæ decurſus fuit viginti triũ annorum & ſex menſium.] *Sic auctor Ludouico æqualis & familiaris. atteſtatur liber Conform. fruct. 8. Vinea S. Franciſci cap. 6. Vita S. Ludouici. Petrus Radulphius l. 1. hiſtor. Seraphicæ religion. Denique lectio quinta in Octauâ S. Ludouici. Errat igitur Petrus de Natalibus, & eum ſecutus Laurentius Surius, triginta tres annos vitæ illius tribuentes. vt nihil addubites, auctor ipſe, vitæ illius totius annos vt exegerit, recenſet.*

Anni vitæ S. Ludouici.

S. Lud. l. 7. cap. 77.

Si quis verò adoleſcentiam illius ſugillare non vereatur, etiam D. Paullũ ſugillet, quòd Timotheum Epiſcopum creauerit adoleſcentem: atque adeò adoleſcentẽ, vt eius rei gratiâ contemni periculum fuerit; & ne fieret, ſcribit, Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. *in quem locum D. Chryſoſtom.* * Si ætatis defectũ indolis magnitudine, morumq́; grauitate ſuppleueris: nullus iam te adoleſcentiæ causâ contemnet, verùm admirabitur magis.

1. Tim. 4. 12.
* hom. 13.
Adoleſcentiũ nõ tam vita reſpicienda quàm virtus.

Contingit aliquando adoleſcẽtes cordatos eſſe: qui, ſi ad illud Epiſcopale munus eueharıtur, non derogatur muneri: quia non vita reſpicitur, ſed virtus deſideratur. Talis S. Remigius Epiſcopus Remenſis, quem Baronius ex Fortunato & aliis ſcriptoribus, adſirmat Epiſcopum creatum, ætatis annum agentem vigeſimum ſecundum.

Viſus eſt B. Ludouicus à quodã religioſo fratre à multitudine magnâ Angelorũ in paradiſum deferri, voce magnâ clamantiũ, Sic fit ſeruienti Deo in munditiâ & puritate. *id quod legimus lectione quintâ in Octauâ S. Ludouici. Atteſtatur Robertus à Licio Ser. de S. Ludouico.*

Sepultus eſt Maſſiliæ.] *Sacrum funus S. Ludouici dum ex arce Brincolâ Maſſiliam portarẽtur ad ſepulturam, viſi ſunt de cælo radij, inſtar lancearum ad ſacrum corpus deſcendere. & extincta faces in viâ cælitus accendi. Scribit Liber Conform. fruct.* 8.

Conſpectus eſt autem.] *A morte nimirum, ritu Epiſcopali facto ſigno Crucis, ſicut conſueuerat, populum benedixiſſe. Indidem.*

IN CAPVT XX.

VETVS *exemplar Louanienſe manuſcriptum, capite VII. hiſtoria Vitæ S. Ludouici, multa recenſet miracula, quibus permotus Pontifex, eum retulit in numerum diuorum. poſt hiſtoriam vitæ eius plura alia ſunt adſcripta: quorum quædam in vitâ eius, nonnulla poſt eius mortem ſunt facta. & quidem omnia iſta mixtim ſine vllo ordine, vt fortè contigerant, aut certè vt venerant ad notitiam ſcriptoris, ſiue collectoris: nec enim vnus auctor eſſe videtur. Viſum mihi omnia ferè iſta in ordinem redigere, & ad exemplum S. Bonauenturæ, miracula S. Franciſci conſcribentis, quæ eiuſdem erant argumenti, paragraphis propriis comprehendere.*

§. 1. De mortuis qui reuixẽrunt.] *Ioannes PP. XXII. in Bullâ Canonizationis S. Ludouici, commemorat ſex mortuos meritis eius reuixiſſe. at verò lectio quinta in octauâ Sancti Ludouici, adſirmat probatum eſſe teſtimoniis fide dignis,* duodecim mortuos ſuis meritis diuinitus ſuſcitatos: *imò plures videbit, qui hunc paragraphum dignabitur inſpicere, referentem quatuordecim reſuſcitatos fuiſſe. Præter iſta, alia commemorat lib.* Conform. *fruct. 8. ſeptem ſcribens mortuos reſuſcitatos eius patrocinio. Vbi illud vehementer ſtupendum de duobus fratribus Maſſilienſibus, quorum vnus alterum fortè occiderat: occiſor morti addictus, gladio cæſus eſt. Mater, dum triſtia funera filiorum in templo ſancti Ludouici ponerẽtur, voto concepto in Sanctum pro vitâ filiorũ, capite decollati vnde cæſum erat ſe reponente, vtrumque filium viuum recepit. Alia etiam ponit non minus mirãda, quæ prætereo.* Sed *vnum addam ex S. Antonino, quod viro nobili cõtigiſſe ſcribit in Apuliâ. qui immeritò ſuſpẽdio adiudicatus, cùm ter ſuſpenſus, tertio etiam rupto laqueo decidiſſet illæſus, patrocinio S. Ludouici*

ſeruatus, dimiſſus eſt. Tertiâ parte hiſtoriæ titulo 24. cap. 4. §. 2.

§. 6. De mutis.] *Vltimum miraculum manuſcripti exemplaris Louanienſis, hic lubet adſcribere, & quidem penè iiſdem verbis. Accidit Louanij anno Domini* M. CCCC. XXVI. *poſtquam vitam S. Ludouici & miracula prædicaſſet F. Henricus de Zichem in plateâ dictâ groeſſtrate, quædam mulier eiuſdem plateæ retulit, cuidam viro, dicto Henrico Iſeren & Catharinæ vxori filium puerum fuiſſe toto ſexennio mutum. Parentes auditis miraculis Sancti Ludouici, pro ſalute & voce pueri duos cereos Sancto vouerunt, ſi præſcripto tempore vocem & loquelam reciperet, facto voto mox puer vocalis auditus eſt, & perfectè loquens.*

Voto parentum filius mutus vocalis factus.

§. 13. Sepulchrum eius viſitantibus mens ſanior reddita.] *Signatè notanda Ioannis Damaſceni ſententia.* Sancti & dum viuerent repleti erant Spiritu ſancto, & poſtquam deceſſerunt, gratia Spiritus ſancti ſemper ineſt eorum animis atque corporibus, in ſepulchris, & ſignis, & imaginibus; non per eſſentiam, ſed per gratiam & actionem.

Or. 1. de Imaginib. *Etiam ſepulchris Sanctorum ineſt gratia.*

IN CAPVT XXII.

TRANSFERTVR ad ſummum altare.] *Factum iſtud Anno ſalutis* M. CCC. XVII. *Conſentit Firmam. trium Ord. à quo tamen diſcrepat lectio quinta in Tranſlationis eius feſto, tranſlationi eius aſcribens annum* XX. *Sed facilè in numeris erratur. In eius-tranſlatione quinque mortuos reuixiſſe, & multos ægros ſanatos ſcribit Petrus de Natalibus, & Petrus Rodulphius lib. 1. hiſtor. Seraphicæ relig. Poſt decem & octo annos, cerebrum capitis eius tam recens & integrum inuentum eſſe, quaſi viueret, commemorat lectio ſextâ in octauâ Tranſlationis. Quod Robertus Siciliæ rex frater eius accipiens, Neapolim deportauit: vbi argento incluſum, auro gemmiſque ornatum, in veneratione eſt. Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſeptimo decimo, corpus eius Maſiliâ auectum ab Alfonſo Aragonum rege in Hiſpaniam, refert ſupradicto loco Petrus Radulph. commeminit Franciſcus Gonzaga, de Origine Seraphicæ religionis, parte tertiâ, in deſcriptione Conuentus Maſilienſis, prouinciæ Sancti Ludouici.*

Genet. 18. *Miracula in corporis trãſlatione.* Lib. 7. c. 7.

Cerebrum S. Ludouici diu incorruptum.

Corpus eius in Hiſpaniã auectum.

IN DIPLOMA IOAN. PP. XXII.

BVlla Canonizationis (quæ publica vox Eccleſiæ) ex Surio eſt adſcripta ad diem 19. Auguſti. quam ferè totam recitat S. Antoninus tertiâ part. hiſtor. tit. 24. cap. 4. è quâ lectiones in officio S. Ludouici matutino ferè omnes deſumptæ ſunt. Diſparaui in gratiam lectoris per paragraphos, ipſum Diploma Pontificis.

§. 8. Quamquam prælatus tam magnus eſſet, & filius tanti regis.] *Audio hoc etiam à nonnullis ſugillari: quod inique fieri ſciunt qui ex Paullo Æmilio, potentiam aui perſcribente, etiam Romanis grauem, atque inuidioſam, recognoſcere velint. Philip. III. Francorum rege.*

Siculi regni potentia.

Eant nunc obtrectatores, inuidi virtutis Sanctorum, qui cùm in imo turpitudinis gurgite iaceant, altorum virorum celſitudinem & ſplendorem nec videre poſſunt, nec ferre. Nam qualia pectora, quales voces, imò monſtra verborum, quibus vitam S. Ludouici ſugillantes parum dignam temerariè indicant, quæ viro beato adſcribatur. Scilicet, Nulla tam modeſta felicitas eſt, qui malignitatis dentes vitare poſſit. *Verum vt iter facientes per ſolem, neceſſariò comitatur vmbra: ſic incedentibus per gloriam comes eſt inuidia. Illud modò dixerim,* Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet: *vt tales cum diis pugnare deſinant. Porrò vt fumus denſior in primis ignem premens obſcurat omnia; ſed flammis paullatim perrumpentibus, quæ tenebroſa parebãt, magis illuſtrantur: ſic ipſa res, ipſa beati viri pura vita ſanctitas, atque ille ſplendens miraculorum fulgor, noctuas illas tantam eius lucem non ferentes, facilè diſpulerint.*

Malignitas etiam bonos mordet.

Eccli. 27. 28.

Sed ego te nunc cælitus nos inſpicientem, ſanctiſſime Præſul, gemmula Minoridarum, compellans, Eccleſiæ precatione, me & hunc qualemcumque laborem meum, commendo tuo patrocinio,

Roſa vernans caritatis, lilium virginitatis, ſtella fulgens Ludouice, vas ſanctitatis, ora pro nobis Dominum.

APPROBATIO.

Hiſtoria Vitæ S. Ludouici Epiſcopi Toloſani, à Reuerendo Patre Henrico Sedulio *adornata, & Commentariis illuſtrata, ſanctiſſimis exemplis mores hominum formas, & aduerſarios Catholicæ religionis inſigniter confundit: ideo eam prælo & lectione dignam indicaui.*

Laurentius Nagelmaker Archidiaconus Mechlinienſis, & Librorum Cenſor.

Placet prælo mandetur. Fr. Balthazar Vincent Miniſter Prouincialis.

SAN-

SANCTI

BERNARDINI SENENSIS

ex Ordine Minorum

VITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMICO LECTORI.

SANCTI *Bernardini Senenſis vitam propono · qui datus orbi Chriſtiano Concionator admirandus, præſertim Italiæ. Non laudes quærebat, nec hominum plauſus, ſed eorum ſalutem; quapropter ſideris inſtar circuibat & auditores illuſtrabat. Is, quantum fructus in Dominicum intulerit horreum, vita eius palàm docet. Nimirum, ardens erat pruna; quæ cùm extinctis applicatur carbonibus, flabris ſuauiſſimis diuinæ gratiæ, & orationis flexanimæ, ipſos quoque faciebat ardere. Habet Eccleſia multos dicentes, ſed tantùm dicentes: quorum voces ad aures veniunt, pectus non implent, loquuntur famæ, non auditorum bono, nugalibus theorematibus ſine fructu dilatrantes. Non eſt theatrum Eccleſia, neque verbis cauponanda audientium gratia: cùm ea ſola ſit ſalutaris oratio, quando bene dicta, per opera exercet alacriter ipſa concio.*

S. Bernardinus ardens pruna.

ELOGIA.

Marcus Marulus.

Ordinis Minorum ſecunda gloria.

1. BERNARDINVS, Ordinis Minorum ſecunda gloria. *Lib. 1. dictor. factorumque cap. 2.*

S. Antoninus ex Ordine Prædicatorum, Archiep. Florentinus.

2. Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri, diebus iſtis nouiſſimus, in ſeruo ſuo Bernardino; qui cooperante clementiâ Patris miſericordiarū & luminū, vt nouum ſidus in opaco ſęculo, cęleſtiū chariſmatum illuſtratione præfulgens, mirabiliter claruit, & in dēſiſſimas humanæ inſipientiæ tenebras, celebris vitæ & doctrinæ micantes radios propagauit: vt cæcutientem populum, qui à cæleſtis patriæ recto tramite declinabat, præuiâ vitæ ſanctitate, in Dei timore dirigeret, & verbo doceret pariter & exemplo. *Hiſtorial. par. 3. tit. 24. cap. 5.*

Æneas Siluius.

3. Maximum ei ſtudium in edocendis populis fuit. Qui cùm eſſet facundiâ copioſus, & doctrinâ inſignis, incredibili omnium attentione audiebatur, &, quaſi alter Paullus, eſſet vas electionis, in admiratione ac reuerentiâ habitus eſt. *Lib. de Europâ 64.*

Quaſi alter Paulus vas electionis.

Laonicus Chalcocondylas.

4. Bernardinus ~~Canilius~~, plurima & magna, quæ pertinent ad religionem Ieſu, docens, magnam ad gloriam & claritatem emerſit. Nam facilè princeps, quantum ad eruditionem attinet, per vniuerſum Occidentem apparuit. Itali, in honorem Bernardini demortui, feſta celebrant, & templa exædificant, ceu Heroi. Nec paucæ ſtatuę per Italiam viſuntúr, quæ conſecratæ in honorem huius viri, poſitæ ſunt, quaſi extiterit vir quidam ſanctus & diuinus. Commemorantur & miracula, quæ vir ille fecerit. *Lib. 8. de rebus Turcicis.*

S. Vincentius, Ordinis Prædicatorum.

5. Alexandriæ, Longobardiæ ciuitate, concionante Beato Vincentio, adeſt Bernardinus: ibi tum palàm edixit beatus Vincentius; Noueritis, chariſſimi, inter vos aſtare fratrem quendam Franciſcanum, qui paucis abhinc annis, erit inſignis totâ Italiâ; atque ex eius tum vitâ, tū doctrinâ fructus vberrimi exiſtēt. Et licet ego illum ætate antecedam, tamen in Rom. Eccleſiâ ille me honore anteibit. & vos quidem decet, hoc nomine gratos eſſe Deo. Ego verò, relictâ Italiâ, me ad Gallias & Hiſpanias recipiam. His dictis, eò rediit, vnde parumper digreſſus erat. Poſt annos decem, Bernardini nomen totam Italiam cōpleuit. Et quāuis triginta annis ante illū ex vitâ diſceſſiſſet B. Vincentius: tamen ſex annis ante Vincen-

Vaticinium B. Vincentij de S. Bernardino.

Italiam totam illuſtrauit.

tium Bernardinus in ſanctos relatus eſt. *Lib. 3. Vita B. Vincentij, apud L. Surium Tomo 2. ad quintam Aprilis diem. Robert à Licio Serm. de S. Vincentio cap. 2.*

M. Antonius Coccius Sabellicus.

6. S. Bernardinus, vir ſanctitate inſigni, Euangelicæque doctrinę orator, ſuâ tempeſtate maximus. *Ennead. X. lib. V.*

Ioannes Molanus.

7. Bernardinus totam Italiam ſuo illuſtrauit verbo & exemplo. *In Martyrolog. Vſuardi ad XX. Maij.*

Baptiſta Platina.

Factiones Guelphorũ & Gibellinorũ compoſuit.

8. S. Bernardinus, prædicando, docendo, monendo, caſtigando, etiam factiones Italiæ, Guelpham ſcilicet & Gibellinam magnâ ex parte extinxit. *Nicolao V. Pontif. Max.*

Leo X. Pont. Max.

9. Horâ nonâ, monente Domino, ſurgentibus in dies malis, & ſcandaloſis vineæ agricolis, ſuſcitauit Dominus ſpiritum adoleſcentis, paucorum videlicet fratrum, qui ſignifero nominis Ieſu, B. Bernardino ductore & præſide, ſacri Concilij Conſtantienſis freti præſidiis, languentem, imò pæne mortuum, per orbem vniuerſum, Ordinem viuificârunt. *In Bullâ Vnionis, apud F. Gonzaga part. 1. de Orig. Seraphica relig.*

Signifer in nominis Ieſu.

Robertus à Licio Epiſcopus Aquinatenſis.

10. Bernardinus, alter Paulus, & vas electionis, Chriſtianam religionem ſuâ doctrinâ reformauit. Ipſe Italiæ populos, per abrupta vitiorum deuiantes, ad ſemitas virtutum & iuſtitiæ reduxit: ipſe denique religionem ſacram Minorum numero, & ſanctitate adauxit. *Serm. de Sancto Bernardino initio.*

Iacobus Philippus Bergomenſis, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini.

Ordinis Seraphici reſtaurator.

11. Bernardinus, natione Senenſis, Seraphici Franciſci Ordinis profeſſus, & inſtaurator, ac egregius declamator; nec non & bonarum litterarum ſcientiâ, ac ſanctitate inſignis, anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio, apud Aquilam Aprucij vrbem, tertio & ſexageſimo vitę ſuæ anno, vitæ ſuæ finem fecit: cuius reliquiæ, vt aiunt, cùm per ſingulos dies multiplicibus miraculis coruſcarent, Nicolaus V. Pont. an. Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, cum ſanctis Confeſſoribus aggregauit. Ipſe enim in Hetruriæ Senarum vrbe, ex nobili familiâ originem duxit, & in adoleſcentiæ flore mundo renuntiauit, & ordinem Minorum ingreſſus eſt. Qui à primo ingreſſus ſui anno, cùm fratres ſui Ordinis à patrum inſtitutis procul abiiſſe reperiſſet: eos pro viribus acriter corrigere ſtuduit. & cùm in viam eos reducere nõ poſſet, pluribus ſequeſtratis, quibus Regulam ſeruare placuit, cum his monaſteria alia erexit, & ſanctis inſtitutis, multis in locis reformauit: eoque ſucceuſus ardore, cùm eſſet vehementiſſimus diuinorum eloquiorum ſuaſor, per triginta & eo ampliùs annos, vniuerſam Italiam prædicando circuiuit, vitia fulminando, & virtutes erigendo: vnde omnibus in locis, mirabilem in omnes, tam religioſos quàm ſæculares fecit animorum commutationem. *Lib. 15. Suppl. ad ann. 1443.*

** l. quarto.*

Thomas Bozius Congregationis presbyterorum Oratorij.

12. Anno milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo quarto, defunctus eſt Bernardinus Senenſis, qui collapſam Sancti Franciſci religionem reuocauit ad priſtinum ſanctimoniæ ſtudium. *Lib. 7. de Signis Eccleſ. cap. 1.*

Hartmannus Scheydel Hiſtoricus Noribergenſis.

13. Bernardinus Senenſis, Ordinis Seraphici Franciſci profeſſor & inſtaurator, egregius ſuâ ætate declamator. Is apud Senam vrbem Hetruriæ nobili loco natus, poſtquam litteras didicit, ac Pontificij Iuris aliquam peritiam habuit patrimonio, quod non tenue à parentibus iam vitâ functis acceperat, inter pauperes Chriſti erogato; abnegans ſæculi pompas, ad religionem D. Franciſci ſeſe recepit, amator paupertatis eximius. Cùm Ordinem illum labentem, & ab inſtitutione primæuâ longè remotum oſtendiſſet: reducere fratres in viam, cùm diu fruſtrà conatus fuiſſet (neque enim indurati

Eximius paupertatis amator.

maio-

maiorum Conuētuum mores flecti poterant) vocatis ad ſe nonnullis, quos ſanioris mentis inuenit, ſeorſim habitare inſtituit, hiſque domos ab vrbibus remotas ex eleemoſyna ſtruxit; iubens omnes, vt Patris Franciſci voluntas fuerat, nudis pedibus ambulare, veſtes laneas ſine lino habere, cibo vinoque vti modico, plumas omnes effugere, in ſacco dormire; nihil de craſtino eſſe ſolicitos, nihil proprij tenere, pecuniam vti venenum malamque peſtem fugere, victum eleemoſynâ quærere, humiles eſſe; populis Chriſtum & hunc crucifixum prædicare: quæ omnia primus ipſe implebat ſobrius pater, in prædicationibus adeo plebi acceptus, VT ALTER PAVLVS crederetur. Per quadraginta, & eo ampliùs annos vniuerſam Italiā prædicando circuiuit. Quibus rebus adeò religionem auxit, vt quinquaginta & ampliùs cœnobia, per Italiam, ſui Ordinis à fundamentis erexerit, & fratribus impleuerit. Mos ei fuit inter prædicandum, NOMEN IESV aureis litteris in tabellâ depictum oſtendere: cuius rei nouitatem cùm plerique improbarent, à Martino Pontifice iuſſus eſt nouum ritum relinquere. Hunc in nomine Ieſu curaſſe morbos, & feciſſe miracula, non eſt ambiguum. Tandem apud Aquilam Brutiorum vrbem, terrenæ vitæ curſu peracto, ad cæleſtem migrauit; vbi corpus eius ſepultum, tertio & ſexageſimo vitæ anno, miraculis coruſcat. Ideo Nicolaus Quintus Pontifex anno ſalutis milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo, in Iubilæo, adnitente Ioanne de Capiſtrano, Sanctorum Ordini adſcripſit, ac in catalogo beatotorum patrum redegit. *Sextâ ætate mundi.*

Ieſu nomen à concione oſtendit auctoritas.

Andreas Eborenſis.

14. Bernardinus, cuius prædicatione Fratrum Minorum collegium creuit, primùm quidem Pontificij Iuris diſciplinis operam dedit: poſtquam autem ad Theologiam animum applicuit, ei ſtudio ſe prorſus totum tradidit; adeoque ipſum delectauit de Deo ſermo, vt mox relicto ſæculo, religionem ſit ingreſſus. Itaque Iuris peritia virum quidem bonum conſtituit: ſed Theologiæ ratio etiam perfectum reddidit. Altera neminem offendere docet, altera ſemetipſum quoque abnegare, & crucem tollere, & Chriſtum ſequi omnibus ſuadet, multiſque perſuadet. *Tom. poſteriore exemplorum memorabilium*, *Tit. de lectione & ſtudio.*

Iuris peritia & S. Theologia quid in S. Bernardino fecerint.

Iohannes Trithemius.

15. Bernardinis ordinis Fratrum Minorum, natione Italus, patriâ Senenſis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & declamator omnium ſui temporis celeberrimus, vitâ & conuerſatione ſanctiſſimus: quippe qui viuus & mortuus infinitis miraculis coruſcauit. Scripſit ad ædificationem fidelium, quædam opuſcula, quibus ingenij ſui vim etiam poſteris oſtendit. è quibus extant,

Concionator celeberrimus, infinitis claruit miraculis.

In Apocalypſim Ioannis. *lib.* I.
De Euangelio æterno. *lib.* I.
De Chriſtianâ religione. *lib.* I.
De Conceptione B. Mariæ, *lib.* I.
De Paſſione Domini. *lib.* I.
Sermones de Tempore. *lib.* I.
Sermones de Sanctis. *lib.* I.
Et quædam alia.

Beatus qui legit, *&c.* Triplex.
Non enim veni ſoluere.
Nunc manent fides, ſpes.
Nondum erat abyſſi, *&c.*

Moritur apud Aquilam Aprutij vrbem, regnante Frederico Tertio Imperatore, ſub Eugenio Papâ Quarto, Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo quadrageſimo quarto, indictione ſextâ, ætatis ſuæ anno ſexageſimo tertio. & propter crebra miracula, per Nicolaum Papam Quintum Catalogo Sanctorum inſertus eſt, anno quinquageſimo, poſt obitum verò ſeptimo: cuius feſtum colitur viceſimâ die menſis Maij.

Quando ſit mortuus.

Sixtus Senenſis ex Ordine Prædicatorum.

16. Bernardinus natione Hetruſcus, patriâ Senenſis, Ordinis Minorum, vir vitæ ſanctitate, & miraculorum gloriâ clarus, labentis religionis ſuæ inſtaurator, & auctor obſeruantiſſimæ congregationis. Scripſit more ſcholaſtico, ſed ſermone magis aperto ac ſimplici, in Apocalypſim librum, cuius initium eſt; Beatus qui legit verba libri huius. Claruit An. D. milleſimo quadringenteſimo quarto.

Henri-

Digitized by Google

Henricus VVillot ex Ordine Minorum.

17. Bernardinus Senenſis natione Hetruſcus, nobili & vetere Albizeſcorum familiâ, ex Tullo & Nerâ Maſſanâ Bindi militis filiâ ortus, Generalis Ciſmontanus Commiſſarius in Capitulo Audomarenſi creatus, vir vitæ ſanctitate & miraculorum gloriâ clariſſimus, inclinatæ ſuæ religionis inſtaurator, & auctor Obſeruantinorum. Habuit in eloquio multam grauitatem, parem ſanctitatem, doctrinæque plurimum: tantumque dicendo valuiſſe refertur, vt quocunque loco ac tempore dicturus eſſet, non otioſi dumtaxat & inertes, ſed & opifices, etiam omnes alij, tabernis ac domibus occluſis, ad eum concurrerent ..... Quamplura ſermone ſcholaſtico, ſed aſſertionibus neruoſo edidit, & ad poſteros tranſmiſit ..... Recognita eius opera per Petrum Rodulphiū item Franciſcanū, & Epiſcopum Senogallienſem, Venetiis, recenter nouis typis prodierunt, *quorum ſeriem aſſcribo, ex Venetâ editione apud Iuntas Anno* M. D. XCI.

Tom. 1.

S. Bernardini opera. Quadrageſimale de Chriſtianâ religione; Nunc manent fides, ſpes, *&c.* Sermones ſunt ſexaginta ſex: in quibus vberrimi de reſtitutionibus, & de paſſione Domini tractatus.

Tom. 2.

Quadrageſimale de Euangelio æterno: vbi copioſiſſimus de vſuris, eorumque contractibus tractatus: Non enim veni ſoluere legem, *&c.* Sermones ſunt ſexaginta ſex.

Tom. 3.

Sermonum opus: in quo præter alia de Spiritu ſancto, de Beata Virgine, de octo Beatitudinibus, deque obedientiâ Euangelicâ tractatus; Ignis à facie eius exarſit, *&c.*

Quadrageſimale aliud: Dixit Ieſus diſcipulis, & ſunt ſermones breues quadraginta quinque.

Tom. 4.

Quadrageſimale Seraphim; Deus patrum meorum, *&c.* ita vocatur, quia in omnibus ſermonibus de amore Dei; & ſunt quadraginta nouem.

Sermones extraordinarij; Et vidi, & ecce agnus. & ſunt viginti quinque. *An in Apocalypſim ſcripſerit, dubioſum eſt.*

Æneas Siluius.

18. Cùm annis circiter quadraginta, ſingulis fere diebus, populis prædicaſſet, apud Aquilam vrbem migrauit ad Dominum; vbi corpus eius reconditum, infinitis hodie miraculis claret. *Infinitis claret miraculis.* *Libro de viris illuſtribus.* *Tom.* 1. *operum Diui Bernardini.*

Blond. Flauius.

19. Aquilæ ciuitatis Apuliæ cœperat fortuna reipublicę proximis temporibus à ciuium diſcordiâ labare: adeò vt ad priſtinam calamitatem reditura videretur; niſi maximo Dei munere Sanctum Bernardinum Senenſem apud eos diem obire contigiſſet. Tantus namque ex omni orbe Chriſtiano populorum concurſus ad Sancti eius ſepulchrum, miraculaque viſenda eſt factus: vt cùm vrbs Aquila opibus ſit aucta, tum maximè ciues concordes vnanimeſque ſint facti. *Ad eius ſepulcrum magnus fidelium cõfluxus.* *Blond. Flau. Italiæ illuſtrata regio.* 12.

Antonius Amicius I. C.

29. Lætare itaque, ac plaude Aquila! non minùs nobilis quàm felix; quòd Dei clementia, præter ceteros, hoc quoque magno mirabilique nouiſſimè ſis decorata patrono, Italiæ ſanè gloriâ, Franciſcanæ religionis coronâ, virtutis ſpeculo, religioſorum, Apoſtolicæque vitæ normâ. qui profectò illud ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, perfectus decore in delitiis paradiſi Dei fuit; omnis lapis operimentum eius. *Præfat. in vitam Sancti Bernardini à B. Ioan. Capiſtrano ſcriptam. To.* 1. *oper. Sancti Bernardini.*

INDEX CAPITVM.

I. S. BERNARDINI genus, patria, parentes, educatio.
II. Ad eleemoſynas propenſus, in D. Virginis honorem quoque ſabbatho ieiunat.
III. Senis, Omphrio & Ioanne Spoletano præceptoribus, doctiſſimus euadit, admirandâ pudicitiâ conſpicuus.
IV. Obſcœna horret verba, præſentiâ ſuâ profligat laſciuos, impudicum pugno caſtigat.
V. Laſciuum ad turpia ſolicitantem verberibus & lapidibus abigit cum ſocijs.
VI. Tobiæ, S. Bernardini conſobrinæ, pijſſimæ matronæ, mors Bernardino concionanti viſa.
VII. Quotidie viſus D. Virginis imaginem adorare, cui deditiſſimus erat, Tobiæ ſiniſtram exemit amoris ſuſpicionem.
VIII. Inſcribitur Sodalitati Diſciplinatorum, Sanctorum hominum ſeminario.
IX. Aſperam duxit vitam, coronâ virtutum decoratus, præſertim pudicitiæ & honeſtatis.
X. Peſtis orbe toto ſæuiens, etiam hoſpitium Senenſe fatigauit.
XI. Bernardinus ipſe peſte laborantibus in hoſpitio illo miniſtrat, cum duodecim adoleſcentibus.
XII. Morbidis illis officioſiſſimè cum ſocijs famulatur, aduentantes alios benignè accipit.
XIII. Sanctus Bernardinus à febre conualeſcens, amitæ Bartholomææ pijſſimæ matronæ, toto anno decumbenti officiosè deſeruit.
XIV. Secum habitans vires ſuas probat, vt apparatus, monaſticæ vitæ ſe conſecret, D. Franciſco nomen dare cogitans.
XV. Viſo mirando ad D. Franciſci capeſſendum inſtitutum diuinitus inuitatur.
XVI. Conſilio R. P. F. Ioannis Riſtorij confirmatus, Ordini Seraphico addicitur.
XVII. Ordinis Franciſcani veſte donatus, ad Fratres Obſeruantes commigrat.
XVIII. Mores illius in iſto inſtituto, dura pœnitentia, & in Chriſti paſſionem affectus.
XIX. Pro ſtulto habitus, contemtum ſui contemnit.
XX. Eius exemplum patientiæ. Profitetur regulam S. Franciſci die natali B. Mariæ, & initiatur ſacerdotio.
XXI. Grauem crucem extulit, conciones auſpicaturus in Natiuitate D. Mariæ Virginis.

Digitized by Google

XXII.	*Vocis eius exilitas igneo globulo reparatur ad vocalitatem.*
XXIII.	*Inuidus humanæ ſalutis dæmon Bernardini tentat expugnare caſtitatem per mulierem, quam verberibus emendat.*
XXIV.	*Cœnobium ædificauit propè à Senis, vbi Guardianus ſuis præluxit bonis exemplis.*
XXV.	*Gratiâ prædicandi Verbum Dei, toto orbe celeberrimus euaſit, quam Deus miraculis confirmauit.*
XXVI.	*Illius æuo, perditi mores Italiæ, Guelphorum & Gibellinorum diſcidia, ſchiſma in Eccleſiâ.*
XXVII.	*Corrigendis Italiæ vitijs vbique concionatur, magno feruore, magno hominum concurſu.*
XXVIII.	*Multi concionibus eius à peccatis auerſi, pœnitentes ſe corrigunt.*
XXIX.	*Multis monaſticæ deditis, exſtruuntur cœnobia, inſtituto de Obſeruantiâ increſcente.*
XXX.	*Factus Terræ ſanctæ Commiſſarius, ſuum inſtitutum valdè promouet. Ieſu nomen pictum à concione populo adorandum oſtendens, grauem paſſus eſt calumniam.*
XXXI.	*Ieſu nomen illuſtratum ſole pro tabulis luſorijs pingere docuit, omnibus gratum, fructuoſum artifici.*
XXXII.	*Irreprehenſibilis vitæ fecit priùs quæ docuit, cupiens omnes ſaluos fieri, tempus occupans fructuoſiſſimè.*
XXXIII.	*Humilitas virtutum decus ei cordi & curæ fuit.*
XXXIV.	*Concionaturus Mantuæ, cùm ei negaretur nauigium, ſubſtrato pallio vectus, traiecit aquam cum ſocio.*
XXXV.	*Oblatas trium Epiſcopatuum dignitates recuſauit.*
XXXVI.	*S. Bernardinus ardens pruna & incendens, non carbo. Humilitas ad perfectum ducit.*
XXXVII.	*Concionator is fructificat, qui Deum in omnibus ſpectat.*
XXXVIII.	*Ignarum idiomatis Græci concionantem in Concilio Bernardinum Græci intellexerunt.*
XXXIX.	*Pecuniam ſpernit Ducis Mediolanenſis, quâ tandem obæratos exemit carceri.*
XL.	*Patiens in aduerſis & morbis. Vicarius Generalis factus inſtituti de Obſeruantiâ, fontem & aram à dæmonibus infeſſam diruit.*
XLI.	*Vir nobilis de ſalute ſuâ ſolicitus, Bernardini conſilio recipitur ad Ordinem.*
XLII.	*Anniculæ duo ſæua vulnera ſigno ſanctæ Crucis ſanauit à concione ſuâ.*

XLIII. *Iuuenem occiſum à boue, precibus & ſigno Crucis reſtituit vitæ.*

XLIV. *Romæ puerum liberauit à morbo regio.*

XLV. *Contractam ſigno crucis recurauit.*

XLVI. *Signo ſanctæ Crucis imbres cohibuit, ne concio eius intermitteretur.*

XLVII. *Aquilæ in laudem dicens Diuæ Virginis, viſa ſtella eſt cælitus ſuper caput eius, faciemque mirabiliter illuſtraſſe.*

XLVIII. *Imperatori Sigiſmundo gratus, vnà cum illo Romam petijt, irriſorem ſuum grauiter læſum curauit.*

XLIX. *Ex Vrbe Senas rediens libros ſcribit. In concionibus ſeparatim ſedere iuſsit mares à feminis; quod laſciuus contemnens iuuenis, male perijt.*

L. *Mulier tactu veſtimenti eius, incurabili morbo liberatur.*

LI. *Mores correxit Perufinorum; pacem ciuium reconciliauit. refractarius adoleſcens repentinâ morte perijt.*

LII. *Aromatibus ſibi miſsis infirmum ſanat.*

LIII. *Calceos ſuos egenti dedit leproſo, quibus ille calceatus, à leprâ mirum in modum expurgatur.*

LIV. *Patriam relinquens aluo fatigatur citiſsimâ & incurabili. Aquilam veniens mortuus eſt, anno Chriſti M. CCCC. XLIV.*

LV. *Fratres lugentes, cùm eius corpus Senas mittere cogitarent, ciues vigilanter aſſeruant, plurimis ſtatim coruſcans miraculis.*

LVI. *Ad eius corpus claudis erectis, magna confluit hominum copia: cuius ergo ad templum maius elatum, pacem inter ciues reparauit.*

LVII. *Relatum corpus ad Fratres, ſurdum ac membris diſſolutum Fratrem ſanans, inhumatum viginti ſex diebus, ſuauiſsimum ſpirat odorem.*

LVIII. *Sanguis è naribus corporis ſacri, fontis inſtar profluens, ciues in motu à procerum ſenatorumque cæde cohibuit.*

LIX. *Vbicunque concionatus fuerat, iuſta ei perſoluta.*

LX. *Cum Ioannes Capiſtranus pro Canonizatione S. Bernardini laboraret, ſtella in concione, S. Bernardini viſa, Ioanni Capiſtrano aliquoties reuiſa.*

LXI. *Puer aquâ ſubmerſus reſuſcitatus eſt.*

LXII. *Enixa mortuum puerum, precibus ad S. Bernardinum, recepit viuum.*

LXIII. *Sub aquariæ molæ rotâ præfocatus reuixit.*

LXIV. *Morbidus puer, applicatione panni, qui S. Bernardini corpus operuerat, integrè ſanatur.*

LXV. *Puellæ vulnus incurabile ſigno Crucis viſus eſt curaſſe.*

LXVI. *Sororcula in puteum cadens, ſalua euaſit, veſtibus nequicquam madefactis.*

LXVII. *In S. Bernardinum voto concepto, periculoſiſſimè vulneratus, integram recuperauit ſalutem.*

LXVIII. *Surdi & muti ad ſepulchrum eius auditum conſequuntur & loquelam.*

LXIX. *In miracula S. Bernardini, Senenſes cùm diligenter inquiſiuiſſent, cum alijs poſtulant à Summo Pontif. inter Diuos referri; atque id factum Italiâ totâ gratulante. Aquilani corpus eius ad templum nouum transferentes, pretioſâ thecâ reponunt.*

Bulla Canonizationis Nicolai Quarti Pontif. Max.

Commentarius ad vitam S. Bernardini Senenſis.

Sequentes haſce Reuerendi admodum Patris Fr. Henrici Sedulij Minoritæ ad vitam S. Bernardini Senenſis, Annotationes, quibus eruditè decorem & ſplendorem confert eidem, legi & perſpexi, nihilque in eis vel fidei aduerſum, vel ſanæ doctrinæ (neque in minimo) diſſonum aut oppoſitum cùm videam, typis vt mandentur iudico dignas. Datum Bruxellæ 28. Ianuarij anno 1612.

Fr. Andreas à Soto.

SANCTI BERNARDINI SENENSIS
Ordinis Minorum
VITA.

CAPVT PRIMVM.

Sancti Bernardini genus, patria, parentes, educatio.

IN Senenſi vrbe, quæ Virginis ciuitas dicta eſt, ex nobili familiâ Albizeſchorum, ortus Tollus eſt; vir humanus, ſimplex, prudens, & bonæ exiſtimationis. Is in iuuentute ad Maſſanam vrbem ſe contulit, quæ in Senenſium ditione ſita eſt. Cernens autem eius loci ciues, erga familiam ſuam, & maiores ſuos, amico eſſe animo (Patruus enim eius Tollus, ter eius ciuitatis Præſes fuerat, cum bonâ ciuium gratiâ) ibi ſedem fixit, charus omnibus, & curabat argentum erui ex Maſſanis fodinis, vti plerique alij egregij mercatores. Erat tum illic miles generoſus, iam grandæuus, Bindus nomine. is vt vidit Tolli mores ingenuos, vitamq; honeſtam; Neram filiam ſuam illi deſpõdit, cupiens illum habere hæredem; cùm alios liberos non haberet, præter Dianam filiam Neræ Sororem, quæ ante complures annos alteri nupſerat. Sicut ergo Domino placuit, ita factum eſt. Non diu pòſt, Bindus obijt: Tollus autem & Nera erga Deũ & Deiparam Virginem deuoti, & religioſi, ac Deum timentes, maſculam ſibi prolem diuinitus dari optabant, ad honorem Dei; nec fruſtrati ſunt ſpe & expectatione ſuâ. Ediderunt enim in hanc lucem, filium die octauâ Septembris, (in quem incidit etiam natalis dies beatiſſimæ Matris Dei) anno Chriſti milleſimo, trecẽteſimo, octuageſimo; quo anno ſanctiſſima Virgo Catharina Senenſis migrauit ad cælos; dictuſque eſt Bernardinus. Nera mater eius anno ætatis ſuę viceſimo ſecundo obijt, qui erat annus ab orbe redempto, milleſimus trecenteſimus octuageſimus tertius, cùm Bernardinus iam trimulus eſſet. Tollus autem pater eius pijſſimus, & Diana materteræ; quantum ea potuit ferre ætas, bonis eum inſtruebant moribus; excitabantq; eius animum, ad deuotionem concipiendam erga ſacratiſſimam Virginem, Chriſti Ieſu matrem. Interim Tollus moritur, anno Saluatoris milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, Bernardino filio ſexenni relicto; cuius curam, itemque facultatum eius, ſuſcepit Diana matertera; & haud ſecus atque filium eum enutriuit annis quinque, magnoq; opere, & bonis moribus, & deuotione erga Chriſti matrem, eum imbuere conata eſt. Etſi autem inſtar puerorum, in quibuſdam etiamnum pueriliter ſeſe gerere videretur: attamen ceteros condiſcipulos in multis excellebat in Grammaticis inſtitutionibus, & litteris perdiſcendis, longo poſt ſe interuallo eos relinquens; eratque eâ indole & ingenio, etiam ad ea conficienda, quæ arte & manu fiunt; vt Maſſani omnes eum admirarẽtur, certoque ſibi perſuaderent illum invirum inſignem euaſurum.

S. Bernardini parentes. — *Natalis.* — *Nera eius mater abit è vitâ.* — *Tollus quoque eius parens.* — *Educatio.*

CAPVT II.

Ad eleemoſynas propenſus, in D. Virginis honorem quoque ſabbatho ieiunat.

SINGVLARI autem ſtudio ferebatur ad præſtandas eleemoſynas; nec vllã

vllâ re adhuc puer magis delectari videbatur, quàm ſi poſſet pauperibus benignè facere. Caſu quandoque accidit, vt parum in ædibus Dianæ relictum eſſet panis: eum autem ipſum pauperi mendicanti, Diana dare nolebat. Dixit ergo illi pius puer; Quæſo demus pauperi ſtipem; alioquì ego hodie neque prandium neque cœnam ſumpturus ſum: malo enim pauperem refici hoc pane, quàm me. Lætabatur valdè Diana, eâ pueri bonitate, & optimâ indole. Cœpit verò etiam ad ieiunia eum prouocare, quantum quidem illius ætatis fragilitas patiebatur. Etſi autem annis tener eſſet, attamen ad honorem beatiſſimæ Matris Dei, diebus Sabbathi ieiunauit; & quamdiu laicus fuit, illud ieiunium nunquam intermiſit.

Dat pauperi quod ſubtrahit ſibi.

CAPVT III.

Senis, Onuphrio & Ioanne Spoletano præceptoribus, doctiſſimus euadit, admirandâ pudicitiâ conſpicuus.

CVM ad tertium decimum ætatis perueniſſet annum, & in Grammaticis ſic ſatis profeciſſet: à neceſſarijs amicis, Chriſtophoro & Angelo Albizeſchis fratribus, Senas accitus eſt, vbi ſub curâ Chriſtophori, & honeſtiſſimæ coniugis eius, re & nomine Piæ, duxit. quæ matrona cùm nullas haberet proles; haud ſecus eum atque filium dilexit, eiuſq; mores confirmauit. Porrò in ſcholis triuialibus, præceptorem habuit Onuphrium, miráque diſcendi celeritate ſuperauit omnes coætaneos ſuos; omnibus affabilis & charus, honeſtus quoque, & pius, ac deuotus. Aras ſibi in teneriori ætate ſemper exſtruebat domi, eaſque vt potuit ornabat. Ductus interdum à Piâ ad ſacras conciones; cùm domum reuertiſſet, conuocabat pueros, eiſque tanquam pro concione, puerili ſimplicitate dicebat, quæ ex auditis ſermonibus, memoriâ retinere poterat. Faciebat autem hoc eâ ratione, & eâ dexteritate, vt multi iam tum animis præſagirent, eum quandoq; eccleſiaſten fore. Poſtquam autem Senas venit Ioannes Spoletanus totius honeſtatis ſpeculum, & moralis Philoſophiæ præceptor egregius (qui licet grandæuus, eſt tamen etiamnum ſuperſtes) inuenit tamen adoleſcens Bernardinus, integerrimus ac doctrinæ auidus, ad illum ſe contulit, nec ab eius quantum licuit latere vnquam diſceſſit; hæſitque apud illum annis aliquot, & mirabiles habuit in litteris progreſſus: ita vt ab eodem Ioanne, quōdam etiam præceptore meo, crebrò audierim; E ſuis ſcholis nunquam quemquam Bernardino doctiorem prodijſſe; nec vidiſſe ſe vnquam ſtudioſum vllum, qui tam omni eſſet honeſtate & integritate præditus: quippe ex cuius ore nunquam ſermo turpis profectus eſſet, & qui neque verbo, neque nutu, neque ſigno, aut vllâ ſignificatione, quicquam præ ſe ferret aliud, quàm puriſſimam honeſtatem.

Senas vocatur.

Superat ſolertiâ diſcendi condiſcipulos.

Pueris concionatur ipſe puer.

Dat operam Ioanni Spoletano.

Inſignis eius caſtitas.

CAPVT IV.

Obſcæna horret verba, præſentiâ ſuá profligat laſciuos, impudicum pugno caſtigat.

TESTANTVR verò etiam eius coæui, litterarum ſtudioſi, eâ morum probitate & honeſtate eum fuiſſe; vt ſi quid audiuiſſet turpiter dici, adeò commotus fuerit: vt rubore haud aliter in vultu perfunderetur, quàm ſi quis colaphum ei infregiſſet. Inde factum eſt, vt ſi fortè pueri & adoleſcentes inter ſe, de rebus parum honeſtis verba miſcerent; viſo Bernardino mox dicerent, Faceſſant hi ſermones: ecce enim Bernardinus adeſt, vſqueadeò ab omnibus ille quoddam honeſtatis & integritatis exemplar habebatur. Ciuis quidam non infimæ conditionis, turpe verbum quandoque ad illum protulit. Sentiens autem pudiciſſimus adoleſcens, quorſum ille tenderet; ſub mento grauiter illum percuſſit, cùm alioqui ſtatuiſſet, in facie illum cædere. Tanto autem impetu eum percuſſit, vt procul etiam ſonus audiretur. Ciuis itaque ille, coram adſtantibus, tum propinquis, tum alijs indigenis, pudefactus, repentè ab eius conſpectu ſe ſubduxit. Poſteà verò cùm iam multi eſſent euoluti anni; eodem loco, Bernardino, ad populum concionem habente; vidi ego hunc ipſum ciuem, adeò

Verba turpia non fert.

Nec laſciuiæ præſentiam.

Turpiloquū grauiter cædit.

corde compungi, & vbertim lachrymas fundere; perinde ac ſi duris eſſet flagellis cæſus.

CAPVT V.

Laſciuum ad turpia ſolicitantem, verberibus & lapidibus abigit cum ſocijs. S. Canonibus & Scripturæ ſtudet.

ALIVS quidam improbus ciuis, per idem tempus, erga Bernardinum adoleſcentem, verbis & nutibus inhoneſtis, ſuum indicauit impurum & nefarium animi deſiderium, idque non ſemel ſed crebrò ſanè. Itaque Bernardinus rogat quoſdam ſuæ ætatis honeſtos adoleſcentes, vt ſibi eſſent adminiculo, quo ab illius ſceleſti hominis vexatione ſe excuteret. Communicato autem inter ipſos conſilio; monet eos, vt lapides ſibi colligant. Deinde inquirunt hominem illum: quem cum inueniſſent loco parum oportuno, Bernardinus iuſſit eos dare operam, vt poſſet aliò pertrahi. Vt autem miſer ille vidit Bernardinum; nefandâ cupiditate commotus, multos ei aureos oſtendit, vt alliceret pudiciſſimum adoleſcentem. Tum ille annuit, vt è plateâ excederet. Quod cùm ille feciſſet, ilicò exclamat Bernardinus; Inique, ſceleſte, flammis exurende. ad eum, ad eum, ad eum. ſimulque illum percutere cœpit. Mox ſocij eius adiungunt voces ſuas, pariterque lapides in eum conijciunt. Ille ita ſe accipi cernens, in pedes ſe conijcit, illis eum inſequentibus, donec ab eorum oculis euaneſceret. Ita demum eius praua voluntas compreſſa eſt, & Bernardinus eâ moleſtiâ abſolutus. His autem rebus effectum eſt, vt tantùm apud omnes virtutis, pudicitiæ, & integritatis, eius fama crebreſceret; vt non ſolùm nihil ipſo audiente quiſquam ex domeſticis eius auderet impudicè eloqui: ſed etiã omnes eum venerarentur, nemo turpe aliquid circa illum attentare vellet. Etſi autem ſemper iucundum, alacrem, affabilem, commodum, officioſum omnibus ſeſe exhiberet: non tamen niſi bonis, maximè autem ſpiritalibus & religioſis viris, familiaris eſſe voluit, idque tam in ſcholis quàm alibi. Poſtquam autem adoleuit, relictis ſcholis triuialibus, & ſtudijs philoſophicis, in quibus præ cæteris excellebat; ad ſacros Canones diſcendos ſe contulit, in eoque ſtudio triennio accuratè verſatus eſt. Plurimum verò delectabatur ſacris litteris; quas vbi deguſtare cœpit, alia ferè ſtudia ſua omnia pro nihilo putauit, nec quicquam ei iam ſapiebat extra Scripturas diuinas.

Patiens [...]tium.

Argumentum apud omnes admirandæ caſtitatis.

Nulli niſi probis familiaris.

Ad ſacros Canones, Scripturãq́; ſanctam animum applicat.

CAPVT VI.

Tobiæ, S. Bernardini conſobrinæ, pijſſimæ matronæ mors Bernardino concionanti viſa.

VBI decimum & ſeptimum ætatis annum attigit, Tobiam conſobrinam ſuam crebrò viſitabat. Erat illa filia Dianæ, quam ſuprà diximus, Neræ matris Bernardini ſororem fuiſſe. excedebat autem Tobia Bernardinum annis ampliùs triginta; eratque vidua tertij Ordinis beatiſſimi Patris Franciſci, cuius maritus fuerat, vir nobilis Guido de Ptolomæis. Porrò ob morum integritatem, ſtudiumque deuotionis & pietatis, Tobia hæc omnibus venerationi erat. Perpetuis enim ieiunijs, vigilijs, corporis caſtigationibus vacabat; ſemper in ſuis cubabat veſtibus, alijſq́; exercitijs ſeſe continenter macerabat. Ipſa fœminarum peregrinarum, quæ aduerſâ laborarent valetudine, ſæuiſsimâ illâ peſte graſſante, curam ſuſcepit in domo hoſpitali *de la Scala*; illi ipſi Bernardinus, anno ætatis ſuæ triceſimo primo, Senis peſte laborans, cùm iam medici ſpem ſalutis eius omnem abieciſſent, in ipſo propè mortis articulo cõfeſſus eſt, ſe corporis integritatem prorſus inuiolatam ſeruare. Huic vni Bernardinus loqui ſolebat, cùm aliarum fœminarum colloquia deuitaret. Denique eius animam, ad cælos proficiſcentem vidit Bernardinus, cùm Mediolani primo Quadrageſimæ die, ad populum concionaretur. quæ illi cauſſa fuit, eam concionem præter morem ſuum, abrumpendi. Sciſcitantibus enim poſteà alijs, cur id feciſſet: primò quidem dicere noluit, deinde verò compulſus, rem vt erat explicauit. Miſſi autem ſunt Senas, qui

Cap. 2.

Tobia pietas.

Mors à S. Bernardino longè abſente nota.

qui de obitu Tobiæ cognoſceret; compertumque eſt eâdem horâ, quâ dixerat Bernardinus, eam ridentem migraſſe è corpore.

CAPVT VII.

Quotidie viſus D. Virginis imaginem adorare, cui deditiſſimus erat, Tobiæ ſiniſtram exemit amoris ſuſpicionem.

CVM hac igitur Tobiâ, Bernardinus adoleſcens crebrò ſermones conferebat, eamque identidem inuiſebat: haud aliter enim inter ſe diligebant, atque ſolent mater & filius. Contigit interim Bernardinum quandoque dicere Tobiæ; Ibo viſum amicam meam. itemque rurſus alio die, Adibo amicā meam ſanè pulcherrimam. Tobia hæc eum per iocum dicere putabat: at nihilo minus percontabatur ex eo, quænam illa eſſet ipſius amica, & vbi moraretur. Reſpondit ille; Amica mihi eſt longè formoſiſſima, cuius ego amore planè captus ſum: eſt autem extra portam Camolliæ; eamque quotidiè ſoleó inuiſere, nec videor mihi ſomnum poſſe capere, niſi priùs mihi conſpecta ſit. Tobia hæc audiens, cœpit quâdam ſuſpicione teneri: ſed cùm cerneret Bernardinum creberrinis ſe afficere ieiunijs, quotidie ſacrificio intereſſe, vacare precibus & deuotioni, veſtibus indutum ſe dare quieti nocturnæ; multaque alia de ſe dare haud obſcura probitatis ſigna: non exiſtimabat ſiniſtrè, propter ea verba, de illo ſentiendum eſſe. At rurſus contemplans adoleſcentis formam egregiam, dæmonis verſutias, carnis fragilitatem, & hominis in deteriora propenſionem: verebatur ne fortaſſis captus eſſet amore alicuius mulieris, maximè quod extra Camolliæ portam eſſet cœnobium fœminarum. Itaque acerbo intrinſecus animi dolore cruciabatur; metuens ſe laborem ſuum omnem perdidiſſe, quem ei optimè inſtituendo diu impenderat. Vt autem rem certiùs exploratam haberet: alterâ luce abijt extra illam portam, manſitque in loco quodam vnde Bernardinum conſpicere ipſa poſſet, ſed ab illo minimè videri. Ecce autem aduenit Bernardinus ſolus; & coram

Dei matrem amicā ſuam vocat.

Quæ cauſſa Tobiæ fuit ſuſpicionis ſiniſtræ.

imagine beatiſſimæ matris Dei, quæ ſupra portam illam elegātiſſimè picta haberetur; nuda curuat genua, eique piiſſimas offert preces, ijſque completis, mox domum redit. Mirabatur Tobia: ſed non contenta ſemel vidiſſe, redit ſecundò, & idem conſpicatur. At nec ſic animo ſatisfactum ſentiens, mittit tertiò fidiſſimā ſociam ſuam; quæ cùm idem omninò ſuis oculis eſſet intuita, quod ſemel atque iterum Tobia; iam è ſuo pectore prorſus amouit ſuſpicionem omnem Tobia: dixitque læta ad Bernardinum; Pridem dixiſti mihi, fili chariſſime, te amore captum eſſe. quæſo mihi rem certam exponas, nec me in dubio hærere patiaris. Reſpōdit Bernardinus; Quando ſic iubes, dicam tibi. quod hactenus nulli alij indicare volui. Captus ſum amore beatiſsimæ Virginis & matris Dei Mariæ, quam ſemper amaui, in quâ poſt Deum omnes meæ ſpes collocatæ ſunt. Illam vnicè diligo, illam inquiro, illam videre concupiſco: quod cùm in hac vitâ non liceat, conſtitui eius amore, quotidie inuiſere eius imaginem, quæ in Camolliâ eſt; quòd ea mihi & ceteris huius vrbis elegantior, & eius maieſtate dignior videatur. Itaque illam quotidiè accedo; flexis genibus beatiſsimæ Virgini me commendo: ſperans per eam me conſecuturum gratiam, & miſericordiam, quam præcipuè expeto. Hæc eſt igitur amica illa mea, & ſpes mea piiſsima, Virgo Maria. Hæc vt audiuit Tobia, cùm lachrymis illum complexa dixit; Reuerâ, fili mi, non obtinuit mentem meam ſiniſtra vlla de te ſuſpicio: ſed nonnihil cœpi hæſitare, propter fraudes, & machinas antiqui ſerpentis, quas debemus modis omnibus cauere. Sed tu, fili à Deo benedicte, egregiam tibi & inſignem delegiſti amicam, optimum ſalutis tuæ præſidium, peccatorum omnium nequaquam dubiam ſpem. Illam quæras, illam ſequaris, omnique animi deuotione illi confidas. Nullum enim poſt Deum ſalutis tuæ fulcimentum validius habere potes, quàm ipſam pietatis & miſericordiæ Matrem: à quâ nemo vnquam, qui illi benè confideret, vacuus receſsit. Perſeuerauit autem Bernardinus in hac imaginis huius viſitatione, multis annis: & cum iam in monaſticâ religione conſenuiſſet, teſtibus eius ſocijs, non rarò inuiſit eam. Potuit ſanè ex multis euidētiſsimis argumentis colligi, eum toto vitæ ſuæ tempore,

Sed re tandem explorata, depoſita.

Cùm Bernardinus arderet in amorem D. Virginis.

ſingu-

ſingulari, erga matrem Dei, deuotione fuiſſe. & certè ego ipſe concionem illo habente Senis de illâ, anno Chriſti milleſimo, quadringenteſimo, vigeſimo ſeptimo, in die Natiuitatis eius, ita eum audiui dicentem; *Ego Frater Bernardinus ſemper fui deuotus beatæ Virgini. In die enim Natiuitatis eius, ego natus ſum. eodem die, baptizatus ſum. illo ipſo die, monaſticum habitum indui, itemque profeſſus ſum monachum, & primum ſacrificium feci; eodem die, cupio exire ex hac vitâ.* Ita ille. Ego verò hoc affirmare poſſum, nunquam quemquam me audiuiſſe, de beatiſſimâ hac Virgine deuotiùs, libentiùs, feruentiùs concionantem.

Cui deuotiſſimus fuit.

CAPVT VIII.

Inſcribitur ſodalitati Diſciplinatorum, Sanctorum hominum ſeminario.

IN iuuentute ſuâ, cùm adhuc laicus eſſet, vt poſſet piam Deo impendere ſeruitutem, ſuaque pietatis ſtudia augere; adſcribi voluit in ſpectatę religionis ſodalitatem bene Moratorum, quam vulgo vocant Confraternitatem Diſciplinatorum beatæ Mariæ Virginis, quæ eſt in domo hoſpitali *de la Scala*. Non admittuntur autem in eam ſodalitatem, niſi quorum fama eſt integra, & bona exiſtimatio. Fuit enim locus ille multo tempore ſpeculum, & exemplar Deo deuotorum ſæcularium hominum. Itaque Bernardinus Fratrū omnium conſenſu, & promptâ voluntate, tanquam valde idoneus, hilariter receptus eſt; preceſque, corporis flagellationes, aliaque tum iucunda tum aſpera exercitia, noctu diuque illic vſitata, præ ceteris ipſe copioſiùs ſectatus eſt. Hic nimirum vetuſtus ille locus eſt, ex quo omnes ferè Italiæ bene moratorum, ſiue Diſciplinatorum laicorum piæ exercitationes, vel deuotionis ſtudia manârunt. Ex illo complures ſancti viri prodiêre; puta Ioannes Columbinus, primus ille idemque feruentiſſimus Ieſuatorum inſtitutor, & eius chariſſimus ſocius Franciſcus Vincentius; itemque Ordinis Montis Oliueti fundatores; beatus Petronius de Petronijs, poſteà Carthuſianus effectus; Andreas de Galleranis, ſpeculum ſanctitatis, alijque permulti ſublimes contemplatores, & innumeri ferè religioſi, vel monaſticæ vitæ profeſſores: vt mirum non ſit, Bernardinum beatiſſimæ Matri Dei deuotiſſimum, in eius domo illis adiungi voluiſſe, ex quâ domo tot præclaras ſtellas, totque diuinos nouerat extitiſſe viros; tametſi eandem ipſam domum præ alijs omnibus ipſe præclariùs illuſtrauit. Cùm autem feruenti eius deuotioni, necdum ſufficerent exercitia domus huius, quemadmodum fide digniſſimo relatu didici: ob macerandum & edomandum corpus ſuum, longo tempore, flagellis è funiculis confectis ſe cecidit, crebrò etiam vrticâ & cilicio ſe affligebat. Quæ quidem licet Sanctus iuuenis faceret occultiſſimè, ſoli Deo ea nota eſſe volens; attamen diuinâ efficiente prouidentiâ, non de induſtriâ, ſed prorſus ab improuiſo, ad aliorum qui etiamnum ſuperſunt, notitiam peruenêre.

Confraternitati beatæ Mariæ adſcribitur, dictæ, Diſciplinatorum.

Vnde multi pij ſanctique prodierunt.

Carnē miris modis affligit.

CAPVT IX.

Aſperam duxit vitam, coronâ virtutum decoratus, præſertim pudicitiæ & honeſtatis.

MVLTIS annis, in veſtibus ſuis dormiuit, non tam in lecto, quàm ſcamno vel capſâ. Cibus & potus eius communis quidem, ſed parcus erat. neque inuenio vel in delicatis eſcis exceſſum, vel in vilibus ſingularitatem. Iucundus, hilaris, affabilis, humilis, ſemper fuit, omnibus ſe accommodans; triſtitiæ, torporis, ignauiæ hoſtis. In actione ſtrenuus & aſſiduus. iraſci malo animo nunquam viſus eſt. veritatis amicus, charitate præcipuus, erga miſeros miſericors, prudens in omnibus, & circumſpectus valdè: nec videbatur mœrori vllus relictus locus, vbi Bernardinus aderat. Ante omnia autem, vel maximè in eo excelluit laus pudicitiæ & honeſtatis, quam præ ſe ſemper ferebat nutibus, & verbis, & factis: ita vt nullus hac in parte adoleſcens ei poſſet æquiparari; & ipſe non tam carneus quàm ſaxeus eſſe videretur. Habitu vtebatur vt ſolent ſcholaſtici, & quidem honeſto.

Lectus ei durus, parcus cibus.

Semper hilaris ac lætus.

Exemplar pudicitiæ.

CA-

CAPVT X.

Peſtis orbe toto ſæuiens, etiam hoſpitium Senenſe publicum fatigauit.

SÆVIENTE illâ peſte terribili & generali, anno ſalutis milleſimo, quadringenteſimo; in quem incidit Iubileus; innumeri peregrini Romam euntes, atque inde redeuntes, ad celeberrimam illam toto orbe Chriſtiano, domum hoſpitalem beatiſsimæ Mariæ Virginis, quæ Senis eſt, & *de la Scala* dicitur, confluxêre. augebaturque valde numerus ægrotorum, è quibus plurimi moriebantur; ita vt tribus menſibus & dimidio, quotidiè amplius duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, interdum octodecim, vel etiam viginti è vitâ decederent; præter quos ex eius domus familiâ, obierunt Fratres viginti duo, octodecim fœminæ pauperibus mulieribus inſeruientes, nouem Sacerdotes, quinque clerici, ſeptem pharmacopolæ, qui morbidis medicamenta parabant, pueri triginta ſex in eâ domo enutriti, & famuli ſexaginta ægrorum miniſterijs deputati. Cùm autem tam multi illic & morbo correpti iacerent, & è vitâ abirent, locus ille propter fœtorem intolerabilem, omnibus inſpectantibus horrori erat: nec quiſquam ferè reperiri potuit, qui, quamuis magnâ propoſitâ mercede, ægrotantibus illic inſeruire vellet: ita fiebat, vt tum vel maxime locus ille, neceſſariâ miniſtrorum operâ deſtitutus eſſet, cùm maior incumberet neceſſitas. Magiſter quidem & gubernator domus illius, Ioannes Landaronus erat vir optimus, multâ beneuolentiâ & charitate præditus, & quem nemo dubitaret virginem eſſe: & licet ſenio grauaretur, non ceſſabat tamen pro viribus præſtare quicquid poſſet. Sed cum ignem peſtiferum iam omnia vaſtantem cerneret, valdè affligebatur; metuens idoneos miniſtros, neque pecuniâ, licet largâ eſſet manu, poſſe comparari, quod nemo non peſtis contagionem reformidet. Rogabat ergo Deum, & beatiſſimam Virginem, domus eius cõſeruatricem, vt pauperibus miniſtri mitterentur.

B. Mariæ hoſpitium.

Miniſtris ægrotorum deſtituitur lue graſſante.

CAPVT XI.

Bernardinus ipſe peſte laborantibus in hoſpitio illo miniſtrat, cum duodecim adoleſcentibus.

ITAQVE piiſſimus Deus excitat Bernardini animum, qui iam ferè viceſimum agebat ætatis annum: vt in illâ piiſſimâ domo, ægrorum & pauperum miniſterium ſuſcipiat. Vt vidit enim ſummam neceſſitatem, maximo incitatus zelo, peſtiferam cõtagionem nihil metuens, imò verò etiam vltrò morti ſe offerre cupiens, modò poſſet Chriſto gratum exhibere, in eius pauperibus ſeruitium; multis hebdomadibus ægris illis accuratiſſimè, & officioſiſſime miniſtrauit. Cernens autem ad tantam morbidorum multitudinem, ſufficere non poſſe tam paucos miniſtros: duodecim religioſos & pios adoleſcentes ad ſe vocat; hortatur illos, velint vnà cum ipſo curare pauperes Chriſti; dicit, Eos qui pauperi ſeruiant ipſi Chriſto ſeruire; & ſi tali occaſione decedant è vitâ, pro Chriſto eos mori. nihil verò homini Chriſtiano debere eſſe antiquius & optatius, quam Chriſti causâ vitam ſuam profundere; cùm ille ſuam noſtrâ causâ profuderit. deinde addit; Simus omnes fratres: Deus ſuâ ope aderit nobis. Videtis fratres, ignem accẽſum eſſe: iam pene orbis illo conflagrat, * ſecuris arbori admota eſt, falx meſſem ſolicitat: quid nobis de vitę noſtræ prorogatione polliceri poſſumus? cùm & alios quotidiè videamus mori, & pleroſq; etiam intimos ſodales propemodum ante exire è corpore, quam morbo correpti videantur? Nos ſi in his charitatis officijs obierimus, ad Dominum euolabimus. ſin autem ſuperſtites manſerimus; quoad victuri ſumus ſemper lætabimur, nos Deo noſtro in eius pauperibus, hæc officia præſtitiſſe, memores ſententiæ illius; * Nullum opus bonum, apud Deum ſua carere mercede, vel irremuneratum abire. Siue igitur viuamus, ſiue moriamur, non poſſumus Deo ſeruiendo non lucrari.

Quorum curam Bernardinus ad ſe recipit.

Cum duodecim ſocijs.

Mat. 25. 36.

* Mat. 3. 10

* 1. Cor. 15. 58. Heb. 6. 10.

CAPVT XII.

Morbidis illis officioſiſſimè cum ſocijs famulatur, aduentantes alios benignè accipit.

HIs Bernardini perſuaſionibus allecti adoleſcẽtes, in eius mox ſententiam iêre: è quibus ſanè hodieque nonnulli ſuperſunt. cumq; eſſent confeſsi ſua peccata, & ſacrã Euchariſtiam ſumſiſſent, ita Bernardino conſulente; iucundis animis, & magno feruore, curam ægrotorum cum Bernardino ipſorum Magiſtro & capite, ſuſcipiunt. Porrò hoſpitalis domus moderator, ſtatim totius penè domus claues tradidit Bernardino, commiſitq; ei munus, morbidos & peregrinos aduentantes curãdi, & omnes ferè eleemoſynas diſtribuendi: adeò vt propemodum pro ſuâ voluntate omnia diſponeret ac diſpenſaret, perinde ac ſi ipſe eius domus dominus eſſet. Eius autem & ſociorum feruor & charitas, ſuo exemplo permultos alios ciues & adoleſcentes inuitauit ac permouit, ad ſeruiendum morbidis illis, licet non pauci ex illis è vitâ decederent. Itaque Bernardinus charitate feruens, domum illam ita moderatus eſt: vt officia, miniſteria, exercitia, laborum vices, pro ratione loci, temporis, & perſonarum, oportunè & congruenter diſtribuerit. Dabat verò operã, vt quoad eius fieri poſſet, ipſe ſemper omnibus coram adeſſet. Adſtabat diu noctuque ægrotantibus, pharmaca parabat, cibos pro ſingulorum qualitate porrigebat, ſordes omnes in illis neceſſariò ferendas, ipſe ante omnes, ſuâ voluntate amouendas ſuſcipiebat: non labore, non vigilijs, non intolerandis fœtoribus, non incommodis vllis frangebatur: ſed eâ ſemper alacritate, & ſpiritus viuacitate illis ſeruiebat, ac ſi vel parẽtes, vel fratres, aut filij eius eſſent. neque id ſanè mirum. Cùm enim Dei amor, horum omnium faciendorum ac perpetiendorum, præcipua ei eſſet ratio: Deo vtique ſeruiebat, *qui Patre, fratre, liberis omnibus, potior nobis eſſe debet. Ægrotis ex animo condolebat: adeò vt etiam cum illis vnà ploraret, interdum verò etiam ridebat, canebat, blandiebatur; talemque ſe illis exhibebat, quemadmodum pro illorum cõſolatione expedire putabat. Nihil autem ferè illius caritati ſatis ad vota, ab alijs curatum videbatur, niſi omnia ipſe vidiſſet & contrectaſſet. Cùm erant ex hac vitâ migraturi, Sacramẽta vt illis porrigerentur effecit: vitâ functos veſperi ſepulturæ mandabat. Peregrinis ferè innumeris ad veſperam aduentantibus, cibos, & lectos apparabat. Si lecti, alioqui multi, non ſufficerent, ſternebat humi pannos: ita vt nulli deeſſet commodus captandæ quieti locus. crebros quoque excitabat ignes, & ſuffitus grati odoris ſpargebat. multum aceti in totâ ferè domo, vt corruptus aër, ſaltem aliquâ ex parte corrigeretur, libentiuſque miniſtri ſuam operam ægrè affectis nauarent. Non eſt autem paſſus benignus Deus, vt inter tot labores, vigilias, incommoda infinita, Bernardinus vnquam aduersâ laboraret valetudine: ſed ſemper promtus, alacer, vigil, & indefeſſus, dictis & factis confirmabat tum ægros, tum illorum miniſtros.

Cura domus penè tota Bernardino concredita.

*Mat. 10. 7.

Hoſpitibus quotidie neceſſaria adparabat.

Nullis fractus laboribus.

CAPVT XIII.

S. Bernardinus à febre conualeſcens, amitæ Bartholomææ pijſſimæ matronæ, toto anno decumbenti officiosè deſeruit.

CVM iam autem menſibus quatuor, & eo ampliùs in eâ domo ſedulò miniſtraſſet, peſtiſque ſopita eſſet; domum ſe recipit. Ecce autem, quemadmodum ipſe Chriſtum Dominum, in pauperibus eius, morbo laborantibus, ſicut diximus; crebrò viſitarat: ita Chriſtus pius & bonus Dominus rurſus illum viſitat. Nam vbi ab hoſpitali illâ domo receſſit: paulò pòſt acerrimâ cœpit exerceri febre, idque de improuiſo, in ædibus nobilis viri Hildebrandini de Manetis, qui ei erat amore & beneuolentiâ coniunctiſſimus; vbi ſanè ad menſes quatuor decubuit, patientiſsimè eam morbi moleſtiam, vel potiùs Domini IESV viſitationem ferens: in quâ hoc præcipuam ei moleſtiam adferebat, quòd videret alios ipſi miniſtrãtes moleſtiâ afſici, licet illi promtiſsimâ charitate ei inſeruirent; inter quos Tobia tanquam

Febrè corripitur.

pia

pia mater, & Iuſtina de Manetis matrona nobilis, ab eius latere ferè nunquam receſsêre. Cùm eſſet autem eâ febre liberatus, non remiſit ſtudium pietatis & humanitatis. Amita eius Bartholomæa matrona venerabilis, vxor quondã nobilis viri Trogliardi de Ptolomæis, iam propè nonagenaria, & cæcitate, & neruorum diſſolutione laborabat, nec ex lectulo ſurgere poterat. Hanc vt cognouit obitu cuiuſdam pij ſocij ſui, neceſſariâ operâ & miniſterio deſtitutam; religioſus & delicatæ alioqui habitudinis iuuenis, ſtatuit illi ſuis manibus neceſſaria officia impendere. id quod re ipsâ quoque præſtitit; nullaque habitâ ratione earum rerum quæ nauſeam ſibi & tædium adferre poſſent, tanquam parenti ſuæ, officioſè illi in omnibus inſeruiuit. In quo miniſterio anno integro, & eo amplius verſatus eſt, donec optima matrona perſoluto naturæ debito, migrauit ad cælos. Fuit hæc Bartholomæa cumprimis veneranda, ſpiritalis, & Deo deuota fœmina, quam etiam multi pro ſanctâ haberent. Vixit longo tempore in ſancti Auguſtini inſtituto & regulâ; ieiunijs, vigilijs, precibus, & ſui corporis macerationibus vacans, Deoq; perpetim gratias agens. In ſacris concionibus, cum audiret nomen Ieſu exprimi, non potuit continere ſeſe, quin crebrò illud mellitiſſimum nomen repeteret cum ſingultu, raucâ voce, accentu ſtridulo. Quamuis autem eſſet ſapientiſsima; attamen videbatur nonnũquam præ ſpiritus feruore quaſi inſanire, ad recordationem nominis Ieſu; qui illi ſemper in corde, ſemper in ore erat; cui etiam ſæpe in lecto iacens, laudes altâ & clarâ voce promebat. Sunt pleriq; in eâ ſententiâ; quemadmodum lachrymis beatæ Monicę ſanctus Auguſtinus conuerſus eſt ad Dominum: ita huius à Deo benedictæ mulieris preces & lachrymas, quas multis annis pro Bernardino ipſi chariſſimo fudit; id diuinitus impetraſſe, vt in viâ Dei magis ille proficeret, magiſque confirmaretur. Hortabatur eum ſemper, vt monaſticum inſtitutum complecteretur, præſertim Eremitarum ſub regulâ beati Auguſtini Chriſto militantium, in cœnobio valdè religioſo, quod de Lereto vocãt; in quo erant patres venerandi & ſpirituales. Porrò Bernardinus eius admonitionibus illectus, cum illis religioſis viris libenter conuerſabatur; placebantque ei vſque adeò mores illorum, & vita laudabilis, vt probabilis coniectura fuerit, eum monaſticum habitum apud illos induturum fuiſſe, niſi illum retinuiſſet amor erga hanc Bartholomæam, quam, donec eſſet in humanis, dilexit vt matrem, nec eam deſerere voluit.

A quâ reualens, ægra miniſtrat amitæ.

Cuius pietas dilaudatur.

Aug lib. 3. Conf. c. 11. & 12.

CAPVT XIV.

Secum habitans vires ſuas probat, vt apparatus, monaſticæ vitæ ſe conſecret, D. Franciſco nomen dare cogitans.

POSTQVAM autem illa vitâ functa eſt; Bernardinus ad ſanctiorem viuendi rationem adſpirans; cum necdum deliberaſſet quod genus monaſticę religionis potiſſimùm deligeret, decreuit habitare ſecum: vt ita priuatim commodiùs & certiùs experiretur ea, quæ oporteret non ignorari ab eo, qui Regularem, vt vocant, vel monaſticam Deoque magis gratam vitam, eſſet amplexurus. Elegit autem domum quandam iuxta portam de Triſis, & in loco occulto ſacellum exiguum ſibi conſtituit, poſuitque in eo altare, cum imagine Chriſti à cruce pendentis: ibi precibus, vigilijs, ieiunijs, flagellorum ictibus, cilicio alijſque pietatis exercitijs, ſeſe afficiens, idque & crebriùs & ſeueriùs quàm antea conſueuiſſet, accuratiſsimè vires explorauit ſuas, etiam vſque ad herbarũ victum & aquæ potum ſeſe periclitans. Lectiones eius, cùm fere omnes ſtudio haberet; in ſacris libris deuotione plenis conſummabantur; illis lætabatur, illas iam toto pectore cõplectebatur. Piorum hominum, quorum eſſet ſpiritalis conuerſatio, plùs ſolito conſuetudine delectabatur; illorum inprimis, in quibus virtutum exempla relucebant. Interim ſæpe animo pertractans, ad quod vitæ genus ſe potiſsimùm conferre deberet: non raro toto corpore proſtratus crucifixum Dominum rogauit, vt ipſi largiretur gratiam, viam, & vitam potiorem deligendi, quam eius benigno fretus fauore ſectaretur. Puto autem planeque mihi perſuadeo, ita ei reſpondiſſe crucifixum; Fili Bernardine: en tuipſe cernis hîc me nudum à cruce ſuſpenſum. Si ergo amas me, & me imitari vis: affi-

Subducit ſe ad locum ſolitarium.

Aſperè & durè ſe experitur.

garis & ipſe nudus cruci tuæ; ſicque me ſequaris, meque hauddubiò inuenies. Atque hoc ille intelligens, & ſæpiùs expendens; cùm aduerteret Chriſti crucifixi hoc longè optimum eſſe conſilium, quo nullum aliud melius, nullum ſalubrius poſſit reperiri: illud toto pectore ſtuduit in opus conferre.

D. Franciſco ſe ſtatuit addicere.

Cùm autem Seraphicum illum patrem Franciſcum, Chriſti nuditatem, paupertatem, & crucem excellentiſſimè ſectatum non ignoraret: ſub eodem beatiſſimo patre, Chriſto militare conſtituit.

CAPVT XV.

Viſo mirando ad Diui Franciſci capeſſendum inſtitutum diuinitus inuitatur.

SVB hac autem mentis deliberatione adhuc poſito, cùm necdum certò perſpiceret, quam vitam ingredi deberet: piiſſimus ſaluator, qui confugientes ad ſe non deſerit, ſed ad ſalutarem deducit viam; poſt ſolitas preces ſerotinas, obdormienti hanc viſionem obtulit. Videbatur ſibi Bernardinus, apud fontem quendam extra vrbis muros, non longè à patrum Franciſcanorum cœnobio diſtantem, videre palatium quoddam valdè elegans, & amplum, feneſtris luculentum, in ipſoq; intus ignem accenſum, qui omnia ferè palatij viſcera inflammaret; perque feneſtras omnes flammas erumpentes, vnâ dumtaxat demptâ feneſtrâ, quæ ſola cum vno cubiculo ſeruata videbatur. Tum præterea, per feneſtram illam videre ſibi viſus eſt, intus virum quendam Sancti Franciſci habitu indutum: eúmque vt ignis præſens periculum deuitaret, ad feneſtram accedentem, & ex illâ præcipitare ſe volentem, porrò ob ingens præcipitij diſcrimen, clamantem magnâ voce, Franciſce: ſicque ſecundò & tertiò intro reuertentem; rurſuſque ad feneſtram venientem, & præcipitio dare ſe volentem, ſed præ timore minimè auſum, clamantem; Franciſce. Ad extremum vidit totum illud palatium ignibus abſumptum, præter cubiculum, & feneſtram illam, ad quam vir ille (Franciſcum inclamitans, ſaluus manſit. Hanc

Ab igne Franciſcanus viſus eſt preſeruari.

viſionem ſecum penſitans Bernardinus, ſic eâ interpretatus eſt; quòd Dominus eâ id ſignificare voluerit, poſſe ipſum beatiſſimi patris Franciſci ope ſubnixum, carnis, mundi, & dæmonis flammas euadere.

CAPVT XVI.

Conſilio R. P. F. Ioannis Riſtorij confirmatus Ordini Seraphico addicitur.

PER id tempus fuit Senis quidam admodum reuerendus pater Franciſcanus, Ioannes Riſtorius, vitæ ſanctitate illuſtris. Is iam ante, triginta annis in Boſnæ prouinciâ aduerſus hæreticos deſudarat, è quibus multos conuerterat; ſacra etiam Hieroſolymorum loca viſerat, & pleraque alia, non ſine multâ animi pietate; iámque grandæuus domum erat reuerſus, fuitque inſtitutus Cuſtos Franciſcanorum Senenſium. Multâ enim pollebat ſapientiâ, noueratque prudenter conſulere: bonus erat odor famæ ſanctitatis eius. Ad eum properè acceſſit Bernardinus, aperuit ei totum pectus ſuum: rogauit obnixè, vt ipſum ad ſuam ſodalitatem admitteret. Lætabatur his grandæuus pater, & exultabat: quippe qui multa didiciſſet de optimis moribus eius, cerneretque tironem Chriſti ætate iuuenem, robuſtum corpore, facie formoſum, non mediocriter omni litteraturâ inſtructum, fide integrum, ſpiritu feruentem: quibus etiam permotus, non defuit precibus eius. At Bernardinus incredibili affectus hilaritate, totum ſe eius conſilio & voluntati permiſit: diſtraxitque omnes opes ſuas, contempſit generis nobilitatem, ſanctâque armatus paupertate, nudus pro Chriſti amore, deuium Ægypti iter reliquit, & in ſanctæ religionis eremum ſeſe abdidit, cupiens cùm Chriſto tollere crucem in humeros ſuos.

CAPVT XVII.

Ordinis Franciſcani veſte donatus, ad fratres Obſeruantes commigrat.

Initiatur instituto Seraphico.

ACCEPIT autem ab eo quem diximus patre, habitum monaſticum in cœnobio Senenſi Franciſcanorum, anno Domini milleſimo, quadringenteſimo quarto, ætatis ſuæ viceſimo ſecundo; totâ ciuitate Senenſi multum inde & ædificationis & admirationis capiente. Cùm autem pater ille ſenex, vili eum habitu indueret, & horridâ reſte cingeret: diuinitus doctus prophetice de illo coram omnibus dixit clara voce; *Adiunctus eſt ad nos hodie ſtrenuus & guarus miles, qui multas comportabit fruges in horrea Domini; eritque Ordinis noſtri decus & ornamentum.* Non diu pòſt ſentiens Bernardinus ſe, illo in loco, non poſſe Deo tranquillo animo ſeruire conuenienter regulæ Sancti Franciſci; quòd homines ſæculares quotidie eò aduentarent, & quædam aliæ cauſæ rationabiles ipſi ſuppeterent: ex concilio memorati patris exceſſit è patriâ ſuâ, eiuſque fretus benedictione ad eos Obſeruantes iucundiſſimo animo commigrauit, qui in Columbarij antiquo monaſterio degebant, quod ſitum erat haud procul Senis, in obſcuro nemore, ab omni mundi ſtrepitu ſeparatum: ijs imprimis accommodum, qui vitam vellent contemplationi deditam conſectari, & Sancti Franciſci inſtitutum experiri. Morabantur illic ſanè viri admodum religioſi & ſancti, Deo nocte ac die ſeruientes: quales tunc rari valdè erant in Italiâ, ob miſerè collapſam eius Ordinis monaſticam diſciplinam.

Ad Columbarij se confert cœnobium.

CAPVT XVIII.

Mores illius in iſto inſtituto, dura pœnitentia, & in Chriſti paſſionem affectus.

IN eorum ſodalitatem cupidiſſimè ſe recepit Bernardinus, & cum illis *carnem ſuam crucifixit cum vitijs & concupiſcentijs, virgiſque & flagellis aſperis caſtigauit. Summopere cõnitebatur perfectè exprimere vitam Euangelicã; & propter Chriſtũ alienæ ſe ſubmiſit, voluntati. Primo anno probationis, nihil prorſus habere voluit prætercucullum,

*Gal. 5. 24.

ſubligaculum, & cingulum nodoſum: adeoque magnos habuit in virtutibus progreſſus, vt quamuis omniũ poſtremus eſſet, ardẽtem lucernam, & totius ſanctitatis ſpeculum fratribus ſeſe exhiberet. Erat monaſtici Canonis obſeruantiſsimus, moribus fuit optimus & modeſtiſſimis; non mediocriter eo nomine charus fratribus vniuerſis. Mirabantur illi pœnitentiam & aſperitatem vitæ eius, ſingularem manſuetudinem, & erga omnes humilitatem. Nullum tam modeſtum, aut vile & contemtibile fuit opus, quod Bernardinus ſuis manibus non libenter exſequeretur. Inſeruiebat ægrotis fratribus, ferebat ſuis humeris emendicatas panis & vini eleemoſynas; nudis interim incedens pedibus etiam longiſſimo itinere. In ædibus ſacris inſtar Angeli ſeſe gerebat, laudans, cantans, & obſecrans Deum ſine tepore vllo, nocte ac die. Non ſolùm ea ſeruabat ieiunia, quæ præſcribit Regula: ſed quaſdam ijs addebat Quadrageſimas alias: interdum ſolo pane & aquâ in ijs contentus, corpus ſuum vigilijs & flagellis edomans. Propter dominum Ieſum, vir humilis cuilibet ſe morigerum & obſequentem præbebat: ſeipſum peccatorum omnium qui in terris eſſent viliſſimum, atque teterrimum exiſtimabat. Atque eâ cauſâ, cum infinitis ſuſpirijs & gemitibus precabatur veniam, coram imagine crucifixi Saluatoris; magnas illi gratias agens, quod ad hoc vitæ inſtitutum, ipſum vocaſſet, in quo poſſet ei tranquillâ cõſcientiâ, firmaque ſpe, & fiduciâ ſeruire. Chriſti paſsionem tam acerbè deplorabat, vt præ dolore moriturus videretur. Cum multâ condolentiâ commemorabat eius vitam, peregrinationem, famem, ſitim, æſtus, frigora, vincula, flagella, contemtum, cruciatus. Valde mirabatur illum præ immenſo amore pro nobis ferentem crucem, nudum à cruce manibus pedibuſque confixum miſerè pendentem, miſerandum in modum vulneribus ſaucium, & in tantis cruciamentis noſtrâ cauſsâ morientem. Doloris gladio conficiebatur, cùm ſecum reputaret, triſtiſſimam illius matrem exanime corpus eius excepiſſe in ſinum ſuum. Eiuſmodi pijs & ſalutaribus cogitationibus, & meditationibus inflammabatur animus eius, ad ardua & corpori moleſta ac dura exercitia, & opera amplectenda.

Paupertatis amantissimus.

Et humilitatis.

Christo passo se studuit conformare.

CAPVT XIX.

Pro ſtulto habitus, contemtum ſui contemnit.

ADEO verò ſtudioſè in ea incumbebat opera, quæ mundo humilia & deſpicabilia videntur, ſeipſum planè cõtemnens, & generis ſui nobilitatem pro nihilo ducens: vt homines plebeij, qui antè eum nouerant, non alio quàm inſani & ſtulti loco eum haberent; quo ille impenſius lætabatur, ſciens dictum ab Apoſtolo: * *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Cùm adhuc nouitius aliquando cum ſocio fratre inuiſeret Tobiam cognatam, & ſpiritualem matrem ſuam; quendam illic offendit conſanguineum ſuum, moleſtiſſimè ferentem quòd factus eſſet Franciſcanus, multaque ipſi conuitia & probra inferentem, & inter cætera ſic dicentem: Sperabamus nos te honeſte in ſæculo victurum, & fœcundam vxorem quandoque ducturum, proleſque ex eâ elegantes procreaturũ, noſtramque familiam opibus & honoribus aucturum. Ecquid verò aliud eſt cucullatus monachus, quàm porcus saginarius, & qui ſine curâ vllâ, otio, & deſidiæ deditus, alienis laboribus ſe saginet? Audiebat hæc ſedatiſſimo animo vir ſanctus, tandemq. ei reſpondit comiter & modeſte de ſeipſo vaticinans: Equidem fallacem hunc contemno mundum, cum omni faſtu & pompis eius: at nihilo minus tantum ex me honoris accedet generi noſtro, vt in hac vrbe, nulla vnquam familia extiterit, quæ cum noſtrâ poſſit honore, ſublimitate, & famæ celebritate comparari. Inde vale dicens cognatæ ſuæ, ad cœnobium redijt: magis expetens propter Deum ignominiâ affici, quam populi prædicatione efferri.

*1. Cor. 3. 18

Nota.

CAPVT XX.

Eius exemplum patientiæ. profitetur regulã S. Franciſci die natali B. Mariæ, & initiatur Sacerdotio.

EVNTI illo quandoque cum fratre per plateas vrbis Senenſis: petulantes pueri à tergo illudebant ei, & in eius nudos calcaneos lapillos iactabant. Nudis enim ingrediebatur pedibus, & tunica non attingebat tibias, vt plus ex frigore moleſtiæ caperet. At ille ne ſemel quidem reſpiciens, nec quicquam omnino commotus, pergebat itinere ſuo, perinde ac ſi ſurdus ac inſenſilis eſſet. Socius verò id indignè ferens: Non aduertis, inquit, quid iſti inſolentes pueri faciant? Reſpondit vir ſanctus: Faciant illi quicquid libitum erit eis: materiam nobis exhibent, vnde ſempiternæ gloriæ coronas nobis texamus. Dum enim affligũt nos, exercendæ patientiæ nobis occaſionem ſuppeditant: qua * patientiâ poſſidemus animas noſtras, & cælorum regna promeremur. Anno autem probationis exacto, ipſo Natiuitatis beatiſſimæ Mariæ ſollẽmni die, palàm & ſollẽniter profeſſus eſt monaſticam vitam, in manibus præfecti ſui, quem Guardianum vocant: promittens ſe omnibus diebus vitæ ſuæ, ad præſcriptum Regulæ Sancti Franciſci, in obedientiâ, paupertate, & caſtitate victurum. Coactus deindè fuit etiam ſacerdotio initiari: primumque ſacrum fecit in matris Dei natalitio die, tanquam eius legitimus capellanus; ac deinceps quotidiè Miſſam celebrauit, cum multâ animi deuotione, & ardenti charitate. Mirè enim diuino erat amore incenſus, ſitiebatq; mortalium omnium ſalutem: accuratè ſecum penſitans, quâ re Deo poſſet in hac vitâ gratiſſimam operam nauare.

Ab inſolentibus pueris exercetur.

*Luc. 21. 19.

D. Franciſci Regulam profitetur.

CAPVT XXI.

Grauem crucem extulit, conciones auſpicaturus in natiuitate Diuæ Mariæ Virginis.

CVM autem ſic ſecum ipſe commemoraret, quanta hominum cauſsâ feciſſet Chriſtus, quantoperè in eam incubuiſſet curâ, vt homines à peccatis retraheret, per ſeipſum, per Apoſtolos*, Martyres, Confeſſores, Virgines: vt eorum bonis exemplis & inſtitutionibus ad pœnitentiam, & vitæ emendationem incitarentur: grauem ille crucem in ſuos recepit humeros, vt omnium animas lucrifaceret; feruentique ſpiritu egreſſus è monaſterio, ad pro-

Inſigni exemplo excitat ad tollendam crucem.

ad propinquum caſtrum rebus pauper acceſſit, populoque prædicauit pœnitentiam, non ſubtili ſermonis curioſitate, ſed ſancti Spiritus virtute, imitans beatiſſimum patrẽ ſuum Franciſcum. At tamen prę eximiâ animi humilitate, nec auſus fuit abſque Superioris permiſſu, concionandi munus obire: nec etiam vt ipſi id permitteretur expetere. Sed * cum *non poſſit abſcondi ciuitas ſupra montem poſita*; Superior eius, quem Ordinis Miniſtrum vocant: cognitâ eius excellenti ſanctitate, inſigni deuotione, præclarâ in diuinis litteris eruditione: concionandi prouinciam ei demandauit. Quam ille humiliter ſuſcepit, non ignorans Deo pergratum eſſe, vt ſalutiferis ſermonibus, ad eum miſeros mortales reduceret, quos ab illo hoſtis tartareus ad omne genus flagitiorum & ad mundi huius voluptates abſtraxiſſet. Primam concionem ſuam habuit ipſis ferijs Natiuitatis præſtantiſſimæ Virginis, in honorem illius ſub primo ſacrificio ſuo.

*Mat. 5. 25.

Cum obedientiâ concionandi munus aggreditur.

CAPVT XXII.

Vocis eius exilitas igneo globulo reparatur ad vocalitatem.

CVM autem experientiâ didiciſſet, execrabilem ſatanam multos ſibi tendere laqueos, quibus in ſagenam ſuam adduceret, niſi multâ vteretur vigilantiâ & circumſpectione: egregiè aduerſus eius inſidias ſeſe communiuit, cum Apoſtolo * *caſtigans corpus ſuum*: nec aliquid de vitæ ſuæ aſperitate remittens, ne aliis prædicans ipſe reprobus efficeretur. Non deerant tum, qui à ſuſcepto hoc concionandi ſalutari ſtudio & opere illum reuocare nitebantur, propter corporis eius teneritudinem, quæ non ſineret eum ad loca diuerſa proficiſci: item vocis raucedinem, quæ procul audiri non poſſet: & ille quidem propemodum ijs aſſenſurus videbatur, niſi conſcientia reclamaſſet, cui obluctari non debuit: valdè enim abſurdũ, & ab omni ratione alienum fuiſſet: ſi pereunti mundo Dei verbum ſubtrahere voluiſſet. Interim animi dubius quid potiſſimùm ſequeretur, ad Deum confugit: ſublatiſque in cœlum oculis, obnixè eum rogauit, ſi quidem gratum ſibi foret, vt in concionandi functione permaneret, vt propter ſanctiſſimæ Matris ſuæ merita ſanaret vitium gutturis ipſius, quod voci eius magnum afferebat impedimentum. Quando autem facile à Deo obtineri poteſt, quod ab illo prætordinatum eſt; & vt * diuus Gregorius ait, diuinâ prouidentiâ ſic cõſtituit, vt electi Dei amici precibus impetrent, quod ille ab initio dare eis decreuit. Deus ob interceſſionẽ matris ſuæ, inſigni miraculo è gutture eius depulit vitiũ illud, immiſſo in gutture ignito globulo, quo linguæ raucedo excocta & curata fuit.

*1. Cor. 9. 27.

Corpus ſuũ domat.

D. Virginis interuentu vox eius concionibus adparatur.

Lib. 1. Dialog. cap. 8.

CAPVT XXIII.

Inuidus humanæ ſalutis dæmon, Bernardini tentat expugnare caſtitatem per mulierem, quam verberibus emendat.

INDE verò tanto animi ſtudio, nouum ille concionandi munus executus eſt, vt nullâ ratione ſatis id explicare queam. Amabat ille ſummoperè corporis caſtimoniam & integritatem: id quod ſine inſano liuore ſerpens tortuoſus ferre non potuit. Erant tũ Senis duo honeſti coniuges, qui illum mirè diligebant. Senſit hoc tartareus impoſtor: & alterius id eſt fœminæ amorem corrupit, vt ſanctum virum libidinosè diligeret. Ait enim S. Bernardinus, nullum in hac vitâ reperiri, etiamſi eximiâ ſit ſanctitate & perfectione, cui non impuræ quædam cogitationes incidãt: ſed noſtri arbitrij eſt vel reſpuere, vel aſſentiri. Cùm ergo Bernardinus quandoque panis emendicandi cauſsâ exijſſet, hæc fœmina illum ad ſe accerſiuit: eoque ingreſſo fores clauſit, & ait; Niſi te accõmodes iam voluntati meæ, equidem inſigni te ignominiâ afficiam, dicamque te mihi vim afferre voluiſſe. Tum Bernardinus in eas ſe anguſtias coniectum cernens, totâ animi deuotione intra ſe rogabat Dominum, vt in tam præſenti periculo ipſi non deeſſet: facinus enim illud valde execrabatur. Nõ neglexit Deus preces ſerui ſui: ſuggeſſit mox conſilium vt diceret mulieri; ſi vellet ita fieri, vt ſe veſtibus nudaret. Dixit hoc ille, nec mulier diſtulit. Interim profert ille flagellum quod apud ſe habebat: apprehenſamq; fortiter fœminam, egregiè cædere

Tentatur [illegible] à libidine mulieris.

Flagellis caſtigatur.

cœpit,

cœpit: nec deſtitit, donec ardor libidinis in eâ extinctus eſt. Eâ cauſsâ impenſiùs deinceps mulier amauit ſanctum virum, itemque maritus eius, vbi is comperit rem ab eo geſtam.

CAPVT XXIIII.

Cœnobium ædificauit propè à Senis, vbi Guardianus ſuis præluxit bonis exemplis.

POSTEA Bernardinus, à præfecto domus hoſpitalis ſancti Honofrij (quod eſt extra muros Senarum) petiit locum aliquẽ ſibi donari, in quo pro ſe & fratribus ſuis, paruam habitationẽ extrueret. Cõceſsit ille, de Pontificis Maximi & domus hoſpitalis conſenſu, locũ Bernardino, vbi is monaſterium condidit, quod vſq. in præſens illic cernitur, cõmodâ ſtructurâ cum eleganti templo, & alijs ædificijs. Huius cœnobij primus ipſe Guardianus ſiue præfectus fuit: gnauiter portans onera diei ac noctis, potiuſque in ſe recipiens quàm in alium transferens labores. Apportabat ligna, lapides, calcem, nihil parcens tenero corpuſculo ſuo. Libens quoque exibat ad petendas eleemoſynas. Quando domi erat, ſemper cum fratribus ad templum acceſſit, ijs horis quibus diuina officia peragebãtur. Quòd ſi adeò eſſet occupatus, vt ijs adeſſe non poſſet; preces Canonicas cum ſocio fratre admodum reuerenter & deuotè perſoluebat. Crebrò totas noctes duxit inſomnes, in ſecreta quædam loca ſeſe abdens, atque illic vacans deuotioni ſuæ. Perpetuò aut legendo, aut orando, aut diuina contemplando occupatus erat. Sæpe pugnis ſuum tundebat pectus, vilem peccatorem ſe pronuncians. Dire cruciabat corpus ſuum, & humum lachrymis madefaciebat: vt peccatoribus Deum propitium efficeret. Non rarò attentiſſimè, & ſummo animi dolore, contemplans Chriſti ignominioſam mortem, pretioſumque ſanguinem fuſum pro nobis, in crucis formam ſe humi extẽdebat: vt cum Chriſto foris & intus ſeſe crucifigeret. In adhortationibus ſuis publiciſque concionibus, magno ſemper ſtudio excitabat auditores, vt ſe gratos exhiberent paſſioni, & morti Saluatoris, deuotionemque & reuerentiam præſtarent ſanctiſſimo nomini IESV *quod eſt ſuper omne nomen, & in quo omne genu flectitur, caleſtium, terreſtrium, & infernorum.* * *neque aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat ſaluos fieri.*

A ſe ſtructi monaſterij primus fuit Guardianus.

Semper pietati intentus.

Cunctos ad honorem nominis Ieſu exhortatur.

*Philip. 2. 9.

*Act. 4. 12.

CAPVT XXV.

Gratiâ prædicandi Verbum Dei, toto orbe celeberrimus euaſit, quã Deus miraculis confirmauit.

PRÆPOTENS Deus, * *qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis*, in viro hoc, & per virum hunc, dum in terris inter homines verſaretur, mira operatus eſt, & admirandum in modum, ad vitæ cæleſtis gaudia deguſtanda, cum ſuſtulit. Cùm enim concionandi onus iam ſuſceptum proſequi cœpiſſet: tanto animi feruore & ſtudio conciones habuit, vt nomen eius non ſolùm in Italiâ, ſed toto etiam orbe celebraretur: tam ille efficacibus & grauibus vtebatur verbis, vt facilè poſſet animaduerti, Spiritum Dei loqui per os eius. Conciones ſuas ſolebat in tres aut quatuor diſtribuere partes. Peroptabant autem ſinguli eius habere conciones: & beatiores ſe exiſtimabãt, ſi daretur copia eas deſcribendi. Libelli eius, per regiones omnes ſpargebantur, per Hiſpaniã, Galliã, Angliam, Hiberniam, Scotiam, Germaniam, Hungariam, Cyprum, Aſiam, Græciam, per Orientem quoque & exteros populos: qui acumen ingenij, intellectus perſpicacitatem, ſenſus ſublimes, & vitæ eius ſanctitatem non mediocriter admirabantur. Vbiuis locorum eius fiebat mentio: & ſe longè lateque diffuderat fama eius, quam Dominus præclaris miraculis confirmabat.

*Pſal. 67. 36.

Feruidus in concionibus.

Quã à cũctis deſiderabantur.

CAPVT XXVI.

Illius æuo perditi mores Italiæ, Guelphorum & Gibellinorum diſcidia, ſchiſma in Eccleſiâ.

ITA ille ſancti ſpiritus perfuſus rore, ferventiſſimus Dei præco factus eſt, in Italiâ, & Galliâ Ciſalpinâ, in nouæ lucis euectus montem. Cernens autem *multam eſſe meſſem, ſed proh dolor, operarios paucos: vrbes caſtella & pagos omnes peragrauit, annuncians pigris & deſidioſis mortalibus ſanctiſſimum nomen IESV, quod nomen

*Mat. 9. 37.

** Act. 9. 15.*

* vas electionis Paulus portauit coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael: vt per hoc ſalutiferum nomen, à Deo gratiam impetrarent & miſericordiam, quo per veram pœnitentiam corrigerent malam vitam ſuam. Eâ tempeſtate tota Italia iam planè iacebat obruta vitijs & flagitijs, oblita piarum adhortationum, quas olim acceperat. Omnes in id toto incumbebãt pectore, vt poſſent multas ſibi coaceruare opes. Nulla cernebatur deuotio in religioſis & eccleſiaſticis: nulla fides in plebeiis, nulla miſericordia, modeſtia, & diſciplina morum nulla. Iactabant alij in alios maledicta, obſtinatis animis odio & liuore ſe inuicem proſequebantur, in duas factiones diſtracti. Intercluſa erant itinera à latronibus, mare infeſtum piratæ habebant: Guelphorum & Gibellinorum immodica inſolentia paſſim adeò ſæuiebat, & graſſabatur: vt fraterno ſanguine plateæ maderent. Ecquid verò poſſit atrocius commemorari? Parentes ſuas iugulabant proles: lætabanturque ſe illos qui diuerſæ eſſent factionis laqueo profocaſſe. Tanta exiſtebat infidelitas & impietas: vt inſtar Ethnicorum plus deferrent tempori, quo eſſent ſtructuri domos, quàm Dei præceptus obſeruandis. Mundus erat veneficijs & incantationibus, damnatâque curioſitate futura cognoſcendi, & ſanandi morbos. Quæ ſi quis reprehendere voluiſſet, miſerè conſpuebatur & irridebatur. Rarò feſtis diebus ibatur in templum, vt Miſſa audiretur. Nemo verebatur leges, quibus alearum ludus interdicitur, properabant omnes ad loca illa, vbi alearum feruebant iactus. Internoſci non poterant dies profeſti vel operarij à feſtis: quòd feſtis diebus plures irent per plateas oſcitabundi & vagabundi. Omnibus his malis, magnam anſam multaque fomenta præbebat ſchiſma, quod tũ in ſanctâ Eccleſiâ ad annos quadraginta durauerat.

Italiæ vitia illo æuo.

Guelphorũ & Gibellinorum factiones.

Schiſma diuturnum.

CAPVT XXVII.

Corrigendis Italiæ vitiis vbiq; concionatur, magno feruore, magno hominum concurſu.

HAEC autem conſpiciens ſanctus Bernardinus, valdè miſerabatur pereuntis mundi pericula. Itaque fiduciã ſua in Deo collocatâ, ibat per regiones & ciuitates, * annuntiabat hominibus virtutes & vitia, gloriam & pœnas ſempiternas. Tantâ autem diuinæ gratiæ largitate perfundebatur, vt diligeretur ab omnibus & honoraretur, & cũ multâ reuerẽtiâ exciperetur & auſcultaretur, haud ſecus atque quidã Chriſti Ieſu Apoſtolus. Tantus hominum cœtus ad eum audiendum confluere ſolebat, vt ſummo manè ad concionis locum properarent; quo commodum ſibi poſſent locum vendicare. quodque eo maius eſt, nonnunquam aduentabant complures à triginta milliaribus, incredibili deſiderio incenſi, audiendi cõciones eius. Quotidiè verò ante concionem, cum multâ deuotione Miſſam celebrabat, animo in Deum ſubleuato. Properabant omnes & ſacris initiati & laici, ex pagis & opidis, vt eum audirent concionantem: ſperabantque ſancti Spiritus gratiã in ipſos deſcenſuram, vt olim in Apoſtolos & credentes. Neque id ſanè mirum: quando ille præco Dei admirabilis, ſancti Spiritus vnctus gratiâ, adhortabatur ſuſpirabundos auditores ingenti voce, vt agerent pœnitentiam, Deumque iratum ieiunijs & lachrymis ſibi conciliarent. Verba eius & ſuauia erant & efficacia, inſtar radiorum igneorum penetrabilia, corda omnium ipſum audientium emollientia, omnemque animorum duritiam conterentia. Vox eius admodum ſonora & clara fuit: ita vt & propè & procul poſſet diſtinctè percipi. Sermones illius haudquaquã inanes erãt, aut mundani, vel mendaces, & ridiculi: ſed diuinâ pleni fœcũditate, quibus lapidea quæuis pectora colliqueſcerent, atq; emollirentur ad agendã cum acerbâ animi contritione verã pœnitẽtiam; pij verò omnes diuino amore inflammarentur. Penetrabat enim ſpiritus eius mortalium omnium intimos pectorum receſſus.

** Regula S. Franciſ. cap. 9.*

Frequentiſſimi ad eius conciones accurrunt.

Act. 2. 2.

Ex eius linguâ melle dulcior fluebat oratio, eaque ſuauiſſima.

CAPVT XXVIII.

Multi concionibus eius à peccatis auerſi, pœnitentes ſe corrigunt.

HINC fiebat, vt ſua peccata cum multâ cõtritione confiterentur, dignéq; & reuerẽter perciperẽt ſacroſanctam Euchariſtiam, qui multo tempore nunquam ad ſacram communionem acceſſerant. In ſummâ: dicendo nemo conſequi poſſit, qui fructus ex ijs

Multi verò pœnitent.

beati

beati viri concionibus enati ſint, apud homines Christianos. Nec facilè ſcripto comprehendi queat, quot vrbes, Reſpublicas, & homines odio & liuore prorſus obduratos, ad pacem, tranquillitatem, & cōcordiam reduxerit: quot petulantes adoleſcentes, & laſciuas fœminas, è fœdiſſimis carnis voluptatibus, quibus cōputruerant, ad honeſtam & caſtam viuendi rationem reuocarit. Iubebat vt feſtos dies, quibus ſolebant vacare manuū laboribus, ad Canonum præſcriptionem obſeruarent. Docebat populum, vt ſacras ædes & ſacerdotes in ijs miniſtrātes venerarentur. Multas honeſtas ſed inopes puellas curauit matrimonio tradēdas: apud locupletes à ſe conuerſos id efficiens, vt bonâ dote afficerentur. Videre licebat inueteratas inimicitias, ad mutuam conſenſionē & beneuolentiam redigi, quod alioqui incredibile videbatur, vllâ viâ, vel cōſilio quenquam conſequi poſſe. Cernere erat fęminas pias & Deo deuotas, mundi pompis & vanitatibus hactenus deditas, ponere torques & catenas aureas, abijcere ſpecula & vnguenta, negligere capillorum compoſitionem, reſpuere ornamenta, quibus antea ceu laſciuæ & impudicæ mulieres pernicioſiſſimè in ſui damnationem abuſæ fuerant. Inſtrumenta omnium ludorum vetitorum, tabulas luſorias, taxillos, laruas, & id genus alias mundi vanitates, maximo numero ad ſanctum virum adducebant, vt faceret illis pro ſuo arbitratu. Ille verò in foro, igne extructo, ea omnia combuſſit. Fæminas in lupanaribus flagitioſè viuentes, ad pœnitentiam ſuis ſermonibus permouit, quibus ad contrahenda matrimonia, è communi ærario dotes liberaliter tribuebantur. Vſurarij, piratæ & latrones, ad meliorem frugem ſe recipientes, agebant pœnitentiam, reſtituebantque malè parta, quorum ſumma nonnunquam excedebat mille aureos ducatos.

Reparantur ad pacem.

Et meliorē frugem.

Mundi vana ludicra publicè cōburuntur.

CAPVT XXIX.

Multis Monaſticæ deditis, extruūtur cœnobia, inſtituto de Obſeruantiâ increſcente.

Adeo tum princeps mundi huius extrudebatur è regno ſuo, & Chriſtiana religio exaltabatur. Cōdebantur xenodochia, defendebantur viduæ & pupilli: res omnes præter ius faſq; conquiſitæ reſtituebātur. Multi viri & fœminæ, contēto mundo & fallacijs eius, abiectiſq; non paruis facultatibus ſuis, crucem pœnitentiæ cōplectebantur, in paupertate & diuerſis monaſticis inſtitutis, Domino ſeruientes. Multa quoq; noua extruebantur monaſteria, collapſa inſtaurabantur, tum intus tū foris. Quis verò certū poſſit inire numerum, partim nobilium & præclarorum adoleſcentum, partim maturâ ętate & barbatorum virorum, qui ſe in cœnobia receperūt, vitam ſectaturi religioſam, vt Deo fideliorem poſſent exhibere famulatum? Franciſcanorum ſane ab ipſis fundamentis non pauca, eaque elegantia condebantur cœnobia: in quibus regula S. Franciſci, ſub Bernardino obſeruaretur. Quæ quidem Obſeruantia, ex eius odoriferâ ſanctitate, vſq; adeò magna illo viuente accepit incrementa, vt viginti parua monaſteria, in quibus totâ Italiâ plus minùs centum viginti fratres morabantur; cùm hæc Obſeruātia ſub Bernardini primis monaſticæ vitæ initijs inſtaurata eſt, ſub finem vitæ eius intantum aucta fuerint, vt trecenta numerarentur cœnobia, & in ijs fratres amplius quinquies mille, præter eos qui illo ſuperſtite deceſſerant è vitâ, in ſolâ Italiâ, quorum non erat minor numerus. Quod ſi verò ea quoque commemorare velim monaſteria, quæ Reges, Principes, & alij potentes viri, toto orbe pro fratribus Obſeruātibus exædificāda curarūt: in quibus erat copioſiſſimus fratrū numerus, rē aggreſſurus ſum, quæ vires meas lōgè ſuperet. Habitant enim Obſeruātes fratres, non ſolùm apud Chriſtianos, ſed etiā inter barbaros & infideles cames, orbem vniuerſum lucidis exemplis ſuis illuſtrantes. Atq; hinc perſpicuum fit, completum vaticinium reuerendi patris illius, qui Bernardinum monaſtico habitu induit, quando ait, in ſanctâ Eccleſiâ gentes eum fructus allaturum. Surrexit enim tanquam *alter Elias: *quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* torpentia corda diuino inflammans amore: vt peccatorum omnium remiſſionem conſequerentur, & Chriſti vitam & doctrinam imitarētur. Elegit eum Dominus, populoq; exemplum propoſuit, & ſignum cōſpicuum, in quod intenderent, cuique ſe imitando conformarent.

Multi monaſticam vitam capiunt.

Cœnobia multa pro Obſeruantibus ædificata.

Qui etiam inter Barbaros agūt.

Sup. c. 16.

*Eccli. 48. 1.

CAPVT XXX.

Factus Terræ ſanctæ Commiſſarius, ſuum inſtitutum valde promouit. Ieſu nomen pictum à concione populo adorandum oſtendens, grauem paſſus eſt calumniam.

CVM autem Hieroſolymam miſſus fuiſſet vir ſanctus: factus eſt eius loci, & etiam in Bethleem Guardianus, & Terræ ſanctæ Commiſſarius. Eo verò tempore, quo fuit Prouincialis Vicarius Tuſciæ; multa reformauit cœnobia; nouaque ſuſcepit, totâ Italiâ fratrum augens numerum, concionibus & optimis moribus ſuis. Sub eius viſitatione, quædam conſtructa fuere ſanctæ Claræ monaſteria primæ Regulæ, multaque alia ſecundæ: quæ anteà ceu indomitę vixerant ſanctimoniales, eius curâ reformatæ ſunt. Quando è Tuſciâ profectus fuit, vt verbum Dei prædicaret Venetijs, in ditione Mediolanenſi, Genuæ, Veronæ, Mantuæ, Placentiæ, Parmæ, & in toto Ducatu Ferrarienſi, alijſque locis : paſſim in vrbibus condebantur noua fratrum de Obſeruantiâ monaſteria. totoque orbe mirè propagati fuere ſancti Franciſci tres Ordines, ſiue tria inſtituta. Etſi autem probè ille eruditus erat omni ſęculari ſcientiâ, Philoſophiâ morali, & Iuris cognitione: at tamē vltra modum illuſtrabatur diuinæ ſapientiæ lumine: ita vt quæſtiones & argumēta omnia ſapiētiſſimè diſſoluere, prudēter exponere, & intelligentiâ cōprehendere poſſet. Quando autē hominū malignorū ſæua importunitas, nūquā otioſa eſt; ſed edaci percita liuore, innocentibus comparat laqueos & inſidias, & dente canino rodit illos; contigit aliquando Bernardinum cū multo ſpiritus feruore, habere ſermonem apud populum, multoſque eo ſermone conuerti; quare lætabatur ille non minimū, Deum laudans pro gratiâ illius. Solebat autem ſub finem concionum ſuarum populo tabellam ſpectandam proponere, idque inprimis religioſè ac piè: in quâ pictum erat dulciſſimum nomen IESV litteris aureis, ſolis radijs vndiq; cinctum: porro populus id ſacratiſsimum nomen flexis genibus deuotiſsimè adorabat. Id verò conſpicati quidam æmuli eius, diuino honori & ſaluti animarum inuidentes, malitiâ deprauati & peruerſi, quotidie ad eius conciones veniebant, acti & incitati nequitiâ & malignitate ſua : vt quippiam ex eius ore raperent, vnde ei poſſent accuſationem ſtruere, & apud ſummum Pontificem falsò illum deferre. Annotarunt autem per calumniam falſas quaſdam ſententias, quas ab illo è ſuggeſtu prolatas fingebant, de ſuauiſſimo nomine IESV, ſecùs quàm habeat fides Catholica. Adiungebant ijs falſa quadam commenta, vel interpretationes: vt coram Pontifice in hæreſis crimen eum vocarent: quod quidem etiam factum ab illis eſt coram Martino Quinto, adhibitis ad ſua commenta etiā malignis & falſis teſtibus quibuſdam. Atq; eâ cauſsâ ſtatim accerſitus eſt à Pontifice Bernardinus: iſque nihil cunctatus, cum multo populo Viterbio profectus eſt Romam. Vbi mox ad Pontificis pedes humiliter ſe abiecit plenus multâ erga Deum fiduciâ. Pontifex autem acriter in eum inuectus ait; ſi quidem res ſic ſe haberent, vt de illo relatum ſit, non eum impunè id laturum : ſed bene acriter caſtigatum illum iri, tanquam temerarium eccleſiaſten, & peſtiferæ hæreſis propagatorem. Interdixit quoque illi ſacris concionibus; & ne nomen IESV populo oſtentaret, donec re examinatâ certi aliquid compertum eſſet. Intereà multi docti viri & ſacræ Theologiæ magiſtri, in omnes libros eius, quos ex diuinis litteris collegerat, accuratè inquiſierunt: num quæ in iis lateret hæreſis, noſſe cupientes. Alij quidē Franciſcani doctores Theologi, acutis diſputationibus Bernardinum tuebantur. ſed ille tam immanem iniuriam, cauſsâ amoris Chriſti, patientiſſimè tolerabat. Cùm autem in ſcriptis eius nulla poſſet reperiri hæreſis; Pontifex probè animaduertens, omnem illam accuſationem, odio & liuore in Bernardinum comparatam: quippe qui in verbis ſuis inculpatus & verax deprehenſus eſſet, illum ad ſe acciuit, & poſtquam ad quæſtiones omnes, audiuit humiliter reſpondentē, copioſiſſimâ eum impertijt benedictione ſuâ: authoritateque Pontificiâ clementer ei copiam fecit, liberè prædicandi circumquaque verbum Dei, dulciſsimumque nomen IESV populis oſtentandi, & palam geſtandi. Atque ille poſt hæc manſit aliquan-

Incrementa fratrum inſtituti de Obſeruātiâ.

Ieſu nomen in tabulâ adorandum oſtendebat.

Cuius gratiâ magnā eſt paſſus calumniam.

A quâ liberatur Pontificis ſententiâ.

quamdiu Romæ prædicans, & non mediocres in populo fructus producens. Æmuli verò eius, qui eum conati erant in diſcrimen capitis vocare, cum magno dedecore inde abierunt: & qui præcipuus inter illos erat, Dei iudicio ſubitaneâ & improuiſa morte extinctus eſt.

CAPVT XXXI.

IESV nomen illuſtratum ſole pro luſorijs tabulis pingere docuit: omnibus gratū; fructuoſum artifici.

VENIT quandoque Bernardinus in opidum quoddam, viditque hominem tabulas luſorias conficientem. Sciſcitabatur igitur ex eo, calleretne aliam artem, quâ ſibi victum pararet: illo negante, ait ad eum; Si vis facere quod dicturus ſum, habebis vnde te ſuſtentes. Ego verò, inquit ille, faciam equidem ac lubens. Tum Bernardinus, circinâ expreſſit circulum; atque in eo nomen IESV pinxit, ſole circundatum. deinde ait ad virum: Tu fac ſimiliter fili: & habebis res vitæ degendæ neceſſarias. Fecit ille, & Deo fauente, populus magno cœpit ſtudio complecti id genus nomina IESV: pluſque indè lucri acceſſit homini, quàm ex damnatis illis tabulis luſorijs.

CAPVT XXXII.

Irreprehenſibilis vitâ fecit priùs quæ docuit, cupiens omnes ſaluos fieri, tempus occupans fructuoſiſsimè.

DILIGENTER ſanè, Bernardinus animo ſuo affixerat ſalutarem illam doctrinam, quam Apoſtolus Timotheo diſcipulo ſuo propoſuit, ſcribens in hæc verba: * *Prædica verbum, inſta opportune, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ.* Itaq. dedit operam, vt ipſe quoque ſic faceret. Pulchrè autem vita eius cum doctrinâ conſentiebat: & è diuerſo, verba eius vitæ adstipulabantur. Nemo vnquam vllum ex eo potuit capere offendiculum, neque aliter docebat ore, quàm ipſe opere præſtaret, Chriſti inſtitutionibus conuenienter ſe gerēs, de quo ſcriptum eſt,

*2. Tim. 4. 2.

Vita cum doctrinâ cõſentiebat.

* *Cœpit Ieſus facere & docere.* Nouerat ille omni hominum generi & conditioni ſuos accommodare ſermones, & dicere ſingulis quæ ipſorum ſaluti conducerent. Optabat enim ille homo Dei, iuuenes & ſenes, locupletes & inopes, reuocare à peccatis, & ad ſalutis æternæ veram ſemitam perducere. Ea cauſsâ tam fuit celebre toto orbe nomē eius, ita vt nemo non cuperet audire eum, & obtemperare illi eiuſque conſilium expetere. Amabant eum omnes & venerabantur, tollebantque ſupra ſiderâ, tantâ cum reuerentiâ ſermones eius excipientes, ac ſi diuina eſſent oracula. Et ille quidē in vineâ Domini ſtrenuè laborans, ſtudebat prodeſſe omnibus, tempuſq; ſuum cū multo lucro piè ac ſanctè traducere. Inde fiebat, vt ſemper quippiam boni actitaret, nunquam otio ſe dederet: ſed vel cōponeret ſermones, vel libros ſcriberet, quoties ei licebat eſſe ſoli. Eam ob rem poſt abſolutas nocturnas preces, quas Matutinas vocant: non ſolebat ſomnum capere, tametſi vt plurimum primus ante omnes ad illas preces accedebat. *Poſt gallicinium, cum ſancto Petro lugebat peccata hominum: & manè orto ſole cum *Magdalena quærebat reſurgētem è ſepulchro Saluatorem. Quotidiè vnâ horâ ſuæ vacabat deuotioni; atque interim nulli patebat ad eum acceſſus, nec Regi, nec principi, nec vlli quantumuis potenti dynaſtæ: ſed cogebātur exſpectare omnes, donec ſatisfeciſſet deuotioni ſuæ. Inde ſumebat corpori neceſſaria: ijs perceptis, omnium expectationi faciebat ſatis. Eſt hodieq; Senis bibliotheca arctiùs cuſtodita, in quâ ſeruantur codices, quorum magnam partem Bernardinus intra duos aut tres annos, ſuâ conſcripſit manu: vt accepi ab illis qui eos viderunt: vnde poteſt animaduerti, quàm diligens, & ſedulus ille fuerit.

*Act. 1. 1.

Omnium ſaluti laborabat.

Momenta temporum optimè collocauit.

*Mat. 26. 75.

*Ioan. 20. 1.

Libros ſua manu conſcripſit.

CAPVT XXXIII.

Humilitas virtutum decus ei cordi & curæ fuit.

HVMILITAS omnium virtutum decus & ornamentum, ſpiritaliſque ſtructuræ firmū fundamentum, lapiſq. angularis Deo nos coniungens, adeò ſibi Bernardinum deuinxerat, ſuoque ſeruitio ſubdiderat, vt de ſeipſo prorſus nihil ſentiret: ſed planè ſe con-

conte mneret atque odio haberet. Mores eius, actus & verba omnino ſimplicia, & humilia erant: omnibus ſe gratiâ & virtutibus inferiorem exiſtimabat. Non ſuâ nitebatur ſapientiâ: ſed ſemper petebat conſilium, etiam ab illis, qui eo inferiores erant. Nullum præ ſe ferebat ſuo inceſſu animi tumorem, aut turgidum pectus: non tollebat in ſublime oculos, nō iactabat eruditionem & nobilitatem ſuam: ſed ibat maturè ſummiſſo capite, eaque ſimplicitate & comitate, ac ſi rudis & imperitus quiſpiam eſſet, vaſque inane parum gratiæ, nihilque ſcientiæ continens; & talis quidem habebatur ab iis, qui eum nō norant. Tam verò erat ſermone potens & efficax, tam naturâ patiens; vt flagitia palàm admodum ſeuerè reprehenderet: ſed cùm eſſet priuatim, neminem, niſi blanditer & comiter obiurgare vellet. Etſi autem multa eius humanitas, & humilitas omnibus perſpecta erat, magis tamen innotuit eo illuſtri, quod iam referemus miraculo,

Faſtus in eo nullus.

CAPVT XXXIV.

Concionaturus Mantuæ, cùm ei negaretur nauigium, ſubſtrato pallio vectus, traiecit aquam cum ſocio.

EXIERAT quandoque vir ſanctus cum fratre, vt Mantuæ concionaretur. tranſmittenda autem ei erat aqua, vrbem illam attingens, rogauit nautam quendam, vt cauſsâ Dei ipſum traduceret. Nauta mercedē à Deo expectandam negligens, naulum exegit, exiſtimans illum latenter ſub cucullo habere loculos nummis refertos, vt quidam ſolebant ex illis quos Conuentuales vocant. Bernardinus ait, ſe Dei amore facultates ſuas omnes contempſiſſe: iterumque orat, vt pro Dei amore ipſum cùm ſocio tranſuehat, eâdem horâ in vrbe illâ concionem habiturum. Recuſat nauta, & dicit, Etiamſi omittenda tibi concio ſit, ego te in nauim meam non recipiam, niſi naulo perſoluto. Sentiens vir Dei non poſſe

Nauta eum naui prohibet.

ſe, hac viâ traijcere in vrbem; bene confidens in Domino, qui humiles & timentes ſe cuſtodit, qui imperat ventis & aquis, qui ſedare tempeſtates omnes, & ſuper maria graditur; ſic compellat ſocium ſuum: Frater mi, ſatisne fidis Domino? Reſpondet ille: Planè pater. & Bernardinus: potes, inquit, imitari quod me facere videris? Illo dicente ſe poſſe: Bernardinus palliolū ſuum expandit ſuper aquas, primuſque ipſe calcat illud, ſocius ſequitur: atque ita ambo flexis genibus, oculis & manibus in cælum ſublatis, diuinam iugiter implorantes opem, in alteram aquarum partem, ſine vllo metu & curâ incolumes euaserê, cùm nauis necdum medium eſſet emenſa ſpatium. Cernentes id tum qui in naui erāt, tum qui ſtabant in littore, altâ voce pariter implorabant Dei miſericordiam, tam inſigni miraculo obſtupefacti. Poſtquam autem terram attigit Bernardinus, nullâ viſus eſt aſperſus aquâ, nec pallium madefactum fuit. Hoc ego miraculum didici à quodam ſene presbytero, cui in iuuentute ſuâ cum Bernardino magna interceſſerat conſuetudo, & familiaritas: qui eum ſuis oculis, ita, vt diximus, viderat aquas transmittentem.

Pro naui pallio vectus.

CAPVT XXXV.

Oblatas trium Epiſcopatuum dignitates recuſauit.

FAMA autem virtutum eius magis magiſque ſeſe in regiones omnes diffundente; tres celeberrimæ Italiæ ciuitates, eum ſibi Epiſcopum obnixè petierunt: Senæ, Ferraria, & Vrbinum, non mediocriter eo nomine inſtantes apud Eugenium eius nominis Quartum Pontificem. Sed Chriſti ſeruus, qui temporaria omnia & ambitionem omnem, eius amore reſpuebat, malens cum pauperibus penuriam perpeti, quàm cum multâ iucunditate & dignitate inter opulentos Antiſtites, & optimates efferri & honorari: vt poſſet maiori fide reddere Deo vota ſua & quæ illi debebat; apud Pontificem Eugenium, quantâ potuit maximâ curâ, humilitate, ſtudio, ſe excuſa-

Deferuntur ei tres Epiſcopatus.

Sed recuſauit.

excuſauit: planè inidoneum ſe exiſtimans & aſſerens; qui tot curis obnoxiam ſuſciperet functionem: oſtẽdens etiam multò Deo gratius eſſe toto orbe homines ad eum cõuertere, quàm intra vnius Epiſcopi diœceſim prædicare. denique adiungens, ſe hac ratione fruſtratum iri lucris ſuis, & animas hominum ſalute ſuâ. Inſtante autem Pontifice, & compellere eum volente, mitramq́; ſuis manibus in eius caput imponente: vir ſanctus ſummâ contentione rogauit eum, ne ſineret hac occaſione ſe impediri à cõcionãdi munere, & multis Domino animabus lucrãdis. Eius verbis valde ædificatus Pontifex, eum à ſe dimiſit.

CAPVT XXXVI.

S. *Bernardinus ardens pruna & incendens, non carbo. Humilitas ad perfectum ducit.*

INTERROGATVS aliquando fuit Franciſcanus quidam egregiè doctus & celebris eccleſiaſtes: Quid cauſæ eſſet, cur non eam ſermones eius vim & energiam haberent in populo, quam Bernardini, quem ipſe doctrinâ & eloquentiâ ſuperaret. Reſpondit ille: Ego comparari poſſum carboni calido, ſed non ignito: cui ſi alij carbones apponantur, ignem non concipiunt. At Bernardinus ſimilis eſt carboni ardenti, diuino inflammatus ſpiritu: cui carboni ſi alij frigidi admoueantur, ignem ab illo colligent & incaleſcent. Rogauit quandoque religioſus quidam Bernardinum, quo pacto vitam ſpiritalem ad felicem poſſet exitum perducere, & promouere, ſemper maiora virtutum capiẽdo incrementa. Ei autem Bernardinus ilico ſic reſpondit: vt ſe coram illo pronum humi proſterneret: hoc ipſo id ſignificare volens, ſi vellet ad faſtigium, & perfectionem vitæ ſpiritualis pertingere, neceſſariò collocãdum eſſe in terrâ ſolidum & firmum ſanctæ humilitatis fundamentum. Eiuſmodi ſermonibus, ſolebat ille vnicuique admodum benignè & placidè ſatisfacere, pro cuiuſque deſiderio; Chriſti paruulos ſuauiſſimis paſcens exhortationibus; vt ſolent matres nutrire infantes ſuos, lacte vberum ſuorum.

Simile elegans.

Ad perfectionem dux eſt humilitas.

CAPVT XXXVII.

Concionator is fructificat, qui Deum in omnibus ſpectat.

FRATER quidam ſciſcitabatur ex eo, quâ ratione conſequi poſſet, vt apud populum eius fructuoſæ eſſent conciones, multaſque Domino animas lucrifaceret. Cui Bernardinus; Ante omnia, inquit, opera tua quæras regnum Dei, & gloriam eius, cunctoſque actus tuos ad eius referas laudem & honorem, in fraternâ dilectione perſeuerans, priuſque facias opere, quod populum docere vis. Ita fiet vt ſpiritus ſanctus doceat te intus omnem veritatem, quæ tibi & populo ſit neceſſaria, detque tibi os & ſermonem, cui non poſſint reſiſtere aduerſarij tui. Hoc ſalutare conſilium vir ſanctus in ſeipſo expreſſerat: vti poteſt aduerti ex ſuprà dictis & poſt dicendis.

Ante omnia quærendum regnũ Dei.

CAPVT XXXVIII.

Ignarum idiomatis Græci concionatem in Concilio Bernardinum Græci intellexerunt.

QVEMADMODVM autem Spiritus ſanctus, dona ſua ſpiritalia ei inuiſibiliter infuderit, eique illapſus ignito ardore ſuo, linguam eius facundam & diſertam reddiderit; miraculum ſubiectum luculenter demonſtrabit. Volebat ille in quodam Eccleſiæ Concilio generali Græcos qui ei intererant, veram ſalutis & veritatis viam docere: ſed magno animi dolore cruciabatur, quod illorum non calleret idioma. Secum autem cogitans admiranda Dei opera, vt * ille ſuis Apoſtolis contulerit, vt poſſent omnium gentium linguis loqui: obnixè rogabat eum, largiretur Græcis intelligentiam eorum quæ dicturus eſſet ad illos. Mox feruenti ſpiritu, multâ in Deum fiduciâ fretus, aſcendit ſuggeſtum; Græcéque concionatus eſt, de Catholicâ fide Græcos ſummo ſtudio erudiens: ita vt mirarentur omnes, dicerentque eum non minùs probè noſſe Græcè, quàm ſi in Græciâ natus eſſet: ſed

**Act. 2. 6. Græci dicentem intellexerunt illorum ignarum linguæ.*

Deus

Deus mouebat linguam eius, & loquebatur per eum. Cùm enim à ſuggeſtu deſcendiſſet, & omnes laudarent eius Græcè dicendi facultatem & copiam: ille Deo ſoli honorem omnem tribuens, manſit expers Græcæ linguæ, vt anteà fuerat.

CAPVT XXXIX.

Pecuniam ſpernit Ducis Mediolanenſis, quâ tandem obæratos exemit carceri.

OMNES mundi huius opes planè pro nihilo putabat. Si ei teſtamento legatæ eſſent magnæ eleemoſynæ, quibus cœnobia ſua extrueret: pecuniam eiuſmodi nec aſpicere, nec contrectare, nec conſeruare volebat. Concionabatur aliquando Mediolani præſente Duce, in eiuſque arrogantiam ſeuerè & fidenter admodum inuehebatur: quòd eius litteræ ita acciperentur, vt propemodum diuinus quidam cultus eis impendi videretur. Hortabatur autem populum vt mundum, & eius inanem gloriam nihili penderet. Dux verò id ſentiens, grauiſſimè in illum commoueri cœpit: aitque niſi ab eiuſmodi ſermonibus abſtineret, ſe omni ſuppliciorum genere excruciatum illum è medio ſublaturum. At Bernardinus eâ re mirificè exhilaratus, retulit ad populum quid Princeps ipſi minatus eſſet: orauitque ne ipſum defendendum ſuſciperent; paratum ſe dicens ad perferendum pro veritate martyriũ; rurſuſque palàm illũ reprehendit. Eâ ſancti viri conſtantiâ fractus & perterritus Princeps; non auſus fuit vllas porrò minas ei intentare. Aderat tum illi Principi quidam non bonus conſultor, qui diceret ei; Si vis Bernardinum corrumpere: mitte illi poculum nummis aureis plenum; quos ſi receperit, poteris dicere populo: docere Bernardinum amplectẽdam paupertatem, & opes cõtemnendas: ſed illum tamen id non præſtare: quippe qui multam à te pecuniam acceperit. Placuit ſummopere id conſilium Principi. Itaque exploraturus num opere faceret quod verbo doceret Bernardinus; miſit ei poculum, in quo inerant aurei nummi (quos ducatos vocant) quingenti. Affertur à nuncijs Ducis pecunia illa Bernardino; aiunt ex deuotione eam mitti à Principe; vt vtatur eâ ad res neceſſarias ſibi comparandas, & prout libitum ſibi fuerit. Bernardinus verò noluit eam recipere: iuſſitque dici Principi, ſe eâ opus non habere. Refertur ergò pecunia ad Principem; ſed rurſus verſutus ille conſultor inſtigat eum, vt denuo eam mittat Bernardino, mandetque, vt ſi ad priuatos eam accommodare nolit, conferat in fratrum ſuorum vſus, & ad monaſterij ſtructuras. Redeunt cum aureis nuncij ad Bernardinum; explicant mandata Ducis: ille reſpuit planè. Aiunt illi: Quid ergo his faciemus, quando Princeps iuſſit ne ad ipſum illos reportemus? Tum Bernardinus; Si ita, inquit, ſe res habet, & mihi pecuniâ hac licet vti pro meo arbitratu, ſequamini me præeuntem. Ducit ergo eos ad carceres Senenſes, quibus tenebantur ære alieno preſſi: rogat ex ſingulis quantum debeant, iubet tantundem illis numerari è pecuniâ Ducis. Id cùm factum eſſet, omnes liberati ſunt, demtis duobus, ad quos redimendos pecunia nõ ſufficiebat. Tum illi miſeri cœpere lachrymas fundere. Bernardini amplecti genua, rogare ne ipſis deſit. Flexus eâ re vir pius, motuſque miſericordiâ, non ſine lachrymis ait ad illos; Quæſo chariſſimi, ne vos animi dolor occupet. En ego polliceor vobis, me daturum operam vt liberi hinc recedatis: quod ſi non poſſim, me locum veſtrum ſubiturum. Id vbi plebs reſciuit: plerique multâ permoti miſericordiâ captiuos illos è cuſtodiâ dimiſerunt. Dux autem videns non redire pecuniam ſuam, ait ad aulicos ſuos; Frater iſte dicit ſe pecuniam ducere pro nihilo: at re ipſâ aliud teſtatur. Nuncij autem cùm reuertiſſent, vt Duci referrent, quo pacto illi aurei à Bernardino expenſi eſſent: omnem de ſancto viro malam ſuſpicionem, odium, & inuidentiam prorſus à ſe reiecit: mundique contemtorem & laudauit egregiè, & maiori deinde reuerentiâ proſecutus eſt.

Faſtus Ducis Mediolanenſis improbatur.

Qui eius tentat paupertatē oblatis aureis.

Quibus obæratos exemit carceri.

CAPVT XL.

Patiens in aduerſis & morbis. Vicarius Generalis factus inſtituti de Obſeruãtiâ, fontem & aram à dæmonibus inſeſſam diruit.

QVICQVID moleſtiæ, incommodi, penuriæ ſancto viro accidiſſet, tranquillo animo placidè ferebat, ſemper laudans Deum, & illi gratias agens. Aduerſâ correptus valetudine, adeò ſe patientem exhibuit, vt ægrè poſſet animaduerti, ſanusne an ægrotus eſſet. Laborauit quandoque dyſenteriâ, ad annos quatuordecim; nec tamen idcirco deſijt prædicare verbum Dei. Poſteà conſulente Pontifice Eugenio, factus eſt Vicarius generalis fratrum de Obſeruantiâ, in locis Ciſmontanis, inſtituente eum reuerendiſſimo in Chriſto patre fratrum Minorum Miniſtro generale, & Pontifice Eugenio ſuis litteris confirmante. Atque ita, primus ille declaratus eſt Vicarius generalis fratrum de Obſeruantiâ, cuius ipſe author fuerat. In gubernandis autem & viſitandis fratribus, & Sororibus eius curæ commiſſis, multâ vtebatur prudentiâ: ſicque ſe gerebat, vt laude non mediocri dignus haberetur; creuitque in dies, ſub illius ſignis, grex ille ſpiritualis. Nolim ego hic tacitus præterire facinus eximiũ, ab illo Aretij diuinâ prouidentiâ perpetratum. Extra mœnia vrbis eius fons antiquus fuit iam olim temporibus illis, quibus idololatria regnabat, impuris dæmonibus dicatus. Solebãt eò ciues Aretini, & alij circunquaque vicini, tanquam ad oraculum Apollinis confluere, reſponſa petẽtes ad occultas quæſtiones ſuas & morborum ſuorum curationes. Id vero animaduertens Bernardinus verus Chriſtianæ religionis cultor & amator, aduerſus hunc dæmonum cultum fortiſſimè ſeſe erexit: & primò quidem concione ad populum habitâ, & abſolutâ: magnopere omnium confirmatis animis hortatus eſt eos, ſequi ſe ad demoliendam impuriſſimorum dæmonum habitationem, prorſuſque abolẽdam. Mox verò arreptâ ſecuri vel malleo, cum populo egreſſus eſt ad fontem: cumque ad fanum dæmonis perueniſſet, primis ipſe ictibus cœpit contundere, euertitque aram, & fontem lapidibus penitus obturauit. Eodem autem loco, plebs inſignem condidit ædem, in ſanctiſſimæ Virginis Mariæ honorem, quæ illic quotidie magna edit miracula; rogante que Bernardino, Eugenius Papa quotãnis in Natiuitate eiuſdem Virginis, magnas illi condonationes, ſiue Indulgentias contulit.

In morbis patiens.

Fit Vicarius Generalis Ciſmontanus.

Fontem dæmonibus dicatum cum arâ deſtruxit.

CAPVT XLI.

Vir nobilis de ſalute ſuâ ſolicitus, Bernardini conſilio recipitur ad Ordinem.

REFERAM hoc loco aliud quiddam memorabile. Concionante aliquando Bernardino Mediolani; peractâ concione venit ad eum quidam egregie ſtrenuus miles Chriſtophorus nomine, qui Mediolanenſi principi duodecim equis militarẽ nauabat operam: petiitque ab eodem ſancto viro, quid ipſius ſaluti exiſtimaret cõducibilius; vitámne ſectari religioſam & monaſticam, vel ſuo more fidum Principi exhibere miniſterium. Ait autem ad eum Bernardinus; Præſtat, mi domine, longèque magis expedit, ſaluti animæ tuæ, ſeruire ſummo Regũ regi, quàm mortali principi. Iis verbis Chriſti ſpiritus compunxit illius nobilis viri pectus, idque adeò permouit, vt ad ſancti viri pedes aduolutus, obnixè rogaret ab illo, ſe recipi in Frãciſcanorum ſodalitatem. Examinauit autẽ vir ſanctus eius vitam; propoſuitque ei deinceps, viuendum eſſe in paupertate, caſtitate, & obedientiâ, in ieiuniis, in pœnitẽtiâ, multiſq; corporis incommodis & moleſtiis. Ad ea verò ſe promtiſſimũ illo offerẽte, illud ex Euãgelio attulit Bernardinus: ** Si vis perfectus eſſe, vade, vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me.* Id quoque vir nobilis ſe ait libẽtiſſimè facturum. Tũ Bernardinus manus ſuas vertici imponens; Abi, inquit, & quod dicis, re ipſâ confirmes: nam Dei gratiâ, quandoq; eris Chriſti deuotus & fidus miles, atque miniſter. Cùm autem Bernardinus eum veſtiret habitu monaſtico, ex cõtactu manuum eius, quas illius capiti impoſuerat, tantum intus & foris ſenſit ardorem & deuotionem, ac ſi manus & brachia eius vſq; ad cor

De ſalute miles S. Bernardinũ conſulit.

** Matt. 19. 21.*

Factus Minorita.

igni liquefacta diffluerent, ſicut ipſe teſtatus eſt. Fuit verò idem vir nobilis etiam tum, cùm militiæ daret operam, moribus honeſtis, & corpore caſtiſſimus: nunquam luſit aleam, nunquam per Deum aut Sanctos eius temerè iurauit; quemadmodum ipſe de ſe indicauit quibuſdam familiaribus amicis ſuis, qui hæc ſcripto prodiderunt.

CAPVT XLII.

Anniculæ duo ſæua vulnera ſigno ſanctæ Crucis ſanauit à concione ſuâ.

Doctrinam eius confirmant ſequentia miracula.

SIGNA admiranda, & præclara miracula à Bernardino quotidiè patrata, eximiam eius declarabant ſanctitatem, & concionum veritatem. Ex iis quędam annotabo omiſſis plurimis, ob nimiam vitãdam prolixitatem. Fecit quandoque ſermonem apud Reatinos: & populo ad eum audiẽdum concurrente, vir quidam Ioannes Antonij dictus, filiam habens anniculam, in cuius corpore duo erant ſęua vulnera, omnem chirurgorũ operam eludentia: ex altero enim erumpebat flatus ex vbere, & per alterum viſebantur inteſtina. eam ipſam filiolam, poſt concionem, attulit cùm vxore ſuâ ad cœnobium Franciſcanorum, quod eſt in vrbe illâ, vbi ſuum Bernardinus hoſpitium habebat; procidenteſque ambo in genua, filiolam coram Bernardino deponunt; vulnera & miſeriam eius illi oſtendunt, orantes ſummoperè eius vt miſereatur, & feruentibus precibus ſuis eam ſanet. At vir ſanctus dolens vicem infantulæ, & afflictorum parentum eius; oculis ſurſum placidè erectis, cruce cõſignat infantulam; aitque parentibus eius, vt bene fidant Deo: fore enim vt Dominus ei propitius fiat. Quod etiam ita euenit: nam poſtridie manè incolumis apparuit, ſolis vulnerum cicatricibus in corpore remanentibus. Itaque gratias illi egerunt Deo, & ſancto Bernardino.

Poſtridie curata filiola.

CAPVT XLIII.

Iuuenem occiſum à boue, precibus & ſigno crucis reſtituit vitæ.

IN ciuitate Pratenſi, totâ Quadrageſimâ gratiſſimas ad populũ habuit conciones; iamque ad Paſcha aliò volebat proficiſci, docturus verbum Dei. Ecce autem totius opidi Pratẽſis ciues, frequẽtiſſimo numero veniũt ad eum, præ ſingulari erga illũ amore & deuotione, vt vltimam eius percipiant benedictionem: adeò verò cingunt illum vndique, vt extra vrbis portas non poſſet egredi. Ita ergò intra extimam & intimam portam concluſo illo, bos quidam indomitus, tantâ populi multitudine exterritus, proſilit è ſtabulo, & ad portam contendens, multos pedibus & cornibus humi proſternit. In iis autem adoleſcẽtem Nicolaum Laurẽtij, tam ferociter inuaſit & cornibus appetiit, atque cõtudit, vt pro mortuo è terrâ ſublatus ſit. Repẽte exiſtit clamor populi, adoleſcentem hunc à boue peremtum. Audiens id Bernardinus, multũ ingemuit, & ait; Quicquid boni in hac vrbe Deus effecit, tartareus dæmon hac horâ corrumpere & deſtruere vult. motuſque commiſeratione, acceſſit ad locum vir ſanctus vbi adoleſcens ceu mortuus iacebat; ſurſumq; verſis luminibus orauit Deum pro illo, crucis ſignum ei imprimens, dicenſque ad turbam circunſtantem; Deo bene fauente ſoſpes erit hic adoleſcens: tollite eum hinc. Nec ſecùs euenit atque ille prædixit. Nam cùm inde receſſiſſet, adoleſcens ſurrexit incolumis.

Abeuntem Bernardinum ciues comitantur.

CAPVT XLIIII.

Romæ puerum liberat à morbo regio.

QVANDO primùm Romæ concionari cœpit Bernardinus, Andrea mulier, mira de illo referri audiuit; habuit autem nepotem, cuius ipſa erat auia: quinquennis fuit is puer, admodum laborans morbo regio. Auia autem eius, non mediocriter confidẽs ſancti viri meritis; attulit ad eum puerum hunc, orans vt Deum pro illo deprecа-

precaretur,& ſanitatē ei obtineret. Paucis ei reſpōdit Bernardinus; Quod tu petis à me, id præſtāt homines ſācti & amici Dei: at nihilominùs eas tu cū proximis huius pueri cognatis,& cōfiteamini peccata veſtra: inde reuertaris ad me,& ego dominum rogabo pro puero. Poſtquàm ergo confeſſi fuère peccata ſua, Andrea & conſanguinei pueri; poſtero die rediit mulier cum puero ad Bernardinum, in cœnobium Aræ cæli, vbi hoſpes degebat apud Minoritas. Tum verò primùm obtulit Deo preces, deinde Crucis ſignum in puerum edidit, iſque quamprimùm virtute Dei,& ſancti Bernardini meritis, perfectè reualuit, nec vnquā poſteà recidit in morbum illum.

CAPVT XLV.

Contractam ſigno crucis recurauit.

SPOLETI femina quædam fuit, ex multâ corporis ægrotatione, contracta: ita vt nec manu poſſet cibum in os inferre; atque interdum tam immanes ſentiebat corporis cruciatus, vt furore aut inſaniâ correpta videretur. Ea erga ad Bernardinum ſe contulit, à quo ſigno Crucis munita repentè cōualuit, & per ſe à terra ſurrexit. Præbuit ea res occaſionem laudandi Deum Spoletinis vniuerſis.

CAPVT XLVI.

Signo S. Crucis imbres cohibuit, ne concio eius intermitteretur.

ARETII aliquando totâ Qudrageſimâ prædicante Bernardino, & populum docente de iis quæ ad illorum ſalutem æternam pertinerēt; contigit vt quodam die ſermonem habere vellet, in æde Sanctiſſimæ matris Dei, quæ eſt extra vrbis portam; ſed ob nimium populi concurſum, cogeretur in cœmiterio ſub dio cōcionari. Vbi cùm in mediâ iam verſaretur concione, largiſſimi è cælo lapſi imbres populum coegerunt ſub tectum confugere, illo ſolo in ſuggeſtu remanente. Hortabatur ergo plebem, vt vnà ſecum rogarent Dominum, quo poſſet inchoatum abſoluere ſermonem. Cumque verſus cęlum Crucis ſignum expreſſiſſet; mox pluuia repreſſa eſt, redi tque plebs ad audiendum eum. At poſtquàm ſermonem pertexuit, & populus in oppidum reuerſus fuit; confeſtim magna pluuiæ vis ruit è cælo, tanquam ſi vrnis aquæ effunderentur. Aiebant tum homines, ſancti viri meritis frenatos fuiſſe imbres, donec dicendi finem feciſſet.

CAPVT XLVII.

Aquilæ in laudem dicens Diuæ Virginis, viſa ſtella eſt cælitus ſuper caput eius faciem eius mirabiliter illuſtraſſe.

IN ciuitate Aquilâ vicus eſt, qui ſanctæ Crucis dicitur, in eoque locus quidam ſanctæ Mariæ appellabatur; in eo concionem quandoque piiſſimam habuit Bernardinus, de illâ ſingulari Virgine & Dominâ noſtrâ, coram Dynaſtis quibuſdam, Principibus, & Ducibus, ingentique populi turbâ. Intererat huic concioni etiam Alphonſus Aragonenſis & Siciliæ rex. Thema huius ſermonis propoſuerat ſibi vir ſanctus in honorem Matris Dei, verba illa ex duodecimo capite Apocalypſis Ioānis Euangeliſtæ; *Signum magnum apparuit in cælo; Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim:* quæ ille verba aptiſſimè accōmodauit ſenſu ſpiritali ad ſacratiſſimam Virginem; multâ eam prædicatione efferens, & duodecim ſtellas interpretans totidem principales virtutes & chariſmata, quibus illa ornata fuit. Cumque primam ſtellam exponeret eius virgineam & immaculatam puritatem: ſole ardentiſſimo & radiantiſſimo, viſa eſt ſupra caput Bernardini ſtella mirè elegans & luculenta, quæ etiam ſolis ſplendorem ſuperaret. Eâ conſpectâ valdè territus eſt populus, neſciēs quid portenderet: videbant enim illam ſuos radios in ſancti viri faciem vibrare, adeò vt ille ſplendere videretur. Tandem non abſque plebis magnâ admiratione

Stella viſa, ipſa Dei mater fuit.

euanuit. Fuit autem illa, ſignum illud magnum, quod apparuit in cælo, Chriſti Ieſu mater Maria, ineffabili claritate reſplendens; indicare volens hunc ſanctum Dei hominem, ſuumque peculiarem miniſtrum, totius religionis & ſpiritualis vitæ exemplar eſſe, & vas atque ſpeculum virtutum omnium, qui paulò pòſt in eâ vrbe diem eſſet clauſurus extremum, & in æternâ beatitudine ſublimiter coronandus, & exaltandus foret. quod quidem etiam ſic euênit, vt pòſt dicturi ſumus.

CAPVT XLVIII.

Imperatori Sigiſmundo gratus, vnà cùm illo Romam petijt, irriſorem ſuum grauiter læſum curauit.

Imperatori Sigiſmundo carus Bernardinus.

Ea tempeſtate Sigiſmundus electus Romanorum Imperator, vt à Pontifice coronam acciperet, Romam profectus eſt. Cumque veniſſet Senas, vbi tum erat Bernardinus; ſummo tenebatur deſiderio eius videndi, & cum illo amicitiam contrahendi; quippe de cuius ſanctitate permulta accepiſſet. Itaque quotidiè inuiſebat eum, aut eius audiebat concionem vel Miſſam; vel ad ſe illum euocabat. Quod ſi diem vnum ſine illo fuiſſet, eum ſibi perdidiſſe videbatur. Fuit autem idem Rex à Senenſibus honorificentiſſimè acceptus: manſitque illic ad nouem menſes perpetuos, quod necdum inter Pontificem & ipſum omnia ſatis tranſacta eſſent. Sed præter alios magnos principes & Dynaſtas, etiam ipſi Senenſes, ſuos ad Pontificem legatos miſerunt, ſummoque ſtudio effecerunt apud illum, vt certum præſtitueret diem, quo vellet ipſe Sigiſmundum electum, ceu legitimum Romanorum Imperatorem coronare: atque eo nuncio percepto, Sigiſmundus Romam abiit, aſſumpto ſecum Bernardino, quo mirificè delectabatur. Cùm autem ab Aquilâ exiret cum Sigiſmundo Bernardinus, quidam tector vidit eum ex tecto per vicum equitantem, altâque voce clamitans & ſanctum virum irridens; Quonam, iter habet noſter Pontifex? Vix autem ea prolocutus, magno flante vento decidit à tecto in terram, non mediocriter quaſſato & læſo corpore. Ad ſe autem reuerſus agnouit culpam ſuam: iubenſque ſe apportari ad Bernardinum, rogauit eum, vt Cruce ſe conſignaret. Fecit vir pius, & ſtatim abiit incolumis tector ille.

Eum Romam vſque comitatur.

Irriſorem ſuum ſanat.

CAPVT XLIX.

Ex Vrbe Senas rediens libros ſcribit. In concionibus ſeparatim ſedere iuſſit mares à feminis; quod laſciuus contemnens iuuenis malè periit.

Postquam coronatus fuit Sigiſmundus Imperator, Bernardinus Senas rediit, multoſque compoſuit pios libros, Chriſtianis omnibus vtiles & ſalutares. Fuerat ille à puero in bonis operibus educatus, ſemperque virtutum ſtudioſus in finem vſque permanſit. Nunquam auertit pedem extra vias rectas, nec à primo tepuit propoſito: porrò ſupra quàm dici queat ſemper in id animum intendit, vt corporis & animæ puritatem integram conſeruaret. Itaque cùm in vrbibus concionaretur, ferre non potuit vt viri & fœminæ inter ſe pariter conſiderent, ne qua libidini præberetur occaſio: ſed ſedere cogebantur ſeparatim, atque inter vtroſque ingens ſuſpendebatur tapetum, ne alij alios reſpicerent. Sed ad ſermonem animos attentiores adhiberent. Concionabatur aliquãdo vir ſanctus apud Senenſes, ſedebantque hunc in modum ſeiûcti viri ac mulieres eum auſcultantes: at tamen quidam laſciuus adoleſcens, illo inuitio, ſtabat tali loco, qui eſſet fœminis oppoſitus; vt animo ſuas expleret libidines. Senſit id vir Dei, hortatuſque eſt eum vt aſſideret inter mares. At ille contempſit hoc, manſitque confidẽter in loco ſuo. Eum contemptum optimæ inſtitutionis ſuæ, non ferens vir ſanctus, ait palàm ad eum; Ecce ego dico tibi adoleſcens, qui iſthic ſtas impudenter, & audacter auratis indutus veſtibus; non parum vereri me, malâ morte te periturum. Idque ſic accidit, quando poſteà ob ſua flagi-

Integræ puritatis amator.

Inuerecundus & impurus punitus.

flagitia & maleficia, tanquam latro apud Anconam capite plexus eſt.

CAPVT L.

Mulier tactu veſtimenti eius incurabili morbo liberatur.

FOEMINA quædam inſanabili laborans morbo, præ magnâ erga ſanctũ Bernardinum deuotione, cupiebat tangere veſtes eius, ſperans ſe earum contactu ſanatũ iri. Expectabat igitur eum clàm, loco quodam quo erat tranſiturus. videnſque illum, mox ſe ſubmiſit ad pedes eius, volens tangere extremam oram cuculli eius. At vir Dei, qui nullam vnquam fœminam ad ſe propiùs accedere pateretur, nec cum vllâ fœminâ, demptâ confeſſione, ſolus colloqueretur; primò equidem turbatus fuit eius inopinato tactu, ſed compertâ eximiâ fidei eius deuotione, tulit moderatè: moxque illa mulier ſic reſtituta eſt, ac ſi nunquam male habuiſſet.

CAPVT LI.

Mores correxit Peruſinorum; pacem ciuium reconciliauit; refractarius adoleſcens repentinâ morte periijt.

APVD Peruſinos, certis temporibus ludi quidam execrabiles, quotannis ab armatis hominibus exercebantur. Communiebãt ſe ciues, eo ludo inter ſe congreſſuri, armis, loricis, thoracibus, ferreis galeis, diuerſiſque alijs rebus; nec pauci in eiuſmodi conflictu moriebãtur, pœnas daturi ſempiternas. Vbi Peruſiam venit ſanctus Bernardinus, deteſtabatur hoc exitiale certamen; curauitque omne genus armorum, quibus in illo vti conſueuerant, prorſus conterendum atque conſcindendum: & ex conſenſu publico conſtituit, magnis propoſitis pœnis in immorigeros, nè deinceps in eâ vrbe eiuſmodi ſatanica certamina fierent. In eâdem vrbe, alio tempore acerbiſſima inter ciues extitit diſcordia. Eam animaduertẽs Bernardinus, maximoperè hortabatur populum ad mutuam pacem, ita dicens; Dominus *Deus videns diſſenſionem veſtram, quam ille valdè odit; me vt Angelum ſuum miſit ad vos, vt annunciem in terris pacem hominibus bonæ voluntatis.* Deinde quatuor ad illos habuit conciones, quibus ad animorum ſuauiſſimam conſenſionem eos incitabat; in vltimâ concione eiuſcemodi vtens verbis; Quotquot bonâ ſunt præditi voluntate, & cum proximis ſuis pacifici degere cupiunt, ad latus dextrũ ſe conferant: cæteri qui dictis nolunt parẽre meis, ad ſiniſtrum tranſeant. Tum vero plebs omnis Deo volente, ad dexteram ſe recepit: vnus ſolus nobilis & præpotens adoleſcens, cum famulis ſuis manſit in parte ſiniſtrâ acerbè muſſitãs aduerſus virũ Dei, & eius ſalutares admonitiones flocci pendens. Eius animũ male obſtinatum, & peruicacem ſuperbiam, cernens Bernardinus, ſic eum compellauit; En tu ſolus iſthic ſtas, ſuperbâ obſtinatione tua contemnens id, quod ego verbis Dei populo conſului. Iterum ergo Dei nomine hortor te, vt proximis tuis ex animo remittas, quicquid illi vel in te, vel in familiam vnquam perperam commiſerunt; recedaſque hinc in partem dexteram. Quod ſi mihi non obtemperaueris: certus eſto, non te viuum rediturum in domum tuam. Irriſit ille ſancti viri vaticinium, delirare eum dictitans, qui velit ei adhibere fidem; nec voluit ſe accommodare dictis eius. Ecce autem vt calcare cœpit limen domus ſuæ, nihil veritus diuinam vltionem, morbo eum inuadente repentè, extinctus fuit abſq; Eccleſiæ Sacramentis, cùm necdum ingreſſus eſſet intrò in ædes ſuas, vti ei Bernardinus antè prædixerat.

Ludos letales ſuſtulit.

Pacem inter ciues reparauit.

Adoleſcens refractarius ſubitâ morte peremtus.

CAPVT LII.

Aromatibus ſibi miſsis, infirmum ſanat.

CVM aliquando Romæ concionaretur vir ſanctus, eſſetque corporis admodum imbecillâ valetudine: pia quædam matrona miſit ei aromata vel confectiones, quibus pectus ſuum corroboraret. Ille verò ſeuerus corporis ſui caſtigator, qui illud magis affligere quàm fouere, eiuſque commodis ſtu-

Dulciaria ſeruit, cum aromatibus.

dere mallet; nuntio aromata afferenti dixit; Ego his rebus non indigeo: ſed eas in vicum, quæras hominem ex afflictiſſimâ valetudine decumbentem, dicaſque ei verbis meis; Frater Bernardinus mittit tibi hæc aromata ipſi miſſa, vt tu iis in nomine IESV vtaris, teque confirmes. Mira res. ſimulatque guſtauit æger ille aromata, è lecto ſanus ſurrexit. Nimiâ prolixitate oneroſus ero, ſi cuncta eius miracula ſingulatim enumerare velim, quæ tamen populo circunquaque ſunt notiſſima, certiſque teſtimoniis confirmata. Neque enim ille vnquam, donec in viuis erat, aut ab operibus bonis, aut à miraculis patrandis otioſus fuit.

CAPVT LIII.

Calceos ſuos egenti dedit leproſo, quibus ille calceatus, à leprâ mirum in modum expurgatur.

POSTQVAM autem Deo viſum fuit, laboribus eius finem imponere; extremo anno vitæ illius, hanc ei adſpirauit cogitationem, vt inuiſeret patriam ſuam, ciueſque & ſodales ſuos, eorumque animos excitaret ad amandum Deum, & eius mandata ſeruanda. Venit ergo Maſſanam vbi natus fuerat,

Cap. 1.

ſicut ſuprà dictum eſt; & totâ Quadrageſimâ illic docens è ſuggeſtu Verbum Dei, cum multo labore, nihil ſibi parcens, populum cæleſti mannâ ſatiauit, & ſitim eius, potu ſalutis expleuit, ſpiritalibuſque eos conſolationibus abundè refecit. Factum autem tunc ibi diuinitus eſt ſingulare quoddam miraculum: vt ſempiterna apud illos Bernardini memoria conſeruaretur. Cùm enim aliquando prædicaſſet populo, repeteretque hoſpitium ſuum; Hiſpanus quidam leprâ admodum horridus & deformis ei obuiàm venit, viſendi eius cupidus. Ciues autem moleſtè ferebant illum hominem ire per oppidi ſui plateas: itaque bonis verbis extra vrbem eum educebant. At ille poſtridiè clàm rurſus venit in vrbem; rogauitque humiliter Bernardinum, vt

Calceos ſuos dat pauperi leproſo.

calceos ipſi daret, quibus pedes tegeret; cogebatur enim præ inopiâ ire nudis pedibus, qui valde intumuerant & morbidi erant. Motus miſericordiâ erga miſerum hominem vir ſanctus, dedit ei calceos ſuos à ſuis pedibus detractos, verum diſcipulum & legitimum filium ſeſe hoc ipſo declarans patris ſui Franciſci, qui ſe nudauit, vt pauperem militem veſtiret. quod quidem etiam in aliis ſæpè fecit, ſimiliter cum ſancto Martino libenter de ſuâ paupertate impertiens aliis: larga enim miſeratio erga inopes & calamitoſos homines, ab infantiâ creuerat cum illo. Sed audiam quid leproſo contigerit. Cùm illis calceis ſuos induiſſet pedes, mox ab opido egreſſus eſt: parumque progreſſus, ſenſit calceos plenos calculis vel ſilicibus, quibus ſaucij pedes eius attererentur. Soluens ergo illos à pedibus, expurgare voluit: & ecce videt eos plenos tanquam piſcium ſquamis; pedeſque ſuos vſque ad genua ſanatos. Impensè igitur laudans Deum, iucundiſſimo animo ire perrexit, calceis ad pedes alligatis. rurſuſque paruo emenſo viæ ſpatio, videbatur ſibi calceos arenâ & lapillis refertos habere, iiſque pedes compungi. Denuo ergo exuit calceos, cernit ſquamas vt anteà, ſeque vſque ad renes curatum. Vberiori inde concepto gaudio, adiungit calceos pedibus, lætabundus & Deo gratias agens, ſanctique Bernardini meritis ſe commendans cœptum iter proſequitur. O Deus ſempiterne & immortalis; quiſnã poſſit ſatis eſſe tuis enumerandis beneficiis? Tertiò cogitur vir ille, poſt breue itineris ſpatium detrahere ſibi calceos, & excutere ſquamas. Tũ verò ſenſit ſe integrâ ſanitate potitum; atque indè incredibili lætitiâ affectus, rediit ad vrbẽ: totoque pectore ingentes Bernardino gratias egit, quòd eius meritis à leprâ repurgatus eſſet. Audiens hoc ſeruus Chriſti Bernardinus; Deo concedens honorem eius, inexhauſtæ miſericordiæ & bonitati gratias egit; præcepitque homini reſtituto, vt Deum in eius operibus laude & prædicatione efferret, nec cuiquam vnquam dum ipſe viueret, hoc miraculum indicaret.

Vitæ c. 1. §. 1.

Quibus indutus ille curatur.

CAPVT LIV.

Patriam relinquens aluo fatigatur citiſſimâ & incurabili. Aquilam veniens mortuus eſt, Anno Chriſti M. CCCC. XLIV.

Senenſibus valedicens Aquilam petit.

POSTEA vir Dei reuerſus eſt Senas, habuitque conciones feruẽtes, præſertim de Iuſtitiâ, & bonâ politiâ eius ciuitatis: & cùm bene precatus eſſet eis, in virtute Dei eis valedixit, ſciens ſe deinceps nunquam apud illos concionaturum. Poſterâ luce cœpit proficiſci ad regnum Neapolitanum: veniensque ad Reatinos, diuinis illos pauit ſermonibus: iiſque itidem bene precatus, indè receſſit, peruenitque ad aliam vrbem, in quâ poſtremò concionatus eſt manè ſextâ feriâ ante Chriſti Aſcenſionem. Ibi, inquam, mellitiſſimi eius ſermones finẽ habuere. Dicebat enim ille moleſtum curſum, & graues labores ſuos, iam conſummatos eſſe; ſatiſque nôrat ex ſancti Spiritus reuelatione, ocyus ſe à terrâ emigraturum. Abiit autem ex eo loco, aſello ſubuectus; & cùm ad quandam veniſſet plateam, vbi magna erat populi frequentia: auidiſſimus quidem erat pro concione illos docendi, ſed virium imbecillitas id non patiebatur. Poſtridiè manè admodum, morbo plus pluſque ingraueſcente, multâ inſtantiâ petiit ſe Aquilam vehi. Non recuſabant fratres, ſed ob nimium ventris fluxum non potuit illo die Aquilam peruenire: manſit autem cum fratribus in pago ſancti Syluestri, Dominico die, morbo ſemper incrementa capiente, Aquilam introductus eſt, & magnâ populi deuotione & gratulatione exceptus, perductuſque in ſancti Franciſci cœnobium, cellulam accepit Ioannis Capiſtrani, qui tum ob expedienda quędam negotia, extra vrbem egreſſus fuerat, & in eius lecto repoſitus eſt. Illo autem iubente, euocati ſunt ad virum Dei Medici peritiſſimi, quotquot haberi potuerunt; qui omnes de vitâ eius deſperantes aiebant, filium mortis eum eſſe: nullâ enim ratione fluxum illum ventris coërcere potuerunt. Sciens quoque vir Dei mortem ſibi imminere, pridie Aſcenſionis Domini cum multâ præparatione, & deuotione Sacramentis *Euchariſtiæ*, & Extremæ vnctionis ſe *communiuit*. Morte aduentante, cùm *loqui non poſſet*, quibus potuit ſignis, *indicauit fratribus*, vt ipſum è lecto *in terram deponerent*, ab hac lachrymarum valle receſſurum. Itaque fratres, à lecto in cellæ pauimentum aſſeribus ſtratum, eum depoſuerunt: vbi ille ſurſum erectis luminibus, ſpiritum ſuum in Dei manus commendauit, feliciterque è corpore exceſſit, vigeſimo menſis Maij die, pridie Aſcenſionis Domini, anno Chriſti milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo quarto, cùm in veſpertinis precicibus fratres concinerent illã ad Magnificat Antiphonam; * *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi, nunc autem pro eis rogo, non pro mundo: quia ego ad te vado, alleluia*. Vixit in terris annis ſex & ſexaginta. Vigintiduobus annis in ſæculo, reliquis in monaſticâ profeſſione degit: quadraginta, multo labore Dei verbum prædicauit paſſim per regiones omnes, nullo vnquam tædio retardatus. Ita ergo felix illa anima, quæ ſemper magno arſerat deſiderio, ex corporis huius vinculis emigrandi, & cum Chriſto æternum regnandi, vitæ temporariæ nexibus expedita eſt, atque ex mundi huius inopiâ ad illas cæleſtes opes; ex hac miſeriâ, ad infinitam beatitudinem; ab hac morte corporis, ad illam ſemper duraturam euolauit vitam. O virum ſanctum! cuius anima paradiſum obtinet, lætantibus Angelis, gratulantibus archangelis, Sanctis omnibus iubilantibus, virginibus denique clamantibus, Mane nobiſcum in ſempiternum.

Alui profluuio laborat.

Mortuus à lecto ponitur humi.

Pridie Aſcenſionis Domini abit è vita.

* Ioã. 17. 6.

Anno ætatis ſexageſimo ſexto, Chriſti 1444.

CAPVT LV.

Fratres lugentes, cùm eius corpus Senas mittere cogitarent, ciues vigilanter aſſeruant, plurimis ſtatim coruſcans miraculis.

MORTE eius non mediocriter mœrebant fratres, acerbè lugentes, quòd ſe deſtitutos cernerent ſuauiſſimâ præſẽtiâ eius: nec minus tamen ſe conſolabantur, quòd tam ſanctè obiiſſe eum cernerent. Præparabãt autem res neceſſarias corpori eius ſepelien-

do: illud pro veteri more lauabant, alio eum cucullo induebant. Veſtem verò quâ ſolebat vti, mittebant ad monaſterium de Capriolâ; quod eſt extra Senas, vbi eius libri, & alia, quibus pro magnâ neceſſitate vti conſueuerat, aſſeruabantur; vbi etiam eius eſt bibliotheca, cuius codices ſuâ manu ipſe conſcripſit, vt * eſt ſuprà commemoratum. Quo loco multa fiunt quotidie miracula, in iis qui illic eum viſitant, eius implorant opem, & veſtes attingunt. Apparabatur à fratribus arca, in qua conderent corpus eius, illudque Senas veherent: quod vbi à non paucis animaduerſum eſt, in vrbe proclamarunt; ſanctum virum Bernardinum ſuum diem obiiſſe. Moxque in monaſterium accurrerunt ſine numero viri, fœminæ, pueri, vt ſacrum eius corpus viderent, & exoſcularentur. Magiſtratus verò vrbis Aquilæ corpus illud è fratrum manibus quamprimùm abſtulerunt: extractumque ex arcâ in quâ iam repoſitum fuerat, vt Senas aſportaretur, egregiè exornarunt; & quibuſdam fidis ciuibus cuſtodiendum tradiderunt, vt poſtero die coram omni populo illud in templo ſpectandum proponerent; miſeruntque ad vrbis Epiſcopum, rogantes eum, vt cum toto Clero ſuo velit intereſſe ſancti viri exſequiis. Adduxerunt inde, ipſo Aſcenſionis Dominicæ die, corpus eius in eccleſiam, ſanè quàm honorificè; vbi plebs omnis collecta erat, ad illud conſpiciendum, & deoſculandum. Tot autem edebantur illic ſtupenda miracula, per merita & preces eius, vt de eius gloriâ nemo dubitare auſus eſſet: præpotẽtis Dei benignitate, mirificis operibus ſuis ſatis declarante, animam ſerui ſui admodum ſublimiter apud ſe in cælis exaltatam.

Habitus eius Senas remittitur.

** Sup. c. 32. in fine.*

Corpus eius Aquilani vigilanter cuſtodiunt.

Stupendis coruſcat miraculis.

CAPVT LVI.

Ad eius corpus claudis erectis, magna cõfluit hominum copia, cuius ergo ad templum maius elatum, pacem inter ciues reparauit.

EADEM horâ, quâ corpus eius in æde ſacrâ repoſitum fuit; priuſquam clerus ad eius exequias adueniret; puer nouem annorum Paſchalis nomine, filius Pauli Matthæi, celerimè eò properauit; flexiſque humiliter ad extremas illius partes genibus, ſic precatus eſt; Credo firmiter, ſancte pater Bernardine, te cum ſanctis à Deo exaltatum. ego miſer meipſum commendo tibi, omni quâ poſſum deuotione, orans ſummiſſe, vt per merita tua mihi in animâ & corpore opituleris. Solebat is puer cum cereis ſedere præ foribus templi, miſerè contractus & claudus. Poſtquã autem has ſuas compleuit preces, confeſtim præter omnem expectationem, vtroque pede ſanus ingreſſus eſt. Id verò conſpicatus Antonius Bagnenſis ciuis Aquilanus, à primo ortu contractus & claudus: in corpus exanime incubuit; videbaturque ei cõtractius crus ipſius admodum extendi; mox rectus inceſſit pedibus ſuis, nihil prorſus claudicans, populum inuitans ad Beati Bernardini venerationem. Vbi autem horum miraculorum fama, in vicinas vrbes diuulgata eſt: grandi numero aduolarunt Aquilam iuuenes & ſenes, mares ac fœminæ, præ multo gaudio lachrymantes, & dicentes; Adſis nobis Sancte Bernardine, & in omni neceſſitate tuêre nos. Tanta autem fuit aduentantium frequentia, ſeſe comprimentium & perſtrepentium, atque clamantium, vt Epiſcopus cum clero ſuo ægrè poſſet diuina officia peragere. Id verò cernens oppidi Magiſtratus, de communi ſententiâ ſtatuit; vt ſacrum corpus extra ædem Franciſcanorum, quæ anguſta erat, per ciuitatem & forum ad Sancti Maximini primarium templum efferretur. Sequebatur funus, ingens hominum turba, quibus plena erat vrbs illa inſignis, quæ vna eſt ex præcipuis eius regionis ciuitatibus. Accendebantur faces & cerei circum corpus: cùm pro ſe quiſque certatim vellent cohoneſtare funus; omneſque eius terræ homines gratias agebant Deo, pro eius ineffabili gratiâ, & ſingulari ipſis dato patrono. Concinebat clerus, lamentabatur populus præ gaudio: inter omnes coibat pax & conſenſio, qui tamen antè inter ſe acerbiſſimè diſſenſerant, ita vt ſeptem ex primariis eius opidi viris trucidati eſſent: iam diſcordiam ab animis hominum aboleuit incredibilis hæc

Nouennis puer claudus ad eius corpus reſtituitur.

Item alius vtroque pede claudus.

Corpus S. Bernardini effertur ad maiorem eccleſiam præ cõcurſu hominum.

Pater inter ciues coiuit.

exulta-

exultatio, & per beati Bernardini merita, inſtaurata eſt inter illos amicitia & mutua beneuolentia; ita vt gratias agerent Deo, qui deſolatæ ipſorum ciuitati tam fidum contuliſſet ſequeſtrum & interceſſorem.

CAPVT LVII.

Relatum corpus ad fratres, ſurdum ac membris diſſolutum fratrem ſanans, inhumatum viginti ſex diebus, ſuauiſſimum ſpirat odorem.

REPORTATVM inde corpus eius eſt ad ſancti Franciſci eccleſiam; nec tamen illud terrâ condere voluerunt: ſed depoſuerunt in ſacello ferreis cancellis munito, adhibitis excubitoribus, qui nocte ac die illud cuſtodirent, donec arca ferrea duodecim inſtructa ſeris, pararetur, atque in eam illud imponeretur. Aduentabāt autem diuerſi, omnis generis afflicti morbis ex diuerſis locis: vt ſacro propinquantes corpori beati viri meritis reualeſcerent; id quod multis præſtitum fuit. Contigit illo die inter alios ægros, fratrem Benedictum à Marſito Minoritam adeſſe, membrorum officio deſtitutum, dextrâ aure ſurdum, & ingentes ſonos ac ſtrepitus tanquam moletrinæ aut malleorum incudem tundentium illic ſentientem. Is arripuit pannum, quo exanime beati viri corpus poſt lotionem deterſum fuerat; illoque ſe inuoluens, poſtquam diligenter confeſſus erat peccata ſua; humiliter flexit genua ad pedes ſancti viri, orans ſibi ſanitatem reſtitui. Rediit ilico auditus, ſenſuſque & vires inſtauratæ ſunt. Per illos dies quotidiè, crebrò pulſabantur campanæ ciuitatis: populus ſuprà quàm dici queat lætabatur; cerei & faculæ ardebant nocte ac die in æde ſancti Franciſci, vbi cæleſte illud ſeruabatur pignus, vrbs tota exultabat. Homines mechanici ceſſabant ab operibus, agricolæ non colebant agros; ſed omnes pariter feſtos celebrabant dies; atque eum in modum māſit ſacrum corpus inhumatum ad dies ſex & viginti: non ſolùm nihil malè olens, ſed ſuauiſſimos etiam ſpirans odores coram omni populo.

Reportatum S. Viri corpus diligenter cuſtoditur.

Paralyticus ſurdus curatus.

Corpus eius ſuauiſſ. ſpirat odorem.

CAPVT LVIII.

Sanguis è naribus corporis ſacri fontis inſtar profluens, ciues in motu à procerum, Senatorumq́ cæde cohibuit.

INTERIM autem dum ſic in arcâ ligneâ iaceret corpus non ſepultum, magna extitit diſſenſio inter ſcabinos & Senatores, atque plebem vrbis illius. Vulgus enim in Magiſtratum ſeditione excitatâ, alios poſt alios ad quæſtionem vi abripuit: inſaniebat præ malitiâ furens populus aduerſus magiſtratum, nec vllam admittebat rationem: ſed latâ ſententiâ rectores ſuos, & nobiles dominos perinde ac tetros nebulones, & cruentos latrones quamprimum iuſſit capite truncari. Non potuit magiſtratus aduerſus plebem ſe tueri, nec purgare ſe apud illos qui nullâ ratione ducerentur. Itaque ceu fures in carcere, producuntur proceres, & ad cædis locum perducuntur: obligantur eorum oculi, flectunt genua, anxiè ſuſtinentes carnificis ictum. Illo ſuum præparante enſem, auditur pueri vox in aere terribiliter clamantis; Ceſſate ab effundendo innoxio ſanguine: ſed ocyus ite ad Franciſcanorum templum; affatim illic reperturi, quod tam pernicioſè expetitis. Stupēt omnes ad hanc vocem; carnifex iubente plebe retrahit manum ſuam, proceres eleuat, diligenter eos cuſtodit, ne quà elabantur. Territus populus ob flagitioſum animi ſui propoſitum, rapido curſu contendit ad ædem ſancti Franciſci: & ecce vident omnes è naribus exanimati corporis ſancti Bernardini, tantâ copiâ manare ſanguinem, ac ſi è duobus fontibus largiſſima aqua proflueret: arca corpus continens tam erat plena ſanguine, vt corpus ipſum in illo nataret; ſanguiſque redundans operimentum arcæ eleuaret: veſtes quibus corpus indutū erat, cruentæ eſſent, ſanguiſque magis ac magis circumcirca difflueret, donec populus cum ingenti humilitate & deuotione, veniam & miſericordiam peteret, ob id immane facinus. Ex eo autem ſanguine, multi collegerunt in pocula vel vitra, eoque diuerſi morbi admirabiliter curati ſunt.

Seditio ciuium.

Prodigioſa vox pueri in aere.

Corpus ſancti Bernardini in ſanguine ſuo natat.

CAP.

CAPVT LIX.

Vbicumque concionatus fuerat, iuſta ei ſoluebantur.

POSTEA verò per Italiam & Gallicam Togatam, de ſancti viri deceſſu & quotidianis miraculis famâ volitante, omnes eum, nõ alio quàm Sancti cum Deo manentis loco habuere: atque in vrbibus, in quibus anteà concionatus fuerat, honorificè inprimis eius celebratæ ſunt exſequiæ, coram omni populo & magiſtratu; ita vt potiùs videretur feſtus agi dies, quàm iuſta funeri perſolui. Plebs omnis multâ in eum deuotione incendebatur: qui in longinquis erant regionibus, ſacrum corpus illius ſe viſuros vouebant.

CAPVT LX.

Cùm Ioannes Capiſtranus pro Canozatione S. Bernardini laboraret, ſtella in concione S. Bernardini viſa, Ioanni Capiſtrano aliquoties reuiſa.

FRATER Ioannes Capiſtranus, ſocius viri Dei, & Vicarius Generalis fratrum de Obſeruantiâ, doctor Iuris, concionator feruidus, cùm in Siciliâ eſſet de Pontificis voluntate, ob quædam conficienda negotia; vt cognouit patrem ſuum ſanctum Bernardinum in cœlum abiiſſe, celeriter Aquilam rediit, vt eum curaret eleuandum, & in ſanctorum catalogo adſcribendum. Poſtquam eò venit, ſocij eius viderunt micantem ſtellam illam mediâ die, * quæ iam ante viſa fuerat, cùm illic concionem haberet de ſacratiſſimâ Virgine Bernardinus. Mirabantur omnes, & alij aliis eam demõſtrabant. Vacabat tũ lectioni in cellâ ſuâ Capiſtran. cõcioni ſe præparans. Videns antè admirabundos fratres, ſciſcitabatur quid rei iſthuc eſſet. Dicebant illi ſe ſtellam videre luculenter radiantem, quæ olim ſupra caput Bernardini ſplenduiſſet, ſimulque oſtendebant eam illi. Vndè mirè exhilaratus laudabat Deum, & ſanctiſſimam Matrem eius; ſpe bonâ fretus, proſperè ceſſuros labores, quos ſuſceperat pro obtinẽdâ Bernardini in Sanctos relatione, quibus tum non mediocriter occupatus erat. Poſtridie iturus Romam ad Eugenium Pontificem cum ſociis ſuis, itineris ducem habuit ſtellam illam, quæ prælucebat ei ſemper magnâ itineris parte. Porrò miracula quæ quotidiè fiebant, teſtibus confirmata in libros & inſtrumenta referebantur; & à multis Cardinalibus examinata, tandem à Pontifice & totâ Eccleſiâ approbantur. Permoleſtum autem & lectori & mihi fuerit, ſi vel partem eorum conſcribere velim; impoſſibile verò ea omnia memoriâ retinere: attamen pro maiori erga hunc ſanctũ virum excitandâ deuotione, tria aut quatuor ex præcipuis annotabo.

Stella viſa F. Ioannis Capiſtrani ſociis.

* Sup. cap. 47.

[illegible]

CAPVT LXI.

Puer aquâ ſubmerſus reſuſcitatus eſt.

APVD Aquilam ciuis fuit filium habens mẽſes natum octodecim: mater eius Buturella quandoque inuiſere voluit Mariam Burgẽſem vicinam ſuam, currebat autem poſt eam puſio iſte. Illâ in domum ingreſsâ, puer manſit ad fores, vbi ſtabat vas aquâ plenum ad duos vel tres cubitos profundè depoſitum in terrâ. Incumbente autem puero ad oſtium, verſo oſtio cadebat puer in vas illud, neque vidẽs aliquem, nec vllum edẽs clamorem; atque ita ab aquâ præfocatus manſit illic, capite depreſſo, pedibus ſurſũ verſis, ad dimidiã horã priuſquã id quiſquã perſentiret. Loquebatur interim diu mater eius cũ vicinâ ſuâ, exiſtimãs filiolũ ſuum cum aliis pueris ludere in plateâ. Domũ reditura inclamabat puerum, ſed non veniebat; nec quiſquam nouerat vbinam eſſet. Perquirebat in angulis & vicis, num quis vidiſſet ipſius filiũ. Quærebat cum illâ pariter etiam Maria, de qua diximus. cumque præteriret vas illud, vidit pannum in aqua eminẽtem, eum extrahere volẽs, cernit pedes pueri extantes. Eo ſpectaculo mirè perterrefacta, matrem eius accerſit, dicitque ei; En filiolus tuus hîc extinctus iacet in vaſe. Repẽte igitur extrahunt paruulũ, ſed is planè ater & exanimis erat ab aquâ tumefactus, nihil vitæ præ ſe ferẽs. Eâ re, dolore incredibili cõfecta mater miſerãdũ in mundũ eiulat, vellẽs pilos ſuos, & genas lacerans vnguibus, haud

ſecus quàm ſi faciem diſcerpere velit. Accurrunt ad eam vicinæ aliæ,& multùm dolent vicem eius. Aderat tum etiam inter alios Dominicus Vaſanus, tertium ſancti Fráciſci inſtitutum vel regulam profeſſus. Is diuino inſtinctu permotus, hortatur populũ, vt in honorem Dei & S. Bernardini pariter dicant precationem Saluatoris; poſſe, inquiens, Deum, ſancti Bernardini precibus flexum, puero vitam reſtituere, & prece cõpletâ, puer cœpit oſcitare: manabat à corpore eius aqua per oris, naſi & alios meatus, ſurrexitque bene ſanus & incolumis.

CAPVT LXII.

Enixa mortuum puerum, precibus ad S. Bernardinum, recepit viuum.

BASILEÆ ciuis quidam Ioannes, cum vxore ſuâ Margaretâ proficiſcebatur Aquilam; ſimulq́; illic commorabantur in ſancti Ludouici domo hoſpitali. Mulier puero grauida, laborare cœpit; adeo vt è vitâ abitura timeretur. Obſtetrix ſedulam illi nauabat operam. & primo quidem videbantur pedes infantis, ſed quantumcumque ſudaretur, reliquæ partes non ſequebantur. Prodiit tandem puer vſque ad collum mortuus: ſed caput præfocatum hærebat, nec potuit vllâ ratione ei ſubueniri. Obſtetrix cum aliis fœminis inuocabat ſanctum Bernardinum; vt matrem viuam conſeruaret, & à partu abſolueret. Mox fœmina prolem enixa eſt corã omnibus illis mulieribus: ſed nulla in eâ vita cernebatur. Rurſus pia obſtetrix diuinæ fidens potẽtiæ; ſciens * non abbreuiatam manum eius, reliquas fœminas hortabatur, vt toto pectore rogarent S. Bernardinum, vt infans mortuus reuiuiſceret, & baptiſmi gratiã poſſet adipiſci. Faciebant id omnes cum gemitibus & lachrymis, S. Bernardini opem implorantes. indè caleſcens puer cœpit ſeſe commouere. Mox aquam obſtetrix accipiens, baptizauit eum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Tum verò magis etiam ille cœpit recuperare ſpiritum, & oculos aperire. Lætabatur mater, & fœminę ei congratulantes dicebant; Reuera filius tuus viuit. & manſit ille viuus quotidiana capiens vitæ incrementa. Sæpe opitulatus eſt Bernardinus in partu laborantibus, illum tum inuocantibus, aut quidpiam ex eius reliquiis apud ſe habentibus.

* Iſa. 50. 2 & 59. 1.

Sæpe S. Bernardinus opitulatur laborãtibus in partu.

CAPVT LXIII.

Sub aquariæ molæ rotâ præfocatus reuixit.

CVM adhuc nobiſcum in terris degeret: quatuor vitâ functos ad vitam reuocauit. Puer annorum decem Carinus nomine, Aquilæ natus, triticum ferebat ad molam aquariam, vt moleretur. Abiturus inde de improuiſo calcauit pede molẽdini rotam: cùm ea circumageretur, cecidit in foueam. In ipſo caſu inuocãs ſanctum Bernardinum; Subueni mihi, inquit, S. Bernardine. Extractus inde eſt ex aquis, quæ erant ſub rotâ; admotuſque igni vt calefieret, ſurrexit, & incolumis domum abiit, gratias agens Deo & ſancto Bernardino.

CAPVT LXIV.

Morbidus puer, applicatione panni, qui S. Bernardini corpus operuerat, integrè ſanatur.

DOMINVS Nicolaus Galiardinus filium habuit Benedictum, annos natũ quindecim, valde à peſte, febre, & aliis exitialibus morbis afflictum: ita vt medici omnem ei viuẽdi ſpem præciderent. Allatum eſt ad eum de pãno, quo opertum fuerat S. Bernardini corpus. Eo panno ad corpus ſuũ appoſito, fricabat malè affecta membra; ſtatimq́; in lecto ſe erigẽs, Gratias, inquit, Deo & S. Bernardino: liberatus ſum à morbis omnibus, & totus rectè valeo. Impoſuerũt deinde pannum illum capiti eius; moxq́; arctiori eum complectẽte ſomno, obdormiuit, cùm iam multo tempore, nullâ potuiſſet quiete potiri. Medici eò manè adueniẽtes, vt lotium inſpicerent, ſanum conſpiciunt quem pridiè penè mortuũ reliquerãt. Ita ille adoleſcens Dei ope, & S. Bernardini meritis, integrâ ſalute potitus eſt.

CAP.

CAPVT LXV.

Puellæ vulnus incurabile ſigno Crucis viſus eſt curaſſe.

PVELLA quædam Spoletana, cui nomen erat Polonica, in pectore habebat vulnus immedicabile, vnde totum corpus multo dolore afficiebatur. Adhibebatur quidē à Chirurgis curandi ſtudiū, non abſque grandi eius cruciatu: ſed nihil effici potuit, immo verò peius habere viſa eſt, vt iam non longè à morte abeſſet. Manè autem dixit ad eam mater eius; Filia chariſſima, commendes te ſancto Bernardino. Fecit hoc illa toto animo, ita dicens; O ſancte Dei Bernardine, libera me ab hac infirmitate meâ. At ille miſericors miſerorum & oppreſſorum omnium conſolator, non ei ſuam negauit opem. Cùm enim nocte mediâ vigilaret illa, apparuit ei ſanctus Bernardinus: viſuſque illi eſt crucem exprimere in vulnus ipſius, tenens eam per humeros, deinde euanuit. Mox illa admodum territa & ſtupefacta, matrē ſuam accerſiuit, aitque ei; Non ſentis mea mater miram odoris fragrantiam? non vidiſti fratrem illum qui ſtetit ad humeros meos? Mater verò putans illam ſomniaſſe, dixit ei; Dormi filia, dormi. At illa non ſomniabat, ſed altâ & lætabūdâ voce clamabat; Laus Deo & ſancto Bernardino; ecce enim ſana effecta ſum.

CAPVT LXVI.

* Sororcula in puteum cadens, ſalua euaſit, veſtibus nequicquam madefactis.*

FVIT Senis in ſancti Hieronymi monaſterio ſoror quædā de Tertiâ regulâ, quæ in puteum decidit altum cubitos quadraginta; atque interdum capite, nonnumquam pedibus eminebat extra aquam: inter cadendum memor illuſtrium miraculorum eius, ſanctum Bernardinū inuocabat. Venientibus autem quibuſdam ad hauriendam aquam, apprehendit funem, & ſic ſurſum attracta eſt nihil læſa; adeoque & corpore & veſtibus ſicca, ac ſi aquas non attigiſſet, nec quicquam aquæ vomuit ex ore ſuo.

CAPVT LXVII.

In S. Bernardinum voto concepto, periculoſiſſimè vulneratus integram recuperauit ſalutem.

IOANNES Antonius Tomanus, quodam veſpere in gutture, & ſiniſtrâ ſcapulâ, mortiferis fuit affectus vulneribus; ita vt nullâ eius vitæ ſpes relicta videretur, nec vlla pharmaca vel cataplaſmata quicquam ei conferrent: ſed vbi humanū non ſuppetit auxiliū, non ſolet deeſſe diuinum. Miſer iſte tam immaniter vulneratus, vt ægrè ſpiritum traheret, præ doloribus nocte mortem impendentem expectans; viſus eſt ſibi ſentire quendam manu ipſum in latere percutiētem, dicentemque; Non audiuiſti miſer, quàm præclara, & ſtupenda Deus perpetret miracula, per ſancti Bernardini merita? cur ergo eius non imploras opem? Ille hæc verba diligenter auſcultans, ſibi ipſi animum addidit; commēdautque ſe ſancto Bernardino, orans feruenter, ſibi ſalutem reſtitui. O mirabilē Deum in ſanctis ſuis! Audiuit pium hominis deſiderium, & bonæ voluntatis propoſitum. *Pſal. 67. 36.* Dixit enim æger; Si ſanus ſurrexero ſancte Bernardine, viſam corpus tuum, & ceream imaginē offeram. *Votum ſepulchrum eius viſendi.* Vix ea dixerat, cùm ecce ſentit ciēri corporis fluxū quendam tetri & concreti ſanguinis, qui ab inflicto manarat vulnere, ſanitatem eius impediēs. Attulit ille fluxus cordi eius leuamentū quoddam & robur; cœpitq; habere melius. Perſtitit ergo in implorādo S. Bernardino: promiſitque ſe profecturum ad ſepulchrū eius in veſtibus lineis. Tum verò etiam plus noxij humoris à corpore diffluxit: ſurrexitque homo confeſtim ſanus, exiguis in corpore relictis vulneris cicatricibus. *In veſtib. lineis.* Abiit ergo ocyus in lineis veſtimentis, ad ſepulchrum beati viri: obtulitque illic effigiem viri è cerâ confectam; narrauitque populo omni miraculum, quod in ſe expertus fuerat, laudibus efferens Deum, & ſanctum Bernardinum. *Oblatio iconuncula.*

CAP.

CAPVT LXVIII.

Surdi & muti ad ſepulchrum eius auditum conſequuntur & loquelam.

IACOBVS quidam, ſurdus & mutus à primis vitæ initijs, poſtquam peregrè venit ad monumentum ſancti Bernardini: ilico & audire & loqui potuit; quod quidem etiam multis alijs ſurdis & mutis præſtitum fuit.

CAPVT LXIX.

In miracula S. Bernardini Senenſes diligenter cùm inquiſiuiſſent, cum alijs poſtulant à Summo Pontif. inter Diuos referri; atque id factum Italiâ totâ gratulante. Aquilani corpus eius ad templum nouum transferentes, pretioſâ thecâ reponunt.

PRÆCLARA & magnanima Senarum vrbs, quotidiè percipiens miracula ſtupenda ciuis & patroni ſui Bernardini: vt grata eſſet Deo, pro gratiâ & beneficijs eius, coacto Procerum & plebis grandi ſapientique concilio: de veritate illorum miraculorum cœpit inquirere, miſſo Aquilam ciue honeſtiſſimo, qui accuratè exploraret, num ſic ſe haberent omnia, vt famâ vulgaretur. Qui vir nobilis & Senenſium Orator Aquilam veniens, comperit miracula omnia probè in ſcripta relata, & ipſe quoque ſuis oculis multa edi conſpexit, eaque annotauit. cumque de omnibus certas litteras Notariorum manu, & ſigillis munitas accepiſſet, Senas rediit. Senenſes lætiſſimis animis miracula illa cognoſcentes, inſignem legationem ad Pontificem Eugenium Romam miſerunt, qui ei miracula referrent, & de Bernardino Sanctorum catalogo inſerendo admonerent. Idem vrgebant Aquilani, itemque rex Siciliæ & Arragonenſis Alphonſus, ſancto viro admodum addictus & deuotus. Eugenius Pontifex, licet crebrò rogatus, at ſtudioſior veritatis propalandæ, quam Regibus, Principibus, & populo placendi, diu multumque de hac re deliberauit cum ſuis. Et iam quidem recitatis coram illo & alijs ampliùs centum miraculis, certorum hominum teſtimonio confirmatis; totus propenſus erat cum omnibus Cardinalibus ad præſtandum id quod petebatur: ſed morte illum è medio auferente, res ad exitum perduci non potuit. Succeſſit autem Eugenio Nicolaus Quintus, qui poſt accuratas eaſque crebras conſultationes; cùm in dies plura referrētur miracula, tandem anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, ſacro Pentecoſtes die, in ſancti Petri æde, Romæ, Bernardinum coram frequentiſſimâ plebe in ſanctis Confeſſoribus numerandum pronunciauit, anno ſexto vel ſeptimo ab obitu illius. Ea res omnes Italię Vrbes & pagos incredibili lætitiâ affecit: ita vt nullus, quamlibet exiguus, totâ Italiâ pagus eſſet, vbi non præ ſpiritali exultatione proceſſio fieret, & eius feſtus dies celeberrimè coleretur. Aquilani verò in honorem eius, tanquam patroni ſui inſigne templum vnâ cum monaſterio condiderunt: atque à Sixto Quarto Pontifice impetrarunt, vt ex æde ſancti Franciſci, corpus eius in nouum hoc templum transferre ipſis liceret. Idque factum eſt Pontifice annuente, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimoſeptimo, die decimoſeptimo menſis Maij, multis Fratribus Franciſcanis præſentibus, impensè lætante & Clero & populo. Illic hodieque aſſeruatur ſacrum corpus illud honorificè eleuatum, & diligenter communitum. Primò enim impoſitum eſt capſæ cryſtallinæ, quæ pauciſſimis oſtenditur. Ea verò capſa incluſa eſt arcæ argenteæ, miro artificio & ſumtu fabricatæ & ornatæ. Hanc autem vndique munit theca ferrea firmiter obſerata: quemadmodum mihi retulerunt, qui ſuis oculis hæc intuiti ſunt. Laus & honor ſit præpotenti Deo in ſæcula ſæculorum, Amen.

[Left margin:] ...iracula ...m certò ...mpro- ...ta.

[Left margin:] ...oſtulant ...ulis eum ...talogo ...nctorum ...ſcribi.

[Right margin:] Propter miraculorum multitudinem.

[Right margin:] Nicolaus V. retulit eum inter cælites.

[Right margin:] Magnâ totius Italiæ lætitiâ & veneratione.

[Right margin:] Corpus eius ſacrum ad nouũ transfertur eccleſiam.

[Right margin:] Capſâ pretioſâ ſeruatum.

S. D. N. NICOLAI PAPAE QVINTI

DIPLOMA

SVAPTE MANV SCRIPTVM.

QVO

S. BERNARDINVS SENENSIS

ADLEGITVR IN SENATVM SANCTORVM.

NICOLAVS *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

*Pſal. 88. 1.

Miſericordia Dei opera in genus humanum.

*Gen. 1. 26

*Gen. 2. 16

Hominem perire Deus non eſt paſſus. Sed Angelos deſtinauit in auxilium.

Patriarchas miſit & Prophetas.

Imo ipſe Dei filius nos liberaturus aduenit.

§. 1. Miſericordias Domini in æternum nos cantare debere Propheta admonet, dicens; * *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Magna & inenarrabilia ſunt profectò opera miſericordiæ Dei, quibus iugiter in ſalutem humani generis, ſe eiuſdem miſerationis ſinus effundit: quæ ſi quis ab initio creati hominis recenſere voluerit, non tantùm hominum linguæ, ſed ſi quæ illis ſunt, non ſufficerent Angelorum. Quàm inenarrabile eſt, quòd cùm * hominem creaſſet ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quodque particeps eſſe poſſet felicitatis æternæ, in vnam cæleſtem ciuitatem aſſcribendus conſortijs Angelorum; ſi * datæ ſibi diuinitùs legis non contemſiſſet imperium? Non paſſa eſt diuina clementia ipſum penitus interire: ſed prò temporum diuerſitate, non deſtitit congruentes exhibere medicinas, quibus à lege Domini aberrans in ſalutis ſemitam traheretur; nunc Angelos deſtinando, qui diuinam patefacerent voluntatem, ſuaderent quæ iuſta ſunt, quæ ſancta ſunt, & ad implendum diuinum beneplacitum adiuuarent; nunc mittendo Patriarchas gratiæ ſuæ Spiritu repletos, qui exemplo ſui ceteros inſtruerent ad ſalutem; nunc diuinos Prophetas, qui Spiritu ſuo ſancto illuminati, non tantùm eius temporis diuina beneficia humano generi commemorarent, ſed etiam futura prædicerent. & illud maximè, quo nihil poteſt inter opera diuinæ miſerationis ſublimius excogitari; quòd Dei Filius in ſuâ perſonâ naturam noſtrę mortalitatis aſſumeret, & adimpleret ea, per myſterium paſſionis & mortis ſuæ, quibus à diaboli poteſtate, & peccatorum vinculis ſolueremur.

§. 2.

§. 2. Hæc facta ſunt per illam immenſiſſimam profunditatem, & abyſſum impenetrabilem miſericordiæ Dei. *Quæ nos qui* *Chriſtum induimus, & ipſius ſumus baptiſmate conſecrati, per ſingulos dies commemorare conamur, cùm cordis noſtri ſpe, fide & charitate viuentis, ſacrificium immolamus, cùm per miniſterium ſacerdotum, illius ſalutaris hoſtiæ, quâ peccatum mundi huius abluitur, ſacrificium indeſinenter offertur. Hæc inenarrabilia ſunt, & vix poſſunt, niſi exiguâ quadam & tenuiſſimâ ex parte recitari. Verùm ſi quis cogitationem extenderit in diuina beneficia, quæ poſt Domini noſtri IESV Chriſti Aſcenſionem ad cœlos, humano generi exhibita ſunt: quis illa non dicam dinumerare, ſed quamuis potens eloquio, minimâ ex parte enarrare ſufficiat? quis non ſtupeat tantam vocationem humani generis, per Apoſtolicam tubam pauciſſimorum hominum, à Dei Filio IESV Chriſto Domino noſtro, in vniuerſum orbem terrarum deſtinatorum, Euangelicam veritatem humanis auribus intonantium? quorum prædicatione factum eſt, vt nihil terrenum, nihil igneum, nihilque corporeum, nihil denique quod corporis ſenſus attingit, pro Deo colendum eſſe homines putent? quòdque à vetere, ſeu carnali vitâ tam inæſtimabilis multitudo, in nouam & ſpiritualem vitam tranſlata eſt? vt perſuaſa ſit humano generi, in ipſis, qui Euangelio crediderunt, continentia, vſque ad tenuiſſimum victum panis & aquæ? & quod maius eſt, non ſolùm quotidiana, ſed per continuos plures dies perpetuata ieiunia? quòd caſtitas vſque ad coniugij, prolíſque contemtum? quòd patientia vſque ad cruces flammaſque neglectas? quòd liberalitas vſque ad patrimonia diſtributa pauperibus? quòd denique totius huius mundi aſpernatio, vſque ad deſiderium mortis intenditur?

*Rom. 13. 14.

Mundus ad Dei fidem conuerſus.

§. 3. Hæc in plurimis, qui Chriſti Euangelio credidêre impleta ſunt, & quotidie videmus impleri: cùm terrarum vbique videamus, vbi floret Chriſti religio, ſacra cœnobia viris mulieribuſque referta, quiſeipſos omnipotenti Deo ſacras victimas immolarunt. cùm videamus innumerabiles ferè ſanctiſſimos & deuotiſſimos ſacerdotio fungentes, ſuo miniſterio id implere conari, vt ab hac carnali vitâ in ſpiritualem tranſeant, & à ſæculi huius concupiſcentijs immaculati, illæſique permaneant: cùm ex innumerabili multitudine populi pars non exigua, per Euangelij ſemitam tranſire conatur, implendo mandata cæleſtia, quantum ſinit mortalis infirmitas. Hæc facta ſunt diuinâ prouidentiâ per humanitatem doctrinamque Chriſti, per ipſius paſſionem & mortem, per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces,

Orbe toto cœnobia virorum mulierumq́.

ſanguinem, mortem, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuerſis digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum oportunitate miracula. Quanta verò eſt illa diuina miſeratio, quòd decurſu temporum, multorum * frigeſcente charitate, illam penitus non ſinit extingui: ſed continuè Eccleſiam ſuam per miniſterium electorum ſuorum renouare, & multiplicare non ceſſat, vnicuique tempori electos quoſdam quaſi primos magni gregis arietes, & quaſi alteros Apoſtolos deſtinando, qui Euangelij ſemitam ferè obliteratam, & penè corruentem, & vitæ exemplo, & doctrinæ verbis innouarent, tantæ perfectionis in ſe exemplaria iacientes, quæ poſtea innumerabiles ferè, diuino Spiritu illorum corda tangente facillimè ſequerentur.

* Mat. 24. 12.

Ouiculis ſuis Chriſtus ſemper dedit arietes ceu alteros Apoſtolos.

§. 4. Hoc factum eſt per miſericordiam Dei ſuperioribus temporibus, & ferè vbique terrarum: ſed nouiſſimis diebus diuina ſe miſeratio exuberanter effudit, cùm in multorum cordibus frigeſcente charitate, ſacram religionem, quæ ab Euangelicæ perfectionis ſemitâ aberrare videbatur, digno dignata eſt igne ſuccendere: vt videamus pleraſque ſacras religiones ita renouatas, & ita diuino igne ſuccenſas, vt niſi ingrati eſſe velimus, diuinæ beneficentiæ immenſas gratias referamus, quòd ad * excolendam vineam ſuam, etiam hac nouiſſimâ horâ, operarios deſtinare non ceſſat. Quamplures videmus in hoc miniſterium deſtinatos, ſed temporum noſtrorum præcipuus & magnus inter electos fuit vir iſte Sanctiſſimus, propter quem celeberrimus iſte conuentus agitur, ſanctus Bernardinus, vir ab ipſis cunabulis perfectioni Euangelicæ conſecratus: qui in vineam Domini cultor, & operarius deſignatus, iniunctum ſibi opus indeſinenter exercuit: qui * ſe immaculatum ab huius ſæculi contaminatione cuſtodiens, primùm in ſeipſo iugum Chriſti ſuaue complexus eſt, & adeo vitæ exemplo, & ſacrâ prædicatione profecit, vt ferè per omnem Italiam renouauerit Euangelium Chriſti: vbique ſine offendiculo ſcandaloque pertranſiens, & quantùm fieri potuit, ſemper Deo & hominibus placens.

* Mat. 20. 6.

S. Bernardini encomia.

* Iacob 1. 27.

Euangelium Chriſti in totâ Italiâ renouauit.

§. 5. Non eſt huius loci propter anguſtiam temporis, ſingulas ſuas diuinas, & ferè innumerabiles recenſere virtutes: nam tantâ Omnipotentis Dei atteſtatione munitur, vt humanâ laude non egeat. Tanta etenim in ſanctitatis ſuæ teſtimonium coruſcauêre miracula: vt etiam ſi qui ſint miniſtri Sathanæ, qui eius cuperent detrahere ſanctitati, tantis viſis ſignis atque portentis, penitus obmuteſcant: & qui beneficia Dei, tempori noſtro exhibita recognoſcunt, agant vberes gratias tantæ ſanctitatis auctori, videntes in hoc glorioſiſſimo viro renouari, quod de vnigenito Dei

Miracula eius multa & magna.

Filio

Filio dictum eſt, * *Venient ad te qui detrahebant tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Tanta etenim, tempore Sanctæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Eugenij Papæ Quarti increbuêre miracula: vt ſæpè per plurimos timoratos & religioſos viros, nec non litteris multorum Principum, & præcipuè chariſſimi in Chriſto filij noſtri Alphonſi Aragonum Regis illuſtris, & Senenſium & Aquilanorum populorum precibus, litteris, & nuntijs pulſatus ſit, vt tanta & tam diuina miracula quotidie coruſcantia diligẽter mandaret inquiri: vt veritate compertâ tanto viro gloriam, quam iam diuinâ teſtificatione, in triumphante Eccleſiâ obtinebat in cœlis, in militante non negaret in terris. Fecit quod rei grauitas & magnitudo poſcebat: & quod aliàs ſedes Apoſtolica obſeruare conſueuit, commiſit tribus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus; qui duos venerabiles Epiſcopos delegantes, veritatem tantę rei inquiri, cum omni grauitate mandarent: qui exactis aliquot menſibus ad ſedem Apoſtolicam reuertentes, quæ inuenerunt fideliſſimè retulerunt.

*Iſa. 60. 14.

Canonizationem eius petunt multi.

De miraculis eius pro more S. R. Eccleſiæ inquiritur à tribus Cardinalibus.

§. 6. Cùm autem idem prædeceſſor noſter rerum veritate perſpectâ, pulſantium precibus ſatisfacere cogitaret; vocante Deo de hac miſeriarum valle, ſubtractus eſt. Nos qui non meritis noſtris, ſed diuinâ dignatione, illi in onere & honore ſucceſſimus, fuimus per eoſdem, quos ſuprà retulimus, ſæpiſſimè requiſiti: vt quod prædeceſſor noſter impediente morte non fecerat, impleremus. Nos, rei grauitatem & magnitudinem attendentes, deliberauimus, maturè & grauiſſimè procedendum. Propterea tribus ex venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus commiſimus, vt duos venerabiles Epiſcopos eligerent, quos denuò pro inquirendâ veritate delegarent: vt duplici inquiſitione informati, rem audaciùs ageremus. Miſerunt ſicut iniunxeramus duos venerabiles Epiſcopos; qui eorum quæ inuenerant in ſcriptis notitiam reportantes, fideliſſimè ſingula retulerunt, per omnia conformiter referentes his, qui tempore prædeceſſoris noſtri fuerant deſtinati, ſed multo plura clariſſima miracula reportarunt, quæ poſt priorum regreſſum non fuerant perpetrata. Nos non eâ inquiſitione contenti, etiam tertiò deſtinare decreuimus: propterea duos alios venerabiles Epiſcopos iuſſimus proficiſci: qui profecti, poſt menſes aliquos rediêre, vberrimâ & fideliſſimâ atteſtatione referentes, tanta dietim innouari, & coruſcare miracula, quòd, ſi ſingula recenſenda eſſent, vix poſſent magnis libris includi, & ex omnibus quædam maiora & inſigniora retulerunt. Nos poſteà etiam Senas mittendum eſſe cenſuimus, miſimuſque venerabilem Fratrem noſtrum Angelum Epiſcopum Eſculanum:

Nicolaus Papa iteratò iubet de miraculis inquiri.

Etiam tertiò, & clariora prioribus facta ſunt.

qui poſt aliquot menſes reuerſus coruſcantem diuinam gratiam in miraculorum perpetratione, ſub veriſſimâ, & fideliſſimâ atteſtatione recenſuit: quem etiam voluimus Aquilam proficiſci: vt etiam reportaret, ſi in tanti viri ſanctitatis atteſtationem perſeueranter diuina miracula coruſcarent. Qui reuerſus, prioribus à nobis deſtinatis conformia reportauit: & inſuper magna & ſtupenda, quæ poſtmodum contigerant retulit, quæ non in angulis, ſed publicè & in conſpectu multitudinis fuerant perpetrata.

** Pſ. 150. 1.*

§. 7. Nos his compertis, ne Spiritui ſancto reſiſtere videremur, qui per os propheticum * *Laudari Deum in Sanctis ſuis iubet*; pijs & deuotis ſupplicationibus poſtulantium condeſcendere cogitauimus: fecimuſque per venerabiles Fratres noſtros, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales per nos deputatos, omnia per nuntios reportata, in ſecreto Conſiſtorio noſtro diligenter particulariterque referri, quæ per Conſiſtorium examinata ſunt: ſed propter grauitatem rei viſum eſt in aliud Conſiſtorium differri: vt tempore medio, quilibet Cardinalis in domo ſuâ, poſſet illa diligentiùs intueri; & in ſecundo Conſiſtorio ſcrutatis omnium votis in eandem ſententiam conuenerunt, tantam eſſe euidentiam, & numerum miraculorum; nec non de vitæ ipſius Sanctimoniâ, ac fidei integritate tam clarum, tamque euidens teſtimonium: vt in tanti viri Canonizationem animis concorditer ſua vota depromerent; quorum ſecuti iudicium tunc Canonizandum eſſe decreuimus. Verùm vt res cum maiori grauitate procederet, iuſſimus in Capellâ maiori Palatij noſtri Apoſtolici, apud ſanctum Petrum, Prælatorum omnium, qui in Curiâ eſſent fieri congregationem; ipſiſque ibidem poſitis, vnà cum venerabilibus Fratribus noſtris, propoſuimus rem hanc, omnia recenſentes, quæ vſque in horam illam in huiuſmodi materiâ fuiſſent actitata: & ſingulorum vota ſcrutata ſunt, qui in eandem ſententiam deuenerunt, in quam Venerabiles Fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in Conſiſtorio ſecreto conuenerant. Poſteà in Conſiſtorio generali re propoſitâ, quod in Conſiſtorio ſecreto per nos decretum fuerat, publicè decreuimus faciendum: hoc eſt tanti viri Canonizationem in Eccleſiâ Principis Apoſtolorum, hac die Pentecoſtes per nos debere celebrari.

In Cardinalium Conſiſtorio examinantur omnia.

Decernit Pontifex in Diuorum numerum referendum.

§. 8. Nos igitur, qui huc hodie conuenimus, vt in conſpectu tantę multitudinis, ſanctitati tanti viri teſtimonium perhibeamus: aſſumimus illud Dominicum verbum, quod ſuis imitatoribus dixit; * *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Miniſtrauit vir iſte ſanctiſſimus Christo, & ſecutus eſt Chriſtum. Miniſtrauit Chriſto,

**Io 12. 26. Quòd cum Chriſto ſit, cui miniſtrauit.*

cum

cum ſe laqueis ſæculi exuens, * *deponens veterem hominem cum actibus ſuis, & induens nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in iuſtitiá, & ſanctitate veritatis*; iugum leue ſanctæ Religionis amplexus eſt. Miniſtrauit Chriſto, cum ſanctâ Religione proficiens, dietim maiora virtutum diuinarum augmenta capiebat, præcipuè humilitatis Chriſti imitator effectus, pauper Spiritu, & diues gratiâ. Miniſtrauit Chriſto, cum multis exemplo vitæ ad ſalutem profecit æternam. Miniſtrauit Chriſto, cùm membris Chriſti, hoc eſt fidelibus Chriſti pabulum doctrinæ cæleſtis indeſinenter exhibuit, plurimas Deo lucrifaciens animas, quas à diaboli, & ſeculi laqueis exuebat. Miniſtrauit Chriſto, cùm per ciuitates prouinciaſque ſeminans verbum Dei, populorum cateruas antiquis odijs diſſidentes, omni cordium rancore depoſito, in charitatem mutuam reuocabat. Miniſtrauit Chriſto, cùm in pluribus locis mores in laſciuiam vergentes & diutiùs antiquates, verbi diuini prædicatione dimouit: exhortans tam viros, quàm mulieres ſeruare pudicitiam, reliquoſque laudabiles mores, ſine quibus nemo verè poteſt eſſe Chriſtianus. Miniſtrauit Chriſto, cùm nominis ſui per omnem Italiam celebritate vigenti, in eâdem, quam primò aſſumſerat humilitate permanſit. Miniſtrauit Chriſto, cum Verbum Dei indefeſsè prædicare non deſtitit. Miniſtrauit Chriſto, cum ſe vocante ad æternam requiem, nec mori timuit, nec viuere recuſauit. Ergo quia non poteſt Veritas ipſa mentiri, quæ eſt vnigenitus Dei Filius, qui per os carnis aſſumtæ locutus eſt dicens: * *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit*: cùm ſciamus hunc ſanctum virum miniſtraſſe Chriſto, & ipſum fuiſſe ſecutum vſque ad conſummationem vitæ: minimè dubitare permittitur, quin potiùs certiſſimum tenere, quod vbi eſt Chriſtus Dei Filius, ſit etiam miniſter ſuus ſanctus Bernardinus. Ergo quia cum Chriſto ſunt omnes Sancti eius: de Omnipotentis Dei miſericordiâ, qui non deſerit Eccleſiam ſuam, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, ac venerabilium Fratrũ noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ad id accedente conſenſu, decernimus, declaramus, & ordinamus, ſanctum Bernardinum inter Sanctos Dei, ab vniuerſâ Eccleſiá debere deputari, & ſanctum haberi, & tanquam Sanctum honorari, & coli: ipſumque Canonizamus, & pro Canonizato haberi volumus; mandantes feſtum ipſius in numero Sanctorum Confeſſorum non Pontificum debere collocari, & ei officium Confeſſorum non Pontificum decantari. Inſuper omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in die feſti ſui Eccleſiam, in quâ Sanctum corpus ſuum requieſcit, deuotè

*Col. 3. 1

Poſitis odijs multos charitat. confœderauit.

*Io. 12. 26

Ab vniuerſali Eccleſia Bernardinus colendus, vt ſanctus.

viſitauerint, & ad ornatum, ſiue fabricam dictæ Eccleſiæ manus porrexerint adiutrices: ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis temporibus duraturis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, ordinationis, voluntatis, mandati, Canonizationis, & relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in Baſilicâ Principis Apoſtolorum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, IX. Kal. Iunij, Pontificatus noſtri anno quarto.

Fabricius.

COMMENTARIVS
AD VITAM
SANCTI BERNARDINI.

S. Bernardini vita conſcripta à multis.

BEATVS *Ioannes à Capiſtrano, S. Bernardini diſcipulus & comes, vitam eius accuratiſſimè conſcripſit, teſte Antonio Amicio I. C. præfatione in vitam S. Bernardini à B. Ioanne Capiſtrano ſcriptam, quæ habetur Tom. 1. operum S. Bernardini, edita Venetijs Anno M. D. XCI. Petrus Rodulph. lib. 1. Hiſtoriæ Seraphicæ Relig. multa de eius vitâ conduxit, indicans B. Bernardinum Aquilanum ex Ordine Minorum, Virum inſigni ſanctimoniâ clarum, vitam eiuſdem S. Bernardini edidiſſe. quinetiam lib. 3. Hiſtor. Seraph. Relig. tradit F. Ludouicum Vincentium eiuſdem vitam ſcripſiſſe ad Cardinalem Agrienſem. Laur. Surius Tom. 3. ad diem vigeſimum Maij, teſtatur quemdam S. Bernardini æqualem vitam eius compoſuiſſe, cuius ſtilum nonnihil poliuit. iſte quis ſit, latet, ſed tamen ceteris, illius auctoris hiſtoria iure debet præſtare. Sanctus Antoninus Hiſtor. parte tertiâ, titulo 24. capite quinto, multa percenſet de ſancto Bernardino; de quo Sermo extat Roberti à Licio, qui cùm illo eodem æuo vixit; item Sermo Pelbarti à Temeſwar.*

DE RATIONE IMAGINIS S. BERNARDINI.

EFFIGIES *eius hac formâ pingitur. Habet in manu dulce nomen Ieſu, in tabellâ expreſſum, cinctum coronatumque vibrantibus Solis radijs: quale deauratum à concionibus auditorio ſolet adorandum oſtendere; vt habetur c. vitæ eius 31. hanc veram cauſſam exiſtimo huius picturæ. Vide Commentarium meum ad cap. 47. Aſſcribitur illud Ioannis 17. 6.* Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus: *cuius ratio, quod mortuus ſit pridiè Dominicæ Aſcenſionis, cùm in Veſperis Fratres canerent, Antiphonam illam eandem cantico Magnificat præcini ſolitam & accini. vt cap. 54. Tres Epiſcopales mitræ poſitæ ad eius pedes, contemtum indicant Epiſcopatuum à tribus oblatorum ciuitatibus. Vide caput 35.*

IN CAPVT I.

IN Senenſi vrbe.] *Dicta* Sena, *quod à Gallis, pro ſenibus & armentarijs condita ſit, ex ſententiâ Polycrat. ſiue, ex Blondi mente, quòd è ſex plebatibus ab vrbe Peruſiâ demtis, coaluerit, vt ſcribit Philip. Bergomen. libr. ſexto, Supplem. Chronicorum. Hartman. Scheydel ætate mundi quintâ.*

Quę Virginis ciuitas dicta.] *Huius ignoro cauſſam, fortean quòd D. Virgini deuota dedicataque ſit. Opinari licet; quando Diuorum imagines tutelarium publicè in portis, turribus, curijs pingi ſolent & ſtatui. D. Virginis effigies ad portam Camolliæ fuit eleganter depicta. Vide caput 7.* De patriâ ſancti Bernardini *hæc ſcribit Æneas Siluius Europæ capit. 64.* Fuit Bernardino clara inter Senenſes origo. nec vera eſt aſſertio eorum, qui patriam illi Maſſam fuiſſe tradunt, quamuis illic pueritiæ nonnulla fundamenta peregerit. Ceterùm Pater ac maiores ſui longâ ſeriè inter nobiles Senenſes habiti ſunt; vbi & ipſe natus, & maiori ex parte fuit educatus. *Idem videtur ſentire Pelbartus à Temeſwar Conc. de S. Bernardino. At vero Robertus à Licio, ſancti Bernardini æqualis, natum ſcribit in ciuitate Maſſâ prouinciæ Tuſciæ, quod cum auctoris facit hiſtoriâ. Quid? an parentes Senas ſe contulerint è Maſſâ, cùm Bernardinus naſceretur? tibi, Lector, cogitandum propono.*

IN CAPVT II.

DEMVS pauperi ſtipem.] *Hiſtoria, quam in officio diuino legimus, paulò aliter habet;* Accidit nutricem, cùm parum panis eſſet in domo, eleemoſynam pauperi denegare: triſtis effectus gratioſus puer, aiebat; Demus pauperi, quod mihi in cœnâ præſtaretur: optans ſibi potiùs ſubtrahi, quàm Chriſto in paupere denegari. *Lect. 5. in Feſto eius. fieri potuit, propter egentiam panis, vt pecunia data fuerit pauperi.*

IN CAPVT VIII.

IOANNES Columbinus... Ieſuatorum inſtitutor.] *Hunc Martyrologium Romanum ad diem 13. Iulij,* ſanctitate ac miraculis clarum *dicit. Refert ſcire quinam iſti* Ieſuati. *Polydor. Virgil. lib. ſeptimo de rerum inuentoribus capite quarto, hæc ſcribit:* Anno ſalutis humanæ milleſimo tercenteſimo ſexageſimo octauo, Ieſuatorum ſecta Senis orta eſt. Colligebantur ab initio domeſticatim, ſimplici indumento amicti, multâ innocentiâ & pietate viri, ſibi victum labore & operâ quæritantes. Hos Vrbanus, quia iam ſuſpecti, vt maleficâ aliquâ ſuperſtitione imbuti, haberi incipiebant; ad ſe Romam vocatos, de ceremonijs & vitæ inſtituto interrogauit, cognouitque totam rem, & probauit: deditque vt albâ tunicâ vterentur, & capitio quadrato, à ceruice ad humeros deiecto. Cinguntur ſcorteâ zonâ, nudos pedes ligneis ſoleis in inferiori parte muniũt: datum inde eſt, vt canuſinum pallium tunicæ ſuperiectum ferrent. Apoſtolici à principio viri nuncupati ſunt. ſacris non initiantur, tantùm precibus vacant: & Ieſuati ab eo dicti ſunt, quòd IESV nomen frequens ſit in illorum ore. fuit rei auctor Ioannes Columbinus homo Senenſis.

Vitæ ratio Ieſuatorum & veſtis.

IN CAPVT XI.

SI in his charitatis officijs obierimus, ad Dominum euolabimus.] *Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, apud Euſeb. Cæſar. lib. 7. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 17 memorat in magnâ peſte Alexandriæ graſſante, nonnullos presbyteros, Diaconos, & quoſdam ſpectata virtutis è populo,*

Peſte laborantibus inſeruire, genus eſt martyrij.

pulo, eos qui morbo opprimebantur, nullâ ſui curâ, aut cautione adhibitâ, ſedulò inuiſiſſe, inſeruiſſe, aſſiduè pro viribus ob Chriſti amorem; atque cum illis diſceſſiſſe è vitâ, cùm aliorum mortem in ſe deriuantes, vitam amitterent. *addit*; Iſtud genus mortis, quod propter incredibilem pietatẽ, & robuſtã fidem ſuſcipiebatur, nihil à martyrij ſplendore abeſſe videtur. *horum meminit Martyrolog. Rom. ad diem* 28. *Februarij*; quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſueuit. *Itaque S. Bernardinus piè fortiterque horum exemplum imitatus, peſte laborantium ſe miniſterio dedicauit.*

IN CAPVT XVI.

IOANNES Riſtorius] *Sic vocat B. Ioannes Capiſtranus in vitâ S. Bernardini, item S. Antoninus; cùm alij Piſtorium ſcribant.*

IN CAPVT XIX.

MONACHVS porcus ſaginarius.] *Sic ille, & quibus eſt conſilium non criminari, ſed maledicta congerere ſcurrarum more. At Bernardinus, cùm nihil faciat ad cauſſam, maledicentibus remaledicere; ſed præcipiatur malum pro malo non reddere, vincere in bono malum, ſaturari opprobrijs, & alteram verberanti præbere maxillam: modeſtè, ad exemplum noſtrum, tulit opprobrium; atque vt ſcopulus aſſilientes vndas ſine motu frangit, ſic ille conuitiatorem ſine vllâ acerbitate. Porrò, quemadmodum animalia quædam ne poſſint inueniri, veſtigia ſua circa cubile confundant; idem ſibi faciendum S. Bernardinus exiſtimans, à mundo & hominum conſuetudine ſe ſubduxit, Deo vacaturus & ſibi; quo etſi nihil ſalubrius ſit, tamen vides* ipſum nomen philoſophiæ, etſi modeſtè tractetur, inuidioſum eſſe. *Nullus locus eſt, nulla ſtatio, quam non caſus aliquis excipiat & fortuna; cui vincenda, ita parari debet animus, vt quamcunque acceperit, aliquid ex illâ memorabile faciat. fecit vir ſanctus, cùm in illo conuitio latius oſtendit exemplum inſignis patientiæ. Mulam calcitrantem, latrantem canem latratu & calcibus repetere, non eſt viri. Nos ſemper aduocemus patientiam, quos magnum exſpectat præmium, felicis animi tranquillitas.*

Opprobria iacta in nos contemnenda.

IN CAPVT XXI.

PRIMAM concionem habuit ipſis ferijs Natiuitatis Virginis.] *Illius amore in tantum exarſit, vt cùm in concionibus de illâ diceret, facies eius viſa fuerit, ſolari radiare fulgore. Vide cap. 7. vitæ B. Ioannis à Capiſtrano.*

Nota.

IN CAPVT XXVI.

GVELPHORVM & Gibellinorum] *factiones excitatas Imperatore Frederico Secundo ſcripſi in meo Commentario ad vitam S. Franciſci in cap. tertium, vbi de inſtitutione religionis agitur. Quantus eorum furor fuerit & crudelitas, ex Krantzij lib. 8. Saxoniæ cap. 8. diſces, præſertim Brixiæ & Bergomi. Et quidem* Bergomatium hæc nõ ſolùm rabies auctoritate Bernardini ſedata eſt: ſed ex infeſtiſſimis hoſtibus fideles ſocij facti, intra vrbis mœnia templum, cui virgines moniales inſeruirent, Bernardino auctore conditum eſt, & S. Mariæ, cui Roſarum cognomen indiderunt, conſecratum. *hæc Marcus Benalius in Commentarijs de vitâ & geſtis Sanctorum Bergomatum. Tom. I. operum S. Bernardini. In Elogijs dictum, has peſtes operâ & ſtudio S. viri pœnè exſtinctas. num. 8.*

IN CAPVT XXVIII.

INSTRVMENTA omnium ludorũ vetitorũ.] *Æneas Siluius eodem ſeculo viuens, hæc de eo ſcribit*; feminas deponere ornamẽta capitis, coronas, ſerta, crines alienos, & homines fugere aleam, ludoſque malos, in tantum trahebat, vt omnia huiuſmodi ſibi adferri, & etiam publicè comburi iuberet. *De viris illuſtribus libro qui in Bibliothecâ Vaticanâ ſeruatur M S. vide Tom. I. operum S. Bernardini. fecit item talia B. Capiſtranus in Germaniâ pluribus locis. adi cap. 22. vitæ B. Capiſtrani.*

Fructus concionum eius.

IN CAPVT XXIX.

FRANCISCANORVM non pauca, eaq; elegantia condebantur monaſteria.] *S. Bernardinus I. auctor obſeruantiæ regularis non fuit, ſed maximè promouit. Nam B. Ioannes à Capiſtrano ita ſcribit in vitâ eiuſdẽ*: Tempore quo ſanctus Bernardinus religionem ingreſſus eſt, erant in Italiâ vix centum triginta Fratres Ordinis de Obſeruantiâ nuncupati: tempore ſui tranſitus multiplicati fuerunt ad amplius quatuor millia. *Vix erant in Italiâ viginti loca Fratrum: ipſo mortuo ad ducenta creuerunt eaq; amplius. hæc Tom. I. operum S. Bernardini. Supra dictum eſt, cap. 17. S. Bernardinum receptum ad Ordinem Senis à R. P. Ioanne Riſtorio, cuius conſilio confirmatus, ſe contulit ad cœnobium Columbarij propè à Senis, in quo degebant Obſeruantes, qui illo ex tempore mirum in modum toto orbe creuerunt, eius potiſſimè ſtudio & operâ. de quib. ſi plura velis, adi R. P. F. Franciſci Gonzagæ de Origine Seraphicæ Relig. par-*

S. Bernardinus excitat inſtitutum Obſeruantiæ.

tem primam in initio. Exſtant litteræ ſiue Diploma Conc. Conſtantienſis ad Generalem & Prouinciales Miniſtros & Cuſtodes, ceteroſque Ordinis Minorum Profeſſores Seſſ. 19. quarum fauore, inſtitutum de Obſeruantia iam pridem in Gallijs cœptum, mirificè confirmatum fuit, anno Domini 1419.

IN CAPVT XXX.

NOMEN Ieſu litteris aureis, ſolis radijs vndique cinctum.] *adorandum à Concione populo ſolet oſtendere: quod cùm inſolens eſſet, interueniente malignorũ calumniâ, prohibitum fuit à Pontif. Martino Quinto: ſed re examinatâ, iterũ permiſſum, B. Ioanne Capiſtrano validiſſimis argumentis euincente, qui eius rei gratiâ ſe Romam contulerat. quod Pet. Rodulp. ſcribit lib. 1. Seraph. relig. Ioan. à Capiſtrano. Adi cap. 8. Hiſtor. vitæ B. Ioan. Capiſt. nam licitum eſſe Ioan. Molan. quoque docet lib. 3. de Imaginibus cap. primo.*

IN CAPVT XXXVIII.

IN quodam Concilio Generali Græcos.] *Eugenio Quarto Pontif. anno ſalutis Chriſtianæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono celebratum fuit Concilium Florentinum: vbi Græci Eccleſiæ Rom. acceſſerunt. S. Bernardinus an ibi dixerit Græcis, linguæ Græcæ ignarus, ſed miraculo à Græcis intellectus, tu, mi Lector, diſpice.*

IN CAPVT XXXIX.

ÆRE alieno preſſi] *liberati ex carcere à S. Bernardino, auro ei oblato à duce Mediolanenſi. Reſcribit Hieron. Platus lib. 2. de Bono Status relig. cap. 6. Simile habes apud Sulpit. Seu. Dialog. 3. num. 18. de S. Martino, cui multum argenti à Lycontio offerretur.*

IN CAPVT XLVI.

Imbres in concione prohibuit.

LAPSI imbres] *ne concionem eius ſub dio ſoluerent, precibus miraculosè prohibuit. S. Antonium à Paduâ tale quid feciſſe memoriæ proditum eſt in vitâ eius cap. 18.*

IN CAPVT XLVII.

VISA eſt ſupra caput Bernardini ſtella.] *Idem ſcribit B. Ioannes à Capiſtrano, loco ſæpè memorato. porrò ſtellam illam fuiſſe D. Virginẽ Mariam, cuius virtutes magnoperè prædicabat, memorat hiſtoria: nihil verò de dulcis Ieſu nomine in ſtellâ conſpecto: mirum vt ſit, quod Ioannes Molanus ſcribit lib. 3. de Imaginibus cap. 18. Romæ ſupra caput S. Bernardini concionantis, nomen Ieſu in Sole poſitum, conſpectum fulſiſſe, vt ritus ille comprobaretur, quo ſolet à concione nomen Ieſu in tabulâ pictum adorandum oſtendi, quod nonnulli calumniati ſunt immerenter. Auctorem non producit, ſcribens id quoſdam adfirmare. Vide cap. 9. vitæ B. Ioannis à Capiſtrano.*

Stella ſupra caput S. Bernardini concionantis.

IN CAPVT LVIII.

EX eo autem ſanguine multi collegerunt in pocula,] *atque diuerſi morbidi ſanati ſunt. Scribit Hartman. Schedel Sextâ mundi ætate, B. Ioannem Capiſtranum, cùm infirmos inuiſeret, ſolitum* Birretum S. Bernardini, & cruorem quem illi mortuo è naribus fluxiſſe ferunt, ſingulis ægrotantibus admouere, precari pro omnibus. *Ioan. Cochlæus lib. 10. Hiſt. Huſſitarum, indicans cruorem S. Bernardini linteo exceptum fuiſſe.*

Grande miraculum.

IN CAPVT LX.

STELLA quæ viſa fuerat, cùm illic cõcionem haberet de ſacratiſſ. Virgine Bernardinus.] *Quoniam parcè de hoc miraculo video ſcriptum, viſum eſt ex ipſo B. Ioanne Capiſtrano hiſtoriam cõmemorare.* Aquilæ in plateâ S. Mariæ de colle Maio, vbi eſt venerabile monaſteriũ S. Petri Cæleſtini, cùm S. Bernardinus laudes Virginis exaltaret aſſiduè cũ feruore, quia in themate cõtinetur; Et in capite eius corona ſtellarum duodecim, intelligẽs pro duodecim ſingulariſſimis prærogatiuis virtutum, gratiarum, & meritorum virginis benedictæ; primam ſtellarum nobilitatem indiuidui virginis benedictæ conſiderans, cùm hora eſſet quaſi ſextâ diei, vel inter tertiam & ſextam; ecce ſtatim ſole ferueſcente in Altiſſimis Dei, ſtella lucidiſſima ſuper caput eius apparuit, & tanto ſplendore, quòd fulgor ipſius, ſolis radios videbatur excellere, quum omnes ſimul qui aderant, cum Duce præfato [*Andegauenſi*] hoc magno ſigno cælitus demonſtrato, attoniti ſtupenteſque manſerunt: videruntque ſtellam ipſam, contra faciem Bernardini oppoſitam, tanquam ſi vox cæleſtis indiceret, vultũ eiuſdem ſancti irradians; Hunc audite, hunc ſequimini, huiuſq; imitatores eſtote fideles! ſicq; ſtella diſcurrens ante faciem ſancti Bernardini, ab oculis intuentiũ cum non mediocri admiratione diſparuit, *Hactenus B. Ioannes à Capiſtrano in vitâ S. Bernardini ſub finem. Eadem refert Pelbart. à Temeswar in Pomerio ſuo Ser. de S. Bernardino.*

Item de ſtella S. Bernardino cõcionante cælitus conſpecta.
Apoc. 12. 1

Socij eius viderunt micantem ſtellam.] *Non modò ſocij B. Ioannis Capiſtrani ſtellam reuiderunt, quæ concionante S. Bernardino viſa; ſed ipſemet Capiſtranus, cùm eodem loco de B. Mariâ concionem haberet, ſuprà caput ſuum reuidit, ſpectante toto auditorio. Ita de ſe ſcribit in vitâ S. Bernardini ſub finem, quæ habetur Tom. 1. Sermonum S. Bernardini:* Nec paruipendendum eſſe conſidero, quòd, cùm felicem S. Bernardini obitum, in inſulâ Siciliæ tunc exiſtens, ex mandato ſanctæ memorię Eugenij Papæ Quarti, ſenſiſſem: ad Aquilanam ciuitatem pergens feſtinanter, vt tanti viri ſignis magnificis coruſcantis, diligētiâ quantâ poſſem, Canonizationem bene merito procurarem; pari modo in plateâ & campo Eccleſiæ, & monaſterij ſupradicti, aſtante etiam multitudine populorum, horâ quaſi eâdem, videlicet inter Tertiam & Sextam, ibidem apparuit ſtella præfulgida, in quam aſpicientes qui aderant, cum admiratione alter alterum excitabat; nec tamen eam tunc ego ipſe, qui indignus thalamo præſidens, etiam de B. Virgine prædicabam, ſtellarum differentiam & varietatem conſiderans; cùm non haberem etiam de apparitione dictæ ſtellę notitiam per fide dignam relationem; de commotione aſtantium admiratus, quid intra ſe quærerent perſcrutabar; cùm ſtellam ſupra caput aſpicere nō valerem, tunc mihi indicauerunt apparentiam eiuſdem ſtellæ, quæ ſuper caput S. Bernardini coruſcauerat, ibidem euidentiſſimè declaratam. cumque caput erexiſſem, eandem ſtellā limpidiſſimè conſpexi, Deo gratias agens & Virgini benedictæ, ſperans & confidens ex diuinâ bonitate, & Virginis benedictæ præſidijs me felicem ſucceſſum, & lætum effectum in Canonizatione ſancti Dei viri infallibiliter obtenturum. Itaque factum eſt Domino diſponente, vt manè ſequenti ex Aquilâ ad S. Romanam Eccleſiam greſſus dirigens, præfatam ſtellam, tanquam ducem itineris & comitem, pluries in itinere non ego ſolus aſpexerim, ſed quamplures ſocij qui mecum erant; inter quos Fr. Matthæus de Rhegio de Calabriâ, Fr. Philippus, Fr. Ioannes Theutonicus de Auſtriâ, & plures alij. *Hæc variant ab his quæ ſcripſit auctor: qui an alucinatus hic eſſe dicendus ſit, aliorum eſto iudicium. Certè Pomerium Petbarti à Temeſwar Serm. de S. Bernardino, eadem refert, quæ ex Io. Capiſtrano exſcripſimus. Vide cap. 9. Vitæ B. Ioan. à Capiſtrano & in illud meas Notas.*

S. Bernardini Canonizationem B. Capiſtranus procurauit.

Miracula quæ quotidie fiebant.] *Æneas Siluius lib. de Viris illuſtribus, æuo S. Bernardini ſcripſit corpus eius Aquilæ conditum infinitis miraculis claruiſſe, vt in Elogijs eius ſub finem adſcripſimus. Vide cap. ſequens 69. vbi centum, eoque ampliùs ante Canonizationem miracula comprobata.*

Infinitis coruſcat miraculis.

IN CAPVT LXIX.

NICOLAVS Quintus ... Bernardinum ſanctis Confeſſoribus annumerauit.] *Atque id anno Iubilæo, Romæ Capitulo Generali Fratrum Minorum celebrato, quò ſuprà quinque millia Fratrum conuenerant. Pomerium Serm. de S. Bernardino in fine. Inter illos adfuit S. Didacus. vide Hiſtor. vitæ eius parte 1. cap. 12. variat in numero Fratrum.*

Quinque millia Fratrum in Canonizatione S. Bernardini.

Illic hodieq; aſſeruatur ſacrum corpus eius.] Quod ipſum tale eſt, vt verè perhibeat teſtimonium ſanctitatis, *vt ſcribit Auguſtinus Dathus, Tom. 1. oper. D. Bernardini, poſt vitam eius. Enimuerò* cōquieſcit ita integrum, ac ſi adhuc viueret, *teſte Antonio Amicio præfatione in vitam ſancti Bernardini.*

Corpus ſancti Bernardini incorruptum.

Capſæ cryſtallinæ ... quæ incluſa eſt arcæ argenteæ.] *Antonius Amicius, proximè citato loco, memoratu digna ſcribit, nempe Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo octogeſimo primo, Ludouicum Galliarum Regem, thecam argenteam S. Bernardino dedicaſſe, in quâ ſacrum eius corpus conderetur: ſed hanc ipſam ſublatam à Philiberto Chalonio Aurantio Principe, prorege & duce Caroli Quinti Imp. bello aduerſus Lotrechium, militibus ſoluendis. quamobrem, nec ita multò pòſt, gemina traiectus glande, ab equis protritus, ſpoliatuſque, vix vt agnoſceretur inuentus eſt. Aquilani ſuo tutelari Diuo repoſuerunt aliam argenteam, quæ facilè conſtitit aureorum millibus quatuordecim, in quâ ſanctum corpus eius, vt dictum eſt, aſſeruatur, viuentis referens habitum.*

In argenteâ thecâ poſitum corpus S. Bernardini.

Bullam Nicolai V. de eius Canonizatione exſcripſimus ex part. 2. Firmamenti Trium Ordinum, quàm in paragraphos ſecuimus. Hæc quæ habui, de S. Bernardino Senenſi, Ordinis noſtri ſecundâ gloriâ.

B E A T I
IOANNIS A CAPISTRANO
Ordinis Minorum,
V I T A.

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI.

ILLVSTRIVM *facta virorum, vitam, mores poſteris tradere, vt antiquis fuit vſitatum, ita noſtris quoque temporibus vſurpatur. Et verò hoc ipſum fructuoſe, ſi ad prodendam virtutis, ſanctimoniæq; memoriam mortalibus, ſine gratiá & ambitione, bonæ tantum conſcientiæ pretio ſcriptor inducatur. Equidem in hiſce meis ſtudijs, nihil ſpecto, niſi albam illam metam;* Deo in laudem, Diuis ad honorem, nobis in fructum. *Quare cum animaduertiſſem pleroſque multa tradidiſſe de B. Ioanne Capiſtrano; ſed, quod ſciam, neminem eius vitæ totius hiſtoriam ordine & accuratè, pro dignitate rei perſcripſiſſe: ſubijt animum, ex optimis auctoribus, quos nanciſci potui, quæ de eo litteris conſignarunt, ordine hiſtorico ſcribere, ſiue potiùs, ad verbum exſcribere, litteris tamen à meis proprijs variantibus, & ad marginem adnotatis locis, vnde fide bonâ depromta ſunt: quâ ratione, ſcriptis & hiſtoriæ maior haberi fides debet: tum etiam, gratia & ambitio, vitia communia ſcriptoribus, videri queant à me proſcripta.* (*Scriptorum vitia communia.*) *Exigunt iure merito B. Viri merita, nullis præconijs ſatis laudata, vt in Seraphicam noſtram Hiſtoriam eius geſta miranda adſcribantur; eo maximè, quod illi, publicè licet inter Diuos relatus non ſit; in patriá tamen eius, cæleſtes honores exhiberi, anniuerſariá ſolemnitate, Summæ Sedis Apoſtolicæ ſententiâ decretum fuerit. Sed meo more præmitto de multis in eius laudem nonnulla*

ELOGIA.

Flauius Blondus.

(*B. Capiſtranus vir celeberrimus.*) CApiſtranum opidum Aprutij, viro nunc ornatur celeberrimo, Ioãne Capiſtraneo, Seraphici Franciſci Ordinis, quem decorat, alumno, miraculis & quidem frequentibus: quod poſt Apoſtolorum tempora rarum, ac propè inauditum fuit; in vitâ coruſcante. *Regione duodecimá Illuſtrata Italiæ, Aprutio.*

Nicolaus de Cuſa S.R.E. Cardinalis, Epiſcopus Brixinenſis.

(*A Deo miſſus.*) Homo vtique à Deo miſſus, cui nomen F. Ioãnes de Capiſtrano, vir religioſiſſimus, potens opere & ſermone: non ceſſat ex fundatiſſimis Scripturis errãtes Iacobellianos ad veritatem indefeſſis laboribus reuocare *Epiſt. vltimá ad Bohemos, apud Cochlæum hiſtor. Huſſitar. lib. 10. ad annum* 1450.

Æneas Siluius Epiſcopus Senenſis.

(*Concionator inſignis.*) Ioannes Capiſtranus Ordinis Minorum profeſſor, vitæ munditiâ, & inter prædicatores Euangelij, noſtro tempore inſignis. *lib. de Europâ cap.* 5.

Idem.

(*Imperatoribus gratus*) Videbit te liberi animo, quouis tempore. Maieſtas Imperatoria, ac velut Apoſtolum Chriſti veneranter amplexabitur. Erit quoq; præſentia tua Diuæ Auguſtæ ad ſingularem lætitiam: quæ quoniam multa de præcellẽti doctrinâ, vitæque tuæ ſanctitate ex auditu didicit; magnopere cupit tuis aliquando ſermonibus intereſſe, videre & audire te prædicantem, & dulcedinem cæleſtis eloquij deguſtare. *Lib. 1. Epiſt.* 405. *& apud Io. Cochlæum lib. 10. Hiſtor. Huſſitar. ad annum* 1455.

Idem.

(*Germaniæ quaſi propheta.*) Frater Ioannes à Capiſtrano homo Dei eſt: populi Germaniæ, quaſi Prophetam eum habent. *Epiſt.* 412.

Philippus Bergomenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

Ioannes de Capiſtrano Aprutij opido, non longè ab Aquilâ vrbe conſti-

tuto, Ordinis B. Franciſci, Chriſtianæ Religionis acerrimum & egregiũ prædicatorem, hac tempeſtate me vidiſſe confiteor, virum certè religioſiſſimum, quemque Blondus Forliuienſis notiſſimum amiciſſimumque ſibi magnis effert laudibus: eò quòd vniuerſam fermè Italiã prædicando, docendo, monendo, & caſtigãdo, ad benè beateq; viuendum reduxiſſet, & Chriſti vitam omnibus, verbo & exemplo, imitandam, ardẽti deſiderio propoſuiſſet. Ipſe deinde vir ſanctus ad augmentum ſui meriti, id facinoris genus adiecit; quod cùm in Pannoniâ audiſſet innumerabiles Chriſti fideles à Turcis capi & venundari: quo fiebat vt pueri omnes à fide Chriſti deficerent, vitæ & moribus Turcarum aſſueti: animarum fidelium periculo motus eò acceſſit, & ſuis exhortationibus grandi exercitu ibidem congregato, contra hoſtes Turcas impetum fecit, & in feſto S. Sixti anno milleſimo, quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, ipſo in acie exiſtente & populum exhortante, apud Belgradum Tranſdanubij opidum, tanto cum ardore Chriſticolæ pugnarunt, vt magnum de inimicis reportarent triumphum. Nam demũ inimicis quaſi nemine perſequente fugientibus, ad ſex millia hoſtiũ ceciderunt: qui mortuus magnis coruſcauit miraculis. *Sup. Chron. libr. 15. ad ann.* 1454.

Italiam pene totam concionibus emendauit

Turcas ab Alba profligauit.

VVernerus Roleuinck Ordinis Carthuſienſis.

Ioãnes de Capiſtrano frater Minor, diſcipulus S. Bernardini, ſtatim poſt obitum eius, præfuit reformationi nouæ. Claret miraculis. *Faſciculo Temporum ad an.* 1454.

S. Bernardini diſcipulus.

Paullus Langius.

Ioãnes Capiſtranus prædicator Verbi Dei excellentiſſimus & feruentiſſimus, B. Bernardini diſcipulus, mira egit contra Turcas in paſſagio. fuit Ordinis Minorũ. *Chron. Citizenſi anno* 1449.

Hartmannus Schedel Hiſtoricus Norimbergenſis.

Ioannes de Capiſtrano, Aprutij opido, non longè ab Aquilâ vrbe conſtituto ortus, Ordinis beatiſsimi Frãciſci profeſſor, Chriſtianæ religionis acerrimus & egregius prædicator. *Sextâ mundi ætate.*

Albertus Krantzius.

Hic homo in terris cæleſtem, ſed occupatiſsimam & laborioſiſsimam vitam peregit. *Lib. 11. Metrop. cap.* 51.

In terris cæleſtem vitam exegit.

Idem.

Hoc conſtat, virum fuiſſe incredibilis, in vitâ & moribus, auſteritatis & ſanctitatis. *Lib. 11. Saxon. cap.* 35.

Laonicus Chalcacondylas.

Capiſtranus Nazaræus, ſiue monachus Bernardini fuit ſectator, cuius auctoritas, in religionis negotio, maxima habetur apud Occidentales... Cùm autem ſapientiâ & intellectu plurimùm valeret, regi Pannonum familiariter iunctus eſt: familiaritate iſtâ permotus, Regem in Turcicâ expeditione enixe iuuit. *Lib. 8. de rebus Turcicis.*

Martinus Cromerus.

Erat Ioannes Capiſtranus Italus non ignobilis, de ſodalitio Franciſcanorum, qui ſe Obſeruantes & Bernardinianos appellant, doctrinâ, facundiâ, & ſanctimoniâ vitæ pollens: vſq; adeò, vt multis miraculis eam comprobarit. *Lib. 22. de rebus Polon.*

Miraculis clarus.

Thomas Boſius Congregationis Oratorij preſbyter.

Anno milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo ſexto, obijt Ioannes à Capiſtrano, qui mortuos octo excitauit ad vitam. Plurimis cæcis, mutis, ſurdis, ægrotiſque rectum membrorum vſum reſtituit. Concionatus eſt publicè innumeris hominibus in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Hungariâ, Bohemiâ, Poloniâ. Multas illi laudes datas à ſummis totius Europæ Principibus refert Ioannes Cochlæus, *&c. Lib. 7. de Signis Eccleſ. cap.* 1.

Octo mortuos ad vitam excitauit.

Lib. 10 Hiſtor. Huſſit. anno 1450.

Ioannes Trithemius Abbas Spanhemienſis.

Ioannes de Capiſtrano, Aprutij opido non longè ab Aquilâ vrbe, Ordinis Fratrum Minorum, S. Bernardini Se-

Iuris peritus fuit.

nenſis olim diſcipulus, vir in diuinis Scripturis eruditus, & in Iure Canonico egregiè doctus; ingenio excellens, & clarus eloquio, vitâ quoque & religioſâ conuerſatione deuotus, diuini verbi prædicator, celeberrimus: qui multos verbo & exemplo ab iniquitate conuertit. Scripſit quædam non paruæ vtilitatis opuſcula, de quibus ad me pauca peruenerunt:

De cupiditate *lib.* 3. Nolite vobis theſaurizare.
Contra Huſſitas *lib.* 1.
Sermones varios *lib.* 1.
De paſſione Domini. *lib.* 1.
Epiſtolas nonnullas, & quædam alia.

Claruit ſub Frederico Imperatore Tertio, anno Dom. M. CCCCL. & non ſine opinione ſanctitatis.

Henricus VVillot ex Ordine Minorum.

Ioannes Capiſtranus, ex Aprucij oppido, non longè ab Aquilâ Marſorum vrbe, Bernardini Senenſis olim diſcipulus & ſocius, nobili genere natus anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo quinto. Is patre defuncto maternæ tutelæ relictus, illis quibus puerilis ætas ad humanitatẽ informari ſolet, operã dedit, optimis educatus inſtitutis, ob ingenij ſolertis acumen & innatam memoriam vſque adeo liberalibus profecit diſciplinis, vt ab omnibus inde ſperaretur ingens ſeges adultæ ætatis. Expurgatâ ergo tirocinij rubigine, Peruſiam ſe contulit, vbi Iuris Vtriuſque, decennali ſtudio, peritiam ita abſolutè fuit adeptus, vt non modò coætaneos ſuperaret, ſed non videretur habere æquales, & non ſolùm ſtudentes, ſed & doctores quoq; ipſi, ab eius ore pendere non erubeſcerent. Anno ætatis ſuæ trigeſimo Diaconus factus, diuinis humaniſque litteris egregiè eruditus, concionatoris oneroſo honore auctus, in Eccleſiâ Chriſti tantâ præfulſit prudentiâ, vt in Vicarium Generalem familiæ Ciſmontanæ ſit delectus: vnde etiam ob ſingularem in rebus agendis prudentiam, à multis Summis Pontificibus, præſertim Nicolao Quinto, ad diuerſa munia, pro Eccleſiâ Romanâ obeunda, adhibitus eſt. Scripſit

Quando ſit natus.

Diuinis humaniſq; litteris cultus.

Opera eius.

De dignitate Eccleſiaſticâ ad Nicolaum V. Pont. Rom.
De illuſtrandâ conſcientiâ.
De vſuris & contractibus.
De cenſuris.
De pœnis inferni & purgatorij.
De caſibus & pœnis iniungendis.
De reſtitutionibus & contractibus.
De matrimonio.
Item epiſtolas nonnullas.
Item in Regulam fratrum Minorum.
De Conceptione B. Virginis.
De cupiditate. *lib.* 3.
De Paſſione Domini *lib.* 1.
Contra Huſſitas *lib.* 1.

Scripta eius cõtra Ioannem Rochezanam Huſſitam.

Scripſit quoque ad Principes Bohemiæ, quos hortatur, vt pro celebrandâ dietâ ad Caſurgem conueniant. Scripſit contra M. Ioannem Rochezanum hæreticum Bohemum, & fautorem hæreticorum. qui delectus Archiepiſcopus Pragæ, fratres Minores ſuâ ciuitate eiecerat. Dormiuit in Domino anno 1459. in ciuitate Wilakâ diœceſis Quinque eccleſienſis, tumulatuſque eſt in clauſtro B. Virginis apud Minores, &c.

CAPITVM SERIES.

I. Genus eius, patria, parentes, educatio, ætatis primæ ſtudia.

II. Peruſiæ ſeditione motâ, carceri incluſus ad inſtitutũ Seraphicum capiendum diuinitus fuit monitus.

III. Vitam in melius commutans, patrimonium diſperſit in pauperes, miro ſchemate, mirantibus Peruſinis factus Minorida.

IV. Virtutes eius à profeſſione, atque laudabilis conuerſatio.

V. Vitæ B. Viri tenor vnam prementis viam.

VI. Magnus fructus frequentium eius concionum, quæ miraculis à Deo fuerunt confirmatæ.

VII. B. Ioannes S. Bernardino Senenſi vſus magiſtro, multùm in pietate promouit, & illius in D. Virginem affectus.

VIII. Nominis Ieſu oſtenſio S. Bernardino vſurpata, fuit grauiter à B. Capiſtrano defenſa.

IX. Quemadmodum ſupra caput S. Bernardini laudes D. Virginis prædicantis Aquilæ, viſa eſt ſtella: ita ſupra caput B. Capiſtrani, cùm ibidem de B. Mariâ concionaretur, conſpecta fuit.

X. Ab Eugenio Quarto miſſus, legationem ad Burgundiæ Ducem obiuit, ne Amadeo Antipapæ adhæreret.

XI. Ad Germanos vir beatus à Pont. miſſus eſt in arma mouendos contra Turcas· ad Bohemos ab hæreſi ad fidem Catholicam reducendos.

XII. Hæreſis Ioannis VVicleſi Angli à Bohemis exſucta, peſtis fuit Bohemiæ, & propemodum totius Germaniæ.

XIII. Ioannes Hus VVicleſi hæreſeos prædicator multos magnates in errorem pertraxit, & è Clero Hieronymum à Pragâ, Iacobellum Miſnenſem, alioſque: qui aſſeruere, Communionem ſub vtraque ſpecie laicis neceſſariam eſſe.

XIV. Conſtantienſe Concilium, tollendo ſchiſmati, diligentiâ regis Sigiſmundi coactum: in quo Hieronymus à Pragâ, Ioannes Hus in hæreſi pertinaces combuſti ſunt.

XV. Hæretici mortem Hieronymi Pragenſis, & Ioannis Huſſij Magiſtrorum ſuorum, duce Ioanne Ziskâ cæco, cœnobiorum, templorum, agrorum, vrbiumque vaſtationibus crudeliſſimè vindicauerunt.

XVI. Huſſitæ peiores in dies magis ac magis, ad Baſilienſe Concilium euocati, diſputando victi, ſe ſemper viciſſe mentiti ſunt: qui ſumto à Catholicis bello, ſuperati ſunt & cæſi.

XVII. *Ioannes Rokyſana Huſsitarū hæreſin pene exſtinctam ita Pragæ reſuſcitauit, vt illa inualeſcens penitus extirpari nequierit.*

XVIII. *B. Ioannes à Capiſtrano miſſus à Pont. in Germaniam, inſidens pallio cum ſocio Padum traiecit: vbique magno honore acceptus vehementer Ordinem promouit, & concionando fructificauit.*

XIX. *Kazimirus Poloniæ rex, &c. Beatum Capiſtranum ad ſe magnopere, ad populos ſuos viſendos docendosque, inuitauit per epiſtolam.*

XX. *Ex Morauiâ B. Vir in Bohemiam veniens, litteras à Nicolao V. Pont. accepit, quò magis in vineâ Domini fructificaret.*

XXI. *Ioannes Rokyſana Huſsitarum antagoniſta, prouocat in dolo Beatum Capiſtranum ad diſputationem, promiſsâ fide publicâ. Capiſtranus cùm non poſſet venire, miris ab illo petitus eſt conuitijs.*

XXII. *Cùm probiberetur aditu Bohemiæ Rokyſanæ techmis, vrbes præcipuas obiens Germaniæ Noribergam euocatur: & Magdeburgi concionibus igneis auditores moti, vana ac ludicra publicè cremauerunt.*

XXIII. *Conſtantinopolis expugnatio propter hæreſin à Rom. Pont. Græcis prædicta: in quâ Imperator Græcorum cum Imperio periit. & miſere vaſtata ciuitas à Turcis, qui breui magnam orbis partem Chriſtianis ademerunt.*

XXIV. *Nicolaus V. Pont. in ſacram militiā contra Turcas, ſub S. Crucis teſſerâ multos excitauit in Germaniâ, concionante B. Capiſtrano: qui Auguſtæ Vindelicorum, Lipſiæque ſermonibus calidis, vana ludicraque publicè comburi fecit.*

XXV. *Cracouiæ in nuptijs Poloniæ regis Kazimiri, B. Capiſtranus diſcidia componens, honore acceptus maximo, multis miraculis doctrinæ ſuæ veritatem, & vitæ ſanctitatem comprobauit.*

XXVI. *Viennam Auſtriæ rediens euocatur in Nouam-ciuitatem, ad Principes in Comitijs aduerſus Turcas concitandos.*

XXVII. *Calliſtus III. Nicolai V. ſucceſſor, votum concepit aduerſum Turcas: cuius gratiâ Legatos & Prædicatores, inter quos B. Capiſtranus ab eo Cruce donatus, quaque verſum deſtinauit, meridie campanarum ſonitu fundi preces in hoſtes inſtituens. Ioannis Huniadis Coruini contra Turcas victoria.*

XXVIII. *Magnam Turcarum Imperator expeditionem parauit in Hungariam. Ioannes Huniades à B. Capiſtrano eiuſque ſocio Iacobo contra Turcas incenſus, vtrumque ſecum in Hungariam duxit.*

XXIX. Centum quinquaginta millia Turcarum Albam venerunt obſeſſum, Ioannis Huniadis exercitu, & Cruceſignatis B. Capiſtrani fortiter vrbem defendentibus. Huic ſacris operanti, ſagitta cælitus lapſa victoriam præſignauit.

XXX. Alba loco munita & arte, validè fuit à Turcis oppugnata, quorum claßis à Chriſtianis ſuperata.

XXXI. Albam ingreſſo Coruino cum Capiſtrano, Mahumetes vrbē pertinaciter, diſiectis mœnibus, impugnauit, ſextâ die Auguſti.

XXXII. In vrbis oppugnatione conſpecta fortitudo Coruini, Mahumetis inſidioſa per Capiſtranum auerſa conſilia. Hungari militis memorabile factum.

XXXIII. Turcæ magnâ in Albam manu irrumpentes, fortiter ſunt reiecti: caſtra Baſſæi à Crucigeris Capiſtrani cremata. Coruinus machinas capiens & munitiones, Turcas in turpem fugam coniecit.

XXXIV. Parta victoria Diuinæ virtuti tributa: in gratiarum actionem à Calliſto Tertio Pont. Max. ſollennitas Transfigurationis Dominicæ inſtituta. Exceſſus Ioannis Coruini.

XXXV. B. Capiſtranus illuſtratus ſpiritu prophetiæ multa vaticinatus, Huniadis maiori natu filio Ladiſlao mortem citam, natu minorem Matthiam prædixit futurum Hungariæ regem.

XXXVI. B. Capiſtranus nec in morte ſeiunctus à Coruino, triſtior illum præmiſſum ex hac vitâ paullo pòſt ſequutus eſt.

XXXVII. Socius B. Capiſtrani B. Iacobus Picens reuerſus in Italiam Neapoli mortuus, in vitâ, à morte multa ſtupenda miracula patrauit.

XXXVIII: Dies exceſſus B. Capiſtrani. Vilakæ fuit ſepultus, pòſt ab hæreticis in Danubium proiectus: qui multis viuus claruit, mortuus hodieque miraculis claret; quorum hîc nonnulla recenſio.

XXXIX. Inuidens Coruino Ciliæ Comes, regem Hungariæ ad Albam comitatus, ab Hungaris trucidatus eſt: in cuius vindictam ambo Coruini filij capti. Maior natu Ladiſlaus capitis damnatus, ad vaticinium B. Capiſtrani, e viuis intempeſtiuè ereptus eſt.

XL. Ladiſlao rege defuncto, Matthias natu minor, Coruini filius, prædictione B. Capiſtrani, Hungariæ rex inauguratus.

XLI. Annuæ celebritatis honor in diœceſi Capiſtranâ, à Summo Pont. B. Viro decretus.

Commentarius ad Vitam B. Ioannis à Capiſtrano.

BEATI IOANNIS A CAPISTRANO
Ex Ordine Minorum,
VITA.

CAPVT I.

Genus eius, patria, parentes, educatio, ætatis primæ ſtudia.

Pet. Rodul. [illegible] Serap. Relig. Ioanne Capiſt.

Capiſtranũ eius patria. Pater Germanus, mater Capiſtranenſis.

BEATVS Ioannes à Capiſtrano, opido non longe ab Aquilâ, Marſorum vrbe, nobili genere natus eſt, anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo quinto, die vigeſimâ quintâ Iunij, patre heroe quodã Germanico, qui cum Andegauenſium Duce in Italiam venerat; matre vero Capiſtranenſi honeſtæ familiæ atque optimæ conditionis. Et quoniam generis honeſtas propaginem proferre ſolet ingenuam: idcirco defuncto patre, matris tutela educandus traditus eſt: quam, licet puer eſſet, aſſiduè hortabatur, ne ſpretâ viduali vitâ, tranſiret ad ſecundas nuptias. Itaque ſub eius cuſtodiã, cœpit dare operam illis artibus, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari ſolet, optimis imbutus inſtitutis; ob ingenij ſolertiã, acumen, & innatã memoriã vſque adeo liberalibus profecit diſciplinis, vt omnibus relinqueretur firmũ argumentum magnæ futuræ ſegetis ætatis adultæ.

Litteris feliciter dedit operam humanioribus.

Peruſiæ ſtuduit [illegible]

Expurgatâ tirocinij rubigine, Peruſiam ſe contulit, vbi Iuris Vtriuſque peritiam ad decennium ita abſolute adeptus fuit, vt non modò coætaneos ſuos ſuperaret, ſed non videretur habere æquales: cùm non ſtudentes modo, ſed & Doctores conſilium ab eo capere non erubeſcerent.

CAPVT II.

Peruſiæ ſeditione motâ, carceri incluſus, ad inſtitutum Seraphicum capiendum diuinitus fuit monitus.

Pet. Rodul. vbi ſup.

A Peruſinis captus incarceratus fuit duriter atq; iteratò.

QVI cum redire vellet in patriam, tantum accepturus pecuniæ, quantũ ſufficere poſſet ad aſſequenda Doctoratus inſignia; orto diro ſchiſmate inter Peruſinos & Malateſtas: ſtuduit eos ad concordiã adducere, & ad ineundas pacis conditiones: quod prudenter feciſſet, niſi captus à Peruſinis in caſtro Bruſæ fuiſſet aſſeruatus anno milleſimo quadringenteſimo tertio decimo: vbi iacebat inglorius, qui imperioſè gloriari ſolebat. Deinde cùm à carcerem liber euaſiſſet: à quodam agricolâ valido clamore patefactus, iterum captus eſt, turriq́ue ſtrictioribus vinculis conſtrictus librarum quadraginta duarum ponderis, vbi parum panis & aquæ vix ad ſufficientiam ſubminiſtrabatur. At diuinitus turrim videns in quâ erat, ſplendore quodam inſolito circumfuſam: tanto timore percitus fuit, vt inſtar coronæ caput illi detonſum videretur; audiuitq́ue vocem cuiuſdam fratris ex Minorum Ordine; Quid ſtas? quid moraris? quid præſtolaris ſuperbe? quo inſigni portento intellexit ſe debere Fratrum Minorum habitum aſſumere: tantumq́ue eo viſo ſpiritum concepit, vt ei caro & mundus penitus deſiperet.

Diuinitus eſt monitus ad Ordinem Seraphicum capiendum.

CAPVT III.

Vitam in melius commutans, patrimonium diſperſit pauperibus, miro ſchemate, mirantibus Peruſinis, factus Minorida.

Pet. Rodul. vbi ſup.

Peruſia ſtupendo pœnitentiæ exẽplo ingreſſus Ordinem Minorum.

E Carcere liber, reuerſus eſt in patriam: vbi venditis quæ habebat, pauperibuſq́ue diſtributis, rediit Peruſiam ſordidis & lugubribus indutus veſtibus, per mediam vrbem vectus aſello, tiarâ papiraceâ redimitus, in quâ ſcripta erant ſua peccata: quæ res non paruam Peruſinis, qui eum in faſtigio dignitatis nouerant, admirationem attulit. Paullò pòſt, annum ætatis trigeſimum agens Peruſiæ ingreſſus eſt Ordinẽ S. Franciſci: ſed bis tamquam inſanus & emotæ mentis fuit à fratribus, vt eius conſtantiæ periculum facerent, expulſus: ſed tãdẽ a F. Marco Bergomenſi Guardiano loci receptus. Nec vana fuit F. Antonij Perets Generalis prædictio, quâ eũ Ordinis decus, & totius Religionis exemplar futurũ præuiderat.

Ibidem.

Bis ab Ordine reiectus, tertiò receptus.

CAPVT

CAPVT IV.

Virtutes eius à profeſſione, atque laudabilis conuerſatio.

Indidem. *Inſignes eius humilitas.*

POST *profeſſionem ex humili factus humilior, ex feruente feruentior, verrebat pauimenta, lauabat coquinæ paropſides, ſeruiebat fratribus, oſtiatim quærebat panem. Cibi & potus parciſſimus erat, vt vix poſſet vitam transigere. Si quid autem de menſâ ſupererat, volebat pauperibus impendi, illud ſæpe repetens, Si pauci, paucis: ſi multi, multis affluamus bonis. Humi cubabat ſuper nudam tabulam. Vacabat orationi aſſiduè, dum per tẽpus licebat. Ab ingreſſu eius ad Ordinem, niſi ſemel in die comedit: & ne qua via hoſtilibus inſidiis pateret, ieiuniorum, & vigiliarum frequẽtiâ carnem ſic compreſſit edomuitque, vt quotidianis laboribus vix ſufficerent vires, contemtiſſimiſque eſcis & potionibus famem ſitimque depelleret. Habitabat anguſtè, craſſiore arctioreque veſtitu vtebatur. Magna inerat ei pecuniæ contemtio: ob eamque rem omnes fere voluntariam eius paupertatem admirabantur, cui erant crebræ lachrymæ, honorum fuga, ſumma in Prælatos Eccleſiæ reuerentia, ſuauis in omnes humilitas. Ambulabat nudis pedibus, aſpero cilicio indutus, domeſticum hoſtem frænabat.*

Aſperitas in ieiuniis & vigiliis.

Summa paupertas.

CAPVT V.

Vitæ B. viri tenor vnam prementis viam.

ATQVE hæc quidem primordia fuere primogeniæ pietatis, quam e veſtigio conantem ad altiora, maiores virtutes conſequutæ ſunt. Referam ex Hartmanno Scheydel, qui B. Ioannem Noribergæ coram vidit: qualis deinceps eius vitæ tenor fuerit, nempe continuus & per omnia ſibi ſimilis, tum maxime cùm ex Italiâ gentium multarum ſaluti ad exteras regiones excurreret, ait: *Vitam in hunc modum duxit. Veſtitus dormire, ante lucem ſurgere, Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam orare, diuina deinde celebrare; his peractis ſermonem ad populum Latine pronuntiare. Poſt hæc interpres quæ dicta ſunt ab eo, quantum capax fuit, exponere populo, finito ſermone ad cœnobium Ordinis ſui reuerti: ac ſextâ ac Nonâ cõpletis, infirmos viſere, diu apud eos morari, manus omnibus imponere, birretum Sancti Bernardini & cruorem, quem illi mortuo è naribus fluxiſſe ferũt, ſingulis ægrotantibus admouere: precari ſupplex pro omnibus, exinde cœnare: demum his qui ſe accedebant audientiam præbere. Mox veſperas dicere. hiſque completis ad ægrotos reuerti, atque cum his vſque ad noctem ſe exercere. Cumque demum Completorio, & aliis delectis precibus expletis corpus quieti daret, minimum eſſe, quod ſomno, fermè nihil: ad reuiſendos S. Scripturæ codices puſillum furari temporis. Sic homo quaſi cæleſtem vitam agere in terris immaculatam abſque ſorde.*

Chron. Sextâ ætate mundi, ex quo A. Krantz lib 11. metrop. c. 51.

Series & ratio totius vitæ.

S. Bernardini birretum eius cruorem & cinctum ægris applicauit.

CAPVT VI.

Magnus fructus frequentium eius concionum, quæ miraculis à Deo fuerunt confirmatæ.

VITAM igitur cùm duceret omni virtute conſpicuâ, & ſingulari doctrinâ nobilem: Ioannes necdum initiatus Sacerdotio, miſſus in Dominicam meſſem, magnâ cum admiratione audientium, & fructu cœpit concionari. *Fuit ei vox clara, ſermo purus, lingua diſerta:* & ad ſummam; *quadraginta annis ſacras habuit conciones ad Chriſtianos, Iudæos, Saracenos, & alios, magno plauſu & frequenti auditorio: ſolus viri aſpectus mouebat auditores.* Enimuero; *arido & exili erat corpore: ſolâ cute & neruis oſſa hærebant, ſpiritu vegetante.* * *Fertur energiam in dicendo habuiſſe mirabilem, vt ſemel pro Rom. Eccleſiâ duodecim millia hominum ad fidei veritatem reduxerit. Garellum Hebræum Rom. Synagogæ principem traxit cum aliis quadraginta ad lumen fidei Chriſtianæ;* alioſque plurimos in VValachiâ, Ruſciâ, aliiſque nationibus concionando, Chriſto lucrifecit, maximè in Germaniâ, poſtquam totam Italiam ſideris inſtar pererraſſet & illuſtraſſet docendo. *Cum aliquando prædicaret populo Tiburtino in horto fratrum Minorũ, cicadæ impediebant diuinũ verbum: quæ indicto ab illo ſilentio ſtatim euanuerunt. In eccleſiâ S. Angeli Lauciani prædicans ſilentium imperauit hirundinibus, quæ ſuo garritu impediebant, & ſtatim illæ receſſerunt. Venetiis cum ex Apoſtolico præcepto cõcionandũ ei eſſet, nec populus vellet audire, exclamauit: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: atque ita tantus populi concurſus fuit, vt non ſufficeret ampliſſimũ forum S. Pauli: cum etiam quidam puer de Mergeriâ contractis manibus & pedibus, ſanus receſſit Crucis ſigno ab eo conſignatus.* Tantâ ſanctimoniâ inclaruit, vt Nicolaus Papa Quintus ali-

Pet. Rodul. lib. 1. hiſt. Seraphicæ. *Multos fidei & Chriſto lucratus eſt.*

A. Krantz lib 1. Metrop. c. 51. * Pet. Rodulp. vbi ſup.

Pet. Rodulp. indidem. *Miracula in prædicatione patrauit.*

Cant. 8. 7.

Indic. apud Pet. Rodulph.

quando dixerit. *Si contingeret eum tempore meo diſcedere: aſcriberem eum catalogo Sanctorum.*

CAPVT VII.

B. Ioannes S. Bernardino Senenſi vſus magiſtro, multum in pietate promouit: & illius in D. Virginem affectus.

.Bernardi- i fuit diſcipulus & imes.

PERMAGNI refert & intereſt iuuentutis imbuendæ diſciplinis optimis, quo vtatur præceptore: cùm ille ſit inſtar ſtaminis & pali, ad quem ſe mores erigant diſcipulorum. Ioannes dirigente Deo nactus S. Bernardinum Senenſem Ordinis fratrum Minorum, virum omni opinione maiorem, illius factus diſcipulus, illo magiſtro multum profecit: ab hoc Sole trahens colores omnium virtutum. Pertinax & aſſiduus comes eius fuit & auditor: de quo Capiſtranus ipſe hoc elogium ſcripſit: *Creuit quotidie in Bernardini tenello ſanctoque pectore, erga Virginem benedictam feruens & ignita deuotio: vt, cùm in feſtiuitatibus eiuſdem B. Virginis ſermocinaretur ad populos, & laudes explicaret Virginis glorioſæ: tanto accenderetur feruore, vt facies eius, tamquam alicuius Seraphim, ſolari videretur irradiare fulgore: prout ego ipſe qui hæc dico, proprijs oculis aſpexi, quandoque & alij quamplurimi ſæpius id viderunt.* Felix eiuſmodi contubernium proborum: cùm idem & docenti & diſcenti propoſitum ſit: *vt ille prodeſſe velit, hic proficere.* Et verò B. Ioannis vita, moresque declarauere, quātum illo doctore promouerit in ſanctitate.

n Vitâ Bernardi- ni tom. 1. per S. ernardi- .

Bernardi- is cum de Mariâ ceret, fa- s ſolis in- ar radia- t.

CAPVT VIII.

Nominis Ieſu oſtenſio S. Bernardino vſurpata, fuit grauiter à B. Capiſtrano defenſa.

NOBILE par amicorum, S. Bernardinus, & Ioannes B. Capiſtranus, amici, ſinceræ fidei conciliante virtute, per mutuam caritatem adeò fuere deuincti, vt alter ſe diſcrimini, in quo verus probatur amicus; obijceret pro altero. Etenim cùm nihil tam ſacrū, nihil tam integrū atq; ab omni vitio tam purum ſit, cui liuore malignorū, calumnia nō ſtrui poſſit: etiā vir ſanctiſſimus Bernardinus, cùm à cōcionibus ſuo more, ſalutare nomē Ieſu, aureis literis in ſole ſcriptum auditoribus demonſtraret adorandum: quia nouum id, ſed tamen pium; adeò calumnioſe fuit acceptum, vt à Martino Quinto Pont. Romam arceſſitus, inuidis ſtruentibus in hæreſeos ſuſpicionem duceretur. Sed cùm in eius doctrinam & mores diligentiſſimè fuiſſet inquiſitum: doctiſſimis viris, atque Ordinis Franciſcani diuiniſſimis Theologis, illum propugnantibus, S. Bernardinus ſententiâ Pontificis tandem ab omni ſiniſtrâ ſuſpicione dictus fuit liber. Inter Franciſcanos D. Bernardinum defendentes, eminuit B. Ioannes: *cui cùm eſſet datus diſputandi locus, tam ſtrenuè fuit argumentatus, vt nullus auſus fuerit quicquam obijcere: in cuius rei memoriam ordinata fuit proceſſio ad honorem nominis Ieſu. Vnde maiori honore & reuerentiâ B. Ioannes fuit habitus apud illuſtres viros.*

S. Bernardino ſena calumnia ſtructa.

A B. Capiſtrano publicè deterſa. Pet. Rodul. vbi ſuprà.

CAPVT IX.

Quemadmodum ſupra caput S. Bernardini laudes D. Virginis prædicantis Aquilæ viſa eſt ſtella: ita ſupra caput B. Capiſtrani, cùm ibidem de B. Mariâ concionaretur, conſpecta fuit.

CVM S. Bernardinus, biennio ante mortem, in plateâ S. Mariæ Collis Maij Aquilæ, pro concione frequentiſſimâ tractaret illud Apocalypſis: *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarū duodecim*; ſingulas Deiparæ Virginis adtribuens virtutibus ſtellas: ſub meridiem viſa fuit publicè ſtella Sole ſplendidior cælitus demiſſa ſuper caput S. Bernardini: atque tum ex aduerſum, faciem eius mirandum in modum irradiaſſe: indicans virum ſanctum audiendum eſſe & ſequendum. poſt exceſſum B. Viri, ſimile cōtigiſſe B. Ioanni à Capiſtrano, cùm eodem loco laudes Beatę Virginis matris prædicaret, verbis ipſius Capiſtrani commemoro: ſic habet; *Nec paruipendendum eſſe conſidero, quòd cùm felicem S. Bernardini obitum, in inſulâ Sicilia tunc exiſtens ex mandato ſanctæ memoriæ Eugenij Papæ Quarti, ſenſiſſem; ad Aquilanam ciuitatem pergens feſtinanter, vt tanti Viri ſignis magnificis*

Cap. 12. 1.

Stella fulgida ſup. caput S. Bernardini concionantis de laudibus Beatæ Mariæ.

In Vitâ S. Bernardini tom. 1. oper. S. Bernardini ſub finem.

coru-

coruſcantis, diligentiâ quantâ poſſem, canonizationem procurarem: pari modo in plateâ & campo eccleſia ſupradicto, adſtante etiã multitudine populorum, horâ quaſi eâdem, ibidem apparuit ſtella praſulgida; in quam adſpicientes qui aderant, cum admiratione Alter alterum excitabat: nec tamen eam tunc ego ipſe, qui etiam de B. Virgine prædicabam, ſtellarum differentiam, & varietatem conſiderans; cùm non haberem de apparitione dicta ſtella notitiam per fide dignam relationem: de commotione aſtantium admiratus, quid inter ſe quærerent perſcrutabar, cùm ſtellam ſupra caput aſpicere non valerem; tunc mihi indicauerunt apparentiam eiuſdem ſtella, qua ſuper caput S. Bernardini coruſcauerat, ibidem euidentiſſimè declaratam. cumque caput erexiſſem, eandem ſtellam limpidiſſimè conſpexi, Deo gratias agens, & Virgini benedicta, ſperans & confidens ex diuinâ bonitate, & Virginis benedicta præſidijs me felicem ſucceſſum & lætum effectum in canonizatione ſancti Dei Viri infallibiliter obtenturum. Itaque factum eſt Domino diſponente, vt manè ſequenti ex Aquilâ ad S. Romanam Eccleſiam greſſus dirigens, præfatam ſtellam, tamquam ducem itineris & comitem, pluries in itinere non ego ſolus aſpexerim, ſed quamplures ſocij qui mecum erant. porrò Canonizatio S. Bernardini celebrata fuit à Nicolao Quinto, ſalutis noſtræ anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo IX. Kal. Iunij, pontificatus eius anno quarto.

Eadem viſa ſuper caput B. Capiſtrani.

Etiam in viâ Romam petenti.

CAPVT X.

Ab Eugenio Quarto miſſus, legationem ad Burgundiæ Ducem obiuit, ne Amadeo antipapæ adhæreret.

SANCTITAS igitur eximia B. Viri, & doctrina ſingularis non latuit, ſed vt lucerna ſuper candelabrum collocata, longè diffudit ſui nominis ſplẽdorem, die publicante prudentiam eius in rebus agendis: quæ omnia B. Virum eò produxerunt, vt honeſtiſſimas obierit legationes ad reges & principes magnâ cum laude. Eugenius Quartus Baſilienſe Concilium indixit, ſed pòſt, eius decreto reprobatum fuit: quare *Concilium poſt diutinam moram priuato demum Eugenio, Amadeum Sabaudia Ducem ad Pontificatum elegit, quem Felicem Quartum vocauerunt. Eugenius Pontifex Concilium Florentia celebrauit, in quo Græci, eorum Imperatore præſente, de proceſſione Spiritus ſancti, idem quod Romana tenet Eccleſia, conſenſerunt.* Interim *Eugenius Papa Quartus miſit B. Ioannem ad Philippum Burgundia Ducẽ, ne ſchiſmati Amadei de Sabaudiâ antipapa adhæreret: quem rebus bene geſtis Pontifex voluit Aquilana & Reatina Eccleſia præficere: ſed renuit, dicens ſe paruis oris nolle concludi, cùm ſibi ad diſſeminandum Verbum Dei totius mundi latiſſimum Dominus dediſſet orbem, & hæc quoque fuit ſententiâ B. Bernardini, cuius ipſe fuit præcipuus imitator.* Ceterùm *Fredericus Tertius Imperator, Nicolao Quinto precibus procurante aſſiduis, Amadeum Sabaudia Ducem in Pontificem, ſub nomine Felicis Quarti, per Concilium Baſilea electum coëgit Pontificatum deponere, quem annos nouem, menſes ſex, dies ſeptem tenuerat, relictâ illi Cardinalatus dignitate, Germaniæq; legatione.*

Mat. Palmer Chro. a. 1440. *Eugen. IV. Baſilienſe Concil. coëgit, mox reuocauit.* Pet Rodul. li. 1. Hiſtor Seraph. relig.

Capiſtranus honores Epiſcopatus recuſauit. Mat. Pal. Chron an. 1450.

CAPVT XI.

Ad Germanos vir Beatus à Pont. miſſus eſt in arma mouendos contra Turcas: ad Bohemos ab hæreſi ad fidem Catholicam reducendos.

COMMEMORANDÆ mihi nunc veniunt, quà fieri poteſt, temporum ordine ſeruato, res geſtæ B. Ioannis à Capiſtrano in Germaniâ & Bohemiâ, quorum gratiâ illis in locis laudes conſequutus eſt immortales. Bis videtur miſſus in Germaniam; priùs à Nicolao Quinto Pont. paullò poſt canonizationẽ S. Bernardini: deinde ab eius ſucceſſore Calixto Tertio Pont. ad Germanos in arma contra Mahumetẽ Turcarum Imp. inhiantem Hungariæ, concitandos, cum gentibus vicinis: niſi vir beatus, ab anno ſalutis quinquageſimo primo, ſupra milleſimum quadringenteſimum, vſque ad quinquageſimũ ſextũ, quo Mahumetes infeliciter Taurunum obſedit & oppugnauit, ſideris inſtar cũctas illas prouincias circuiſſe, ſanctitate vitæ, & ſalutaris fidei doctrinâ colluſtraſſe, atq; adeò cõtinuaſſe in Germaniâ, Poloniâ, Auſtriâ, donec ingentẽ exercitũ Cruce ſignatorũ, quẽ ipſe concionibus ſuis coëgit, in Turcas duceret, dicẽdus ſit. Et licet verò B. Vir à Pont. multa habuerit in mandatis: eò tamẽ ſpectauit ipſius potiſſimùm legatio, vt Bohemorum motibus exitioſiſſimis & regno & vicinis prouincijs, ab hæreticorũ furore cõcitatis, compoſitis, cunctos reduceret ad fidem Catholicam, & cõmunionẽ Eccleſiæ Rom. piorum omnium matrem; quod tamẽ pro voto non ſucceſſit: quod ex epiſtolâ Kaſimiri regis Poloniæ, & litteris Nicolai V. Pont. manifeſte colligitur, quæ ſubſequuntur.

A Nicolao V. Pont miſſus eſt in Germaniâ.

Item ad Bohemos ad Eccleſiam reducendos.

Infrà cap. 20. & ſeq.

CAPVT

CAPVT XII.

Hæreſis Ioannis VVicleſi Angli à Bohemis exſucta, peſtis fuit Bohemiæ, & propemodum totius Germaniæ.

DE hæreſi itaque Bohemorum, quæ Huſſitarum eſt, vt nonnulla repetamus altiùs, hiſtoriæ ratio poſtulat. Anno ſalutis Christianæ circiter milleſimo quadringenteſimo, vehemẽter inualuit hæreſis peſtifera Ioannis Wicleſi Oxoniæ in Angliâ, Carolo Quarto Imp. & quamquã ea hæreſis, Londini publicè concrematis wicleſi libris, tum etiam Oxoniæ fuerit condemnata: tamen, vt eſt humanum genus ex ſe malum, ad mendacium & prauitatem magis quàm ad veritatem & virtutem proclinans; plurimi hęreſeos iſtius exitiale venenum ita ſuxerunt, & in alios tranſfuderunt, vt non modò Bohemiæ viciniſque prouincijs excidium & vaſtitatem, ſed etiam toti propemodum Germaniæ dederit anſam deficiendi à verâ religione. factum igitur, *vt poſt mortem VVicleſi, quidam ex diſcipulis eius nomine Petrus Payne Anglus, Pragam cum libris illius profugerit regnante VVenceſlao; eâ forſitan occaſione permotus, quòd ante eum Bohemus quidam genere nobilis, ex domo, quam Putridi piſcis vocant, apud Oxoniam in litterarum ſtudio conſtitutus, libros VVicleſi, quibus titulus eſt, de Vniuerſalibus realibus; inde in patriam ſecum retulit, velut pretioſum theſaurum; quos Pragæ diuerſis tranſcriptionibus multis hominibus communicauit, & iuxta nomen ſuum, putridi hæretici letale virus ciuibus ſuis infudit. Commodauit verò libros illos ijs potiſſimùm, qui Teuthonicorum (vti refert Æneas Siluius) odio tenebantur: vt illi per noua dogmata vexati, Academiam Pragenſem, in quâ præualebant, Bohemis regendam diſcedentes relinquerent*: id quod paulò pòſt dolo Ioannis Hus factum: cùm Teuthonici fruſtra contrà hæreticos auxilio Wenceſlai Regis inuocato, *initio communi inter ſe conſilio ſtatuerunt abire, & alium publicis ſtudijs quærere locum. Requiſiti itaque ab eis Illuſtriſſimi ac religioſiſſimi principes, Lantgrauij Turingiæ, & Marchiones Miſniæ, aſſignauerunt pro publicâ ſtudiorum profeſſione locum perquàm idoneum, celebre oppidum Lipſiam, vbi & ager fertilis & aër ſalubris exiſtit. Turmatim igitur abeuntes Pragâ Doctores & Magiſtri, cum duobus millibus ſtudentum, peruenerunt Lipſiam anno Domini M.CCCC.IX.* Et hæc quidem fuit *prima ruina floris & decoris Bohemici, & primus fructus arboris malæ doctrinæ VVicleſi, per quam ruit alto à culmine Praga.*

Huſſitarum hæreſis VVicleſi eſt.

Io. Cochl. lib. 1. Hiſt. Huſsit.

Ex Angliâ in Bohemiâ ſeminata.

Lib. Hiſt. Bohem.

Teuthonici Magiſtri Pragâ fugientes, Academiã Lipſiæ fundârunt.

Io Cochl. vbi ſup.

CAPVT XIII.

Ioannes Hus VVicleſi hæreſeos prædicator, multos magnates in errorem pertraxit, & è Clero Hieronymum à Pragâ, Iacobellum Miſnenſem, alioſque: qui aſſeruere Communionem ſub vtraque ſpecie laicis neceſſariam eſſe.

PROFLIGATIS itaque Teuthonicis ex Academiâ Pragẽſi, quam Carolus Quartus Imp. inſtitutam à ſe, florentiſſimam filio Wenceſlao Regi inertiſſimo reliquit: tum Ioannes Hus occaſione datâ, dolis & technis pro hæreticorum more inſtructus, inertiâ Regis abuſus, quam pectore coquebat hæreſim, iam vt liberior publicè fundebat à ſuggeſtu. præ ceteris facundiâ valebât in dicendo: & famâ clarus vitæ mundioris, *non ſolùm ſibi conciliabat populum concionibus, & Magnates librorum VVicleſi in vernaculum verſionibus: verumetiam ex Clero magnam ad ſe partem trahebat. Nam plerique diſſolutioris vitæ, alieno ære grauati, & Eccleſiaſtico iudicio propter ſcelera obnoxij, eâ nouitate pœnas ſe ſperabant euaſuros. Nonnulli verò doctrinâ celebres, & morum honeſtate prædititi iniquo ferebant animo, Sacerdotia maiorũ cenſuum ijs committi, qui quamuis nobilitate præſtent, ſcientiâ tamen inferiores longè eſſent. Excæcati itaque inuidiâ, ac nouarum rerum ſtudio, iunxerunt ſe Ioanni Hus, à Catholicâ Eccleſiâ deficientes. Cumque illi in quoſdam vitioſos & indoctos Sacerdotes verè poſſent inuehi: odio & inuidiâ perciti, in omnes generaliter latrare cœperunt, adeò vt etiam Sedi Apoſtolicæ non parcerent. Inter quos ſanè, poſt Ioannem Hus, doctrinâ & eloquentiâ præeminebat Hieronymus Pragenſis, & Iacobellus Miſnenſis, concionatores egregij, qui populum in odium Sacerdotum & Monachorum concitabant.* Itaque procedente tempore cùm regis ſocordiâ malum inualeſceret, *grandis erat vbiq; in Bohemiæ regno diſcordia, maximè in ciuitate Pragâ, vbi noua prædicabant Hus, Hieronymus, & Iacobellus. Nam vltra VVicleſi articulos* (qui quadraginta

Ioannes Hus hæreſim VVicleſi propagauit.

Io. Cochl. l. 1. Hiſtor. Huſ.

Nota nota.

Hieronym. à Pragâ & Iacobellus Miſnenſis ſectatores Huſsij.

Indidem.

quinque damnati leguntur) *nouum ſuperaddidit, De communicandis, ſub vtraque ſpecie panis & vini, in Sacramento Euchariſtiæ Laicis, quidam Petrus ex Dreſdá Miſniæ oriundus; de quo maximè exultabant omnes, quòd reperiſſent iam articulum in Euangelicâ lege fundatum, dicente Domino; Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non habebitis vitam in vobis.* Quapropter ille, cum ſuæ ſectæ concionatoribus communicato negotio, cùm iſti *nouitatem illam auidè arriperent, & in populum latè diuulgarent, vehementiſſimè plebem aduerſus Clerum concitauerunt, tamquam Clerus per inuidiam & contemtum, laicis alteram Sacramenti partem ſubtraxerit, & non dederit eis integrum corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum ...., Itaq; miſerrimè vexabatur Clerus Catholicus, intus & foris, à laicis & à clericis, qui ſeſe Euangelicos vocabant: quinetiam à mulierculis & pueris.* Ita factum, vt ex paruâ ſcintillâ flamma nata ſit, quæ totum populata eſt regnum.

Ioan. 6, 53.
Hæreſi VViclefi addita communio ſub vtraq; laicis non neganda ſpecie.

CAPVT XIV.

Conſtantienſe Concilium, tollendo ſchiſmati, diligentiâ regis Sigiſmundi coactum: in quo Hieronymus à Pragâ, Ioannes Hus in hæreſi pertinaces combuſti ſunt.

ANNO Chriſti M.CCCC.XIV. Synodus Oecumenica fuit inchoata Conſtantiæ, nobili Sueuorum vrbe: *cuius præcipua cauſa fuit, grauis Eccleſiæ vniuerſalis perturbatio per abominabile ſchiſma, quod annis triginta pias fidelium mentes vexauerat; dum Cardinalium diſcordia plures eodem tempore in Romanos Pontifices eligeret.* Nam tres vocabantur, Benedictus XIII. Gregorius XII. Ioannes XXIII. Nec vlla debet ætas obliuiſci, quod Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ Rex, antequam eſſet Imperator ſalutatus, *triennio magnam Europæ partem ipſe peragrârit, dum principes Chriſtianos ac Pontifices adit, quò ſchiſma Chriſtiano nomini calamitoſiſſimum tolleretur: nec alterius Principis opera magis enituit in verâ pietate vindicandâ.* Enimuerò huius ergo peragrauit *primò Italiam, deinde Gallias, Hiſpanias, & Angliam. In Italiâ à Ioanne XXIII. obtinuit, vt Concilium indiceret Conſtantiæ celebrandum: in quo poſteà effecit, vt reiectis tribus iſtis Pontificibus, qui Papæ ſibi auctoritatem arrogabant, vnus legitimè in Concilio crearetur, qui fuit Otho Cardinalis de Columnâ, dictus Martinus Quintus.* Itaque ſchiſmatis tam diuturni tollendi gratiâ Concilium hoc fuit celebratum: atq; adeò non hæreſis Wiclefi irroborantis in Bohemiâ, iam aliquoties prædamnatæ. Sed tamen de rebus Bohemicis cùm etiam ageretur in Synodo, *Patrum mentes ingenti curâ confecit, voluentium animo, quonam modo prouincia ſanari poſſet: placuitque tandem, Sigiſmundo Imperatore ſuadente, Ioannem Hus & Hieronymum de Pragâ ad Synodum vocari, qui tum ceteris eiuſdem regni Doctores, tum populi auctores, ac hæreſum principes habebantur. Venerunt ambo, non tam verecundè aliena diſcere, quàm ſua impudenter ingerere parati; docendi quàm diſcendi cupidiores, & populares amantes aures. Auditi ſunt in conſeſſu Patrum, Ioannes ætate maior & auctoritate habitus; doctrinâ ac facundiâ ſuperior Hieronymus,* ambo in hæreſi pertinaciſſimè obſtinantes, quare latâ ſententiâ, viuicomburio iure merito puniti ſunt. *Sed nec in Huſſium tamen animaduerſum fuiſſet, niſi homo perfidioſus & peſtilens retractus ex fugâ, quam ei Sigiſmundus periculo capitis interdixerat, violatis etiam conditionibus, quas ſcriptis pepigerat cum Sigiſmundo, vim omnem illius diplomatis eneruaſſet. Fefellit Huſſium præcipitata malitia. Iuſſus enim, cùm barbaras in ſuâ Bohemiâ tragœdias excitaſſet, ſemetipſum ſiſtere Conſtantiæ: deſpexit prærogatiuam Concilij, ſecuritatem petijt à Cæſare. Cæſar obſignauit, Chriſtianus orbis reſignauit maior Cæſare. redire ad mentem hæreſiarcha noluit, perijt. Hieronymus verò Pragenſis furtim venit Conſtantiam, protectus à nemine. deprehenſus comparuit, perorauit; habitus eſt perbenignè: liber abijt quò voluit; ſanatus eſt, hæreſim eiurauit: relapſus eſt, exuſtus eſt.*

Io Cochl. lib. 7. hiſt. Huſs.
Conci. Conſtantienſe ad tollendum Schiſma coiuit.

Bap. Ignat Sigiſmun. Imper.

Io. Cochl. vbi ſup.
In quo Sigiſmundi regis diligentia emicuit.

Aen Silu. lib. hiſtor. Bohem. cap. 36.

Hieron. à Praga & Io. Hus ad Concil. euocati.

Edm. Campin. rat. 4.

Viuicomburio damnati ambo.

CAPVT XV.

Hæretici mortem Hieronymi Pragenſis, & Ioannis Huſſij Magiſtrorum ſuorum, duce Ioanne Ziskâ cæco, cœnobiorum, templorum, agrorum, vrbiumque vaſtationibus crudeliſſimè vindicauerunt.

SVCCREVIT igitur ex peſtifero Wiclefi dogmate ſecta Bohemorum, qui Huſſitæ vocabantur, Ioanne Hus, atque diſcipulo eius Hieronymo à

Pragâ

Huſſitæ in vindictam Magiſtrorum, cœnobia diruũt, religioſos occidunt Pragæ.
Al Krant. libr. 10. VVandal. cap 29.

Pragâ præcipuis propagatoribus. Quibus in Concilio Conſtantienſi ſublatis è medio, mortem illorum diſcipuli in Bohemiâ vindicantes, crudeliſſimè Catholicos vexauerunt. *In ipsâ Pragâ facto concurſu, per agmina inuadunt fideles, Carthuſiam adproperant, quos reperêre perimunt, ipſam à fundamentis euertunt. Idem in omnia Religionum loca fecerũt, nulli parcentes ætati aut ſexui; vt erat genus Bohemorum ſemper ferum & crudele; nunc autem accedente perfidiâ hæreticâ adeo incrudauit, vt intolerabile fieret vniuerſis. Magno ſemper odio Religiones illi hæretici proſequuntur, infeſti antè omnes Prædicatoribus & Minoribus, quorum opera periiſſe Ioannem Hus Conſtantiæ querebantur. Magnam Chriſtiani ſanguinis vim profuderunt, magnam Chriſti ſanguini iniuriam intulerunt, magnam reliquis Sacramentis contumeliam.* Nec Pragæ modò hic furor ſæuijt, ſed etiam per totum regnum & longè poſitas regiones peruatit.

Iud c.35.
Exitium à Pragâ in proximas regiones.

Nam *exuſtæ opida, direptæ vrbes & vici, eccleſiæ concrematæ, monaſteria omnium Ordinum (quibus infeſtiores fuêre) penitus deleta, Sacræ Virgines conſtupratæ, occiſi ſine numero Monachi, & Sacerdotes. Nulla vis obſtitit*, ſed neq; potuit: cùm illi ſæpenumerò impares viribus, ſuperatis maioribus euaſère victores.

Io. Cochl. lib 5 Hiſt. Boh ex Aen. Silu. Hiſt. Boh. cap. 38.
Zĩka cum hæreticorũ magnâ manu Bohemiã vaſtat, & vicinas prouincias.

Recens obierat VVenceslaus, cùm Ioannes Ziſka nobilis genere, cenſu tenui, in Curiâ regis à puero enutritus, & bellicis rebus exercitatus, vno carens oculo, quem ſtrenuè pugnans iam pridem amiſerat, infectus Huſsitarum veneno, & rapinarum auidus, collectâ perditorum hominum multitudine, in Eccleſias quæ Pragæ reſtabant, impetum fecit, ſimulacra Sanctorum, & imagines Dei perfregit. Venêre per idem tempus Pragam ex montibus quadringenti circiter viri cum mulieribus, leprâ Huſsitarum infecti; atque in foro ſedentes cibum à magiſtratibus petiêre. Qui metu plebis, quæ aduenarũ miſerabatur, cibaria eis publicitus miniſtrarunt. Ziſka hos ſibi adiunxit: arcem VViſſegradenſem, quæ negligenter cuſtodiebatur, inuadere cupiens, ad locum quem Crucis appellant, profectus eſt. Ibi ſupra qudraginta millia virorum ex hæreticis conuenerunt: qui ſuam multitudinem conſpicati, animum ad omne facinus audacem ſumſerunt. Multa ibi aduerſum Sigiſmundum Cæſarem, quem regium hæredem ſuis conatibus infenſum nôrant, excogitata atq; decreta, quæ ſucceſſerunt ex eorum ſententiâ. Vaſtant Bohemiam, ducunt exercitum in vicinas prouincias: obſidentur ciuitates, & fiunt ſepulchra ſuorum ciuium.

Al Krantz. lib 11. VVandal. cap. 6. & ſeq. Io. Cochl. lib. 5. Hiſto. Huſs.

In ſolâ Morauiâ per vnam æſtatem decẽ vrbes muratas ſubuerterunt. Semper Duce Ziſkâ Huſſitæ victores redierunt. Igitur *victorijs elatior Ziſka, magis ac magis in eccleſias & monaſteria, ac in omnẽ Clerum ſæuiebat: ſtatuas & imagines vbiq; abiecit: Sacerdotes & monachos, qui alicuius erant exiſtimationis apud Catholicos, aut cremabat viuos, aut alijs exquiſitis ſupplicijs interimebat: viliores exſectis teſticulis dimittebat, vt plebi ludibrio eſſẽt... Erat item in nominibus nouis quidam ſuperbiæ in eo faſtus.*

Sæuiunt in Sacerdotes & monachos.

Nam vrbem ædificans pro refugio ſuorum, eamque vndique muniens, nominauit Thabor, à quâ dicti ſunt Thaboritæ: tanquam diuinâ reuelatione acceperint veritates ſuas; quemadmodum in monte Thabor, vbi Chriſtus cum tribus erat Apoſtolis, diuinitus facta fuit transfiguratio Domini. Alij ſimili ſuperbiæ vanitate, ſe Orebitas dixerunt, à monte Oreb, in quo legem à Deo Moſes accepit; tanquã & ipſi præ alijs gentibus nouas veritates à Deo accepiſſent.

Ab vrbe Thabor, Huſſitæ, dicti Thaboritæ.
Mat. 17. 1.
Et Orebitæ.
Exod. 20. 1.

Martinus Quintus Pontifex Bullâ, quã Cruciatam vocat, & Sigiſmũdus Rex, Principes Germanos concitauerunt in bellum contra Huſsitas, quòd etiam Sigiſmundus Rex poſteà contra Ziſkam ſuſcepit: ſed vtraq; fuit infelix expeditio.

Io. Cochl. lib 5. Hiſt. Huſs.

Porrò *Sigiſmũdus videns Ziſkæ cuncta ex animi ſententiâ proſperè ſuccedere, & iam illum eſſe vnum, ex quo res Bohemiæ penderent, clam ſibi eum conciliare tentauit, promittens ei gubernationem totius regni, militiæ quoq; ducatum, & ingens auri pondus quotannis, ſi ſe pro rege agnoſceret, & in verba ſua Ciuitates iurare cogeret. Qui dum iter ad regem iniret, peſte tactus expirauit; Monſtrum crudele & horrendum, quod cùm manus humana conficere non valuit, digitus Dei extinxit. ferunt illum cùm ægrotaret interrogatum, Quonam loco mortuus ſepeliri vellet; iuſſiſſe cadaueri ſuo pellem adimi, carnes volucribus ac feris obijci; ex pelle tympanum fieri, eoque bella geri: arrepturos fugam hoſtes, quamprimùm eius tympani ſonitum audirent.*

Ziſka peſte ſublatus, tympanum ex pelle ſuâ fieri iuſſit.

CAPVT XVI.

Hußitæ peiores in dies magis ac magis, ad Baſilienſe Concilium euocati, diſputando victi, ſe ſemper viciſſe mentiti ſunt: qui ſumto à Catholicis bello ſuperati ſunt & cæſi.

SICVT bonorum gloria eſt, vt quotidiè meliores fiant: ſic prauorum ingeniũ, vt deteriores. Et quemadmodum optimi cupiunt omnium virtutum aſcendere verticem: ita plurimum optant peſsimi, ſcelerum vniuerſorum ſibi palmarium vindicare. Talis erat Ziſka, & quos ſub ſignis habebat.

Serpebat hæreſis exitiale venenum vt cancer: eoque propagauit dormientibus hominibus, vt nō modò Bohemiam intoxicauerit, verùm etiam magnam Germaniæ partem. Martinus Quintus Pontif. Bullâ, quam Cruciatam vocant, aduerſus Huſſitas promulgatâ, fecit vti Principes Germaniæ quadraginta equitum millia contra Ziskam & Huſſitas armauerint, ſed fruſtra. Albertus Auſtriæ Dux Morauiam confinem Bohemiæ, armis & vi coëgit ſtare iudicio Concilij Baſilienſis, quod Martinus Quintus pridem indixerat, & Eugenius Quartus eius ſucceſſor initio comprobârat. Cōcilij fuit opera præcipua, motibus Bohemorum compoſitis, ſeductos miſeros Eccleſiæ matri reconciliare. Principum fide publicâ vocati Bohemi venerunt ad Synodum: *modeſtè interpellantur, ſuper vnione redintegrandâ commonentur: vt Chriſtianâ manſuetudine agant, præſente Chriſto, ad cuius honorem conueniſſent; & vt quietiùs res agatur, ſcripto monentur edere, quibus ab Eccleſiâ diſcrepent. Multa quidem alia ediderunt, ſed quatuor capitum fuere pene omnia.* Barones & Ciuitates Bohemiæ, iam antea concepta, Sigiſmundo Regi præſcripsêre ſibi permittenda: quòd cuncti mordicus in illa conſpiraſſent: *Videlicet, Quòd corpus & ſanguis Domini ſub vtraque ſpecie, cunctis fidelibus per Sacerdotes Domini publicè miniſtretur. Secundò; Quòd Verbum Dei ſine impedimento vbique liberè prædicetur. Tertiò; Quòd dotatio Sacerdotum ſuperflua à Clero debitè abſcindatur. Quartò; Quòd omne peccatum mortale, in quolibet ſtatu legitimè tollatur & deſtruatur, & quilibet in ſtatu ſuo iuxta legem Dei reformetur & reguletur.* Cumulationem beneficiorum Eccleſiaſticorū omnino deteſtantur, licitum eſſe volentes ſubditis corrigere ſuos prælatos: denique cunctis licitam volunt copiam prædicandi. Diſputatum in Concilio diu: *ſed cū præſentes diſputationi Notarij exciperent omnia, ſæpè ruborem retulêre Bohemi, nihil habentes quod obijcerent. Sæpè victi, manū tamen dare recuſant, multis vtentes tergiuerſationibus; & ad ſuos, quod vbique vincerent, referebant.* Itaque ſine fructu diſceſſerunt. Ceterùm cū verbo proceres Eccleſiæ non promouerent: principes viri cum Catholicis gladio cœperunt agere Pragæ, & quidem feliciter, cùm vno die cæſi ſunt ad duo & viginti millia hæreticorum. Mouent Catholici caſtra ſua ad vicinos: Thaboritæ cum Orphanis ingentem cogunt exercitum: ſigna contulerunt Bohemi Catholici, cum Bohemis hæreticis. *immaniſſimum illum exercitum hæreticorum Catholici profligant, cædunt, opprimunt, infinitam ſtragem facientes:* ita declarauerunt Orhodoxi, non poſſe Bohemos niſi à Bohemis vinci.

Baſilienſis Conc. cura Bohemos componere & ad Eccleſiam reducere.
Al. Krant. lib. 11. c. 25.

Ad Concil. Bohemi vocati, quatuor capita ſibi voluere permitti.
Io. Cochl. lib 5 hiſt. Huſs.

Huſſitæ victi in Conc. ſe viciſſe mentiebantur.

Io. Cochl. lib. 8. hiſt. Huſs.
Cæſi à Catholicis.

Al. Krant. libr. 11. VVand. cap. 33.

CAPVT XVII.

Ioannes Rokyzana Huſſitarum hæreſin penè exſtinctam ita Pragæ reſuſcitauit, vt illa inualeſcens penitus extirpari nequiuerit.

MAGNA fit vbiq; lætitia, cùm non ſolùm multi redirent ad Eccleſiam, verumetiam *hæreticorum vrbes plurimæ ſuâ ſponte ſe dedêre Catholicis: abiectâ erroris nube, rediſſe teſtantur Dei fideique clariſſimam ac optatiſſimam lucem.* Ceterùm virus illud hereſeos nō potuit penitus exſtirpari: cū ita fixiſſet radices in ipsâ Pragâ, vt de ſuggeſtu publicè prędicaretur. Erat Pragæ Ioannes, ab opido vbi natus eſt vocatus, Rokyzana, presbyter, concionator Huſſita, qui pro Archiepiſcopo Pragenſi ſe inſinuauit, & miſſus cum alijs multa ad Concil. Baſilienſe, vbi publicè pro Huſſitis diſputauit: factum denique, vt Huſſitæ nullam voluerint inire pacem & vnionem, niſi comprobatis à Concilio, quatuor illorum pręſcriptis articulis, quos pro Euangelio tenebant. Cùm Sigiſmūdus recuperato Bohemię regno, fidem & religionem Pragæ reſtituiſſet: Ioannem Rokyzanam exulare Pragâ neceſſe fuit: mortuo Sigiſmūdo & Alberto eius genero, Rokyzana Pragam redijt, vbi *ſuo more inſaniens, Romanam Eccleſiam, Cardinales, Patriarchas, ceteroſq; per orbem Epiſcopos blaſphemans, apud ſolos Bohemos incorruptæ veritatis inueniri Sacramenta dixit, pretioſiſſimū Chriſti ſanguinem paruulis ac dementibus præbens, Sacerdotes ſuæ temeritati aduerſantes domo pellens, popularibus communionem ſub vtraque ſpecie recuſantibus ſepulturam interdicens. Redeunt damnata tempora in Bohemiam; ſuumq; placitum, ſuum quiſque ingenium recipit, quiſq; ſua dogmata ſparſit.* Rokyzana, fretus principum & nobilitatis fauore, vſurpauit Pragenſem Archiepiſcopatum, omnia pro voluntate ſuâ dirigens & gubernans. Eò ventum eſt, vt à morte Ladiſlai Bohemiæ regis, quem à Rokyzanâ veneno ſublatum nonnulli ſcribunt; vrbs Praga rurſus venerit in poteſtatem Huſſitarum. Feſtos dies agebat Rokyzana publicis indictis proceſſionibus, *in memoriam diuini*

Al. Cran. ...
Io. Cochl. lib 6 hiſt. Huſs.
Idem lib. ... hiſt. Huſs.
Io. Cochl. lib. 10. hiſt. Huſs.

illius

illius beneficij atque miraculi, quo Deus vrbi Pragenſi reſtituit ſalutaris Euangelij veritates, pro quibus tot bella ſuperioribus annis geſſerint ipſi & patres eorum. Vexabantur Catholici in ciuitate, vicini bellis exagitabantur. Verum fuit, vt videmus, Æneæ Siluij vaticinium, *Bohemiam ex integro Sedi Apoſtolicæ non parituram.*

CAPVT XVIII.

B. Ioannes à Capiſtrano miſſus à Pont. in Germaniam, inſidens pallio cum ſocio Padum traiecit: vbique magno honore acceptus vehementer Ordinem promouit, & concionando fructificauit.

HOc ſtatu rerum, anno Chriſtiano, milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo primo, *miſſus eſt in Germaniam à PP. Nicolao Quinto B. Ioannes de Capiſtrano, Ordinis S. Franciſci, Magiſter in Theologia, & Iuris vtriuſque Doctor: qui ad prædicandum Verbum Dei ſingulari gratiâ præditus, magno cum fructu, in plurimis regnis & prouincijs, populis verba ſalutis annuntiauit, extra Italiam vtique interprete vſus. Mira profectò res, vt vir ſexaginta ſex annos natus, tantum itineris facere, tantum laboris ferre, tantum vocis & ſpiritus in dicendo, inueniendo, & exhortando corpuſculo habere potuerit. Capiſtranus ne minore quidem ſanctitate præditum Iacobum Picentem, eiuſdem Collegij Sacerdotem, ſibi ſocium adſciuit. Qui in ſacrâ peregrinatione, cùm Padum ambo trajcere vellent, & à portitore pertinaciſſimè repellerentur; quia interdictô è diuo dogmate pecunia carerent, quam pro naulo darent: in diffuſum ſuper vndas pallium cum comitibus conſedere, & veluti quâdam naufragij tabulâ in ripam alteram, non ſine anxij ſtupore portitoris, diuinâ ope tuto trajecti ſunt.* Cum in Auſtriam & *Germaniam veniſſent, in primis D. Franciſci religionem mirificè propagârunt: multa in Noricis, Germanis & Sarmatis & Pannonibus huiuſce religionis collegia templaque fundârunt, languentem iam Dei timorem, cultumque diuinum inſtaurârunt. Itaque miſſus in Germaniam, vt Nuntius & Commiſſarius Apoſtolicus, atque vt Generalis hæreticorum Inquiſitor, per Carinthiam ac Stiriam venit in Auſtriam, cum tantâ populi reuerentiâ ac veneratione; vt Sacerdotes cum plebe eum velut Legatum Sedis Apoſtolicæ, cum Sanctorum reliquijs obuiam procedentes, ſuſceperint: & complebantur in eo quæ olim Apoſtolis contingebant. Nam pleriq; è populo feſtinabant ad eum, vt vel fimbriam veſtimẽtorum eius tangerent, & ægrotos ante pedes eius deferrent: & planè illud complerent in eo, quod Paulus ad Galatas ſcribit dicens, Sicut Angelum Dei excepiſtis me.* Viennam Auſtriæ veniens, ſummâ cum honorificẽtiâ ſuſceptus fuit à Doctoribus & Magiſtris. Dies ibi quinquaginta continuos concionatus eſt: & quod ipſe ſcribit, tantus fuit populorum concurſus, quantus nec auditus nec viſus dicẽs illis. Inde pergens, Olumutium venit, quę vrbs eſt Morauiæ, vbi *quodam die Dominico (ſicut omnium fuit indicium) eius prædicationibus centum millia perſonarum ſim. interfuerunt,* nec id ſine magno fructu. *In Morauiâ cum multos per Dei gratiam ad Eccleſiæ vnitatem reduxit; quemadmodum teſtatur ipſemet epiſtolâ ad Vniuerſitatem Viennenſem, inquiens; Poſtquam Morauiam ſum ingreſſus, præſtantiſſimi Magiſtri & Doctores; vt debui, ſemper pro viribus contra Bohemorum damnatas hæreſes egi: neque minis neque aliquo timore vnquam à prædicationis officio deſtiti: ſed palàm locutus, omni quo valui ſtudio, ad repellendam illorum damnatam opinionem, qui dicunt; Neceſſarium eſſe ad ſalutem, ſub vtraque ſpecie communicare, me contuli. Quo factum eſt, vt non ſolùm multi Barones, Nobiles, ſed & Sacerdotes, ad plus quam quatuor millia, meis in manib. omnes Huſſitarum errores abiurauerint, præter multos alios conuerſos, qui ſub ipſorum Baronum conuerſorum dominio degunt.* Conſtat ex epiſtolâ B. Viri, tum alijs quoq; argumentis, B. Ioannem nõ diu aliquo delituiſſe loco, cum in Germaniam veniſſet: ſed Auſtriæ & Morauię vicinas prouincias peragraſſe, vrbes præcipuas luſtraſſe. Adijt Brunenſes, Znaimenſes, Patauienſes, Ratiſbonenſes, Egrenſes. Magnificè fuit acceptus ab Illuſtriſſimis Principibus, *Duce Bauariæ Ludouico; Alberto & Ioanne Marchionibus Brandeburgenſibus & Frederico Saxoniæ Duce, atq; ab omnibus & ſingulis ciuitatibus eorundem principum, tantâ cum honorificentiâ, quantâ nemo religioſus hoc tempore,* habitus fuit.

CAPVT XIX.

Kazimirus Poloniæ rex, &c. Beatum Capiſtranum ad ſe magnopere; ad populos ſuos viſendos, docendoſque, inuitauit per epiſtolam.

ERAT id temporis Polonię Rex Kazimirus, religioſiſſimus Princeps,

Marginal notes (left): Ibidem. Ioan. Capiſtranus à Pont. miſſus in Germaniam. — Confin. Dec. 3. Rerum Vngar. 18. Iacobus Picens eius ſocius. — Hi Padum trajicere ... — Io. Cochl. vbi ſup. Nuntius & Commiſſarius Apoſtol. & Inquiſitor hæreticorum Capiſtranus.

Marginal notes (right): Gal. 4. 14. Viennam Auſtriæ venit. — Io. Cochl. lib. 10. hiſt. Huſſ. pag. 377. — Olumutium it, vbi centum millia eum concionantem audierunt. Ibid. p. 375. — Operâ beati Viri plurimi magnates hæreſim Huſſitarum abiurârũt. — Apud Io. Cochl. lib. 10. Hiſtor. Huſſ. p. 377.

qui coniugem duxit minorem filiam Alberti Ducis Auſtriæ, qui gener fuit vnicus Sigiſmundi Regis, Kazimirus Rex pietate & conſpicuâ B. Viri famâ permotus, eiuſmodi literis illum ad ſe vocauit.

Io Cochl l.5.10 hiſt. Huſſ pag 368.

KAZIMIRVS *Dei gratiâ Rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, & hæres Ruſciæ; Venerabili & egregio Viro, Domino Ioanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, patri noſtro ſingulariter chariſſimo.*

Venerabilis & egregie Vir, Pater noſter ſingulariter chariſſime: ſplendorem ſuum Princeps Regum terræ abunde in nos, & nationes Slauorum effudiſſe cognoſcitur, dum pro gentis Bohemicæ reductione, quæ in regionem diſſimilitudinis abiens, varia hæreſum dogmata ſectabatur; te vnum olim ſibi cognitum & probatum, diuinâ mente & ſtupendis operibus inſignem tranſmiſit. Gaudet ob id omnis Aquilonaris plaga, & glorioſo Deo, cum Summo Pontifice Vicario ſuo terreſtri gratias agit, & quidem ingentes: quod de ſalute populi ſui ſollicitus, pro dragmâ decimâ, & oue centeſimâ recuperandâ ſingulare prouidit remedium. Senſiſti quidem & expertus es ſceleratas Bohemorum mentes, concepto & hauſto falſarum doctrinarum veneno, Catholicæ fidei puritatem perſecutas eſſe, & primùm regno ſuo quondam nobili multiplicibus cladibus obruto & tandem proſtrato, vicinis regionibus bella intuliſſe; templa ſuccenſa, virgines ſtupratas, miniſtros & ſeruos Dei occiſos cognouiſti. Tentârunt plures Principes orbis, armis ſectam tam deteſtabilem obruere: ſed caſſi fuerunt multorum conatus, & crebro ſequebatur occulto Dei iudicio Catholicorum clades aut fuga. Tibi gentis prædictæ reductio ſeruata eſt: tibi vni ex alto conceſſum, quod fuit pluribus negatum. Succumbet precibus tuis Amalech, & ſuperbiſſimus proſternetur Golias; populus quoque Domini exercituum liberatus ſaluabitur. Tu autem pater mi, gentis illius reductione, quantum placuerit, expeditâ; ingredi & viſere regnum noſtrum Poloniæ non graueris: ſed per nos rogatus, declina paululum; & nos filium tuum deuotum, precor & per miſericordiam Domini obteſtor, ne prætereas. Eſt nobis regnum Poloniæ, tenaci fide Catholicam religionem obſeruans: eſt & Ducatus Lituaniæ, cuius populos genitor noſter clariſſimæ memoriæ Vladislaus Poloniæ Rex Chriſtianiſſimus, ab idolorum culturâ, ad vnius Veri Dei agnitionem adduxit. Vtriuſque Dominij noſtri populus magnopere te geſtit videre, & tuam præſentiam ſummo deſiderio & ſummâ prece exoptat. Sunt præterea nobis terræ Ruſſiæ latiſſimæ: quæ etſi fidem profiteantur Chriſtianam, in ſectam tamen Græcorum dudum pertractæ ſunt, & illorum ritum pertractant & cuſtodiunt: nec tanto tempore, quod earum lapſum, & ab Eccleſiâ Latinâ ſciſſionem ſecutum eſt, à caligine ceremoniarum ſuarum, quamuis in pluribus Concilijs multi fuiſſent interpoſiti labores; poterant abſtrahi aut auelli. Hi omnes vno ſpiritu te interpellant, vt non deſpicias viſitare illos: vt aggregari in ſinum vnitatis Eccleſiæ ſanctæ Dei per te poſſint. Extant multi, qui ſolâ, immò tui nominis pellecti, renuntiare veteri ſectæ & ritui, & ingredi viam quam monſtraueris, repromittunt. Si te Bohemorum ſolicitat reductio, vt pro illorum ſalute omnes aduerſitates, & pericula ſubire dulce fuerit: multo magis Ruthenorum te moueat deuotio. Nam etſi vtraque gens caligine errorum velata ſit: Ruthenorum tamen faciliorem reductionem tibi ex multis reſpectibus perſuadeas: quoniam natio bonis capida eſt, ſimplex, rudis, & omnis mundanæ doctrinæ expers, quæ errores ſuos debili oppoſitione tuetur: nec illos niſi conſuetudo quædam, & ingenitus illius ritus amor, in quo nutriti ſunt, recognoſcere Summi Pontificis authoritatem, & vnitatem fidei vetat. Diſſolues tamen omnes hos nodos, & vno Sole operum & meritorum tuorum inueteratam diriges & ſecabis caliginem. Veniat tuæ charitati in mentem, Apoſtolorum, quorum veſtigia imitaris, exemplum & forma: quorum nonnulli plures luſtrârunt regiones, ſerendo veritatem Euangelij & doctrinam Chriſti, vt aliquos lucrifacerent. Tu certus quodammodo de præmio laborum tuorum, venire pro ſalute multorum populorum, quorum conuerſio ex te pendet, non faſtidias. Cogita, quantas animas inferes cælo, ſi adueneris: quantas detineri à Sathanâ permittes, ſi venire differes. Accingere igitur, Vir optime, ad viagium hoc, ad quod te vox multarum nationum vocat, ad quod & nos tuam charitatem precibus noſtris inuitamus. Perſuadet hoc tuæ charitati profeſſio tua, perſuadet zelus animarum: compellit amor fidei, & Charitas, & Deus ipſe reſidens in excelſis mandat & imperat. Profeſto ſancti Michaelis proximo, tam regni noſtri Poloniæ, quàm Ducatus magni Lituaniæ Prælati & Barones Parlamentum celebraturi ſunt, res arduas & magnæ importantiæ, quæ bellum aut pacem ſecum vehunt, diſcuſſuri. Precamur te, vt Omnipotentem Deum ſingulari prece orare velis, vt gratiâ Spiritus ſancti corda Prælatorum & Baronum noſtrorum viſitet, eorumque mentes & corda conciliet: vt concordi & vnanimi voto, negotia Regni & Ducatus ordinent, conficiant & gubernent. Datum in Grodek feriâ tertiâ, in Vigiliâ natiuitatis ſanctæ Mariæ. Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo primo. Beatus Ioannes à Capiſtrano, poſtquam in Germaniâ, Nicolai Quinti

B. Capiſtranus Bohemorû gratiâ reducendorum miſſus.

Luc. 15.5.

Exo. 17 11
1. Reg 17. 49.

Rex calidè B. Virum ad ſe inuitat.

Ruſcia Græcanicum Schiſma ſectatur.

Gentium ſ... ... B. Capiſtrano.

Pon-

Pontif. edicto multos ſub teſſerâ ſanctæ Crucis, in ſacram militiam contra Turcas, captâ Conſtantinopoli ferocientes, atque Hungariæ inhiantes, collegiſſet, tandem venit ad regem Kazimirum in Poloniam, vt paulo poſt memorabitur.

Cap. 25.

CAPVT XX.

Ex Morauiâ beatus Vir in Bohemiam veniens, litteras à Nicolao Quinto Pont. accepit, quò magis in vineâ Domini fructificaret.

EXTANT præterea magnorum virorum epiſtolæ, tum etiam Academiæ Lipſienſis & Viennenſis ad beatum Capiſtranum; & aliorum laudationes: ſed non eſt conſilium aſſcribere ſingula, præcipua hiſtoriæ complectenti. Ex Morauiâ Vir beatus ſe contulit Cruminovviam, quod eſt opidum Bohemiæ, cuius gratiâ ſuſceperat hanc peregrinationem: vbi quæ de ſuo ſcripſit itinere ad Ioannem Rokyzanam hæreticum, hæc ſunt: *Fui in Morauiâ pluribus diebus, expectans litteras tuas & nuncios: ſed quia nihil mihi ſignificaſti, ne tempus fruſtra conſumerem, Bohemiam, quam tanto tempore viſere deſiderabam, adiui ſummis cum laboribus. illam quidem illuſtrare & imbuere intendo Verbo Dei, quoad ex alto facultas mihi conceſſa fuerit. Spero adhuc, diuinâ ſuffragante virtute, magno Pragenſi populo prædicare, & deuios ad vnitatem Sanctæ Fidei Catholicæ reducere; vitia explantare, & virtutes ſeminare.* & infrà: *De ſaluo conductu nequaquam confido, cùm viderim litteras magnifici Georgij Gubernatoris Pragenſis ad magnificum Dominum de Roſis, vt me nullo pacto recipere deberet. Quid igitur faceret, ſi me in ſuis manibus haberet? quamquam ex tuâ induſtriâ id factum fuiſſe, facile mihi perſuadeam,* &c. Cùm autem his in locis Ioannes laboraret; quò ex Dominicâ meſſe copioſiores referret fructus, epiſtolam accepit à Summo Pontifice qui huc eum deſtinauerat, cuius hic tenor:

...e Morauia B. Capiſtranus ...it in Bohemiam.

...Cöchl. ... 10. hiſt. ...ſſ. p 371.

...tera Pontificis ad Capiſtranum.

NICOLAVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Ioanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Ind. p 369.

Cùm intellexerimus te in regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauiæ, ac partibus illis adiacentibus, diuino tibi aſſiſtente Spiritu, ſermonibus ac prædicationibus ad populum vigilanter inſudare, & vtiliter proficere; & vt vniuerſorum Chriſti fidelium, qui ad te pro audiendo Verbo Dei confluunt, augeatur deuotio, & dono cæleſtis gratiæ vberius ſe conſpiciant refertos, deuotioni tuæ, omnibus & ſingulis fidelibus, quos prædicationibus tuis, celebrationi Miſſarum, ac diuinis officijs pro tempore intereſſe contigerit; quoties videbitur expedire, de Omnipotentis Dei miſericordiâ; ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius atque noſtrâ auctoritate, verè pænitentibus & confeſſis tres annos & totidem Quadragenas de iniunctis eis pænitentijs miſericorditer relaxandi, illoſque eiſdem concedendi & pronunciandi; Nec non vt omnes & ſingulas vtriuſque ſexus perſonas, quæ ſub vtraque ſpecie communicauerunt, ac alias erroribus, hæreſi & ſuperſtitione inuoluti, à ritu & vnitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ receſſerunt; ſi apertis intelligentiæ oculis, ac per ſacram Scripturam, & doctrinam tuam illuminati de tenebris ad lucem veritatis, prædictis erroribus, hæreſi & ſuperſtitione relictis & abiuratis, qui eorum coram te conciliari, vniri & incorporari voluerint Eccleſiæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, quibuſcunque Excommunicationum, Suſpenſionum, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, Cenſuris & pœnis, in eos tam à Iure quam ab homine promulgatis, quotiens opus fuerit, in foro conſcientiæ duntaxat, auctoritate noſtrâ abſoluendi in formâ Eccleſiæ conſuetâ; & cum ſingulis perſonis eiſdem, & præſertim ſpiritualibus vel Regularibus ſuper Irregularitate; ſi quam huiuſmodi ſententijs & pœnis ligati, celebrando diuina, vel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum clauium, contraxerunt; quodque in ſuſceptis per eas Ordinibus, ipſis tamen per te priùs ad tempus de quo tibi videbitur, ab illorum executione ſuſpenſis, miniſtrare liberè & licitè valeant, eâdem auctoritate diſpenſandi: denique ab eiſdem perſonis inhabilitatis & infamiæ maculam ſiue notam per ipſos præmiſſorum occaſione contractam dictâ auctoritate abolendi, nec non eaſdem perſonas ad honores, famam & ſtatum, priſtinos, in quibus, antea quam præmiſſa contingerent erant, plenariè & integrè reſtituendi & reponendi plenam & liberam, tenore præſentium, concedimus facultatem.... Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo primo, quinto Calendas Nouembris, Pontificatus noſtri anno quinto. Nihil hic de ſacrâ militia Cruce ſignatorum

Condonationes peccatorum ab eo vulgandæ.

A cenſuris Eccleſ. ipſi pœnitentes abſoluendi.

Clerici ab inhabilitate & infamiâ reſtituendi.

cogendâ contra Turcas: cùm in primis B. Viri miſſio Bohemorum, eiuratâ hæreſi reconciliationem ſpectabat cū Eccleſiâ Romanâ; quod literæ Nicolai V. & regis Kazimiri manifeſtè loquuntur.

CAPVT XXI.

Ioannes Rokyzana Huſſitarum antagoniſta, prouocat in dolo beatum Capiſtranum ad diſputationem, promiſſâ fide publicâ: Capiſtranus cum non poſſet venire, miris ab illo petitus eſt conuitijs.

Io Cochl. lib. [illegible] hiſt. Huſſ. pag. [illegible] [illegible] B. Capiſtrano.

DVM ergo huius viri fama, & virtutum [illegible] apud Bohemos diuulgaretur; Ioannes Rokyzana Huſſitarum antagoniſta metuens, ne [illegible] ad Eccleſiæ vnitatem per eum reduceretur: quæſiuit aduerſus eum occaſiones criminandi: & vt eſt hæreticorum ingenium, fraudes miris modis palliauit. Enimuerò Vir Beatus iam tum Olumutij in Morauiâ manens, *quotidiè diligentiſſimè Verbum Dei prædicauit per duos interpretes, vnum Bohemum, alterum Alemannum, rationibus euincens, Non eſſe de neceſſitate ſalutis, vt populus laicus ſub vtraq; ſpecie communicet; ſermones ſuos prodigijs, ac ſtupendis curationibus infirmorum confirmauit.* In Morauiâ *ciuitates & oppida Romanæ Eccleſiæ ritum tenent, & Catholicæ fidei conſentiunt. Barones ferme omnes Huſſitarum labe infecti ſunt. Hic cum Verbum Dei prædicaret Ioannes Capiſtranus, & in errores Huſſitarum vehementiùs inueheretur; Baronis non parui nominis, quem Ezernaboram vocant, ſecuta conuerſio eſt: qui relictâ priore perfidiâ, cum duobus millibus ſubditorum veritatem Rom. Sedis amplexus eſt. Filius eius doctrinâ & moribus clarus, non diu poſteà Olomucenſis Eccleſiæ Pontificatum obtinuit; ea eſt vnica ciuitas Morauorum Epiſcopalis.* Scripſit ad B. Ioannē concionantem in Morauiâ Rokyzana verbis ſuauem epiſtolam, ſed technis plenam. Tria opida præſcribit, è quibus vir beatus vnum dicat, quò veniat diſputaturus cū eo, de Communione ſub vtraque ſpecie, quam Capiſtranus efficaciſſimis argumentis confutabat. Securum eſſe iubet in itinere, publicâ fide promiſſâ. Reſcripſit Vir beatus, nihil magis in voto ſe habere, quàm indicto loco ac tempore ſincere cum illo conferre: quò *[illegible] Sapientiæ radiante fulgore, manifeſta fiant & clara nobis veritatis, & via ſalutis cunctis Chriſti fidelibus illuceſcat.* Rokyzana ſtruxit interim per nobiles, vti beato Viro certum locum diſputationi dicerent, opidū Cruminovviam: diem, feſtum ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ; Iudicem, ſacram Scripturam, atque interim per Gubernatorem vrbis Pragæ hoc egit, vti ille ſcripſit ad Dominum de Roſis, ne Capiſtranum acciperet hoſpitio, ad quem iam diuerterat. Itaque fidei publicæ promiſſæ, beato Viro non erat confidendum. Innotuerāt iam doli Rokyzanæ, nihil minùs quærentis, quàm cū eo publicè ſuper controuerſijs diſputare. Porrò *Ioannes Rokyzana vbi intellexit eum recuſare diſputationem in Cruminovv, triumphabundus apud ſuos inſultabat dicens per conuitioſas litteras, quibus famam & exiſtimationem illius deprimebat*, quod etiam eiuſdem farinæ, talis rei valdè periti complices, vbertim effecerunt. Nec de illius grege ſoli, verum etiam Gubernator Pragenſis, penes quem id temporis Bohemiæ regimen, cui nomen Gregorius Gyrkizo, acribus litteris in beatum Ioannem inuectus eſt, quòd pro tuendâ veritate Rokyzanam epiſtolâ reprehendiſſet. Sed & Morauiæ Capitaneus ſtruente Rokyzanâ, contemtim per epiſtolam vocauit *Monachum, Melancholicum, hypocritam, ſeductorem populi, turbatorem pacis*; talibus [illegible] nomen & honorem illius obſcurans. Et quidem Vir beatus non curauit quæ ſpargebantur conuitia: ſed indoluit præciſam ſpem omnem procurandi Bohemorum ſalutem: cùm etiam poſtero tempore *Rokyzana Fratres ſancti Franciſci, qui per Sigiſmundum Cæſarem, poſt multas Huſſitarum clades, in Pragam reducti fuerant*, profligaſſet, Clero vehementer vexato, fide Catholicâ vehementer oppreſsâ.

Pet. Rodol. [illegible] hiſt. de [illegible] relig. Fr. Iacobo Rodol. Genes p. 191.

Aen. Silu. de Europ. cap. 23.

Baronis [illegible] in [illegible] conuerſio.

Io Cochl. [illegible] Huſſ. p. 371.

Rokyzana Simonis [illegible] diſputationi.

Ind. pag. 371.

Fr. B. Viri [illegible] in [illegible] conſultas.

Ind. p. ſeq.

Io Cochl. [illegible] pag. 388.

CAPVT XXII.

Cum probiberetur aditu Bohemiæ Rokyzanæ technis, vrbes præcipuas obiens Germaniæ, Noribergam euocatur: & Magdeburgi concionibus igneis eius moti auditores, vana ac ludicra publicè cremauerunt.

CONTVLIT igitur ſe Vir beatus, vt alijs prodeſſet, ad vicinas Ger-

manjæ

maniæ ditiones, id quod ex ipſius epiſtolâ ad Rokyzanam manifeſtè colligitur, cùm in hæc verba ſcripſit: *Non improborum calumnia æſtimãdæ ſunt ab ijs, qui pro veritate, fide, religione, pro iuſtitiâ, pro vitijs extirpandis, & virtutibus plantandis certant: quiſque pro ſuo arbitrio in alium dicere poteſt quod placet. Satis mihi eſt, quòd infamiam, quam in me coniecit Rokyzana, tota Italia, Flandria, Burgundia, Alemannia, in quibus iam triginta ſex annos cõtinuò euangelizaui, refellant: vt taceam Angliam, Hiſpaniam, Portugalliã, Cathaloniam, Dalmatiam, Vngariam, Poloniam: quibus quidem regnis omnibus, ac Regibus & Principibus eorundem, ſi non facie, famâ ſaltem notus ſum.* In Germaniâ ſe concionatum dicit, alia regna ſe non vidiſſe, ſed in illis innotuiſſe ſcribit ſuum nomen: quod non gratiâ aut arrogantiâ dixit, ſed ad propulſanda conuitia Rokyzanæ, qui paſſim Virum beatum vocabat *profugum, ſeductorem & Antichriſtum.* Itaque inuitatus Ioannes *Noribergam vrbem Germaniæ petijt, vbi vndique populi motus fuit. Viri & mulieres impetum fecerunt intueri virũ, lachrymas lætitiæ deuotioniſque mittere, leuare in cælum manus, benedicere venienti, laudare mittentem: tangere, oſculari qui propè erant, veſtimenta, veluti cælo miſſum, & Angelũ Dei reſpicere: apud Minores deinde ſui Ordinis Fratres exceptus eſt.* Scribit Hartm. Scheydel Hiſtoricus Noribergenſis, illius æqualis, ſe *beatum virum puſillo corpore Noribergæ vidiſſe, ætate ſenectâ, annos quinq; & ſexaginta natum, ſiccum, aridum, aridum, exhauſtum, ſolâ cute, neruiſque & oſſibus compactum: lætum tamen, & in labore fortem, ſine intermiſſione ſingulis diebus prædicantem, altas ac profundas materias abſoluentem. Ferunt & hunc, Cæſarem Fredericum cupidè audiuiſſe, multiſque ſermonibus eius interfuiſſe; ac veſtimentis eum ſacerdotalibus donatum, cùm apud Viennam & Auſtrales auaritiam calcauit, libidinem ſubegit, & honores ſæculi fugit; tandem eum cum honore dimiſiſſe.* Haud diſſimili reuerentiâ & applauſu Magdeburgi fuit acceptus, quæ nobilis eſt Saxoniæ ciuitas, Archiepiſcopali dignitate quondam decorata. *Ipſius viri, vt ferebant, adſpectus mouebat adſtantes; ipſe dicentis apparatus (nam vernacula noſtra expers Latinâ linguâ vtebatur (in populo energiam fertur habuiſſe mirabilem: cum poſt illum ex fratribus, qui eum multi & præſtantes viri ſequebantur, aliquis interpretaretur populo, quæ ille antè enũtiaſſet, vtriuſque ſermone in quintam horam extracto; cùm prior Ioannes tribus, & qui eum ſequebatur per reliquum tempus diſſereret.* Commouit *vſque adeò populum, vt omnia vana ludorum genera, ſcacos, aleas, & quicquid id generis eſt, conferrent in forum; feminæ toralia & ſtructuras capitis, ac alia redimicula vana vno igne, inſpectante populo, concremarent;* quibus ſimilia in alijs ciuitatibus contigiſſe ad ipſius beati viri conciones, paulò pòſt referemus.

Ind. pag. 376. *Abluis conuitia Capiſtranus.*

Seductor vocatur & Antichriſtus B. Capiſtranus. Indidem pag. 377. Hartman. Scheydel. ſextâ ætate mundi.

Indidem. *Noribergæ magno honore fuit exceptus.*

Magdeburgi quoque. A. Krantz lib. 11. Metrop. c. 39. & lib. 11. Saxo. c. 35.

Tribus horis concionans, vana ludicra cremari facit.

Vide c. 24

CAPVT XXIII.

Conſtantinopolis expugnatio propter hæreſin à Rom. Pont. Græcis prædicta: in quâ Imperator Græcorum cum Imperio perijt: & miſerè vaſtata ciuitas à Turcis, qui breui magnam orbis partem Chriſtianis ademerunt.

CIRCVIBAT igitur pleraſq; Germaniæ nobiliſſimas, maximè ad Aquilonem ſitas vrbes: vt fons dulciſſimarum concionum eius, alibi exſiliret vberiùs, cùm apud Bohemos, fraudibus Ioannis Rokyzanæ, & potentiâ principum, præſertim Gyrzikonis regni Bohemiæ Gubernatoris & Capitanei Generalis Morauiæ, aliorumque multorum Baronum, obſtrueretur. In hac peregrinatione duraſſe videtur vſque ad annum ſalutis noſtræ quinquageſimum tertium, ſupra milleſimum quadringenteſimum: quo Vrbs Conſtantinopolis, exacto Romano, non ſine maximo Chriſtianæ Reipubl. luctu, barbarum Turcarũ Imperium ſubiuit: De quo Nicolai Quinti Pont. Max. vaticinium operæ pretium eſt aſſcribere. *Is vbi vidit à Græcis per impudentiam ſummam reijci decreta Concilij Florentini, litteris ad eos datis, apertiſſimè prædixit fore, vt in Turcarum poteſtatem, triennio exacto, venirent: quod ita prorſus eueniſſe adnotauit Gennadius Patriarcha ipſorum libro, quem aduerſus Græcanicos edidit.* Iterata Græcorum diſſidia cum Apoſtolicâ Romanâ Eccleſiâ, anno memorato, maximè quòd in Spiritum ſanctum nimis impij, ipſum negarent à Filio ſicut à Patre procedere, ſupremum exitium attulit Græcorum Imperio. *In vrbis populatione Conſtantinus Palæologus, & ipſe matre Helenâ genitus, Orientis Imperator, in fuga obtritus, pòſt capite truncatus, regni ſimul & vitæ finem fecit.* Fuit *infinita cædes debacchantium in vrbe captâ Turcarum: profanata ſacra omnia, irriſus & conſputus in imagine Crucis*

Conſtantinopolim à Turcis captam iri, quod Concil. Florentinum reieciſſent Græci, à Pont. prædictum. Tho. Boz. libr 24. de Sign. Ecleſ. ca. 1. ſig 99. *Conſtantinus Imp. obtritus in fugâ.* Mat Palm. Piſan. an. 1453. A. Krantz. l. V Vandal. 12. cap 18.

Chriſtus

Chriſtus Dominus, incenſa eccleſia, occiſi ſacerdotes cum monachis, ſtuprata Virgines ſacra à ſpurciſſimis canibus, omnia ſacra contaminata. Matrona cum puellis ludibrio fuere impuriſſimis latronibus. Deſectum Imperatoris mortui caput, haſtâ ſuffixum in caſtris circumfertur: & vt omnem protinus nobilitatem extinguat: iubet præconis voce nunciari, Quiſquis ſe nobilis ære perſoluto velet redimere, in promto permittere victurum. Erupere de latibulis miſeri ſperantes libertatem: detecti principes ciuitatum ſuo produntur indicio: mox omnes gladio iuſſi feriri. In Chriſti Sacerdotes crudelius victor Mahometes deſæuiens, plebem iuſſit in Aſiam venundari, fœminas & puellas vt mancipia diſtrahi. Sacra templa contaminans, in prædam, vt cætera permiſit: imagines omnes exuri præcepit: nobile ac ſanctiſſimum Æternæ Sapientiæ dedicatum templum ſpurcitiâ Mahometanâ contaminauit. Continuò in Peream Genuenſium Coloniam, Conſtantinopoli vicinam, delatus, tam horrenda commiſit, quæ nec litteris debent commendari. Atque ita tyrannus potitus Græciæ capite, faciliùs cuncta eius membra potuit ſubiugare. *Prima hæc erat illius victoria, quam deinde ſummâ felicitate proſecutus eſt. Nam cùm Venetorum legatus recitauit Carolo Francorum Regi; Turcarum Imperatorem cepiſſe duo Imperia, quatuor regna, & vrbes ducentas. Loquebatur autem de Conſtantinopolitano & Trapezuntino Imperio, & Syriâ, & Armeniâ & Peloponneſo, iuxta quam multas occupauit inſulas, & in his Mytilenem. Albaniam quoque ferè cepit omnem, atque Slauoniam: & hæc quidem omnia nobis, qui Chriſtiano nomine cenſemur, ademit* breui tempore.

In Sacerdotes Turca maximè ſæuiunt.

Philip Cō. Comm. lib. 10.

Mahumetis victoria felix & velox multas gentes ſubiugauit.

CAPVT XXIV.

Nicolaus V. Pontif. in ſacram militiam contra Turcas, ſub ſanctæ Crucis teſſerâ, multos excitauit in Germaniâ, concionante B. Capiſtrano: qui Auguſtæ Vindelicorum Lipſiæque ſermonibus calidis vana ludicráque publicè comburi fecit.

AD *Conſtantinopolitani excidij nuncium, omnium fidelium animi conſternabantur, & præcipuè finitimorum, qui inſtantem propiùs ruinam intuebantur. Nicolaus Pont. Max. ſtudiorum parens, & Catholicæ plebis paſtor pientiſſimus, cùm Pannonijs admodum Myſijſq́; timeret; quibus amiſſis iam de Chriſtianâ Repub. actū eſſe rebatur: ſacroſanctæ militiæ ſaluberrimum promulgauit edictum; quo quidem omnes, qui ſanctiſſimæ Crucis teſſerā in Turcas vltro ſumerent, gratuitaq́; ſtipendia facerent, integrâ delictorum omnium impunitate donauit. Quin & Ioannem Capiſtranum D. Franciſci ſacris initiatum, præterea virum ſanctiſſimum, & ad excitandos ad id populos, dicendi copiâ & vitæ probitate nimis idoneum, in Alemannos, Vngaros, Polonoſque miſit, qui ad ſalutarem expeditionem ſacris declamationibus homines hortaretur.* Ille verò *incredibili ſpiritus feruore per interpretem concionatus, innumerabiles mortales à vitijs ad melioris vitæ frugem vertit, multa millia Cruce conſignauit, & in Mahumetem Turcarum Tyrannum captâ Conſtantinopoli ferocientem duxit: quorum fortem & egregiam operam prælio ad Taurunum Chriſtiana Reſp. probauit. Auguſtæ Vindelicorum anno M. CCCC. LIV. tanto cum fructu viſus auditusq́ue eſt; nam frons, os, oculi, & ipſe dicentis habitus atq; geſtus, ijs etiam qui verba parum intelligerent, quandam ſanctitatis auram videbantur inſpirare: vt, quod & alibi factum graues auctores memorant; auditores vltrò perculſi animis, trabas pictas, chertulas, & alueos luſorios, cæteraq́; id genus inania, certatim ante eius pedes concerperent flammiſq́; abolerent.* Itaque B. Vir iteratò *prædicauit feruentiſſimè per Germaniam: & Lipſiæ prædicando, aleas omnes poſt quendam ſermonem comburi fecit.* Francofordiæ quoq; magno cum fructu prædicaſſe, vbi tum agitabantur Comitia Principum, ex his quæ paulò pòſt enarrabimus, declarabitur.

Ant. Bonfin. Rer. Vngari. dec. 3. l. 8.

Indulgētiā peccator. in ſacram militiam multi loguntur, operâ B. Capiſtrani.

Sancti Auguſtan.

Qui Auguſtæ Vindelicorū magno fructu concionatus eſt.

Vide cap. 22.

Lipſiæ quoque.

Paul. Lig. Chron. Citizen.

CAPVT XXV.

Cracouiæ, in nuptijs Poloniæ regis Kazimiri, B. Capiſtranus diſcidia componens, honore acceptus maximo, multis miraculis doctrinæ ſuæ veritatem, & vitæ ſanctitatem, comprobauit.

IN Poloniæ vaſto regno *Cracouia eſt præcipua regni ciuitas, in quâ liberalium artium ſchola floret. Sbigneus huic vrbi præfuit Epiſcopus, litterarum doctrinâ, & morum ſuauitate inſignis, cui ob ſingulares virtutes Romana Eccleſia Cardinalatus honorem, rubētem pileum miſit.* Rex Kazimirus, cuius ſuprà meminimus, *ad nuptias cōſtitutas feſtinabat, quò etiam frequens Senatus cōuenturus erat. Nonâ die Febr. noua nupta Cracouiam ſplendido comitatu aduenit, à Rege ipſo vnà cùm matre obuiam ei profecto deducta. Poſtridiè contentio inter Archiepiſcopū &*

Aen Silu. de Europâ cap. 25.

Sbigneus Cardinalis B. Capiſtranū in Poloniam euocauit.

Cap. 19. Mart. Crō. l. 22. de reb. Polonor.

Sbigneum Cardinalem fuit de nuptiali ceremoniâ; Vter eius adminiſter eſſe deberet: quòd ille Archiepiſcopus & Primas; hic Cardinalis & Cracouienſis Epiſcopus, vbi hæc agebantur, eſſet. Re diu agitatâ, conuenit tandem vt Ioanni Capiſtrano eum honorem deferrent: qui erat doctrinâ, facundiâ & ſanctimoniâ vitæ pollens; vſque adeò, vt multis miraculis eam comprobaret. Suſceperat autem peregrinationem, Bohemorum maximè ad rectam religionem reducendorum gratiâ: & cùm in eâ re apud Bohemos non multùm profeciſſet, à Sbigneo Cardinali accitus, anno ſuperiori Cracouiam, effuſâ obuiam omni penè ciuitate, cum Sacerdotibus & Epiſcopo, atque ipſo etiam Rege & Reginâ, aduenerat: & poſitâ in foro, ac deinde hyberno tempore, in æde Virginis Matris, cathedrâ, quotidie per interpretem ad populum conciones habebat, & multos ægrotos diuinâ virtute ſanabat; auctorque fuit Sbigneo, vt cœnobium omnium primum in Poloniâ ſuo ſodalitio, ſub arce ad auſtralem partem vrbis, conderet. Huic ergo tunc datum eſt negotium, nouos coniuges ritu ſolemni coniungendi. Sed cùm is neque Polonicam, neque Germanicam linguam calleret, ac Sbigneo muneris eius functionem adiudicaret: Sbigneus vtriuſque linguæ peritus, cedente Archiepiſcopo id peregit. Archiepiſcopus verò ſacris operatus, nouam Reginam inunxit, ac diademate cinxit.

In Polonia Cracouiæ B. Capiſtranus ſummo honore acceptus.

Franciſcanorum in Poloniâ cœnobium primum.

Beatus Capiſtranus luculentam orationem habuit, propoſito themate; *Hæc dies quam fecit Dominus.* Duxit in ſacram militiam Vir beatus ſexcentos equites Polonos; quorum non fuit ignobilis opera contra Turcas, ab Albâ profligatos.

Pet. Rodul. lib. 2. Hiſt. Serap. Relig. F. Iacob. Buſolino. Gen. fol. 191.

CAPVT XXVI.

Viennam Auſtriæ rediens euocatur in Nouam-ciuitatem, ad Principes in Comitijs aduerſus Turcas concitandos.

AGITABANTVR interim diuerſis in locis principum comitia, vti communi conſilio populo Chriſtiano contra conatus Turcarum conſuleretur. Nec B. Capiſtranus officio ſuo defuit: ſed pleraſque ciuitates Germaniæ circumeundo, poſtquam è Poloniâ reuerſus eſt, ingentem exercitum Cruce ſignatorum, ſermonibus & exhortatione comparauit. Viennam Auſtriæ cùm rediſſet, Noua-ciuitas haud procul à Viennâ, Imperiali Principumque conuentui fuerat deſtinata: quò ſe vt conferret, ab Æneâ Siluio, id temporis apud Imperatorē agente, per epiſtolam euocatus eſt his verbis: *Scripta tua iucundiſſima & acceptiſſima mihi fuerunt, quæ te ſoſpitem ac ſuo more lætum in Auſtriam remeaſſe nunciârunt; atque in vrbem veniſſe tibi deditiſſimam Flauiam, quam nūc Viennam dicimus. Scio te illic magno exceptum gaudio, multumque illâ in plebe proficere: eſt enim Vienna aptiſſimus ager, cui & committere ſemen Domini, & multiplicatum ſperare non fruſtra poſſis..... Fateor ego tuam præſentiam in hac ciuitate, & in hoc populo ſemper futuram vtilem: ſed multò magis Eccleſiæ Dei conſules, ſi congregato concilio huc venias. Nam quemadmodū Franckfordiæ mentes hominum ad tuendam religionem tuis ſermonibus erexiſti: ita & in hoc loco, ſi qua tepido & ſomnolentia fuerit, te vrgente atque increpante pelletur. Ego, vt animi mei ſecretum aperiam, & aliquando dicam manifeſte quod ſentio: non ſum ſine magno metu, ne ruant ædificia noſtra, quæ apud Francfordiam ereximus. Titubant, vt video, mentes Principum, torpent reges, languent populi: nauicula piſcatoris grandioribus eliſa procellis in medio mari penè demergitur. flant hinc atque illinc contrarij venti, ſcinduntur vela, frangitur malus, carina dehiſcit: nulla remigibus cura, neque magiſtro ſpes ſalutis eſſe videtur. omnes quaſi attoniti, tempeſtati cedimus. Opus erit igitur ſermone tuo, calcari tuo, igne tuo; excitandi, vrgendi, incendendi ſumus: niſi compellimur benefacere, noſtropte ingenio nihil eſt quòd de Repub. cogitemus. atque vtinam vel compulſi aliquando vigilemus! Aderunt hîc, niſi fallor; ex Alemaniâ, ex Bohemiâ, ex Vngariâ multi proceres; ex Italiâ quoque atq; ex ipsâ Galliâ nonnulli aduentabunt: agetur tuendæ religionis noſtræ negotiū. quæ meditata ſunt, quæ concluſa ſunt Franckfordiæ, in manus recipientur. Tum quæ mens principes noſtros habeat, intelligemus. Si feruere videbimus animos, agemus Deo noſtro gratias, qui ſuam noluit Eccleſiam noſtris diebus exterminari. Laudabit oratio tua fortes ac magnanimos proceres, plenoſque ſpei reddet, ac bene vadentes in curſum prouocabit. At ſi vel timidos vel diſcordes populi noſtri duces inueneris: tunc tuo fungeris officio, tunc ſine ceſſatione clamabis, ac quaſi tuba exaltabis vocem tuam. Accuſabis ignauiam, ſuperbiam criminaberis, auaritiam deteſtaberis: hæ ſunt enim tres pernicioſiſſimæ peſtes, quæ religionem noſtram Turcarū gladio pene ſubijciunt... Eſt igitur mea ſententia, ſi voci meæ placebit auſcultare; huc te demum cōferas, cùm Principes ad diem conſtitutam comparuerint. Eadem quoque Maieſtati Cæſareæ, quam de re hac conſultum habui, mens eſt. medio tempore pulcherrimam excoles Viennæ vineam, vbi iam torcular erexiſti, quod vina in cellam Domini puriſſima exprimit, &c.*

Epiſt. 405.

Viennam B. Capiſtranus rediit.

Qui Franckfordiæ in Comitijs Principum concionatus.

Vocatur ad principes in Comitijs cōtra Turcas concitandos.

Tres peſtes Chriſtianos perdūt.

CAPVT XXVII.

Calixtus III. Nicolai V. ſucceſſor, votum concepit aduerſum Turcas: cuius gratiâ legatos & Prædicatores, inter quos B. Capiſtranus ab eo Cruce donatus, quaqua verſum deſtinauit, meridiè Campanarum ſonitu fundi preces in hoſtes inſtituens. Ioannis Huniadis Coruini contra Turcas victoriâ.

HÆC Æneas Siluius ad B. Capiſtranum, anno ſexageſimo quinto ſupra milleſimum quadringenteſimum, quo mortuus eſt Nicolaus Quintus Pōtif. Max. hactenus *vſus B. Ioanne, in promulgandis indulgentijs, & nationibus in Turcam concitandis*. Poſt Nicolaum Quintum Calixtus Tertius B. Petri ſedem adeptus eſt. *Hic fuit natione Hiſpanus, ex regno Valentiæ nobili genere natus: vnus omnium, qui ſuo tempore ſcientiam Iuris profiterentur, eminentiſſimus... Is vt primùm Pontificatus apicem adeptus eſt: mox animum ad delendam Turcarum & legem & gentem conuertit, votumque vouit*, quod in hanc formam conceptum legimus; *Ego Calixtus Papa Tertius promitto & voueo Sanctiſſimæ Trinitati, Patri & Filio & Spiritui ſancto, Dei Genitrici ſemper Virgini, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, totique Curiæ cæleſti, quòd, etiam ad effuſionem ſanguinis proprij, ſi opus fuerit; dabo operam, & adhibebo omnem diligentiam, quantum potero, iuxta conſilium venerabilium Fratrum meorum, pro recuperatione ciuitatis Conſtantinopolitanæ, quæ, heu peccatis hominum exigentibus! noſtris temporibus occupata & euerſa eſt per* IESV *Chriſti Saluatoris noſtri inimicum, filium diaboli Mahometum & Turcarum dominum. Pro liberatione deinde captiuorum Chriſtianorum, nec non ad exaltationem fidei Orthodoxæ, ad exterminationem diabolicæ ſectæ reprobi perfidique Mahometi in partibus Orientalibus, vbi maximè lumen fidei occubuit. Quòd ſi oblitus fuero tui Hieruſalem: obliuioni detur dextera mea, & adhæreat lingua faucibus meis, ſi non meminero tui, & ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia.* porrò autem *ad eam rem ſolēnes miſit in Galliam, in Hungariam, in Orientem legatos primarios S. R. E. Cardinales... Naualia, quod anteà inauditum fuerat, Romæ, conſtituit, triremes, quas plures ad ripam Tyberis, in ciuitate Leoninâ parauit, armauit, & in Turcas miſit.* Ad hæc etiam *prædicatores per totam Europam ſtatim miſit, qui omnes Chriſtianos in Turcas animarent, quique facultatum aliquid & opum ſuarum ad tantam expeditionem conferrent.* Inter hos fuit B. Ioannes à Capiſtrano deſignatus à P. Iacobo Buſolino Generali Miniſtro, cùm alijs ex Ordine Minorum, facundiſſimis Concionatoribus. Crucem etiam dedit illi Calixtus Pont. quam *pro vexillo hoſtibus inferebat*: atque in concionibus iuxtim proponere ſolebat: vt hoc ſalutari ſigno auditores ad ſacram militiam contra Turcas inflāmaret. *Apparente verò Cometâ crinito & rubeo; Calixtus ad auertendam iram Dei, aliquot dierum ſupplicationes decreuit: vt ſi quid hominibus immineret, totum id in Turcas Chriſtiani nominis hoſtes converteret. Mandauit præterea, vt aſſiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis ſignum dari fidelibus omnibus: vt orationibus eos iuuarent, qui contra Turcas continuò dimicabant,* quod diuino fauore factum eſt. *Ioannes Comes Biſtricenſis*, (qui Huniades, & Coruinus dictus) *vnicus Turcarum metus, ac fortiſſimus noſtræ religionis gladius, triginta duo millia Turcarū ſuperioribus diebus, apud Sendelorum conuicit: Fritzbegum Ducem exercitus vinctum adduxit, cædem magnam fecit: agros hoſtium vſque ad ipſam Zophiam ferro & igne vaſtauit. Mahumetes Turcarum Imperator, hoc accepto vulnere, magnū conflauit exercitum: iamq́; intra Bulgariam in campo ſedebat, hinc Budam, inde Pyrotham reſpiciens, eo propoſito, vt proximo vere regnum Vngariæ popularetur: nihil ſibi dubius, quin terram ac gentem ſibi ſubijceret. Idem quoque & Vngari timebant, niſi cæterorum Chriſtianorum manibus adiuuentur.*

Ioan. de Tvvroc. Chron. Hungar. *Calixtus Tertius Nicolai V. ſucceſſor.* Aen. Silu. de Europâ cap. 58.

Io. Cochl. li. 11. hiſto. Huſsita. p. 396. *Calixti III. Pont. votū contra Turcas.*

Pſal. 136. 5.

Aen. Silu. de Europâ cap. 58.

Io. Cocl l. 11 hiſt Huſsitar. anno 145 p. 396. *Ab eo va ſus miſſu B. Capiſtranus cu alijs ad Chr ſtianos an mādos co tra Turc* Pet. Rodi lib. 2. hiſt Serap. R lig. f. 19 *Crux à Po tif. ei dat quâ fuit ſus pro v xillo.* Plat. Cali Tertio. Indidem. *Quæ campanarum pulſu meri die promo cauit ad preces.* Aen Silu ep. 405. a Ioan. Ca

Ioannis C uini victo ria contra Turcas.

CAPVT XXVIII.

Magnam Turcarum Imperator expeditionem parauit in Hungariam: Ioannes Huniades, à B. Capiſtrano eiuſque ſocio Iacobo contra Turcas incenſus, vtrumque ſecum in Hungariam duxit.

MAHOMETES *autem Conſtantinopolitanâ victoriâ ſuperbus, congregatis ingentibus copijs, è Thraciâ per Triballos in Hungariam properans, centum quinquaginta millia pugnatorū ducere ferebatur: & inflatus opinione*

Aen. Sil Hiſtor B hem. c. 6

ſui,

Tvrca ſumpſit bellum in Hungariam.

Idem de Europâ cap 2.

ſui, tantoque tumens exercitu, nihil dubitare, quin deuictâ Hungariâ, Illyricos penetrare ſinus, atque intima rura Liburnorum, & fontem ſuperare Timaui, verumque caput Italiam, atque Romam vno impetu ſubigere poſſet. Sumens animos immenſos, *in Hungaros expeditionem parare cœpit; quâ per triennium inſtructâ, accerſitis ex omni regno proceribus, cum maximis atque infeſtiſsimis copiis ..... appropinquabat ſpe plenus, & incredibili ſuperbiâ tumens Mahometes, nec iam ſibi vel montes, vel flumina obſtare putabat. Gloriari inter ſuos, Hungariam iam pene victam aſſerere, Latinorum Imperatorem in propinquo eſſe dicere: deleto Græcorum Imperio, Latinorum inſtare finem; Turcis omnia paritura, ſpolia ingentia promittere, Germaniam & Italiam militum direptioni offerre; pernicie cuncta Turcarum armis iactare. Sed quàm glorioſus eius aduentus, tam turpis atque infamis receſſus fuit.* Nam *parua vrbs, & alioquin nobilis, ramos eius conatus retinuit, Taurunum appellauere maiores; noſtra ætas illam vocat Albam, ad confluẽtes Danubij Sauique ſitam: hanc primam oppugnare ſtatuit propter opportunitatem tranſcundi fluminis.* Verùm *Ioannes Coruinus pro diuinâ charitate ſuccenſus, ad exhibendum Ladiſlao obſequium, Viennam profectus; cùm Capiſtrani Iacobique* (quorum *ſuprà mentio eſt) *Sanctitatem prægustaſſet, & ad inferendum Turcis bellum ab his veluti à diuinis interpretibus inflammaretur: compoſitis ibi rebus, ambos in Hungariam ſecum adduxit .... qui maximam Cruce ſignatorum manum coëgere: cùm exitio Conſtantinopolitano intercedente, viri ſanctiſsimi ad contrahenda, ex edicti auctoritate, vndique auxilia multa vehementiùs excitarentur. Quin & pecunias opidatim cogebant: vt è collatâ ſtipe communi ſaluti ſuccurreretur.*

Id cap 65. Hiſt. Bohem

Alua nunc, quæ Taurunum.

Anc. Bõfin. rer Vngar. dec 2 lib 8.

* Cap 18.

Nota.

CAPVT XXIX.

Centum quinquaginta millia Turcarum Albam venerunt obſeſſum, Ioannis Huniadis exercitu, & Cruce ſignatis B. Capiſtrani fortiter vrbem defendentibus. Huic ſacris operanti ſagitta cælitus lapſa victoriam præſignauit.

Ant. Bõfin. indidem.

Turca mouet ad Albam.

DIFFERVNTVR *mox vſquequaque rumores, Turcam ad Albam Græcam, quam Belgradum nunc dicunt, indies caſtra moturum: maximum fortunæ ſucceſſum audaciam addidiſſe, ni occurratur; cuncta propediem ruitura: neque vllam ab hoſte veniam, tolerabilemue conditione ſperari poſſe; Conſtãtinopolitanam cladẽ omnibus exẽplo eſſe. Coruinus autem, qui ad protegendas inferioris Vngariæ oras, regiâ auctoritate conſtitutus erat, neque animo excidit, neque conſilio deſit. In primis Capiſtranũ ad hanc obſidionem ſibi collegam aſciſcit: vt alter humanis, diuinis alter viribus nteretur; conſulit quid potiſsimum videatur agendum. Ille bono animo eſſe iubet, quando non mediocrem Cruce ſignatorum exercitum, è Germaniâ ſe conflaſſe fatetur. quamuis hæc gens Vngarico, ab antiquo, ſit infeſta bello: in communi tamen cauſſâ, & neceſſitate minimè defuturam arbitratur. quin & totam ſe Vngariam, poſt Conſtantinopolitanam captiuitatem, in Turcas concitaſſe referebat. Interim Coruinum cætera quæ ex vſu belli ſunt curare iubet: hæc ſe in tempore auxilia daturum pollicetur: demum ad hanc capeſſendæ immortalitatis occaſionem incendit. Is veteranos omnes, ac alios ſpectatæ virtutis milites cogit, claſſem mirâ alacritate in Danubio parat, cùm Turcam quoque multa in Ponto nauigia paraſſe didicerat. Calixtus Pont. imminentis periculi non ignarus, Ioannem S. Angeli Cardinalem, virum ſapientiâ & magnanimitate præſtantem, in Germaniam Pannoniamq; miſerat: vt Septentrionalis plagæ gentes, quantum in ſe foret, in dirum hoſtem concitaret. Interim rumor affertur Mahumetem centum & quinquaginta millia hominum ad obſidendam Albam ducere: in ſummâ rerum omnium trepidatione verſatur Vngaria. Coruinus & Capiſtranus forti animo, cum ſuo vterque exercitu ad protegendam Albam properarunt, claſſem commeatibus militibuſque oneratam deducunt. Cardinalis Budæ ſubſiſtit, vt apud Regem cetera curaret.* Itaq; *Capiſtranus cum ſuis bellatoribus, vt alter Ioſue procedebat cum baculo, in cuius ſummitate erat ſignum Thau, quo eos animoſiores audacioreſque reddebat. De quo illud memorabile fertur; Cùm celebraret Miſſam ante Belgradum, ſagitta cælo delapſa, in medio aræ, ante oculos ſerui Altiſsimi apparuit, his aureis verbis inſignita;* ESTO CONSTANS IOANNES, *quod quidem prodigium, memorabilis illa victoria mox conſequuta eſt.*

In quam Coruinus B Capiſtranum ſecum duxit.

Ad quam defenſandã vterq; que properauit exercitus.

Per Rodulph. l. 1. hiſt Seraph relig. fo. 11 3

CAPVT XXX.

Alba loco munita & arte, validè fuit à Turcis oppugnata, quorum claſſis à Chriſtianis ſuperata.

INTERIM *à Turcis obſeſſa Alba eſt, quod Idibus Iunii accidiſſe ferunt. Vrbs eſt in angulo ſita, vbi Danubium Sauus illabitur: à Septẽtrione Danubio, ab occaſu Sauo abluitur. Arx monti præſidet loco & arte munitiſſima: ciuitas*

Ant. Bõfin. rer. Vngar. Dec. 3. l. 8.

Vrbis Albæ ſitus.

in amnis vtriuſque ripas effunditur, craſſo muro confluentibuſque confirmata: à continente duplici vallo, foſſâ mœnibuſque munitur. Mahumetes in duo caſtra exercitum diuiſit: altera præter Sauum, quibus Baſſaus Aſiæ; altera præter Danubium, quibus ipſe præerat, ritè locat. In ſuis caſtris tormenta bellica in fronte diſponit, quatit diu noctuque mœnia: nihil otij opidanis indulget. Coruinus & Capiſtranus vrbem acerrimè obſeſſam eſſe ſentientes, claſſem Vngaris Cruceſignatiſque completam ſecundo amne deducunt: vt Albanam arcem aquâ terrâque obſeſſam facto impetu ingrediantur. Quum appropinquauêre, vrbem aſſiduò quati, arcem iactis in altum lapidibus ſubludi, regionem ſulphureo latè fumo caligantem, perpetuas ſeruare tenebras conſpicati, ſociorum miſeratione animos ingentes concipiunt, ad certamen irritati. Trecenti è Polonis erant, qui religionis ardentiſſimæ gratiâ, ſumptâ Crucis teſſerâ ſtipendia faciebant: item Germanorum ingens numerus, qui ſacram expeditionem vltrò ſuſceperant; & certatim vtrique obſeſſis accurrendum eſſe cenſebant. Quare inſtructa claſſe, terreſtribuſque copiis in aciem eductis, ſecundo amne deſcenderunt. Mahumetes bis occurrere auſus ſuam claſſem opponit, ne quid laboranti ciuitati afferant ſubſidij. Collatis in Danubio ſignis pugna conſeritur: effertur immenſus vtrimque clamor, & crepitantium fragore tormentorum Danubius intonat, ac vtriuſque claſſis grauitate ſubgemit. Chriſtiana in quadratum agmen effuſa, ripam vtramque legebat: in ripis quadrata cataphractorum agmina vtrumque claſſo cornu protegebant; in dextro Coruinus, Capiſtranus in læuo trâſidêre. Hic à prorâ Crucifixum amplexus, ac ſupplex ad ſalutare prælium ſuos hortari; promittere diuinam opem, & profanis hoſtibus maledicere. Coruinus acerrimè pugnare, ac exemplo ſuo ad pugnam Vngaros incendere: iubere vt remis incumbant, & ſuffragante Danubio cominus dimicent. Quod vbi factum eſt, mutuis nauigia cathenis vtrique colligant, Coruinus in prætoriam nauem inſiliit, ſequuntur ſocij, enſem latè ducunt, Turcaſque ſaucios, ſemineceſque in Danubium deturbant: idem reliqui faciunt. Feruens vbique colluctatio, multi vtrimque cadunt, cruore Danubius inficitur. Quum ſecundi amnis ſubſidio noſtri niterentur, Turcarum claſſem inclinant, caduntque. Illi obſtante fluuio cedere coacti, proras auertunt: multiſque interceptis nauibus, merſiſque, ceteri ad ſuorum præſidia confugiunt.

Quæ vehementer à Turcis oppugnata.

A Chriſtianis Turcarum claſſis in Danubio victa.

CAPVT XXXI.

Albam ingreſſo Coruino & Capiſtrano, Mahumetes vrbem pertinaciter diſiectis mœnibus impugnauit ſextâ die Auguſti.

Indidem.

CORVINVS fuſâ fugatâq; claſſe, Albam ingreditur; quam armis, milite, commeatibuſque complet, ſaucios ægroſque opidanos educit, arci ſupplementum ſuggerit validiſſimum; obſeſſorum animos recêti victoriâ inſtaurat: & ad propugnandam ciuitatem, vnà cum Capiſtrano viro ſanctiſſimo omnes hortatur. Mahumetes ad nuncium profligatæ claſſis; Quamuis grauius, inquit, noſtro tamen voto omnino potiemur. Quod è claſſe ſuperfuit, incendi iuſſit, atque obſtinatiſſimè ad expugnandam vrbem animum intendit: qui amicorũ verbis etiam accêſus, ſequêti die omnes arma ſumere iuſſit; in tot ordines digerit exercitum, vt perpetuũ prælium côtinuare, & ita ſubinde feſſas acies inſtaurare poſſit: vti nullâ quiete datâ, opidani deficere cogerentur. Sacer D. Sixto erat dies illa, octauo Idus Auguſti, quo deturbatis dudum propugnaculis, ruderibus completâ foſſâ, & obrutis patentibuſque mœnibus, hoſtes in occaſu Solis, vrbem adoriuntur. Obſtant opidani: & quum completos innumerâ multitudine campos ab arce proſpectarent, conſtrataq; latè mœnia cernerent; ſalutem deſperare cogebantur. Nulla maior ſpes & conſolatio, quàm deſperatâ corporum ſalute, pulcherrimè mori. Ioannes Capiſtranus cum D. Franciſci collegio Crucigeros ad ſalutarẽ pugnam hortatur: & Seruatoris noſtri Crucem amplexatus, ſupplex, Dei præſentiam opemque pollicetur. Illi appetere magis quàm formidare glorioſam mortem viſi, ad pugnam promptiſſimi Turcis occurrũt. Vnum his oberat, quòd animo potiùs quàm corpore armati eſſent: gladiis tantùm & lanceis obnitebantur; pauci ſe galeâ & thorace protexerant.

Coruinus Albam ingreſſus vrbem munit animos omnium erigit.

Auguſti ſextâ die Alba à Turcis impugnata.

B. Capiſtrani diligẽtia.

CAPVT XXXII.

In vrbis oppugnatione conſpecta fortitudo Coruini, Mahumetis inſidioſa per Capiſtranum auerſa conſilia. Hungari militis memorabile factum.

Indidem.

DIRA nimis & cruenta ſupra murorum ruinam pugna conſeritur: quãdo illi vi ingredi, reiicere iſti nituntur. Coruinus vbicumque laboraretur accurrens, nunc verbis, nunc factis, omnibus ſpem ſuggerit: timidis & ignauis inclamitat,

Ioan. Coruini in pugnâ militis optimi & ducis officium.

mitat,

mitat, corripitque, ſtrenuos extollit, hortatur vt vrbem hanc, Chriſtianæ Reip. propugnaculum, fortiſsimè tueantur; non deeſſe diuinũ auxilium, Chriſtiq; præſentiam, ſub cuius nomine ductuque dimicatur; imperatoris militiſque optimi præſtans officium. Contrà Mahumetes à tergo ſuis inſtare fortiter; & variante diu fortunâ pugnatum eſt; quando Turcæ ſæpè in vrbem penetrârunt, quando à Chriſtianis magnâ cæede reiecti. pugnatum eſt extremis viribus. Itaque cùm pari ſpe vtrimque dimicaretur, Mahumetes præſentaneum conſilium init; quàm validiſsimo poteſt agmine in vrbem irrumpere, pertinaciſsimeq; tenere. quòd ſi nequeat: hinc reiectum fugam ſimulare, quâ opidanos illectos in campos educat; mox erumpente à tergo dimiſſá equitum multitudine reditũ intercipiat: vti à tergo & fronte Chriſtiani iuxtà cædantur. Quare validiſsimum agmen inſtaurat: ſuperatâ mortuorum ſtrue, quæ in ruinis excreuerat, in ciuitatem, inclinatis opidanis irrumpit.

In vrbem irrumpunt Turcæ.

penetrant in forum, & in medio foro prælium redintegratur. E Turcis plerique in forum ſigna inferunt, altis nonnullis turribus vexilla deponere conantur. Subeuntem cum vexillo Turcam memorant, qui vt ſigna ſui regis, ad irritandos in vrbem ſociorum animos, qui nondum intrò penetrârant, pinnaculo turris imponeret, & ad exanimãdos Chriſtianos Vngarica deturbaret; turrim altiſsimam repentè ſubit. Hunc Vngaricus ilico ſequitur, ac antequam patria ſigna deponeret, cum hoſte in turris faſtigio colluctatur. cùm alio modo id prohibere non poſſet: ſe cum Turcâ quem apprehensârat, ex altiſsimo vertice præcipitem dedit.

Facinus egregium militis Chriſtiani.

CAPVT XXXIII.

Turcæ magnâ in Albam manu irrumpentes fortiter ſunt reiecti: caſtra Baſſæi à Crucigeris Capiſtrani cremata. Coruinus machinas capiens & munitiones, Turcas in turpem fugam coniecit.

Indidem.

Turcæ ex vrbe repulſi.

CORVINVS *in ſummũ periculum adductam vrbem conſpicatus: accitis fortiſsimis Vngarorum, ab arce ruens in forum, Turcas inclinat. hi tanto furore congrediuntur, vt multis in plateâ viciſque cæſis, extra mœnia extemplo Turcas reiecerint. Crucigeri diuinâ ſe ope adiutos rati, adauctis animis extra mœnia prodeunt, & in hoſtes cæde graſſantur. Mahumetes vbi ſe iterum reiectum videt, ex compoſito fugam ſimulat. Inſtant à tergo Crucigeri, & arridente victoriâ pellecti, pertinaciter inſequuntur; iamque ad Baſſei Aſiatici caſtra peruenerãt, quæ in Saui ripâ collocârat. Capiſtranus conſpectis ab arce inſidiis, confeſtim ſuis inclamat, vt retrocedant: cum præ ſtrepitu exaudiri non poſſet, à tergo receptui ſigna dat. contrà illi victoriæ intenti, nihil exaudiunt, hoſtilia caſtra adoriuntur & incendunt.*

Cruce ſignati Baſſæi caſtra diripiunt & incendunt.

Capiſtranus cum Sacerdotũ collegio illuc per medios enſes ab arce decurrit, reuocatque. Mahumetes, qui ad machinarum bellicarum munitiones confugerat, cùm Baſſæi caſtra cremari, diripique conſpiceret: cum equitatu quem à tergo reliquerat, vt reditum opidanis obſtrueret; eò ſuccurrere contendit. Coruinus deſertas à Mahumete munitiones, & bellica tormenta conſpicatus: cum ſociis ex vrbe prorũpens, repente capit machinas æneas adacto mox clauo, partim obſtruit inutileſq; reddit, partim in hoſtes conuertit intenditque. Turca reiectus è caſtris Crucigeris, qui à Capiſtrano reuocati facilè ceſſerant; ad munitionem rediens, à Coruino occupatas comperit.

Coruinus munitiones & machinas capit Turcarum.

Cùm inſtante crepuſculo recuperãdi gratiâ præliũ inſtauraret: obuerſas in ſe machinas inuenit: à quibus cùm grauiſsimè ſocij læderentur, fœdè fugã iniens, non tam elatus animo venit, quàm cõſternatus abiit; qui ſe terrorem orbis edixerat, à paruâ manu victus fugatſque. Sexto igitur & quadrageſimo obſidionis die, diuinâ potiùs quàm humanâ ope vrbs Albana Turcarum manibus liberatur ... Quanta Turcarum clades fuerit, potentiſsimi regis fuga teſtatur.

Fugiunt Turcæ turpiter.

Ferunt *Mahumetem ab eo tempore numquam poſtea eius cladis meminiſſe, quin mentum barbamque demulcens, quaſſanſque caput, ei diei maledixerit, quâ pugnam ad Albam conſeruit.*

Aen. Silu. de Europ. cap. 8.

CAPVT XXXIV.

Parta victoria Diuinæ virtuti tributa: in gratiarum actionem à Calixto Tertio Pont. Max. ſolemnitas Transfigurationis Dominicæ inſtituta. Exceſſus Ioannis Coruini.

CAPISTRANVS & Coruinus inſigni victoriâ potiti, per ſe vterq; ad Calixtũ Pont. de hoc bello ſcripſere, ſuis vterq; litteris tantam victoriam indicârunt; altero nullam alterius faciente mentionem. Quod non arrogantiæ (vt plerique ſentiunt) aſſcribendum, ſiue gloriæ & laudis propriæ cupiditati, ſed Dei honorẽ ſolius ſpectaſſe putandum eſt. Nam *cùm duo duces, alter oratione, manu alter ſtrenuè dimicârit: idcirco hoc ſanctiſsimo viro plerique factum arbitrantur; vt in eo prælio diuinæ potiùs quàm humanæ vires, quod Turcæ non inficiantur, enituiſſe viderentur.*

Ant Bõfin. vbi ſup.

Præ-

Transfigurationis Domini festum in victoria memoriam institutum.
Indidem.

Prælium id atrox & inauditum fuit: quando horis quatuor & viginti sine intermiſſione pugnatum fuiſſe tradunt. Ceterùm ob eam victoriam feſtum Trãsfigurationis Domini Calixtus Pontif. Max. inſtituit, octauo Idus Auguſti celebrandum, quod hodieque Sancta ſeruat Eccleſia. Verùm enimuero, *ne quid vtriuſque ducis felicitati poſſet adiici; ne multis quidem pòſt diebus, diuina vtrumque benignitas, non modò mortali, ſed cæleſti quoque gloriâ donauit, quàm Coruinus prius ſecutus eſt, intolerabili labore belli fatigatus, in æſtuantiſſimam febrem incidens, quâ, Capiſtrano ab eius latere non diſcedente, paucis diebus abſumptus eſt: cuius fatum vniuerſa deplorauit Europa:* & in primis B. Capiſtranus, qui lugens & lamentãs, in amiciſsimi principis obitum, non ſine lachrymis hanc næniam accinuit:

A quâ Coruini velox obitus.

Ioan de Tvvorcz Chron. Hungar. cap. 56.

Salue aureola cæli! Cecidit corona regni. Extincta eſt lucerna orbis. Heu! corruptum eſt ſpeculum, quod inſpicere ſperabamus! Nunc tu deuicto inimico regnas cum Deo, & triumphas cum Angelis, ô bone Ioannes!

CAPVT XXXV.

B. Capiſtranus illuſtratus Spiritu Prophetiæ multa vaticinatus, Huniadis maiori natu filio Ladiſlao mortem citam, natu minorem Matthiam prædixit futurũ Hungariæ regem.

B. Capiſtranus multa vaticinatus prædixit.
Pet Rodulph l. 1. Hiſt. Seraph relig.

QVOD pleriſque Sanctis, Dei gratiâ datum fuit, nempe donum prophetiæ, B. Capiſtranus etiam eſt aſſequutus. *A principio ſuæ conuerſionis prædixit horribile flagellum Dei; Eugenium futurũ Pontificem; Martini Quinti obitum. Nam exiens ab aulâ eius, quodam fulgore preuentus, ait; Hic non videbit lucem ſurgentis auroræ. Prædixit captum iri Alfonſum regem à Genuenſibus. Apud Cæſaream prædixit Epiſcopo Ticinenſi Apoſtolico Legato in Germaniâ, dormitionem Nicolai Quinti.* Verùm in eo prophetiæ Spiritus enituiſſe comprobatur, cùm mirum in modum præſenſit, quæ vaticinatus eſt de duobus filiis Ioannis Huniadis, cuius mortem iam deſcripſimus. *Huic duo filij fuere ſuperſtites, Ladiſlaus & Matthias: alter, qui natu maior, militari diſciplinâ & virtute præſtãs, item ſingulari honeſtate & magnanimitate præditus erat. alter verò minor, ad maiora fortaſſe, quàm pater natus eſſe videbatur. patri demum vterque ſimilis, ne minimâ quidem in re, à paternâ virtute degenerans. Sed vter aut longiore vitâ, aut maiore gloriâ functurus eſſet, Capiſtranus velut diuinitus afflatus, optimè auguratus eſt. Nam cùm cum Coruinus, qui Huniades, aditurus, vtrumque ſecum filium duceret: Capiſtranus Matthiam ſemper ad dextram, ad ſiniſtram Ladiſlaum maiorem natu collocabat. Admiratus pater rei inſolentiam, cauſſam ſciſcitatur. reſpondit ille; Haud abs re id à ſe fieri: quando alter immaturâ morte præreptus emergere non poterit; alter Vngariæ regnum ſortiretur; virtute ac gloriâ cum Alexandro certabit, futurus Chriſtianæ plebis propugnator acerrimus: cui, ſi diu viuere licuerit, omnes orbis Principes ſui admiratione conficiet.*

Ant Bõfin. rer. Vngar. dec 3. l. 8. *Item quæ Coruini duobus cœnere filiis præſagiuit.*

Matthiam Hungariæ regem ſalutandum.

CAPVT XXXVI.

B. Capiſtranus nec in morte ſeiunctus à Coruino, triſtior, illum præmiſſum ex hac vitâ, pòſt ſequutus eſt.

CETERVM, nobile par amicorũ, Capiſtranus & Coruinus, *qui mutuum, vitâ ipſis comite in Chriſti amore conſonabant, hi nec in ſæuientis diro examine mortis, ab inuicem ſunt reparati. Nam Capiſtranus catalogo Sanctorum condignè aſcribendus, præfato domino Comiti Biſtricenſi, ſincerâ caritatis iunctus dilectione, poſt diſceſſum ipſius domini Comitis, non multos ſub ſole dies vixit; aſtrale magis quàm terrenum peroptans atrium inhabitare.* Enimuero *defuncto Coruino, Capiſtranus numquam ampliùs ridere viſus eſt: veluti, qui ſub iiſdem auſpiciis militaſſet, & inſigni victoriâ potitus, triumphãte collegâ ipſe debito triumpho fraudaretur. Noctes aliquot inſomnes egit: inter contemplandum cum Deo ſæpe conqueſtus; Quare cum collegâ ſibi obire non liceret. In languorem* ſub-

Ioan. de Tvvorcz Chron. Hungariæ cap. 57. *Nota.*

Ant. Bõfin. dec. 3. l. 8. rer. Vngar. *B. Capiſtranus triſtis ſociari Coruino deſiderat.*

ſubinde corporis incidit, quem ex illius leti dolore contraxerat: eluſis medicorum adminiculis, ad triumphandam accitus, paucis pòſt diebus in Domino obdormiuit. Itaque prorſus exiſtimandum illorum *Felices animas, quibus tam claro peracto prælio, tanto populorum fauore quæſito, ægra relinquere corpora datum eſt,* & ad cælum euolare.

Aen Silu. Hiſt Bohem. c. 65.

CAPVT XXXVII.

Socius B. Capiſtrani B. Iacobus Picens reuerſus in Italiam, Neapoli mortuus, in vitâ, à morte multa ſtupenda miracula patrauit.

Anto. Bõf. indidem dec. 3. rer Vngar. l 8. *Iacobus Picens viuus mortuus miraculis fulſit.*

Tho. Boz. l 7 de Signi Eccleſ. cap. 1.

LECTISSIMVS B. Capiſtrani ſocius *Iacobus Picens, vir ſanè ſanctiſſimus, defuncto ſocio, & amplificatâ D. Franciſci religione, in Italiam reuerſus eſt: vbi cùm diu vixiſſet, Neapoli demum exceſſit humanis an.* 1476. *Quot viuus & mortuus miracula ediderit, vniuerſa Italia plane teſtatur.* Iacobus Zanazarius *laudes ipſius elegātiſſimis verſibus proſecutus eſt. Celeberrima fuit eius fama in Italiâ, Germaniâ, Boſniâ, Bohemiâ, Vngaria, Poloniâ, Dalmatiâ, propter admirabiles rerum ſacrarum conciones, ſanctitatem diuinis operibus conteſtatam. Inter alia quæ mirabiliter egit, eſt illud. Brixiæ Iudæus puerum Chriſtianum ſtrangulauit, mortuumque parieti incluſit. parentes eum quatuor diebus quæſierunt: Sanctus, vbi eſſet diuulgauit. diiecto pariete eduxit, viuumque matri reſtituit. Brandeburgi cæco lumen, muto loquelam reddidit. In Bohemiâ plurimi hæretici petierunt ab eo, vt poculum veneno plenum, quod ipſi miſcuerant, biberet: ſic enim, dixerunt, credemus. Bibit ille intrepidus, maximâ multitudine ſpectante, nihilque læſus eſt. Neapoli defunctus puellæ cæcæ lumen, mutæque vſum linguæ reſtituit. In eâ vrbe innumera viſuntur miracula, in tabellis ad eius ſepulchrum depicta.*

Hauſtum venenum ei non nocuit.

CAPVT XXXVIII.

Dies exceſſus B. Capiſtrani. Vilakæ fuit ſepultus, pòſt ab hæreticis in Danubium proiectus: qui multis viuus mortuus hodieq; miraculis claret; quorū hic nonnulla recēſio.

SED paullo vberiùs perſcribenda mihi dies exceſſus, ſepulturæ locus, & miracula B. Capiſtrani: cuius mortē excepit vigeſima tertia dies Octobr. an. milleſimi quadringenteſimi quinquageſimiſexti, quo victoria de Turcis ad Albam parta eſt: anno ætatis ſuæ circiter ſeptuageſimo, de quibus ad quadraginta in Ordine Seraphico exegit: *Vilakæ in Hungariâ diœceſis Quinqueccleſienſis tumulatus in clauſtro B. Virginis apud Minores: quamuis eo in loco nullum appareat veſtigium; celebratæque fuere ſolemnes exequiæ ſeptem diebus. Conditum fuit corpus eius in capſâ ferreâ quinque clauibus munitâ; & poſt multos annos molle ac tractabile inuentum eſt: paucis autem abhinc annis* (ab hæreticis) *in Danubium proiectum, Illoc non longè à Viennâ repertum eſt.* Multis miraculis B. Virum viuum mortuumque coruſcaſſe, æqui boniqúe ſcriptores memoriæ tradiderunt. *Vnâ die viginti infirmos viribus deſtitutos apud Vilakam, primum Alemanniæ opidum ſatis populoſum, diuinâ gratiâ ſanitati reſtituit. In caſtro Loth prope Viennam liberauit à morte filiam cuiuſdam. In Alemanniâ ſanauit adoleſcentulam quatriduanam. Aquilæ prædicans, fecit apparere multitudinem dæmonum in ſpecie aſinorum, equorum & leonum. In Monticulo diœceſis Beneuentanæ, Aquilanum à morte liberauit. Vaccarij ſanauit pluſquam viginti infirmos. In Morauiâ quoque multa fecit miracula. Elizabeth filia Baltazaris pelliſicis de Roylak, collo & capite paralytica, tres annos cæca fuit: quæ ſacras manus defuncti oſculata, ſtatim liberata fuit. Duodecim mortuos liberauit à morte. Ciuis Aquilanus annis triginta non cõfeſſus, tactus interiùs, & diuino lumine illuſtratus, volens ad concionem B. Ioannis accedere, grauiter tentatus à diabolo diu perſiſtere non potuit, ſed ad concionem eius abiit, & ad Chriſtum ſe conuertit.* Quinetiam, *mortuus mortuos octo excitauit ad vitam: plurimis cæcis, mutis, ſurdis, ægrotiſque rectum membrorum vſum reſtituit:* vt concludam, *innumeris claruit miraculis, clarereq; non deſinit, diem vſque in præſentem:* adeoq; * *inter Diuos ex hominum opinione relatus, quotidianis in humana auxilia votis inuocatur. Miracula templo affixa, magnitudinem Numinis planè teſtantur.*

Exceſſit B. Capiſtranus die 23. Octob.

Pet. Rodulph l 1. Hiſt Seraph relig. *Vilakæ ſepultus.*

Corpus eius poſt annos multos integrum repertum & tractabile.

Indidem. *Miraculorum B Capiſtrani recenſus.*

Tho. Bozius lib 7 de ſignis Eccl c 1 *Mortuus octo mortuos v ſuſcit uit* Ioan. de Tvvrocz Chron. Hungar. cap. 57

* Ant. Bõf. vbi ſup.

CAPVT XXXIX.

Inuidens Coruino Ciliæ Comes, regem Hungariæ ad Albam comitatus, ab Hungaris trucidatus eſt: in cuius vindictam ambo Coruini filij capti; maior natu Ladiſlaus capitis damnatus, ad vaticinium B. Capiſtrani è viuis intempeſtiuè ereptus eſt.

INTER miracula iure cenſendum, B. Viri vaticinium vtrique filio Coruini, infauſtum natu maiori Ladiſlao, fauſtum eueniſſe minori Matthiæ. Ladiſlao Bohemiæ & Hungariæ rege admodum adoleſcente, Comes Ciliæ magnus erat in aulâ, & odiâ ſub pectore coquens, dum ambitione maiores non ſubferret, hos per calumnias è medio ſublatos volebat.

Aen. Silu. Hiſt. Bohem c. 46. *Ioannes Coruinus Hungariæ gubernator.*

Ioannes Huniades per idem tempus Hungariam fere vniuerſam in poteſtate habuit, regia arces in manu eius fuere, equeſtres pedeſtreſq; copiæ vni paruere. Id nonnullis regni Baronibus inuidioſum ac moleſtum erat; atque in primis Comiti Ciliæ, qui locum eius optabat, nec poſt lectionem ab eo promiſſum acceperat aurum. Criminari ergo Ioannem, regi odioſum efficere: illum regem eſſe, non Ladiſlaum; vectigalia ad eum cuncta deferri, munitiſſima regni oppida, arces, equos, arma in poteſtate eius eſſe: nihil dubium quin regni coronam quærat; ſi nequeat per Chriſtianos, conaturum per Turcas.

Qui Ciliæ Comiti fuit inuidioſus. Ind. c. 66.

Ciliæ Comes hoc effecit, vti Coruinus, Viennam euocatus, quaſi ad regis colloquium, comprehēſus necaretur; ſed per amicos dolus detectus eſt. porrò autem rex *Ladiſlaus, auditâ Ioan. Huniadis morte, ſuadēte Ciliæ Comite in Hungariā rediit, duobus, ſibi vt videbatur, æmulis liberatus: altero qui fraude, altero qui vi regnum ſuum appeteret.* Ducitur rex à Ciliæ Comite campos viſurus, vbi prælia geſta, & barbara caſtra fuere, atque etiam in ipſam Albam, *quam Ladiſlaus Huniadis filius valido præſidio tenebat. Qui venienti regi, purpuratis, togatiſque portas aperuit: armatorum circiter quatuor millia ab ingreſſu prohibuit. Hic dum mora trahitur, rem diuinam ſpectante rege, conſilium de morte Comitis in abdito conclaui proceres ineunt. Vocatus eò Comes, an iret aliquandiu haſitauit. Exin diploide vix penetrandâ ferro indutus, proficiſcitur. Venientem Ladiſlaus proditorem compellat, qui patri ſæpe necem parauerit, infenſumque ſibi regem reddiderit: nunc diem veniſſe, quo ſcelerum pœnas luat. Sunt qui Comitem priùs arguiſſe Ladiſlaum dicant, tamquam regi rebellem, qui eius armatos intrare opidum vetuiſſet. Illud conſtat; Comitem arrepto ex manu armigeri gladio, Ladiſlai caput petentem, nonnullos interieciſſe manus, digitos amputaſſe: exorto clamore Hungaros irrupiſſe, defendentemque ſe magno animo Comitem, multis confoſſum vulneribus obtruncaſſe.*

Ab Hungaris in Albâ trucidatus.

Diſſimulauit rex ſuprà quàm ferret eius ætas, facinus, & dolorem compreſſit: cùm Albâ relictâ, vtroque Coruini comitāte filio, Budā repeteret. Ibi Comitis Ciliæ fautores regis animū cōtra Ladiſlaū Coruini filiū exaſperauerūt, regias aures pulſantes continuò; *Illuſtrem principem, auunculum regium ſine causâ necatum, maieſtatē grauiſſimè læſam: inultum tam atrox ſcelus relinquendum non eſſe: corrigendam audacem iuuenem, ac temerariam audaciam niſi maturè coërceatur, in furorem verti. Arma in manu nepharij adoleſcentis periculoſa eſſe, auſurum proculdubiò etiam in regem, qui regi proximum obtruncauerit. Iam illi regnandi ſpem factam. patrem eius idem concupiuiſſe: animum ſeni non voluntatem defuiſſe; grauiorem ætatem diſcrimina quæque metiri: iuuenem quodcunque libuit, factu facillimum credere, per æqua & iniqua ad regnum tendere. Occurrendum, priuſquam malum ampliùs ſerpat: in Ladiſlao & facta & meditata facinora, vltimo ſupplicio digna. Rex ſiue iis motus ſiue ſuapte naturâ incēſus, deſignatâ horâ* capi iuſſit Huniadis filios & incarcerari, cū Epiſcopo Varadinenſi, & pleriſque aliis, qui putabantur cædis Comitis, & inſidiarum quæ regi pararentur, conſcij.

Ind. c. 68.

Vtreque Coruini filius à rege captus.

Latâ ſententiâ, *Ladiſlaus quatuor & viginti natus annos, egregiè corpore adoleſcens, flauis de more crinibus ſuper humeros paſſis, reuinctis poſt tergum manibus, talari atque aureâ veſte indutus, in publicum producitur. Erectâ ceruice, oculis hinc atque illinc ſpectantibus, impauidus atque intrepidus ad ſupplicium pergit. Vbi ad locum ventum eſt, quo ceruix amputanda erat; iuſſus genua flectere, pauca priùs pro ſuâ excuſatione locutus, carnifici paruit. Præco, cui damnatorum crimina publicare mos eſt, imperato ſilentio nihil aliud dixit, niſi; Eo modo corrigi, qui domino ſuo infideles eſſent. Carnifex religatâ Ladiſlai comâ, ne collum impediret; iuſſus percutere, nutans titubanſque vix tandem quatuor ictibus, candidam ceruicem abſcidit:* atque in hunc modum nobilis adoleſcens Ciliæ Comiti parentauit, qui natu maior erat Huniadis filius, iuxta vaticinium B. Capiſtrani, immaturâ morte periturus.

Indidem. *Natu maior Ladiſlaus capitis damnatus.*

Quod B. Capiſtran. præſagiuerat.

CAP.

CAPVT XL.

Ladiſlao rege defuncto, Matthias nato minor Coruini filius, prædictione B. Capiſtrani, Hungariæ rex inauguratus.

Matt. Cromer de rebus Polon. lib. 23.

MATTHIAS *frater eius minor natu, & Viennam à rege ductus, Ioannes item Varadinenſis Epiſcopus, & complures alij de proceribus Vngaris in vincula coniecti. Mater Ladiſlai & Matthiæ magnanima mulier, non fletibus & lamentis indulſit: ſed arma contra regem Ladiſlaum pro filiis ſumpſit; maiuſque facinus irâ ſuadente auſura, ac Turcas in auxilium acciturа erat, ni res interuentu aliorum procerum compoſita fuiſſet. Sed priùs quàm Matthias ex pacto dimitteretur, Ladiſlaus rex in ipſo nuptiarũ apparatu Pragæ obiit, ſiue ex repentino morbo, ſeu veneno à Georgij Podiebradij vxore miniſtrato. Dira quidem tormina ſenſit moriens: & Medici Germani, poſteaquã Bohe... exceſſerũt, vulgârũt non obſcura hauſti veneni ſigna in eo apparuiſſe. Mortis cauſam ei fuiſſe exiſtimant, Podiebradij partim ambitionem, partim offenſionem vel metum. Etenim non obſcurè Ladiſlaus iniquior & infenſior erat hæreticis, eorumque cœtus & Sacerdotes, & in primis Rochyzanam pſeudoarchiepiſcopum amicum Podiebradij aſpernabatur. Et ſanè adeptus eſt regnũ poſt Ladiſlaum Georgius, Rochyzanæ & factionis eius operâ ... Vngari Matthiam Huniadem annos decem, ſeptem natum authore Michaele Saladim auunculo eius, qui cum multis millibus armatorum ad Regia Comitia venerat, Regem creârunt: & numeratis Podiebradio quinquaginta millibus aureorum redemerunt. Extincto enim Ladiſlao, Georgius ſignatis annulo regio litteris, celerrimè eum Viennâ Pragam deduci curauerat, magnum inde ſperans compendium: quâ ſpe fruſtratus non eſt. Quin & filiam ſuam ei deſpondit, fœduſque & ſocietatem cum eo init.* Ceterùm hîc mira rerũ mutatio. *Duo potentiſſima regna eodem tempore rege orbata, ex nobiliſſimo atque altiſſimo ſanguine ad mediocres homines peruenere:* quod diuinæ prouidentiæ rerum cunctarum gubernatrici erit adſcribẽdum. Atqui hîc etiam videmus, iuxta vaticinium B. Ioannis, Coruini filium natu maiorem, *Ladiſlaum immaturâ morte præreptum, emergere non potuiſſe: Matthiam natu minorem è carcere regnum Hungariæ conſecutum;* quod S. Viri miraculis iure meritò accenſeri debet.

Ladiſlaus Hũgar. rex moritur.

Matthias rex Hungariæ creatur.

Aen. Silu. Hiſt. Bohem. cap. vlt.

Ex B. Capiſtrani vaticinio.

CAPVT XLI.

Annua celebritatis honorem, in diœceſi Capiſtranâ, à ſummo Pontif. B. Viro decretum.

FREQVENTIVM miraculorum ſplẽdor, & illuſtribus operibus ſanctimonia vitæ conteſtatæ, iure Orthodoxos induxerunt, vt B. Viro ſummos honores exhibeant & venerationem. Quamquam illi publicè Canonizationis honor exhibitus non ſit: decretum tamen eſt Summi Pontif. auctoritate, annuam celebritatem eius, in territorio Capiſtrani ſeruandam: de quâ re ſequitur

Atteſtatio Bernardi Cardinalis S. Mariæ, de feſto B. Ioannis à Capiſtrano.

Pet. Rodulph. l. 1. Hiſt. Seraph. relig.

BERNARDVS, *miſeratione diuinâ S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis de Bibienâ, vniuerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis atteſtamur, fidemq́; facimus; Sanctiſſimum D. N. Leonem X. Pontif. Max. ſuperiori anno, in die S. Silueſtri indulſiſſe, cùm quidem præſentes ipſi eſſemus, ſupplicante id F. Chriſtophoro Forolinienſi, Ordinis de Obſeruantia Vicario Generali; vt in diœceſi, territorioque Capiſtrani celebrari poſſit feſtum B. Ioannis de Capiſtrano: attentâ maximâ deuotione, quâ populi erga præfatum Beatum afficiuntur: ita quidem, vt illius ipſius feſti celebritati imputari, obiicique nil poſſit. Quod quidẽ feſtũ celebrari debeat ad diem vigeſimum tertium Octobris, tam à fratribus ipſis, quàm à Clericis etiam ſæcularibus, aliiſq́; qui volent, in diœceſi territorioque Capiſtrani, & hoc futuris perpetuis temporibus; contradictores quoſcunque, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ compeſcendo. In quorum fidem præſentes, manu meâ propriâ ſubſcriptas fieri, & noſtri ſigilli iuſſimus approbatione muniri. Dat. Romæ in Palatio Apoſtolico, die quartâ Octobris 1515. Pontificatus S. D. N. D. Leonis, diuinâ prouidentiâ Papa X. anno tertio.*

Decreto Leonis X. ſollennitas eius quotãnis recolenda.

COMMENTARIVS
AD VITAM
B. IOANNIS A CAPISTRANO.

Qui de B. Capiſtrano ſcripſerunt.

HISTORIAM *vitæ eius, benigne lector, vides è multis Scriptoribus bonis à me compoſitam. Plerique de illo B. Viro commemorarunt: ſed qui ordine, & ex integro totam eius vitæ ſeriem ſcripto commendauit, hactenus non vidi: vt neque quæ* F. Nicolaus de Fará, F. Hieronymus Vtinenſis, F. Chriſtophorus Variſienſis, eius comites indiuidui de illo *poſteritati tradiderunt: vt teſtatur Petrus Rodulph. lib. 1. Hiſtor. Seraph. relig. Flauius Blondus de illuſtratâ Italiâ regione 12. honorificam eius facit mentionem; quomodo Æneas Siluius varijs locis in Hiſtor. Bohemiæ, libro de Europâ, & in epiſtolis ad eum ſcriptis. Iuuit nos præ aliis Petrus Rodulphius, libro primo Hiſtoriarum Seraphicæ religionis: ſed vt arbitror, quæ habuimus, ordine & aptiore methodo conducta ſunt. Tu, ſi quid amplius habeas, quod deſiderare queas, ingenuo & liberali animo conferas: vti paterna bona meliora poſteris conſignemus.*

De formâ & imaginis ratione, quam pleriſque Sanctis præſcripſi; hoc tantum tribus verbis: In vexillo dulce nomen Ieſu demonſtraſſe, ad imitationem S. Bernardini, cuius erat diſcipulus. Signo Thau, quod Crucem exprimit, vbique vſum, præſertim in ſacram contra Turcas militiam cogendo Cruce ſignandos, in prælio cum ipſis Turcis; condiſces ex capite hiſtoriæ 27. & 29.

IN CAPVT I.

Ætas eius.

ANNO milleſimo trecenteſimo octogeſimo quinto] *natus ſcribitur. Pet. Rodulph. An. Chriſtiano* 1383. *barbaris numeris, in quos facillime errores incidunt. Subductis rectè calculis, hæc ratio conſtare non poteſt. Anno ætatis trigeſimo ſcribitur Ordinem Seraphicum ingreſſus: in quo Capiſtranus ipſe Ioanni Rokyzanæ hæretico reſcribens, ſe varijs gentibus Europæ verbum Dei triginta ſex anni euangelizaſſe continuò teſtatur. hæc ſcripta Ioan. Cochlæus refert ad annum Chriſti milleſimum, quadringenteſimum quinquageſimũ primum, lib. 10. Hiſtor. Huſſitar. Eſt autem beatus Capiſtranus mortuus anno quinquageſim ſexto ſupra milleſimum quadringenteſimum, paullò poſt victoriam contra Turcas partam, ad Albam in Hungariâ.*

Pag 376.

Mors anno 1456. Ind. pag ſeq.

Adhæc B. Capiſtranus eodem an. 1451. (ſi Ioan. Cochlæo fides eſt, citato libro) rurſus ſcribens Ioan. Rokyzanæ, grauiter reprehendit; Tu me profugum. & ſeductorem nuncupas, atque Antichriſtum prędicas, cui LXVI. annorum eſt ætas? *his adde 5. annos, à LI. ad LVI. quo obiit; euincitur fuiſſe B. Capiſtranus ſeptuagenarius, aut paullò maior: atque adeo natus anno 1393. circiter, nõ 1383. Quod ipſum colligere licet ex Hartmanno Scheydel, qui eum Noribergæ vidit, annos habentem* LXV. *quod factũ an.* LII. *putamus, aut paulo ante ſupra* M. CCCC. *quibus ſi quinquageſimũ ſextum mortis adieceris, inuenies ſeptuagenariũ mortuum eſſe. Vide cap.* 22.

IN CAPVT V.

BIRRHETVM S. Bernardini & cruorem.] *Vide c. 58. Vitæ S. Bernardini, nõ pœnitebit operæ & laboris. Admota iſta ægrotis, quomodo ſudaria & ſemicinctia D. Paulli. Act. 19. 12.*

IN CAPVT VI.

CICADÆ ... hirundinibus.] *Illis imperauit ſilentium, ne concionantem impedirent. Sic. B. Franciſcus. In vitâ cap. 12. §. 4. & meum Commentarium.*

IN CAPVT VII.

TANTO accēderetur feruore ... ſolari .... fulgore.] *Magnus fuit adſectus S. Bernardini*

nardini ad D. Virginem. Adi vitæ eius cap. 2. 7. 21. 47. Pelbartus à Temeſwar Concion. de ſancto Bernardino hæc ſcribit; Ad Virginem Mariam tãtâ deuotione feruebat: quòd dum laudes eius prædicaret, accendebatur feruore tantò, vt facies eius tamquam alterius Seraphim ſolari videbatur irradiare fulgore.

IN CAPVT VIII.

NOMEN Ieſu aureis litteris ... adorandum.] *Vide cap. 30. Vitæ S. Bernardini.*

IN CAPVT IX.

STELLA Sole ſplendidior ... ſuper caput ſancti Bernardini.] *De quâ caput 60. Vitæ ſancti Bernardini. Sed quia paullo aliter ibi quàm narrat beatus Capiſtranus; ſi placet, meum Commentarium in illud caput 60. adi.*

IN CAPVT XII.

Academia Louanienſis fundata.

CELEBRE opidum Lipſiam.] *Academiam ibi fecere Teuthones Pragâ à Bohemis academicis profligati, vt hæreſim ſuam ſecuriùs docerent.* Circa eadem fere tempora Ioannes Quartus Brabantiæ Dux Vniuerſitatem ſtudiorum, quæ Pragæ perierat, Louanij obtinuit, ad propugnationem Catholicæ fidei: quod quanto affectu fecerit, ipſe non tacuit: Studium Generale Louanienſe per nos ſummis conſiliis & ardentibus deſideriis expetitum, per Sanctiſſ. D. N. Apoſtolicum, tam conſultè quàm prouidè, ad crebram noſtram inſtantiam ordinatum & erectum eſt, ad communem noſtrorum Principatuum & dominiorum, & ſignanter Ducatus noſtri Brabantiæ, quem ſuâ virtute poſcente, non immeritò præ ceteris adamamus, totiuſque Reipubl. vtilitatem & profectum. Hæc Ioãnes Dux fundator anno CIↃ. CCCC. XXVI. die VII. Nouemb. *Exſcripſi ex Ioan. Molani Militia ſacra cap. 68.*

IN CAPVT XIII.

HIERONYMVS Pragenſis.] *Sitne ille qui Lituanos ad Catholicam fidem perduxit, quod Æn. Siluius de Europâ cap. 26. ex eius relatione ſcribit; aut verum eſſe quod Hieronymus de ſe retulit, tu mi lector diſpice.*

De communicandis ſub vtraque ſpecie laicis.] *Hic error primus Huſſitarum, omnibus hæreticis communis. Extat Dialogus Æn. Siluij contra Huſſitas & Thaboritas, inter eius epiſt. num. 130.*

IN CAPVT XV.

IOANNES Ziska nobilis.] *Hic Dux exitioſiſſimi exercitus Huſſitarum, qui ciuitate conditâ à Zukâ nomine Thabor, ſe vocabant Thaboritas. Zuka ſemper vicit aduerſarios, primùm monoculus, deinde prorſus cæcus Imperatori Sigiſmundo fuit formidabilis. De quo copioſè Æn. Siluius Hiſtor. Bohem. cap. 40. & ſequent. Viſum adſcribere quæ Al. Krantz. de Zukâ memorat:* Annus erat poſt milleſimum quadringenteſimũ ſeptimus & viceſimus, quam Bohemi iam potentiores, tantâ excreuerant armorum peritiâ ſimul & audaciâ, vt in Auſtriam ad vicina Viennæ graſſantes peruenirent, omnia igne & ferro fœdantes. Incenſa opida, euerſæ vrbes, deiectæ arces. nullam viderunt opponi ſibi aciem. Feruntur luſcum habuiſſe ductorem, cuius auſpiciis vbique vicerunt. Vnus qui ſupererat oculus, ipſe quoque in prælio amittitur: cæcus tamen in expeditionem egreditur: Tziska viro nomen. Vbi audit conſtitiſſe aduerſas acies; ordinem requirit hoſtium, & prout audit, iubet hæc & illa fieri; nec illum fefellit exiſtimatio. Semper Tziskâ ductore redeunt victores, Angelum de cælo miſſum in homine loqui arbitrantur, *&c. Habet etiam de morte eius quæ narrauimus. Hæc Alber. Krantz. VVandaliæ lib. 11. cap. 9.* Thaboritæ qui reliquas picturas abominantur, Ziſchæ tantummodò, & angeli calicem manu tenentis effigiem ſupra portam vrbis pinxere, eiq; ſacra quotannis faciunt. *Æn. Siluius Hiſtor. Bohem. cap. 46.*

Ziska Dux cæcus & formidabilis Thaboritarũ, ſemper victor.

Eius imago.

IN CAPVT XVII.

IOANNES Rokyzana.] *Hæreſin Huſſitarum à Sigiſmundo & Alberto Imperatoribus penè exſtinctam,* cùm Pragam rediiſſent mendicantes & monaſteriorum Abbates, *Rokyzana reſuſcitauit. Nam vt Krantzius ſcribit,* Legatus iuit Egram & Baſileam trecentis equitibus comitatus. Is cum quatuor Presbyteris, nomine totius Cleri Pragenſis, præſtitit Eccleſiæ Romanæ obedientiam. Sed non fuit ſyncera conuerſio: quia necdum abierant legati, cùm idem Rokyzana laicum ſub vtraque ſpecie communicaret. Idque malum poſtea recruduit, nunc ſub oculis Sigiſmundi diſſimulatum. *Lib. 12. VVandal. cap. 1. Tu nota hæreticorum ingenium vafrum, mendax, fallax.*

Ioannes Rokyzana mẽdaciter hæreſim abiurauit, quã reſorbuit.

Quem à Rokyzanâ ſublatum.] *Ita Martin. Cromerus ſcribit, quod nos exſcripſimus paullo pòſt cap penultimo. Veriſimilior hæc narratio præ illa, quam Philippus Cominæus ſcribit lib. 10. Commentariorum paullo pòſt principium, Ladiſlaum regem vocans Lancilotum.*

IN

IN CAPVT XVIII.

Svper vndas pallium.] *Quomodo ſanctus Bernardinus, cuius diſcipulus & virtutum ſectator fuit. Vide vita ſanct. Bernardini cap. 34.*

IN CAPVT XIX.

Nationes Sclauorum.] *Horum reliquiæ Bohemi & Poloni, quos ex Dalmatiâ veniſſe traditur. Adi Æn. Siluium lib. 8. Epitom. Flauij Blondi.*

Ducatus Lituaniæ.] *Hic ad Catholicam fidem adductus eſt a Vladiſlao Kazimiri patre. Æn. Siluius lib. de Europâ cap. 25.*

IN CAPVT XX.

Magnorvm virorum epiſtolæ.] *Æneæ Siluij epiſtola 403. & 406. ſcripta ad beatum Capiſtranū, quibus docemur inter eos magnam conſuetudinem interceſſiſſe porro epiſtol. 412. cùm apud Pontificem Nicolaum V. inſtitutum de Obſeruantiâ malignorum inuidiâ nonnihil fuiſſet denigratum: ſanctum Bernardinum prædicans, Capiſtranum dilaudans, vtpote huius Ordinis præcipuos propagatores, aſſerit id temporis, Fratres minores inſtituti de Obſeruantiâ ſupra viginti millia creuiſſe; atque illud inſtitutum miris laudibus effert, ſcribens Cardinali Firmano.*

IN CAPVT XXI.

Rokyzana Fratres ſancti Franciſci ... profligaſſet.] *Huſſitæ quamobrem maximè in Franciſcanos ſæuierint, dictum cap. 15. vbi de Ziska inauditâ crudelitate, qui illos non ſolùm proſcripſit, ſed occidit, & damnauit viuicomburio. Sigiſmundus Imperator* Ordinis illius *ſtudioſiſſimus patronus (quod hactenus Auſtriaci Principes fecere, hodieque faciunt) caſis Huſſitis Franciſcanos Pragam reduxit: quos poſtero tempore Rokyzanâ iam pſeudoarchiepiſcopatu Pragenſi tumens iteratò profligauit. Ætate noſtrâ anno ſalutis vndecimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, Rudolpho Imper. II. indiga fæx populi facilè in monachos furens, cœnobium noſtrum Fratrū Minorum de Obſeruātiâ* ſanctæ Mariæ niuis, *in nouâ ciuitate Praga, Huſſitarum ingenio hoſtiliter diripiens, quatuordecim fratres truculentiſſimè trucidauit, decimâ quintâ Februarij die. Mirum quod accepimus. Illis occiſis, preces horariæ noctu, quas Matutinas vocamus; ita ſunt exaudita, in eodem cœnobij templo, vti fratres pro more decantaſſe videri poſſent, idque non paucis diebus.*

Praga trucidatis Franciſcanis laudes in eorum templo pro more audita.

IN CAPVT XXII.

Constantinopolis.] *Extat hiſtoria capta Conſtantinopolis, auctore Leonardo Chienſi Mytilenes Archiepiſcopo, qui ab Turcis obſeſſus & captus fuit. Excuſa eſt Noribergæ 1544. Æn. Siluius lib. de Europâ cap. 7. cuius eſt etiam oratio de eiuſdem captiuitate & bello contra Turcas ſumendo, inter epiſt. nu. 131. item epiſt. 155. Alber. Krantz. lib. 11. Saxoniæ cap. 34. VVandal. lib. 12. cap. 18. Variant auctores in die quâ capta ſit.*

IN CAPVT XXVIII.

Pecvniam oppidatim.] *Præcedente capite naualia à Calixto III. Pontifice contra Turcas inſtructa memoratur: de quibus Ioan. Cochl. lib. 11. Hiſtor. Huſſitarum;* Calixtus prædicatores per totam Europam ſtatim miſit, qui omnes Chriſtianos in Turcas animarent, quique facultatum aliquid & opum ſuarum ad tantam expeditionem conferrent. Ex his autem facultatibus XVI. triremes Romæ ædificatas in hoſtem miſit, Patriarchâ Aquileiēſi præfecto, qui triennio maritima hoſtium Aſianorum vexauit, *&c. Adi Platinam Calixto Tertio.*

Nauigia Romæ facta.

IN CAPVT XXIX.

Centvm & quinquaginta millia.] *Nonnulli ducenta millia ſcribunt, inter quos P. Iouius lib. de rebus Turcicis Mahumete II. Alij tamen auctore Siluio de Europâ cap.* 8. tertiam partem huic numero ſubtraxere.

Non mediocrem Cruce ſignatorum exercitum.] *Scribit Æn. Siluius cap. 8. lib. de Europâ; Ioannem Capiſtranum ſupra quadraginta millia Cruce ſignatorum exercitum coëgiſſe.*

Supra quadraginta millia cruce ſignati à Capiſtrano collecta.

IN CAPVT XXX.

Trecenti è Polonis.] *Martinus Cromerus de rebus Polonicis 23. ad finem ſic ait;* Apud Nandor Albam non ignobilis fuit ſexcentorum Polonorum Capiſtranum ſecutorum opera.

IN CAPVT XXXI.

Animo potiùs quàm corpore armati.] *De Crucigeris loquitur: de quibus*

bus & Silvius lib. de Europâ cap. 8. Tecta magis fide, quàm ferro acies.

IN CAPVT XXIII.

Clerico & Sacerdoti quid in prælio liceat.

CAPISTRANVS cum Sacerdotum collegio illuc per medios enſes.] *Pulchrum ex hoc Ioannis Lenſai documentum:* Eius exemplo talem defenſionis modum, qui miniſterium habeat incruentum, ſuſcipi ab Eccleſiaſtico etiam Sacerdote poſſe, cùm res poſtulauerit, nulla videtur eſſe ratio dubitandi: cùm ille non vſpiam in conclaui, orandi gratiâ ſeſe concluſit: ſed ad locum propugnationis prouolans, crucemque manu tenens, aſsiduis cohortationibus è loco ſublimiore pugnantes paſsim omnes inflammaret, duciſque optimi fungeretur officio, *&c. Oratione de ſui ac Reip. Chriſtianæ contra impium inuaſorem defenſione, cap.* 9.

De cæſorum numero Turcarum.

Quanta Turcarum clades.] *Variant in numero Scriptores, & quidem vehementer. Pet. Opmerius ſexaginta Turcarum millia cæſa ſcribit chronico orbis vniuerſi Calixto 3. Pontific. Genebrardus quadraginta millia. Petrus Langius triginta millia, in chronico Citizenſi. Flauius Blondus ad ſedecim millia, libro ſecundo Triumphantis Romæ. Hartmannus Scheydel, Bapt. Platina Calixto, ſex millia. quin etiã auctore Siluio,* Alij ad ſummum, quatuor millia cæſa fuiſſe dicunt, quod nobis infra verum eſſe videtur. Maior profectò iactura tantum Imperatorem fugere compulit qui ſequẽti nocte, incẽſis caſtris ac machinis, cum toto exercitu abiit: nec tam audax ſuperbuſq; venerat, quàm timidus demiſſuſque fugam arripuit. Traditum eſt ſub pupillâ confoſſum ſalutem deſperaſſe: vulnus eius obſidioni finem dediſſe, inter fugiendùm plures quàm in acie periiſſe. *Hiſt. Bohem. cap.* 65. *Rectè igitur Matth. Palmerius Piſanus,* Chriſtianos magnam ſtragem infinito hoſtium numero paruâ manu dediſſe; adeò vt creditum ſit, precibus & votis B. Capiſtrani, miniſtros Dei pro Chriſtianis pugnaſſe. *Chron. ad an.* 1456.

IN CAP. XXXIV.

ALTERO, nullam alterius faciente mentionem.] *Sunt qui ponunt in vitio, quibus occaſionem dediſſe videtur talia ſcribendi, æqualis illi Æn. Siluius, in hæc verba ſcribens:* Auctores victoriæ tres Ioannes habiti: Legatus Cardinalis, cuius auſpicio res geſta eſt; Huniades & Capiſtranus, qui prælio interfuere. Verùm neque Capiſtranus Huniadis, neque item Capiſtrani Huniades mentionem fecere in eis litteris, quas à Deo obtentâ victoriâ, ſiue ad Rom. Pont. ſiue ad amicos ſcripſere: per ſuum quiſque miniſterium Deum dediſſe Chriſtianis victoriam affirmauit. Auariſſima honoris humana mens, facilius regnum & opes quàm gloriã partitur. Potuit Capiſtranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem ſubigere: gloriam verò ſpernere non potuit. *Hactenus Æneas rigidâ virgulâ Rhadamanti, lib. de Europâ cap.* 8. *quibus ſimilia tradit Hiſt. Bohem. cap.* 56. *Et verò languida videri poteſt collectio; In ſcribendo victoriam alter nullam fecit mentionem alterius: vterque ergo ad ſe gloriã deriuari voluit. Quanto æquiùs de re exiſtimauit, quem exſcripſi, Bonfinius, porrò ſciens quod Sapiens monet,* Ne quæras impietatem in domo iuſti, *Prouerb.* 24. 15. *Sanctimonia B. Viri poſtulat aliter arbitrari.*

B. Capiſtranus à vanâ gloriâ liber.

Feſtum Transfigurationis Domini.] *In memoriam victoriæ & gratiarum actionem à Calixto Tertio Pont. inſtitutũ atteſtatur Æn. Siluius de Europâ cap.* 58. *item Platina & alij. Baronius tamen ad ſextum Auguſti diem, longè antè probat inſtitutum.*

IN CAPVT XXXVIII.

ANNO ætatis ſuæ.] *De quà copioſè dixi ſuprà in caput primum: quando natus, quando mortuus, quot annos habuerit.*

Multis miraculis viuum mortuumque coruſcaſſe.] *Propemodum atteſtantur auctores omnes, quos in hiſtoria huius perſcriptione citaui: mirum vt ſit adeò liberè ſcripſiſſe Krantzium lib.* 11. *Saxoniæ cap.* 35. Fertur idem aliquot ſanitatis ſigna feciſſe, vt vulgò eſt creditum: ſed eſt in eâ re ſæpe loquacior fama. *Cùm alij multi fulſiſſe frequentibus miraculis teſtentur. Sed neque id,* poſt Apoſtolorum tempora rarum aut propè inauditum fuit, *quod F. Blondus ſcribit Elogio* 1. *Inſpice Hiſtoriã vitæ SS. Franciſci, Antonij, Bonauenturæ, Ludouici, Bernardini, & æuo noſtro S. Didaci, multorum aliorum qui Ordinis noſtri non ſunt: videbis promiſſum Chriſti ſemper compleri;* Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. *Ioan.* 14. 11.

Miraculis multis inclaruit.

IN CAPVT XL.

Non obſcura hauſti veneni ſigna.] *Hæc artibus hæreticorum facta conſilia: quamquam Philippus Comineus ab amiculâ venenum regi datum ſcribat, cùm intellexiſſet ſe repudiatâ*, in matrimonium ducturum Caroli VII. Galliarum regis filiam, contra datam ſibi fidem & promiſſum. *Lib. 10. Commentar.*

Finio hoc opus meæ ſcriptionis vltimæ diu conceptum, beati Ioannis à Capiſtrano Vitam & ad eam hunc Commentarium; quà cum decet Orthodoxos adoratione Chriſtianâ, & elogio in beatum virum; cuius in e patrocinio, cogitationes & conatus, quodque breuis huius & incertæ vitæ reliquum eſt, intimis cupio commendatum votis.

O Chriſti miles inclyte
Ioannes! voce & opere,
Diebus his nouiſſimis
Clarus apparuiſti.
Tu cruce Turcas fugas,
Tu Cruce morbos ſanas,
Tu Cruce cunctos iuuas,
Dux quibus tu fuiſti.
Implora nobis veniam,
Ac fidei conſtantiam,
Chriſti legis cuſtodiam,
Quem vere dilexiſti.

Beati Ioannis Capiſtrani ordinis Minorum, mirabilem vitam, & acta à Reuerendo admodum P. F. Henrico Sedulio, eiuſdem inſtituti erudite ſatis concinnata, & Commentariis illuſtrata, digniſsima cenſeo vt in lucem prodeant, atque vt ea de cauſa typis mandentur. Datum Bruxellæ, 17. Octobris, anno 1612.

F. Andreas à Soto.

S. DI-

SANCTI
DIDACI COMPLVTENSIS
EX ORDINE MINORVM,
VITA, MIRACVLA,
ET CANONIZATIO,

Quam SIXTVS V. PONT. OPT. MAX. admirandâ pietate, ſolemni ritu, frequentiſſimo cleri, populique conuentu, celebrauit vj. Non. Iul. anno M. D. XXCVIII.

à PET. GALESINIO *Proton. Apoſtolico deſcripta, diſtinctaque partibus tribus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

POTENTISSIMO

PHILIPPO II.

AVSTRIO

HISPANIARVM REGI

CATHOLICO.

QVI ſe inſtituit, Potentiſſime Rex, ita vt vitam pié religioſeque agat, is verè beatus eſt: in hanc enim ſententiam ſacræ litteræ, digito Dei ſcriptæ, loquuntur; BEATVS VIR, QVI TIMET DOMINVM, IN MANDATIS EIVS VOLET NIMIS. Verè igitur beatus Didacus & eſt, & habetur; qui purâ ſinceraque pietate erga Deum ac religione, vitam rite atque rectè conſtituit: quique verè pius, & religioſus, legum diuinarum meditatione die, ac noctu vehementer delectatus, cùm nihil haberet in vitâ hac antiquius, quàm vt illas coleret, atque obſeruaret; is, velut arbor fecunda, ad confluentem ſata, vberrimos attulit fructus virtutum, quibus exornauit Eccleſiam Dei. Tantum ergo virum, ac verè beatum, diuinorum munerum copiis affluentem, & ſanctimoniæ laude florentiſſimum, Maieſtas Tua Catholica diu maximopere ſtuduit in Sanctorum, cum Chriſto Domino in cælis regnantium, numerum rite referri. Id iam primùm à fel. rec. Pio Quarto Pont. Max. deinde à beatæ memoriæ Pio Quinto, qui proximè ei in Pontificatum ſucceſſerat, ſupplex & litteris & nunciis ſummopere petierat, poſteà à Gregorio Decimotertio, itidem efflagitarat; demum id ipſum ſummâ prece poſtulauit à SIXTO QVINTO, Pont. cui beati Didaci canonizationis actus diuino erat conſilio reſeruatus. Is igitur, vt Pontifex eſt, ad Eccleſiæ ædificandæ &

propagandæ ſtudium attentiſſimus, ac diligentiſſimus, iuſtâ atque æquiſſimâ in primis Tuæ Maieſtatis Catholicæ petitione motus, ac Pontificiæ ſolicitudinis officio, aliiſque præterea plurimis rationibus adductus; rem tot ab hinc annis aſſiduè vehementerque expetitam, conceſſit & confecit: eo magnæ, vel ſummæ potiùs pietatis ſenſu affectus, eaque erga eius Maieſtatem, quam vnicè in Chriſto diligit, paternâ charitate, vt illam intimi animi gaudentis lætitiam, piis meditationibus, in Pontificiæ ſuæ mentis ſinu conceptam, lacrymis profuſis expreſſerit; cùm illum in rei, quæ ſanctè gerebatur, contemplatione fixum, indeque lacrymantem, non exiguo temporis ſpatio, plerique omnes ex infinitæ illius multitudinis frequentiâ conſpexerint; quæ tanta támque innumera fuit, vt in mentem venirent illa priſca religionis noſtræ tempora, cùm Chriſtiani omnes ad ſacros feſtos, ſolemneſque dies concelebrandos puriſſimè conuenirent. Id autem omne, quamquam ad eius Maieſtatem, multorum, præſertim clariſſimi Henrici Guzmanij, Comitis de Oliuares, Oratoris, viri prudentiâ rerumque gerendarum vſu præſtantiſſimi, & aliorum litteris, ac nunciis longè anteà diligenter perlatum eſt: tamen Sanctiſſimus D. N. SIXTVS QVINTVS, cuius ſingularis diuináque ſapientia maximis in reipublicæ Chriſtianæ negotiis eius Maieſtati, ceteriſque cognita eſt, ac perſpecta charitas, ſpectatæque ampliſſimæ virtutes, pro ſummâ ſuâ erga ipſam rempublicam ſolicitudine, ac diligentiâ, próque paterno amore, quo Tuæ Maieſtatis, non ſolùm pietatem eximiè diligit, ſed gloriam ac dignitatem maximopere fouet; cùm iam ſuperioribus proximis mẽſibus in eâ curâ vehementer euigilârit, vt ipſius beati Didaci canonizationis actum perficeret; voluit etiam is, & pro rei, quæ rite ſolemniterque acta, ac geſta eſt, commemorabili magnitudine, & pro poſteritatis, cui item conſulendum fuit, rationibus, de Sancti illius vitâ, virtutibus admirandis, atque omnibus canonizationis actis commentarium enucleatè perſcribi; idemque iis partibus, quas ad id

perſi-

perficiendum inſtructiſſimas, mihi demonſtrauit, rectè abſolutum, regio Auguſtoque nomini tuo inſcriptum ad te mitti. Ego ſanè pro meâ tenuitate feci, quod Pontifex iuſſerat; vellem id feciſſem, quod & rei, quam ſcripſi, magnitudo poſtulare videbatur, & à me depoſcebat Maieſtatis Catholicæ dignitas, & in primis voluntas requirebat Pontificis, & SIXTI Pontificis: qui, vt excelſo eſt magnoque animo, & virtutibus exaggerato, ita ſumma omnia cupit, ſummeque præcellentia, ac numeris omnibus perfecta; tantiſque non ſolum eloquentiæ, ſed eruditionis munita præſidiis, quanta vel maxima, animus erudititiſſimi viri ſtudiis exquiſitiſſimis capere poteſt. Non equidem id mihi arrogo, vt tantùm me aſſecutum putem, quantum ille maximè concupierat: ſed affirmare hoc poſſum, ſapientiſſimi Pontificis, qui Maieſtatis Tuæ Catholicæ ſtudioſus eſt, atque cupidus, deſiderio incenſum, me in magnâ difficultatum, quibus huius ſcriptionis meæ curſus retardari, aut certè impediri videbatur, concurſatione, ſine vllâ aut laboris, aut occupationis, aut temporis exceptione, Maieſtati Tuæ id opus præſtare: in quo ea mihi ad ſcribendum propoſui, quæ in primis ad gloriam Dei omnipotentis, tum ad Sancti, cuius vitam litteris mandare ſtudui, laudes, tum ad Eccleſiæ Catholicæ amplitudinem, tum ad Tuæ Maieſtatis, cuius cauſsâ Pontifex SIXTVS de Sancti illius virtutibus commentarium hoc ſcribi voluit, ſplendorem ac pietatem pertinere poſſent. Non igitur dubito, quin ipſe, Rex Maxime, eâ, quâ abundas benignitate, grato, liberali, vereque regio animo id accipias: cùm & præcipuum quoddam ſit Auguſtiſſimæ Tuæ pietatis monumentum, & inſigne quoddam pignus paternæ charitatis, qua erga te Regem Catholicum omni laude præſtantem, Pontifex Optimus egregiè affectus id fieri, & Tuæ Maieſtati dicari iuſſit: vt in eo, tamquam in ſpeculo, aſſiduè contempleris ampliſſimas

illas, ac diuinas virtutes Sancti Didaci, quem præcipuè tibi propoſuiſti, cùm ad venerationem, tum ad imitationem, ad illumque pietatis curſum, quem, Deo benedicente, iam diu tenes ſummâ cum laude. Ego verò, quoniam miro diuturnoque ardeo deſiderio colendæ Catholicæ Maieſtatis Tuæ ob merita, quorum gloriâ longè omnium florentiſſimus es; in eam curam perpetuò incumbam, vt, ſi quâ in re poſſum, aliquod ſemper tuæ gloriæ officium nauem ac præſtem induſtriæ meæ. Interea Deum Opt. Max. aſſiduè precabor, vt Maieſtatem Tuam Reipublicæ Chriſtianæ incolumem conſeruet quàm diutiſſimè. Romæ ex Vaticano, Idibus Decembris M. D. XXCVIII.

Maieſtatis Tuæ Catholicæ

Seruus deditiſſimus

PETRVS GALESINIVS Prot. Apoſtolicus.

AD AMICVM LECTOREM.

SANCTI *Didaci, fratris laici ex ordine Minorum, ſanctitate & miraculis quotidianis longe celeberrimi, vitam ſubiungo. Vixit ſæculi Sancti Bernardini, cùm inſtitutum de Obſeruantiá, toto orbe maxima haberet incrementa. Nomen eius & fama beatitudinis, hactenus apud nos non ita percrebuit; quòd tardius, nimirum anno centeſimo vigeſimo quinto ab exceſſu relatus ſit inter Sanctos à Sixto V. Pont. Max. procurante Philippo ſecundo rege Hiſpaniarum, An.* ∞.IↃ.LXXXVIII. *Petrus Galeſinius iuſſu Sixti V. vitam eius, res geſtas, miracula, tam copioſè perſcripſit, vt ad illa nihil deſiderari queat: nec mihi quidquam addere viſum, niſi notulas ad oram, ſectiones in paragraphos, & pauca*

S. Didacus quando floruit.

ELOGIA.

Petrus Rodulphius Epiſcopus Senogallienſis.

BEATVS Diego de Alcalâ Diœceſis Toletanæ, laicus idiota, fulget miraculis Compluti ſepultus. Inter cetera, crus cuiuſdam Bruti inuentum eſt reſtitutum. A morte ſuis precibus liberauit Carolum Principem primogenitum Philippi potentiſſimi Hiſpaniarum regis. *Lib. 1. Hiſtoria Seraphica relig.*

Firmamentum trium Ordinum S. Franciſci.

Miraculis clarus.

Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, duodecimâ die menſis Nouembris, in conuentu Complutenſi Cuſtodiæ Toletanæ, obiit venerabilis frater, beatus Didacus de ſancto Nicolao Laicus, vir eximiæ ſanctitatis: qui in vitâ & poſt mortem variis claruit miraculis. *Part. 1. in Memoriali Ordinis ſub Fratre Angelo de Pruſiâ Miniſtro Generali* 34.

Thomas Boſius Congregationis Oratorij Presbyter.

Anno 1463. deceſſit Didacus à Sancto Nicolao, cuius in Hiſpaniis celeberrima eſt fama. Is mortuus mortuam puellam ſuſcitauit. Hiſpali, cùm mulieri deflenti filium, qui in ardentem furnum deciderat, occurriſſet: miſeratione commotus dixit ei, vt ad imaginem quandam ſanctiſſimæ Virginis preces ad Deum faceret; quod cùm feciſſet illa, ad locum reuerſa, inuenit in furno illæſum puerum, quamuis ibi perſtitiſſet quouſque ligna omnia, quę plurima erant in furno, abſumpta fuiſſent. Cæcos, ſurdos, mutos, ægrotoſque innumeros ſanauit. Extant acta miraculorum, teſtibus iuratis & examinatis, à Notario publico conſcripta, magnæque auctoritatis viris præſentibus confecta, iuſſu Archiepiſcopi Toletani. Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, cum Carolus Princeps Hiſpaniarum, Philippi tunc viuentis regis filius, deſperatâ valetudine à Medicis, ægrotaret: vbi tetigit ſancti Corpus, conualuit. atque hic in Sanctos eſt relatus anno ſuperiori à Sixto Quinto. *Libri de Signis Eccleſiæ cap. 1.*

Miraculum in Carolo Philippi II. Hiſpaniarum regis filio.

INDEX ET ORDO

PARTIVM SINGILLATIM

ET CAPITVM.

PARS PRIMA.

De Vitâ S. Didaci.

PReloquium.

I. *De tempore quo naſcitur.*

II. *De prouinciâ, & loco vbi naſcitur.*

III. *De parentibus.*

IV. *De nomine.*

V. *De vitâ Eremiticâ, quam B. Didacus primò ſuſcepit.*

VI. *De ingreſſu in religionem S. Franciſci*

VII. *De diligenti ſtudio, quod adhibuit Seraphicæ Regulæ inſtitutis.*

VIII. *De eius humilitate.*

IX. *De obedientiâ.*

X. *De eius charitate erga pauperes.*

XI. *De charitate erga ægrotos.*

XII. *De curâ & charitate, quam Romæ ægrotis adhibuit anno Iubilæi.*

XIII. *De charitate quâ erga omnes, præſertim peccatores & impœnitentes vſus eſt.*

XIV. *De abſtinentiâ, ieiuniis, maceratione corporis, & caſtitate.*

XV. *De eius oratione, & deuotione.*

XVI. *De vitæ ſimplicitate.*

XVII. *De doctrinâ eius infusâ.*

XVIII. *De reliquo eius vitæ curſu, & obitu.*

PARS SECVNDA.

De miraculis Sancti Didaci, in paragraphos diſparatis.

PARS TERTIA.

De Beati Didaci Canonizationis Actis.

I. *PHILIPPVS II. Hiſpaniarum Rex potentiſsimus laudatur à pietate, regiis actionibus, & deſiderio Canonizationis Sancti Didaci.*
II. *De cauſæ delegatione factâ à Pio Quarto Pontifice.*
III. *De alterâ delegatione à Pio Quinto factâ.*
IV. *Diuino conſilio ad Sixti Quinti Pontificis tempora actus Canonizationis reſeruatus eſt.*
V. *De pietate, æquitate, conſilio & rationibus, quibus Sixtus Quintus Canonizationis actum celebrauit.*
VI. *De Canonizationis inſtituto, vſu & rationibus.*
VII. *De actis huius cauſæ in Vrbe recognitis, & comprobatis.*
VIII. *De Cardinalibus delegatis etiam iudicibus recognitionis actorum huius cauſſæ.*
IX. *De congregationibus eo nomine habitis.*
X. *De vltimâ congregatione & decreto comprobationis Actorum.*
XI. *De Conſiſtoriis Canonizationis causâ habitis.*
XII. *De Conſiſtorio, quod eius rei causâ poſtremò habitum eſt, ac de præſtantiſsimâ Pontificis concione.*
XIII. *De Baſilicâ Vaticanâ S. Petri, eius ſolemni apparatu ad Canonizationis actum.*
XIV. *De proceſsione ac ſupplicatione ſolemni.*
XV. *De ordine proceſsionis.*
XVI. *De actu & ſolemnitate Canonizationis.*
XVII. *De Canonizationis decreto.*
XVIII. *De Miſsâ ſolemni Canonizationis.*
XIX. *De ſacrorum veſtimentorum apparatu, & ſupellectile ad Canizationis huius celebritatem.*

XX. *De veſtium Pontificalium apparatu.*

XXI. *De ornamentorum apparatu ad vſum miniſtrantium Pontifici.*

XXII. *De Cardinalibus qui Canonizationis ſolemnitati interfuerunt.*

Marci Antonij Cardinalis Columnæ, Epiſcopi Præneſtini Relatio de Vitâ & Miraculis B. F. Didaci de S. Nicolao, habita coram S. D. N. Sixto Papâ Quinto, & Cardinalium Collegio, in Conſiſtorio ſecreto.

Pompeij Arigonij Conſiſtorialis, & Regis Catholici Aduocati Oratio, de vitâ & miraculis B. Fratris Didaci: quâ Regis nomine B. Didacus canonizari poſtulatur; habita Romæ in Conſiſtorio publico.

Antonij Buccapaduli, Secretarij Apoſtolici, S. D. N. Sixti V. nomine, reſponſio.

Bulla Canonizationis Sixti Quinti Pont. Max.

Breue Sixti Papæ Quinti, de S. Didaci anniuerſariâ celebritate ſeruandâ.

S. DIDACI COMPLVTENSIS VITA.

Præloquium.

CÆLESTIS ille Spiritus, à quo diuina munera manant, magnis donis, ſplendidiſſimiſque ornamentis beatum Didacum Complutenſem illuſtrauit: quem nuper, ob præclara merita, efflagitante Philippo II. Hiſpaniarum Rege Catholico, eximiâ pietate florentiſſimo, SIXTVS QVINTVS Pontifex Maximus, idemque & religioſiſſimus, & ſapientiſſimus in ſanctorum numero aſcripſit. Admirandas igitur eius res, vitamque omnem, religionis ac ſanctitatis laude cumulatam, ſcripturus: id mihi argumentum ſuppeditari video, quod non verbis tantùm, delectu & ſplendore illuſtribus, enarrandum eſt; ſed ſacrarum litterarum ſententiis, atque demõſtrationibus dilucidè explicatis. Fuit enim is vir ſimplex, rectus, timens Deum; quique vſque adeò cunctis virtutibus præluxit, vt quod diuinitus ſcriptum eſt, de eo dici liceat; *Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo.* Charitas, virtutũ omnium princeps, quæ auri nomine ſignificatur, mirifica in eo extitit: humilitas autem ſumma, pietas ſingularis, orationis ardor incenſus, abſtinentia incredibilis, cæteræque itidem virtutes, quæ à charitate proficiſcuntur, & charitatem exornant, quæque tanquam inſignia gemmarum ac margaritarum ornamenta, maximè in viro Dei enituerunt. Quamobrem in tantâ ſcribendi copia, quæ mihi proponitur, modum in primis ſeruabo: vt non vberrimè ſolùm, ſed diſtinctè, atque ordine res omnis expoſita videatur. Neque autem, cùm locus inciderit, commemorare prætermittam lacrymas, ſuſpiria, gemitus, atque ardentiſſimum illud cæli deſiderium, quo Dei ſeruus Didacus inflammatus, omnia huius vitæ incommoda, moleſtias, ac labores facillimè tolerauit; immò labores otio, tempeſtates tranquillitati, pericula ſecuritati in omni temporum varietate prætulit. Iam nunc primùm more maiorum, qui in huiuſce ſcriptionis curſu cum laude verſati ſunt, illius genus, vitam, mores, ac virtutes exponam: deinde ad veram ſolidamque enarrationem accedam certiſſimorum illorum miraculorum, quibus ad ſempiternam gloriam inſignibus, *Deus mirabilis in Sanctis ſuis*, illius ſanctitatem & teſtificatam & illuſtratam eſſe voluit. Ita opinor, fiet, vt, adiutrice diuinâ gratiâ, vtilis ac ſalutaris futura ſit omnis hæc, quæ à me ſtudioſè ſuſcepta eſt, commemoratio. Exempla namque virtutum, quarum laude viri ſancti celebrantur, ad eorum nos imitationem excitant: miracula autem, quæ illorum gratiâ Deus edidit, ad diuinum eius amorem nos vehementer incendunt; cùm immenſam illam benignitatem & charitatem perpendimus, quâ, quod ſibi diuinitatis iure proprium eſt, non modò ipſis ſanctis hominibus, ſed eorum ſemicinctiis & ſudariolis communicare dignatus eſt. Et quoniam res cunctas, ab eo mirabiliter ac diuinitus geſtas, recenſendo perſequi, longum nimis eſſet ac pene infinitum opus; ex iis multas accuratè ſeligendas putaui, & illas quidem potiſſimùm, quibus tum magis diuinæ erga virum ſanctum bonitatis ſplendor eluceſcit; tum ardentiùs animi ac mentes legentium inflammantur ad illius diuinæ benignitatis amorem. Iis, vt diligentiſſimè potero, explicatis, quæ ſunt præclara monumenta virtutum, & teſtimonia luculenta meritorum, ob quæ Deo dilectus Didacus à SIXTO QVINTO Pontifice in Sanctos relatus eſt; conſequens etiam exiſtimaui, ne quid ad huius ſcriptionis meæ cumulum deſit, acta omnia ſolemneſque ac ſtatas illas, plenas diuinorum myſteriorum cerimonias exponere, quæ ex catholicæ Eccleſiæ inſtituto atque vſu adhibitæ ſunt ad illud pontificium & ſacroſanctum canonizatio-

Ratio ſcribendi hic ſeruata.

Eccli. 50. 10.

Ordo & methodus

Pſal. 67. 36.

Act. 19. 12.

nizatio-

nizationis munus. Hæc autem omnia à me exordij loco dicta ſint. Nam etſi ex rhetorum præceptis in hoc ſcribendi genere nullum, aut certè breue exordium fieri oportuit: tamen pro ſancti viri, cuius vita commemoratur, ratione, proque factorum eius dignitate præfari ita libuit: vt præſertim rerum, quæ magnæ ad ſcribendum proponuntur, quæque longo commentario opus habēt, ordinē in ipſo exorſu omnes facilè intelligāt. Verùm iam locus poſtulat, vt ipſam narrationem ingrediar. Nihil mihi nec ad officiū aptius, nec ad laudem amplius, nec ad delectationem iucundius, nec ad ſalutaris diſciplinæ fructum vtilius contingere potuit, quàm diuinas res vitamque tam ſancti viri ad poſteritatem litterarum monimentis prodere, & laudes illius celebrare: qui charitate ſummâ exardeſcens, in iis euigilauit curis, in eaque aſſiduâ pernoctauit cogitatione, vt Chriſti Domini gloriæ ſeruiret omnino. At cùm mihi in mentem venit, ad munus, quod ſuſcepi, in primis opus eſſe caſtiſſimi animi meditationibus, & morum innocentiâ; cumque video non omne vitæ meæ tempus me in Dei ſanctorumque laudem contuliſſe: huius meæ conſcientiæ metu, à præclaro conatu deterreri poſſe videor. Itaque Deum optimum maximum, qui prunæ ardore abſterſit linguam, quam ſe pollutam habere Iſaias profitebatur; id continenter precor, vt diuino ſpiritu intimos meos ſenſus ab omni labe puros reddat; oris mei impuritatem, quam ex prophanis ſermonibus contraxi, abſtergat, mentemque exurat & inflammet ad diuinam eius gloriam celebrandam in ſancto viro Didaco: cuius vitam, clariſſimas virtutes, reſque mirificas ſcribendi initium in præſenti facio.

Iſa. 6. 7.

CAPVT I.

De tempore, quo naſcitur.

Quando ſit natus incertum.

PRIMVM igitur, vt ordine, quem mihi præſcripſi, narrationem inſtituam, de tempore dicam, quo is editus eſt in lucem. Id accuratè, ac diuinueſtigatum, non compertum habetur quicquam certi, quod aſſeuerāter ſcribi poſſit. At coniecturâ hoc ipſum perſpici facilè poteſt. Certis enim litterarum publicis monumentis, Romam ab Hiſpaniâ rectè allatis, proditum eſt, illum ad ſummam ſenectutem vixiſſe, annoque milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, Nicolao Quinto Pontifice, ad iubilei celebritatem, in Vrbem veniſſe; & verò annis pòſt duodecim è corporis ergaſtulo ſolutum, abiiſſe in cælum. Ratione igitur initâ huius temporis, quod certum notaui, cùm eſſet is ætate ſcilicet ingraueſcēte peneque decursâ: credibile ſit, vel potiùs verè dici licet, illum exortum eſſe aliquanto ante milleſimum & quadringenteſimum annum à Chriſto nato, Neque propterea fortaſſe à verò alienum erit affirmare, eius ortum incidiſſe in tempora Bonifacij Noni Pontificis: qui, pontificatum iniens anno M. CCCLXXXIX. geſſit annis circiter quindecim. Quo tempore Hiſpania, Henrico III. Rege, maximè floruit: ab eâ tamen re felicior extitit, quòd virum talem peperit, cuius ſanctitatis odor in omnem Eccleſiam diffuſus eſt. Sed hîc, res mira ſilentio prætereunda non videtur. Erat beatæ Mariæ virginis Viſitationis celebritas aliquot antè annis ab Vrbano VI. Pontifice inſtituta: quæ cùm non eſſet adhuc inducta in conſuetudinem, aut fortè temporum iniuriâ in cultu eſſe deſiiſſet, illam idem Bonifacius ad vſum reuocauit, indulgentiarumque munere auctam ſolemniorem reddidit. Diuino conſilio factum eſt, vt qui dies in celebri veneratione eſſe cœpit, cùm beatus Didacus tunc primùm in lucem editus, aut infans, puerve extitit, eo ipſo ſacro ſolemni die, tam multis pòſt annis, à SIXTO QVINTO Pontifice, Philippi Regis rogatu ſit in ſanctorum Confeſſorum numero collocatus. Verùm id omne copioſiùs loco ſuo infrà enarrandum erit.

CAPVT II.

De prouinciâ, & loco vbi naſcitur.

DEI munere, beneficioque, Hiſpania iam inde vſque ab eo tempore, quo Apoſtoli, & apoſtolici viri ſplendidiſſimum fidei ac virtutum Chriſtiārum ornatum explicârunt, tam mirifico illo ſplendore incenſa, dementis ſuperſtitionis falſo cultu abiecto, ardēter

amplexa eſt ſanctiſſimam Chriſti Domini religionem. Quo factum eſt, vt in omni temporum varietate, quibus contra Eccleſiam Dei bellum exarſit, magnam ac firmiſſimam martyrum multitudinem, quaſi cohortem quandam prætoriam, in aciem eduxerit. Eamque ob rem admirabilis elucet Chriſtiana virtus Hiſpanorum, qui fide imbuti, ad eam tuendã ſunt confirmati vehementiùs.

Hiſpania plurimos habet martyres.

Nulla ferme eſt Hiſpaniæ ciuitas, quæ aliquo nomine clara, etiam non ſit nobilitata martyrio multorum. Neque attinet omnes enumerare; cùm præſertim Eccleſiaſtici Annales non obſcurè loquantur. At hoc meminiſſe glorioſum eſt, atque iucundum, pro Chriſti fide, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Cæſarauguſtam, quæ vrbs in Hiſpania eſt regionis Sedetaniæ, ita contendiſſe, & dimicaſſe; vt cum omni aliâ, non modò ciuitate, ſed prouinciâ comparari optimo iure, meritiſſimoq; poſſit. Id teſtatiſſimum fecit Prudentius hymno illo elegantiſſimo, quẽ de martyribus octo & decem Cæſarauguſtanis ſcripſit.

Prudentius Hymn.

Fuerunt ſemper in omni Hiſpaniâ, & ſanctitatis, & doctrinæ gloriâ præſtantes, non modò Antiſtites, ſed alij cuiuſcunq; ordinis & loci viri; quos non eſt, cur nominatim appellem. Iam verò ſynodi, in quibus Chriſtiana morum diſciplina maximè illuſtris eſt, quàm antiquæ, & quàm frequentes extiterint, id cũ Illiberis, tum Toleti monumenta declarant. Conuentus autem Toletani quatuor & viginti, atque adeò ampliùs numerantur.

Concilia Toletana 24.

Nulla enim toto orbe terrarum eſt vrbs, vbi ſæpius Concilia prouincialia coacta ſint, eaque rectè atque ordine habita. Epiſcoporum item multitudinem demonſtrant tabulæ dypticæ Hiſpanienſes: in quibus etiam cernitur numerus ſatis magnus eccleſiarum, præſertim Cathedralium. Atqui eæ ſunt fere omnes cenſu ampliſſimo auctæ, ac multæ admirabili opere, auguſtiſſimiſque donis excultæ. Hæc omnia ob oculos ponunt ſingulare religionis Chriſtianæ ſtudium: quo perpetuò omnis Hiſpania floruit. Alia multa extant, quæ ad illius gloriam redundant. Regnis namque duodecim conſtat, quæ magna amplaque habent vectigalia.

Regna duodecim in Hiſpaniâ.

Archiepiſcopatibus quinque circumſcribitur præter Vlyſſiponenſem: qui in Luſitaniâ à Bonifacio Nono Põtifice, tum primùm, pro temporum ratione, paulò antè notatâ, inſtitutus eſt; cùm beatus Didacus nondum ex pueritiâ exceſſerat. Idque à me dictum eſſe volo, vt ad illius ætatem, quam propoſui, aliquid non modò quod certum, ſed quod inſigne ſit, ſemper accedat. Verùm Hiſpania, quæ non ſolùm tantis ornamẽtis, ſed magnis etiam rerum copijs circumfluit, quæ ad vitæ vſum, & cultum pertinent; hanc præter ceteras ſummam quoque laudem & domi, & foris habet, quòd maximo exornata eſt Sanctorum numero. Neque hîc longè repetenda ſunt vltima illa tẽpora; cùm proximè ſint, qui eam colluſtrârint. Non multis ab hinc annis Vincentium Valentinum Ordinis S. Dominici Calliſtus Tertius, & nuper Sixtus Quintus Didacum Complutenſem Ordinis Seraphici Franciſci, vtrumque hominem Hiſpanum, in Sanctos retulit. Res eſt, quæ poſt Martyrum memoriam, diuino munere, ſoli tantùm Hiſpaniæ ſucceſſit, alij prætereà nulli prouinciæ, vt duos habuerit, qui tam exiguo temporis ſpatio interiecto in Sanctis adſcriberentur. Beatus igitur Didacus, Hiſpanus fuit, in Bæticâ prouinciâ, oppido quodam natus, quod ſancti Nicolai nomine appellant.

S. Didaci patria oppidum S. Nicolai.

Eſt id ditionis Hiſpalenſis, inter Conſtantinam, & Caſaliam ſitum Bæticâ prouinciâ, à Bæti fluuio vocatâ, quem Guadalquiuir, nempe fluuium magnum Arabico vocabulo appellant, Granatæ partem intra fines ſuos continet, vrbeſque habet multis nominibus illuſtres: quarum caput ac metropolis eſt Hiſpalis, in cuius ditione beatus Didacus naſcitur. Ea vrbs, quam Sibilliam Mauritano nomine hodie vulgò dicunt, ſcriptorum iudicio multis Hiſpaniæ ciuitatibus anteponitur.

Sibillia vrbis laus.

Eſt circuitu ampla, forma rotunda, aſpectu pulchra, mœnibus & propugnaculis munita, plateis & vicis hilara, ædibus inſignis, hortis & fontib. amœna, templo maximo nobilis, & eccleſiarũ multitudine celebris, ſacerdotibus exculta, ciuium plena, equitibus referta, mercatorum commercijs opulenta, liberalibus ſtudijs affluens, artibus adornata, agri vbertate valde admodum fertilis, nauigiorum numero copioſa. Sed eſt eâ laude florentior, quòd perpetua habet monumenta Chriſtianæ religionis & diſciplinæ. Sunt Hiſpali beatiſſimi Martyres, qui Daciano Præſide & Diogeniano eius Legato, fortiſſimi pro Chriſti fide heroes, dimicationem tum ſuſceperunt, tum confecerunt, Carpophorus &

Martyres. Abundius, Petrus & Florentinus, Iuſta & Rufina virgines. Synodi duæ Hiſpalenſes, vna prior, altera poſterior, ad pietatis officia inſignes. Epiſcopi autem extiterũt, doctrinæ & ſanctimoniæ gloria præſtantes: in quibus potiſſimum eminent duo, Leander, & Iſidorus. Tanti autem Hormiſdas Põtifex fecit Hiſpalenſis Epiſcopi dignitatem, vt ei Sedis Apoſtolicæ auctoritatẽ delegârit, quam in omni & Luſitaniâ, & Bæticâ gereret. Hæc ſunt ornamenta Hiſpalis vrbis: intra cuius fines, cùm, vt dixi, poſitum ſit S. Nicolai oppidum, è cuius viſceribus beatus Didacus in lucem prodijt, ſicut florentiſſimæ illius ciuitatis ſplendore obſcurum eſſe nullo modo poteſt; ita maximè illuſtre factum eſt ortu illius tam magni viri, omni virtutum in Eccleſiâ Dei prælucentium laude clariſſimi. Neque quicquam opus eſt, cur de illius patriâ pluribus ſcribam; cùm Sanctorum non hæc terrena ſit, ſed cæleſtis illa ciuitas, inquit Baſilius Magnus.

Epiſcopi inſignes.

CAPVT III.

De parentibus.

S. Didaci parentes ignoti.

BEATI Didaci parentum nomina ignorantur, vt S. Hilarij Epiſcopi Pictauenſis, & aliorum fortaſſe multorum, quorũ nomina ſcripta ſunt in cælis. Natus eſt autem parentibus, etſi fortè humilibus, ac certè Chriſtianis, & antiquâ, verâ ſolidaque pietate imbutis: quales fuiſſe conuenit, à quibus filius, tantus vir futurus, ad tam præclara piè agendi officia, primùm ineunte ætate informaretur. Non genus nobile, aut ignobile, Deus ſpectat. *In veritate comperi*, inquit beatus Petrus, Apoſtolorum princeps, *quòd non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* In omni ordine, gradu, & ſtatu nouit Dominus, qui ſunt eius, & miſeretur cui voluerit, & miſericordiam præſtat, in quẽ ſibi placuerit. At beatus Didacus, quamuis nobili forſan genere non eſſet; cùm huius vitæ curſum ſanctiſſimè confecerit, egregiarum virtutũ exempla documentaque præbuerit, rerum admirabilium, ac diuinè geſtarum ſplendore eluxerit, ad magnum, vel potius ſummum claritatis ſplendorem aſcendit. Hanc generis nobilitatem & dignitatem Chriſtus Dominus hominibus attulit, qui illum ſequerentur, vt filij Dei vocarentur, & eſſent. *Si filij*, inquit beatus Apoſtolus Paulus, *& heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. Qui ſpiritu Dei*, inquit idem, *aguntur, hi filij Dei ſunt.* Summo genere igitur eſt B. Didacus, qui diuino Spiritu impulſus, ſe totũ ad Chriſti ſtudium contulit, & illius crucem amplexatus eſt animo ardentiſſimo. Sed locis ſuis hæc omnia exponẽtur. Nam, vt rectè ad narrationis curſum progrediar, de eius nomine dicendum eſt.

Act. 10. 34.

2. Tim. 2. Rom. 9.

Nec ij nobiles.

1. Ioan. 3. 1.

Rom. 8. 17. Ind. 14.

CAPVT IV.

De nomine.

Iacobus nomen eſt Didaci.

PARENTVM autem pietatem indicat nomen, quod filio, vt ritus poſtulat, in baptiſmo imponi voluerunt. Iacobum enim dixerunt: quod nomen Apoſtoli eſt, cæleſtis Hiſpaniarum aduocati. Id ab ijs, qui religionem Chriſtianam integrè, purè, pieque colebant, eo conſilio factum eſt; vt ſuſcepta proles frequenti nominis recordatione ad imitationem excitaretur virtutum tanti Apoſtoli: & quem imitari ſtuderet, eum quoque precaretur, ac ſperaret ſibi patronum ad ſalutem tum animæ, tum corporis defendendam futurum eſſe. Pium fuit ac ſapiens parẽtum conſilium: reſque præclarè cecidit, vt maximè concupierant, atque optarant. Didacus enim filius, Apoſtoli virtute, & ſanctitate accenſus, ſpretis & contemtis huius vitæ rebus, quæ nihil ſolidi, nihilque expreſſi continent, ſed inanem quandam bonorum imaginem præ ſe ferunt; Chriſti Domini crucem vſque adeò ſecutus eſt, vt in omni vitâ diuelli ab eâ non potuerit. Re igitur præſtitit, quod nominis notione & ſignificatione præ ſe ferebat. Nam Iacob Hebraicè, ſupplantator Latinè dicitur. Is autem quaſi ſuppoſitis huic ſæculo pedibus, ita ardenti cæli deſiderio exarſit, vt mox infrà narrabo. Eum Hiſpanicè vulgò appellant Diegum, quem etiam plerique Didacum dicunt. Atque hoc ipſo quidem nomine permulti ſancti viri vocati ſunt, quorum vnus eſt Didacus, Epiſcopus Vercellenſis, ſanctitatis laude clarus.

Secutus eſt Didacus cognominem Apoſtolum.

CA-

CAPVT V.

De vitâ eremiticâ, quam beatus Didacus primò ſuſcepit.

TANTA vis eſt amoris erga Deum, quantum non ſolùm ex beati Pauli teſtimonio, ſacriſqúe litteris, ſed ex omnibus alijs Chriſtianæ pietatis monumentis intelligi licet. Diuinâ charitate accenſi Chriſtiani homines neque minis, neque terroribus, neque doloribus, neque ſupplicijs, neque mortis immanitate, nec hoſtis ſempiterni truculentiâ, nec vllis denique rebus alijs vel maximè horribilib. labefactari, infringi, & à Chriſti Domini fide auelli, atque abſtrahi vnquam potuerunt. Gladios ſpernebant, in ignes irruebant, cruciatus appetebant, in tormẽtis vitam abijcere cupiebant. Eo ipſo cæleſtis amoris ardore inflammati Dei homines, poſtquam diuino beneficio omnis perſecutionum tempeſtas eſſe deſijt, Paulus & Antonius in Ægypto, Hilario in Syriâ, Macharius in Thebaide, Pachomius etiam, & alij deinceps, ab omni hominũ conſpectu remoti, vaſtas illas ſolitudines non horruerũt; ſed vltro adierunt: in ijſq; ab huius ſæculi iucunditatibus alienam vitam ſecuti, ita crucem omni duriùs viuẽdi genere amplexati ſunt, vt tota illorum mens, in Chriſti imitatione defixa, tantum cæleſtia meditaretur. Eodem amoris erga Deum ſtudio exardeſcens beatus Dicacus, mundi huius pericula fugiens, eorum Sanctorum virorum exemplo vitam in ſolitudine, ſibi primùm delegit. Itaque ab ineunte ætate pijs òperibus deditus, iam adoleſcens, vnà cum quodam ſacerdote, diuinæ pietatis laude clariſsimo, quem voluntariæ paupertatis, vigiliarum, ieiuniorum, abſtinentiæ, continentię, innocentiæ, orationum, omniſque ſpiritualis exercitationis ſocium, ac teſtem habuit, ad eremum venit, quæ ab oppido ſancti Nicolai, eius patriâ, propè aberat. Eo loci multos annos manſit, vbi cæleſtium meditationum pabulo animum alebat: corpus autem duriter, Sanctorum eremitarũ more, ſuſtentabat, eleemoſynis. Otium, quod vitiorum omnium ſeminarium eſt, vitabat omnino. Itaque, quod ſalutare, ac vetus eremitarum inſtitutum fuit, in illis Ægypti præſertim ſolitudinibus, cùm magnam temporis partem diu noctuque in ſanctâ contemplatione, & oratione poſuiſſet; quod reliquum erat, ad opera manuum traducebat. Immò dum ore, aut mente Deum precabatur: interim etiam manus haud quaquam otioſas eſſe voluit. Idque omne faciebat non ob victûs ſolum neceſsitatem, ſed ob animæ ſalutem. Ne pernicioſis cogitationibus vagaretur mens, otio langueſcens, & inſtar fornicantis Hieruſalem omni tranſeunti diuaricaret pedes ſuos. Varia igitur vaſcula è iunipero contexebat, cochlearia conficiebat, & item exigua ſalina. Ea dono dabat ijs, qui in eleemoſynam conferebant rem aliquam vel minimam, victus ſui tenuitati neceſſariam. Si quid autem, qui munuſcula ab eo acceperant, dare præterea vellẽt, id ſummopere recuſabat, cùm eius, qui in eremum ſe abdidit, diuitiæ tantùm ſint, tunica, cucullа, palliolum, & meditationum liber; id quod de beato Hilarione ſcriptum ſanctus Hieronymus reliquit. Ex oppido ſancti Nicolai cùm aliquando ad eremum rediret: ſacculum in viâ, plenum nummorum inuenit, quem ne manu quidem capere, ne dum ſibi acquirere voluit, paupertate ſummâ contentus, cuius ſtudio mirum in modum deditus erat. Ad oppidum propterea continuò reuerſus, quem fortuitu primum offendit, ei certum locum demonſtrauit, vnde eum ſacculum nummarium acciperet. Humilitatis autem, quæ virtus Chriſtianæ religionis propria eſt, ac virtutum omnium ſeminarium, officia ita coluit; vt eâ, & charitate, qua omnes eximiè in Chriſto diligebat, maximam excitaret admirationem ſui. Sed de ijs ipſis alius erit enucleatiùs perſcribendi locus. Quoniam igitur is, vt homo erat, qui intimo animo de ſe humiliter ſentiebat, ſeque præ ceteris contemnebat, ab illâ nominis ſui gloriâ, in patriæ, illiuſque regionis fines longè diffuſâ, valdè abhorrebat: ab eremo diſceſſit ad Conuentum Arrizafæ, qui eſt Ordinis ſancti Franciſci, non procul Cordubâ diſtantem; vbi, diuinâ ope adiutus, maiores in viâ Domini progreſſiones habuit, vt mox narrabo.

Vitam ſolitariam elegit.

S Hieron. to. 1 ep. 4. ad Ruſt.

Idem to. 1. in vit. Hilationis.

Pecuniam reſpuit inuentam.

CAPVT VI.

De ingreſſu in religionem ſancti Franciſci.

SPIRITV diuino ductus Cordubam venit ad eum conuentum: vbi, arctioris obediētiæ vinculis deuinciri cùm maximè cuperet, in Seraphici S. Franciſci adſcriptus eſt ordine, quem vulgò Obſeruantium nomine vocant. Mirificè illum ad omnem ſanctè progrediendi rationem adiuuit Dei benignitas, ſi cuncta, vt par eſt, accuratè perpenduntur. Eſt Corduba, quaſi cor Bæticæ prouinciȩ, vrbs antiquiſſima, à Marco Marcello condita, vel potiùs inſtaurata, Patriciorum Romanorum colonia, ad Bætim fluuium ſita, cuius totus ager frugiferus eſt, ac fructuoſus; cùm antea præclaris virorũ ingenijs præſtitit, tum rei militaris gloria circumfluxit. His alijſque rebus nobilitata, at longè nobiliſſima extitit, cũ pro Chriſti Domini fide, cuius myſterijs ab initio ferme Chriſtianæ religionis imbuta eſt, præclaras illas dimicationes ac pugnas egregias ſuſcepit & confecit. Cordubenſium enim martyrum, quorum ſanguine illa ciuitas conſecrata eſt, ingens numerus putatur, fortaſſeq; maior multo, quàm ceterarum Hiſpaniæ vrbium, quæ illuſtribus pro Chriſti nomine victorijs excellunt. Neq; autem ſolùm Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, à quibus, cùm vbique terrarum, tum in ipſâ Hiſpaniâ teterrimi belli incēdium magnum contra Eccleſiam Dei excitatum eſt Daciano, Dione, & Eugenio ducibus, cōtra fidei hoſtes Cordubȩ ſummâ conſtantiâ; contentione pugnatum eſt: verùm etiam aliquot pòſt ſæclis aduerſus Gothos, Arianæ hæreſis furore inflammatos, nominis populiq; Catholici hoſtes infenſiſſimos, certamina ad ſempiternam laudem inſignia ſunt, coronæq; maximè illuſtres Cordubenſium martyrum. At in Arabicæ gentis, Mahumetanȩ ſuperſtitionis fæce contaminatiſſimȩ, eamque ob rem feritate immaniſſimȩ dominatu, vix dici poteſt, quàm magnum, ac glorioſum ſit pietatis nomen, quo ciuitas Cordubenſis maximè illuſtris videtur. Ea vrbs, tantorum martyrum glorioſis trophæis ornata, magniſque pietatis ornamētis locupletata, Dei hominem, qui ad Sanctorum imitationem ſe contulerat, potuit bene iuuante Deo, vt credibile ſit, in dies magis atq; magis accēdere ad illas ſpirituales progreſſiones, quæ ſibi diuinitus in cordis viſceribus fixæ, inſidebant. Inde enim vix mille & quingētis paſſibus procul eo in conuentu cùm habitaret, multum adiumenti, auctore & duce Spiritu ſancto, conſecutus eſt non ſolùm ex recordatione vrbis, Sanctorũ copiâ circumfluentis; ſed ex anniuerſarijs eorum natalibus diebus, quorum celebritas, quaſi liber quidam, animos menteſq; hominum piorum, meditationis aſsiduitate vtentium, inſtruit ad eos ipſos imitandos, qui ſunt nomine non tantùm, ſed memoriâ atque imitatione digniſsimi. Iam vero aliquot annos in patriæ eremo B. Didacus poſuerat: diuinâ factum eſt voluntate, vt is vitæ eremiticæ exercitationibus præclarè anteà inſtitutus, ad illum, quem dixi, Seraphici Franciſci obſeruantium Fratrum conuentum ſe reciperet: vbi pietatis ardore & progreſsione diſciplinæ aſſecutus eſt omnia, quȩ ſibi maxima propoſuerat ad vitæ perfectioris imitationem. Nam, vt ſapiens quidam vir, ſanctarum inſtitutionum vſu peritus, ſcitè dixit; Domus religioſorum hominum conuentu referta, quædam quaſi officina eſt exemplorum: quibus vniuersè atque adeò ſigillatim, quicunque in eo cœtu numeroque adſcribuntur, inſtructiores fiunt ad recta ſummarum virtutum officia. Sunt in eo communi benè inſtituto domicilio, qui humilitate & manſuetudine, alij qui charitate, alij qui abſtinētiâ, alij qui meditationis & orationis ſtudio præſtent; nonnulli etiam qui aliorum cæleſtium donorum ſplendore præluceant. Quo fit, vt in tantâ bonorũ quaſi ſupellectile & copiâ, cùm quis ab vno aliquid, ab altero aliud, ab alijs alia, & ab omnibus denique omnia capiat, opibus circumfluat documentorum, quibus in omnes virtutũ partes conformari poſſit ad perfectè ſancteque agendum. Erat illis temporibus Seraphici ordinis religio, quàm florentiſsima nomine ſanctimoniæ; cùm præſertim ad antiquam illam diſciplinam, ab auctore parenteque B. Franciſco inſtitutam reuocaſſet paulò antè Bernardinus Senenſis, cuius memoria in benedictione eſt. Nũquam ſatis oratione explicari poſſunt illa virtutum curricula, quibus tunc B. Didacus progreſſus eſt ad viam Domini; in quâ iam diu impreſſa habuerat veſtigia. Sed miſericors & omnipotens Deus,

Obſeruantium inſtituto ſe addixit.

Cordubæ laudes.

Monaſterium exemplorum officina, quod bene inſtitutum eſt.

S. Bernardinus Ordinem reformauit.

qui

qui diſponit omnia ſuauiter, quâ eſt immẽſâ bonitate, illius rectè progredientis curſum aliâ etiam ratione incitauit. Etenim is, rerũ omnium auctor & conditor, vt ſolem, qui ceteris ſideribus lucem præberet, principem locum habere voluit: ſic B. Franciſcum, nimirum Seraphici ordinis parentem, tanquam aliquem in ſtellis ſolem, maiorum noſtrorum memoriâ dedit: vnde, qui illius diſciplinæ ac regulæ ſe vnquam dediſſent, clariſſima virtutũ omnium exempla haurirent. Didacus igitur beatus, ope diuinâ ſubnixus, Seraphici illius patris imitatione, quàm miras ad ſanctè agendum progreſſiones habuerit, mox ordine exponam.

CAPVT VII.

De diligenti ſtudio, quod adhibuit ſeruandis Seraphicæ regulæ inſtitutis.

IAM inde ab adoleſcentiâ is cùm ſuaue Chriſti Domini iugum ſubierit: non huic ſæculo, eiuſque deſiderijs, quemadmodum dixi, in poſterum alligatus, quæſiuit aut egit, quæ gentes inquirunt, ſed quę Dei ſunt. Vbi verò primùm S. Franciſci regulâ, vitæque Seraphicæ inſtitutis ſe deuinxit, vt verus obedientiæ filius, paratus in omnes voluntates Dei, mirificè cucurrit viã mandatorum eius. Omnes igitur cogitationes ſuas in eo potiſſimùm fixas habuit, in eoq; omnibus viribus contendit; vt, quam viuendi diſciplinam ſibi delegiſſet, eam ſingulari ſtudio, atq; omni officio exprimeret. Id quo rectiùs, & perfectiùs in ordine Seraphico præſtaret; illius regulas, conſtitutioneſq; memoriâ complexus, eas ad vitæ vſum & conſuetudinem quotidianam adduxit. Nemo proculdubio illis ſeruãdis diligentior, quàm is fuit: qui non tantùm ne minimum quidem ab earum præſcriptis diſceſſit, ſed zelo exarſit, vt ſi quem fortaſſe in illis aliquando quicquam offendere animaduerteret, ad earum obſeruationem, cohortationibus, monitis, & præclaris exemplis reuocare ſtuduerit perpetuò. Quare magnâ in primis religioſi viri opinionem cõcitauit, & ſuſtinuit apud omnes, qui aut in eodem conuentu permanerẽt, aut aliunde, etiam ex diſiunctiſſimis prouincijs, illuc confluerent. Ij peragratis multis diuerſiſque prouincijs, cùm plurimorum hominum religioſorum vitas moreſq; perſpectos & exploratos habuiſſent; illud aſſeueranter in vulgus dictitabant, ſe eorum, qui perfectè exequendis B. Franciſci regulis omnibus Didaco par eſſet, vidiſſe vſquam neminem. Hoc autẽ in omni eius vitâ cunctis perſpicuè manifeſtum eſt, idemq; in obitu apparet: quandoquidem in ipſo pene temporis pũcto, quo animam Deo reddidit, non aliorum recordatione, ſed ſponte ſuâ petijt, ſe veſtitu rudi indui & cingulo funeo, vt ne moriens quidem negligeret, quod ad regulæ vſum pertinere norat. Itaque tam inflammati ad Seraphici ordinis præcepta ſeruanda ſtudij viam ille primum ingreſſus, non modò aditum quendam exiguum, ſed latiſsimum ſibi campum patefecit, in quo exercitationes, & curricula conficeret ſummarum & diuinarum illarum virtutum, quarum veſtigia, ad ſempiternam memoriam impreſſa reliquit, vt diſtinctè, diſtributeque omnia demonſtrabo.

Regulam quam profeſſus rigidè ſeruauit.

CAPVT VIII.

De eius humilitate.

AD *quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* dicit Deus omnipotens. Paulò antè expoſui humilitatem, quam B. Didacus, cùm apud S. Nicolai oppidum in eremo vitam duxit, mirifice coluit. Neque propterea tamen narratio repetita videri debet: cùm in ætatis ſuæ curſu maiores longè progreſſiones fecerit ad ampliſsimã illam, vel potius ſummam virtutem, cuius tanta vis eſt, vt cælum etiam penetret. Humilitatis, quâ præluxit ſeruus Dei Didacus, argumento multa ſunt, vita aſperrimè acta, corporis cruciatus ſponte ſuſcepti, ſingulariſq; abſtinentia victûs, perpetuus fere ieiuniorum curſus, aſsiduæ in oratione pernoctationes, labores incredibiles, atque opera abiecta, ac demiſſa, quæ præ charitate magnâ præſtitit. Sed hæc omnia facilè intelligentur, cum infrà non curioſè, ſed piè commemorabuntur. Reſpexit autem Deus illum, pauperem ſpiritu, nimirum humili & demiſſo animo, pio metu in lege diuinâ ambulantem: & ita reſpexit, vt eius humilitatem

Iſa. 66. 2.

Sup. cap. 5.

etiam ex eo perſpici liceat magnã fuiſſe, Deoque gratam; quia illum humiliter precãtem, mirandis in rebus diuina benignitas exaudiuit. *Non ſuperbi*, vt diuinis in litteris ſcriptum eſt, *placuerunt tibi Domine: ſed humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Miraculorũ vero, quorum ſplendore is claruit, magnitudinem ac multitudinem alterâ huius commentarij parte explicabo, vt initio propoſui. Atqui teſtes extant grauiſſimi viri, quorum alij vnius virtutis, quidam ceterarum multarũ teſtimonium ei pręclarum dicunt: omnes autem vno ore humilitatem eximiè laudãt, quâ illius memorię hominibus in ordine Minorum excelluit, nimirum in exercitatione, atq; vſu diu verſatus meditationum vitæ Chriſti Domini; qui in terris primus tantæ virtutis ſcholam inſtituit. Is Filius Dei, cùm in formâ Dei eſſet, neq; rapinam arbitraretur ſe eſſe æqualem Deo, ſe ipſum ad humilitatem noſtram demiſit, in ſimilitudinem hominum factus, & formâ inuentus vt homo. Is vitam in terris humilem, & ab omni cultu elegantiaq; remotiſſimam ſecutus eſt: inſignes contumelias pati, grauiſsimas ignominias accipere, multis flagris cædi, & quod mortis genus olim erat maximo dedecori, in crucem tolli voluit. Humilitatis igitur, quę virtutum omnium radix & cuſtos eſt, auctorem Chriſtum, rerum cunctarũ Dominum, habuit: cuius in primis magiſtri cæleſtis exemplis inſtructus, frequentibus illis in meditationibus, quas ad eius crucem adhibebat, præclariſsimam tantę virtutis vim animo mentiq; ſuæ mirabiliter impreſsit. Et, vt erat, quemadmodum loco ſuo exponam, B. Mariæ Virginis, Dei matris cultor egregius: in eius ſacris feſtiſque anniuerſarijs potiſsimùm diebus, cum eam omni pietatis officio præcipuè veneraretur; tum ad imitationẽ animo cernebat ſibi propoſitas eſſe reliquas eius virtutes omnes, maximeq; humilitatem, quam Deus in ancillâ ſuâ reſpexit. In his ſanctarum contemplationum ſcholis exercitatus B. Didacus, non potuit, vt humilitas in hominibus inueniri poteſt, non eſſe ſummè humilis: cùm præſertim humillimæ vitæ ducem ſibi delegiſſet Seraphicum Franciſcum; qui, diuinâ adiutrice gratiâ, cùm ad Chriſti Domini exemplar ſe in omnes vitæ partes imitatione conformare ſtuduerit, multa familiæ ordinique ſuo reliquit exempla humilitatis. Cuius virtutis veſtigia in ipſo Didaco, quem diligẽtiſsimum illius imitatorem fuiſſe conſtat: eamque ob rem à regularum, quæ omnes ad Euangelicam paupertatem, ſummamq; humilitatem referuntur, pręſcripto, ne minimo quidem diſceſsiſſe, paulò antè publicis Hiſpanienſibus tabulis obſignatis, & teſtimonijs demonſtratum eſt luculentis. Itaque ſeruus Dei Didacus hoc proprium habuit, vt ſibi omnes anteponeret, ſe autem nemini. Omnibus autem, vel minimis, inſeruire cupiebat. Senes, pueros, adoleſcentes, omneſque cuiuſcunque ordinis ac loci homines iuuare ſtudebat tantâ humilitate, quanta quidem maxima animo comprehendi, aut oculorum aſpectu cerni poteſt. Quicunque ad ſe veniret, conſilium aut auxilium expetens: nunquam aliquem reiecit. immò quos pauperes, mendicos, atque ab omni re inopes animaduerteret, erga eos humiliùs ſe gerebat, vt infrà ex charitatis, qua illos fouebat, officijs intelligi licet. Iniurias, contumelias, & maledicta, ſi qua vnquã in ſe ab impuris hominibus conijciebantur, humillimè patientiſsimeq; ferebat. Præ humilitate etiam, veſtitum induebat paulò aſperiorem, ac duriorem. Sed huius virtutis, ad quam ſe egregiè erudierat, argumẽto ſunt alia multa, quę infrà commemorabuntur: cùm illa, quæ præſtitit, vel obedientiæ, vel charitatis opera, aut affligendi corporis ſtudia, aliaque eius generis ab humilitate proficiſcantur.

Iudith 9. 16. — *Humilitas S. Didaci dilaudata.* — *Phil. 2. 6.* — *Auctor humilitatis ſectãda Chriſtus.* — *Et imitator Franciſcus.* — *S. Franciſcũ Didacus ſectatur.*

CAPVT IX.

De obedientiâ.

EVANGELICÆ paupertatis, quam verâ ſolidaq; animi humilitate Didacus profitebatur, ſocia & comes, ac tãquam germana ſoror eſt obedientia: cui magnum præmium propoſitum eſſe, Baſilius Magnus ſcribit. Ea cùm ſit, inquit * Climacus, *ſepulchrũ propriæ voluntatis*: illius ſtudio ita ſe ipſe Didacus dedit, vt voluntate ſuâ quaſi ſepultâ, eorũ, qui pręerant, iuſsis, ſæpe etiam numerò acerbiſsimis, obedientem ſe maximè omnium præſtiterit. Præfecto alicui, ne nouitio quidẽ, parere recuſauit; qui veræ obedientię diſciplinam ex eo didicerat, quod olim B. Franciſcus ſcitè dixerat. Is aliquando interrogatus, quis eſſet verus obediens: mortui hominis exemplo id explicauit: *Tolle*, inquit, *corpus exanime*,

Baſ. in conci. procem. in Prou. — **Grad. 4.* — *Obedientia ſepulchrum voluntatis.* — *Verus obediens à mente S. Franciſci.*

animæ, & quo loco volueris, repone: cernes, illud nec repugnare motum, nec reclamare dimiſſum, neque vllo modo indignari, quocunq; feratur. Didacus igitur beatus, obedientiæ cultor eximius, cur è loco, vbi eſſet, moueretur, non dijudicabat; vbi locaretur, non curabat; vt alibi reponeretur, nō inſtabat: euectus ad Guardiani munus, ſeruabat humilitatem, quā profeſſus erat; & quo magis ab hominibus honorabatur, hoc humiliùs ſe gerebat, cum indignū honore ſe putaret. Quare paratus atq; inſtructus ad obedientiæ leges, non attēdit vnquam, vt erat ſingulari animi ſimplicitate præditus, quale eſſet, quod præcipiebatur, eo ſolo contentus, quod ſibi erat à ſuperioribus iuſſum, quibus non obedire nefarium putarat. Quā religioſæ mentis incitatione ductus, ſine vllâ cunctatione, ſed hilari promptoq; animo mandata exequebatur iubentis. Eam ob rem potiùs humilia, quàm magnifica, aſpera & difficilia, quàm iucunda & facilia ſibi imperari cupiebat: cùm ſæpiùs auditione accepiſſet non modò obediendi normam, quā ſancti monachi Ægypti tenuerant, ſed Abrahæ exemplum: qui, filium chariſſimum immolare iuſſus, nō expectatā luce, ſed intempeſtâ nocte, ad id opus faciendum ſe parauit. Gen. 22. 3. Et verò, quod perfectæ obedientiæ eſt, ait Gregorius Magnus, non metu ſeruili, ſed charitatis ardore, non pœnæ formidine, ſed rectè agēdi ſtudio, maiorū præceptis obtemperabat. Erat illis temporibus nauigationis curſus ad Fortunatas inſulas valde admodū difficilis, periculoſus, ob eamque rem infeſtus, quòd inſulani, magnā ex parte adhuc ſuperſtitionum ſcelere deuincti tenebantur. Appellantur illæ inſulæ vulgò Canariæ: ſunt autem ſeptem, in mari Athlantico ſitę, veteribus Ptolomæo, Martiano alijſque & Latinis, & Græcis cognitæ, præſertim Plinio, qui illas ſuo quamq; nomine vocat; Canariaſq; omnes dictas putat ob magnitudinem canum, quos illę pariunt. *Canariæ inſulæ dictæ à canibus.* Diu poſteà incognitæ extiterunt, fortaſſe quia nauigatio Canarienſis multis ætatum ſæclis intermiſſa erat. Demum anno milleſimo, quadringēteſimo quinto à Chriſto nato, Ioanne II. Caſtellę Rege, quo tempore B. Didacus puer erat, à Benthacorio, homine Gallo, qui tunc à tutoribus Regis, adhuc infantis, mare Athlanticū nauigandi facultatē acceperat, duæ inuentæ ſunt, & ad Chriſtianæ religionis cultum inſtructæ. Quo fit, vt aliæ, quæ deinceps in ditionem poteſtatemq; Regis Hiſpaniarum venerunt, nondum fidei myſterijs imbutæ eſſent, cùm Didacus, à ſuperioribus ſuis miſſus, eò mare tranſmiſit. Is igitur non longâ, neque nouâ, ob eamq; rem difficili nauigatione perterritus, nec inſulanorum moribus immanitate barbaris perculſus, ſed veræ obediētiæ, cui ſe ſanctè addixerat, religioſo officio ductus, nauim cōſcendens, ad illas inſulas, ſępè ventis reſlantibus, & infeſto mari, demum ope auxilioq; diuino appulit. Eſt vna inter aliàs Canarias inſula, quam Forteuenturam nominât. Eò venit ad Seraphici ordinis conuentū, ſibi à ſuperioribus traditum in curam, & cuſtodiam; quam geſſit magnâ Seraphicæ religionis laude. *Eò destinatus Didacus Guardianus.* Non erant, qui eam inſulâ habitabant, adhuc omnes ad fidem conuerſi. Hîc vir Dei Didacus, meſſem multam nactus, admirandis exemplis, ſingulari vitæ ſanctimoniâ, ſermonum frequentium ardore incredibili, multitudinem inſulanorum innumerabilem, idolorum cultu, & ſuperſtitionū tenebris circumfuſam, ad fidei lumen perduxit. In ijs pręter ceteros plurimos extitit etiā Ioannes Alphonſus, homo quidam, iam inde vſque è Canariâ magnâ illuc profectus: qui, idola colens, à B. Didaco religionis Chriſtianæ ſacris imbutus, baptiſmum ſuſcepit. *Vbi Chriſto multos lucrifecit.* Paulò autem pòſt, filios duos eidem in diſciplinam tradidit, quâ ad pietatis ſtudia atq; officia à magiſtro tam religioſo erudirentur. Magnas ob fidei propagādæ ſtudium difficultates, & labores Didacus perpeſſus, varieque etiam vexatus & oppugnatus, multa quoq; pericula adijt: quibus non modò perterrefactus, ſed ardentiùs inflammatus, ad Canariam magnam item proficiſci deliberauit, vt illius inſulæ homines verbi Dei prędicatione ab impurâ idolorum ſuperſtitione ad fidem conuerteret, aut martyrium ſubiret, cuius deſiderio vehementer exardeſcebat. Quàm plurimos ordo Seraphicus viros habuit, qui martyrij palmam aſſecuti ſunt, quiq; eodem illius deſiderio flagrantes, parum abfuit, quin tanto bono fruerentur. Tam vehemens in beato Franciſco ardor martyrij fuit, vt ſemel, & iterum, & tertiò ad infidelium prouincias eam ob rem ire contenderit. Hoc tam præclarum ſalutareque deſiderium, illius, tamquam optimi parentis, imitatione accenſum, ad ſanctum Antonium Vliſſiponenſem,

quem de Paduâ dicimus, & alios Seraphicæ religionis filios dimanauit. Illius ergo cupiditate ardẽs incredibili Didacus, egregius Seraphici patris imitator, Canariam magnam cogitat, nauim cõſcendit, magnamque nauigationis partem confecerat: ſed tempeſtatum fluctibus magnis, ac ſimul vectorum, & ſociorũ, quos eximiâ charitate diligebat, metu, cùm ij barbarorum, omnia rabidè agentium, impetum furoremque vehementer pertimeſcerent: factum eſt, vt ad eorum inſulam naui, quâ vehebatur, etiam vndis afflictâ, appelli non potuerit. Et, ita Deo volente, ad martyrium, quod tam ardenter deſiderabat, non peruenit, etiam ſi aliàs multoties tam prope fuit, vt illud aſſequeretur. Quare ad inſulam Forteuenturam reuerſus, in magnis illis pietatis & charitatis officijs euigilare maximoperè contendit.

Ardet ad martyrium.

CAPVT X.

De eius charitate erga pauperes.

MIRA eius charitas erga ægros & pauperes extitit, quibus ſemper in eleemoſynam contulit, quicquid habere potuit. *Beatus, qui ſuper egenum & pauperem intelligit.* Quotidiano is victui detrahebat, vt inde haberet, quod pauperibus in eleemoſynam traderet: nihilque in dies ſingulos, vel in ſingulas potiùs horas, atq; adeò in ſingula momenta quæritabat, quàm vnde ſibi aliquid ſupereſſet, quo aliorũ inopiam ſuſtentaret. Cùm autem aliquando non eſſet, quod mendicis, pauperibus, atq; egentibus hominibus piâ eleemoſynæ largitione daret: illorum commiſeratione motus, miram lacrymarum vim effundebat, quibus intimum animi ſui dolorem teſtabatur; cùm præſertim neque ex conuentus parſimoniâ, neque ex ſuâ abſtinentiâ, neque ab amicis, neque priuatim à contubernalibus, nec à notis, nec ab ignotis tantũ haurire potuiſſet, quantum pauperibus Chriſti, quod minimum erat, ſubminiſtraretur ad vſum in diem victitandi neceſſarium. Ægrè aliquando conuentuum præfecti id ferebant, vt quicquid is vndique colligere potuiſſet, id omne in eleemoſynam erogaret: quibus vt homo manſuetiſſimus erat, verbis reſpondit, lenitatis & humilitatis plenis. Oſtendit enim, id viris, paupertatis euangelicæ colentibus,

Pſal. 40. 1.

Quod pauperibus det, ſubtrahit ſibi.

patientiſſimè ferendum eſſe: cũ Deum patrem cæleſtem haberent, omnium bonorum largitorem, qui vberiùs, & cumulatiùs daret omnia. Sed illud mirificè, diuinituſque factum eſt; quòd cùm in ſinu haberet magnã panis fragmentorum copiam, quàm pauperibus conferret, fortè obuiam aut Guardiano, alijſve fratribus factus eſt: à quibus eo nomine reprehẽſus, quòd nimis valdè conuentus cenſum profunderet; *En*, inquit, *ſunt flores*; quos non aliquâ ſpecie, ſed re verâ flores tunc oſtendit. Cuius rei admirabilitate illi obſtupefacti, non modò Dei hominẽ obiurgare pergunt, ſed in veneratione habere incipiunt. Apud inſulam autem Forteuenturam, cùm eſſet ſtudio, quo ardentiſſimo flagrabat, fouendæ paupertatis quoſdam inſulanos, qui præ egeſtate meſſem facere non poterant, ſuâ aliorumq; conſodalium operâ meſſoriâ iuuit, cũ aliunde tunc nequaquam haberet, vnde illis aliquid ſubſidij comparare potuiſſet. Eleemoſynis in pauperes conferẽdis permulti, qui ſanctitatis nomine celebrantur, Summi Pontifices, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Reges, & alij omnis generis & ordinis homines innumeri, immortalem ſibi laudem collegerunt. In eorum numero cenſeri meritiſſimò poteſt B. Didacus, qui veræ ſolidæque Seraphicæ paupertatis ſtudio accenſus, viſceraq; miſericordiæ indutus, omnibus egeſtate afflictis omnem eleemoſynę aditum patefecit: neque parcè dedit, ſed magnam intimæ benignitatis vim effundens, plenis manib. liberaliſſimè inopibus tribuit, quicquid habere vmquam potuit. Beatus igitur, qui intelligit ſuper egenũ, & pauperem. Verè B. Didacus, qui egenti ſemper dedit, & hilariter dedit: cumque nihil habuit, quod daret, ex paupertate inopis dolenter affectus, collacrymauit. *Summi muneris loco eſt*, inquit Chryſoſt. *hilariter dare: ſi non habes, collacryma.* Nunquã admonitio diuina ceſſauit, nunquam tacuit, quo minus in Scripturis ſanctis tam veteribus, quàm nouis ſemper & vbiq; ad miſericordiæ opera, Dei populus prouocaretur; & canente atque exhortante Spiritu ſancto, quiſquis ad ſpem regni cæleſtis inſtruitur, facere eleemoſynas iubetur. Hæc omnia vt infrà S. Cyprianus Epiſcopus & martyr ſcribit; Iſaiæ Deus, *Frange*, inquit, *eſurienti panẽ tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudũ, veſti eum: & domeſticos ſeminis tui non deſpicies.* Paulò pòſt;

Flores apparent fruſta panum danda pauperibus à Didaco.

Hom. 47. ex lib. homil. 50.

Cypr. lib. de eleem. Iſa. 58. 7.

Tunc

Tunc exclamabis,& Deus exaudiet te: dum adhuc loqueris,dicet: Ecce adſum. Magnum implorandæ diuinæ miſericordiæ præſidium poſitum eſt in eleemoſynarum largitionibus. *Conclude*, inquit Salomo, *eleemoſynam in corde pauperis, & hæc exorabit pro te ab omni malo.* Beatus igitur Didacus perpetuò ad miſericordiam pronus fuit, dedit enim de panib. ſuis pauperi: ideo benedictionem accepit à Domino, cùm multa admirabiliter, vt libro miraculorum exponam, in hac etiam vitâ operatus ſit, diuinâ benignitate, quam ſibi eleemoſynæ quoq; abundantiâ conciliauit.Sed quod mirum eſt, iam narrabo,cùm ad viciſſitudinem referatur beneficij,quod is etiam,dum in terris vixit, diuinitus ob eleemoſynas accepit. *Feneratur etiam Domino*, ait Sapiens,*qui miſeretur pauperis:& viciſſitudinem ei reddit ipſe Deus.* Quodam tempore is & ſocius alter, homo religioſus, in viam ſe dederunt; nihilq; ſecum viatici, aut cibi attulerunt. Cùm autem è conuentu Cerrajæ, qui ab Hiſpali multa millia paſſuum diſtat, vnde diſcedebant, longum iter eſſet vſq; ad ſanctum Lucam Barramedæ, quò ire contendebant: de viâ feſſi, & fame langueſcentes, ad pagum peruenerunt, quem Hiſpanice *Los Palacios*, vulgò vocant. Eo loci eleemoſynam quæritârunt: qui daret tamen, inuenerunt neminem.Ieiuni igitur iterum ſe itineri cõmittunt.Quærenti autem ſocio, quid tandem cibi eo die caperent, reſpondit ille; Deum vtrique prouiſurum. Aliquot millia paſſuum inde progreſſi, cùm iter leucarum quatuor reliquum eſſet, in ſolitudine quadam magnâ panem, piſces duos,recens coctos, & pomum citreum, quæ omnia mantili mundo inuoluta erant, ſuper herbam quandam conſpexerunt, quæ Mareſma ab Hiſpanis nominatur; vaſculumque vini plenum,proximè erat. Ibi cùm neminem oculis in planicie aſpexiſſent, quæ tamen omnis in proſpectu erat, cibum, diuinitus miſſum, ſumſerũt.Interea ſocio Didacus oſtendit,quàm mira prouidentia Deus victui vtriuſque proſpexiſſet: ita ſcilicet, vt olim in deſerto filios Iſrael pauerat.Cibo recreati,gratias Deo egerũt:& quicquid ſuperfuit, reliquerũt. Didacus autem, paululum ſe colligens, cùm videret,ſe parum ſpei poſuiſſe in prouidentiâ Dei, qui cuncta tuetur; intimè dolore affectus, illius rei nomine reprehendere cœpit.Et ita verbis de eâ ipsâ re,ac de vitę Euangelicę puritate vltro citroque habitis, iter confecerunt. Sed tam religioſo, ſanctoque viro, quem cæleſti gratiâ ſuâ Deus proſequebatur, non modò quicquam defuiſſe, ſed omnia in ſummâ rerum inopiâ mirificè abundaſſe,perſpicuum ex ijs fiet,quæ proximè narrabuntur.

Eccli. 29.15

Pro. 19.17.

Cibus S. Didaco paratus in deſerto, & vinum.

CAPVT XI.

De charitate erga ægrotos.

ÆGRORVM curam eximiâ charitate B. Didacus ſuſcepit, & geſſit. Nihil enim potius habuit, cùm ab oratione diſceſſerat,quàm vt illos quotidiè viſeret, conſolaretur, ijſdemque cibũ, & alia ad valetudinis curationem neceſſaria ſubminiſtraret. Extãt auguſtiſſimæ pietatis monumenta, magnificentiſſimo opere extructa,ad ſempiternam memoriam inſignia, nõ ſolum ad peregrinorum hoſpitium, & ad pauperum mendicorumq; egeſtatem ſubleuandam hoſpitalia, & domus ad alendos educandoſque infantes,ac pręterea ad ſeniorum ſuſtẽtationem & ad ægrotorum curationem ædes, domiciliaque ampla, magnificè ac laxè, Pontificum Cæſarum,Regum,Principum,ſummorumque virorum ſumtibus exædificata: verùm beati etiam Didaci pectus,in quo tanta tamq; fixa inſedit cura ægrotantium, fuit veluti domicilium multo ampliſſimum, vbi ſibi ſtruxerat ingentes illas ſolicitudines,quarum ardentiſſimo conflagrauit ſtudio curandi ægrotos. De adoleſcentibus quibuſdam, qui in literarum ſcholis verſabantur,ex febri periculosè laborãtibus, ſibi magnæ curæ fuit,vt conualeſcerent.Lectum illis ſtrauerat, quo loco nunc eius ſepulchrum cernitur. Ijs ipſis autem curandis nihil eo patientius, qui nullis curationis laboribus pepercit. imò eorum ſordes mirâ charitate abſterſit: excrementorum ſcaphium, vt vſu venerat, frequenter manibus ſuis amouit; ac labem, & cœnum quo locus, vbi ij iacebant, etſi ſcreatu tetrè ac malè olebat, non moleſtè vnquam, ſed alacriter ſeduloq; diluit. Quæ verò ad omnem illorum curam, victuſq; rationem opus erãt,ea perinde pręſtitit,vt ſolicita mater, quæ filiorum ſalutis deſiderio langueſcit.Quare de eorũ curâ nihil quicquam præ charitate remittere vnquam

Mirum eius ſtudium in obſequium ægrotorum.

voluit; niſi vbi à morbo confirmatos planè vidit. Sed mira veræ Chriſtianæ dilectionis abundantia in eo etiam eluxit, quòd illos iam conualeſcentes, ac viribus omnino recreatos, rebus omnibus ad vitæ vſum neceſſarijs, maximopere iuuit. Quos autem aut morſu, aut morbi vi, aut aliquâ plagâ vlceratos audiebat, ad quorum non modò ædes, ſed etiam exigua tuguriola, vbi habitarent, ventitabat; eos tantâ charitate complectebatur, vt illis cõſolandis, vel ſanandis nullum officij pij locum relinqueret. Vlcus, quo ægre afficiebantur, oculis miſerabilem in modum ſpectabat, aut manu tangebat, & abſtergebat, ſubinde oſculabatur: ac ſi quando cerata, emplaſtra, & malagmata, quib. cicatricum purulentarum tabes abſtergi ſolet, aliquando deerant, ipſe linguâ ſuâ ſaniem lambebat. *Vlcerum ſaniem linguâ abluebat.* Sanctum Baſilium Magnum vulnera leproſorum oſculatum eſſe, itidemque Seraphicum Bonauenturam feciſſe, litterarum proditum eſt monimentis. Verùm de beato Didaco, id quod ſtrictim attigi, exemplo ſingulari demonſtrabo. Aſpexit quodam die hominem elephantiaſi, quã lepram dicimus, fœdiſſimè exulceratum, tabeque plenum, & adeo malè olentem, vt alijs omnibus ſtomachum moueret. At homo Dei Didacus, charitatis ardore flagrans, nõ purulento, & vlceroſo hominis vultu deterritus, neque tetrum odorem abhorrens, vlcera, quorum ſanie ac tabo erat illius inquinatiſſima & deformata facies, lambit linguâ ſuâ. Tum cuidam, qui præſens aderat, rem admiranti; Sic frater, inquit, ſic morbus hic curari debet. Iam locus poſtulat, vt curam etiam enarrem, quam omni dilectionis officio, ægrotis Romæ præſtitit. Idque diſtinctè faciendum exiſtimaui: quoniam alia multa ſimul incidunt, quæ cùm valdè admodum commemorabilia videantur, ea ſilentio præteriri nullo modo oportet.

CAPVT XII.

De curâ, & charitate, quam Romæ ægrotis adhibuit anno Iubilei, M. CCCC. L.

INSTABAT annus Iubilei, qui Nicolao Quinto Pont. Maximo, incidit in annum à Chriſto nato M.CCCC.L. Fuit Iubileum quintum; ad cuius celebritatem tantus hominum concurſus Romam factus eſt, quantus nunquã antea. Totum ferè illum annum Pontifex in ſolemnibus ſanctiſq; actionibus poſuit: ſtationes quotidiè ipſe cum Collegio Cardinalium frequẽtabat. Hoc anno B. Didacus ab Hiſpaniâ, quo ex inſulis Canarijs anno proximo ſuperiori M. CCCC. XLIX. redierat, Iubilei causâ ad vrbem venit: *Romam venit anno Iubilæi M. CCCC. L.* ſocium habuit & comitem peregrinationis, alium ſui ordinis virum, religioſum hominem, Fr. Alphonſum Caſtrenſem nomine, præclarum & teſtem, & ſpectatorem, cultoremque virtutum in ipſo Didaco prælucentium. Ambo Romę ad ſanctæ Mariæ monaſterium diuerterunt, quod Seraphicæ religionis eſt, vocaturque Aracæli. Hic ſpectare licet inflammatum illud purę ſinceræque pietatis ſtudium, quo ſacras ſtationes humiliter ſanctèq; obierit ac frequẽtarit. Nemini dubium eſt, quin is multa magnaq; dederit exempla, quibus excitauit admirationem diuinæ ſuę charitatis. Eo tunc vndiq; ad Iubileum Fratres ter mille & octingenti numero conuenerunt: ſed en ingens fere confeſtim eorum ægrotantium, & morbo variè langueſcẽtium numerus: ad quod etiam incommodum, quamquam Pontifex cauerat diligentiſſimè, ne commeatus, & omnia ad victum neceſſaria in Vrbe deeſſent; nihilominus tamen id acceſſit, vt magna annonæ difficultas, & penuria rerũ omnium in Vrbe ingraueſceret. In tantis rerum rerum anguſtijs, *In quo rerum magna penuria.* Guardianus curam ægrotorum Didaco credidit: qui, licet in eo munere ſolus verſaretur, tãtâ tamen & diligentiâ & charitate illud geſſit, vt omnibus præſtò eſſet, nihilq; cuiquam deeſſet ad curationis rationem. Immò tantâ rerum omnium abundantiâ cunctis ab eo ſubuentum eſt, vt ipſe Guardianus, ceterique valdè mirarentur; vnde ei in tantâ aliorum tenuitate, tam magna ſuppeditaretur rerum vbertas. Magna enim panis, & vini copia ex totâ vrbe ad monaſterium confluxit: magnus frumenti, aliarumque rerum, quæ ad victum opus eſſent, numerus datus eſt. Magnum id eleemoſynę ſubſidium, B. Didaci apud Deum gratiæ acceptum omnes ferebãt: omnes illum, vt hominem Deo gratiſsimum, atq; acceptiſsimũ ſuſpiciebant, & admirabãtur. Sed eo anno illud cõtigit, quod hoc loco commemorare non alienum eſt; cùm diuinitus factum videatur, vt Bernardinum

Senen-

Senenſem, cuius in omni vitâ ſanctitas iamdiu ſpectata erat, Seraphici etiam Ordinis religioſiſsimum virum, Nicolaus Pontifex in Sanctorum numerum retulerit. Diuinè igitur cùm B. Didaco actum eſt, qui illos ſpectauit honores, quos in aliud tẽpus ſibi ob meritorum præmium reſeruatos, hac ætate Sixtus Quintus Pontifex, ſummo Eccleſię Catholicæ gaudio, in eum contulit. Id illi ſoli contigit, quod alij prætereà nemini contigiſſe apparet. Tribus autem menſibus exactis, quo temporis ſpatio is in Vrbe fuit, ad Hiſpaniam cũ eo ipſo ſocio Hiſpalim rediјt. Quocunq; iter faciebat, multos inuenit, qui illum hoſpitio gratis benigniſsimeq; exciperent, & vbi opus fuit, viatico iuuarent. Et verò præſertim apud Viterbium, Tuſciæ ciuitatem, iter vnius diei, aut paulò longius ab vrbe Româ diſtantem, cum in oppido quodam eſſet, quod vulgò Abbatiam vocant; certatim oppidani omnes contenderunt victum aliquot dies abundè ſuppeditare. Id à Deo factum eſt, qui homini tam religioſo, pauperibus omnia in eleemoſynam conferenti, præcipuâ curâ prouidit, vt ne in merâ quidem ſolitudine, ne dum frequentiſsimis in locis, vt expoſui, nihil quicquam, vitæ vſui neceſſarium deeſſet. Hactenus de charitate erga ægrotos ſatis dictum ſit: nunc locus eſt dicendi de eâ, quâ vſus eſt erga alios omnes, præſertim illos, quos peccare, vel ſine pœnitentiâ ex hac vita decedere, animaduertit.

Quo S. Bernardinus inter Diuos eſt relatus.

CAPVT XIII.

De charitate, quâ erga omnes, præſertim peccatores, & impœnitentes vſus eſt.

SERAPHICVS idemque beatus Franciſcus ſingulari deuotionis affectu ſanctum Archangelum Michaëlem venerabatur, eiuſq; diem feſtum ieiunio dierum quadraginta pręueniebat; quòd eius curæ eſſet credita animarum ſalus. Eam ob rem ſi quẽ de ſalute ſuâ parum ſolicitum eſſe vidiſſet, aut prauis conſilijs, exempliſq; offendere animaduertiſſet; dolore acri intimè cruciabatur: tanta erat ſolicitudo & charitas, quâ exardeſcebat, aduerſus operarios iniquitatis. Eo ipſo ſpiritu B. Didacus erat: ita vt de vtroque dici rectè queat; *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Non ergo patiebatur, quantùm in ſe erat; à quoquam diuinæ legis præcepta violari, nec verò ordinis ſui præſcriptis detrahi: immò nihil negligenter agi, quod ad Seraphicæ diſciplinæ rationem & vſum pertineret. Si quis contrà interdum admittebat, etiam ſi mitis admodum eſſet, & in contumelijs patientiſſimus: tamen præ charitate, quâ ardentiſſimè diuina mandata, conſtitutioneſque ordinis colebat, doloris acerbitate ob infirmorum ſcandalum intimè afficiebatur. Quare ſanctâ quadã indignatione commotus, non potuit aliquando continere, quin aberrantium quorundam temeritatem reprehenderet; ita tamen, vt quis in eo facile animaduerterit nullã obiurgationis aut offenſionis vel minimam grauitatem, ſed ſummæ illius, quâ ad diuinum cultum exardeſcebat, dilectionis vim immẽſam, à cordis viſceribus emanantem. Factum eſt aliquando, cùm ſub veſperum ipſe & fratres vnà cenabant, vt ſtatâ horâ per ſe campana ictibus nouem, de more ſignum ſalutationis Angelicæ dederit: quod ſacriſta, cuius munus erat facere, negligenter prætermiſerat. Rei admirabilitate illi obſtupefacti, ad eccleſiam accurrerunt, vt viderent à quo pulſatum campanã eſſet: fores quidem clauſas inuenerunt, intus verò neminẽ. Tum Didacus, alios adhortatus ad orationem, & diſciplinam, ita ob pœnitentiam, quam pro ſatisfactione negligentiæ ſacriſta ſubijt, virgis ſe acriter percuſſit, vt mirũ eſſet omnibus, quo modo tam grauium vulnerũ acerbiſſimam vim ferre ipſe potuerit. Doloris etiam ardore vehementer flagrabat, ſi quos, in huius mundi fæce volutatos, malefactorumq, ſordibus inquinatiſſimos homines, quiq; prauâ viuendi viâ alios à recto ſalutis curſu abducerẽt, ſine pœnitentiâ, & confeſſione mortem aut necem obijſſe intelligeret. Eorum interitum lachrymis, ſuſpirijs, gemitibuſque proſequebatur: brachijſq; inſtar crucis formatis, prolixè, atq; intimè toto animo totaq; mente pro eorũ ſalute Deum deprecabatur. Hæc eius erga iſtius modi homines charitas. Sed neque exigua illa cenſetur, quâ vſus eſt in eos, qui ad Chriſti fidem recens venerant. Præcipuo & ſingulari quodam amore, vereque paterno illos complectebatur; ac non modò fouebat, ſed quibuſcunque

2 Cor. 11 29.

Peccantes arguit in charitate.

Se pro aliorum delictis afflixit.

Nota exemplum hoc a.no ſequendum.

rebus poterat, tãtùm illis ſubſidij comparabat, vt, quæ ad vitæ vſum neceſſaria eſſent, nihil eorum quicquam, etiam in ſummâ penuriâ, ipſis deeſſet, Nullum igitur charitatis officium, nullum benignè faciendi locum B. Didacus reliquit; vſque adeò, vt omnes tam ſui ordinis homines, quàm exteros, ſi minus aliquando, re non potuit, conſilijs & conſolando iuuerit. Neque has officij partes vllo vnquam tempore, ne tum quidem prætermiſit, cùm ianitoris in conuentu curam geſſit, quam etiam in eo poſuit, vt pauperum Chriſti aduentantium inopiam aliquo modo ſubleuaret.

CAPVT XIV.

De abſtinentiâ, ieiunijs, maceratione corporis, & caſtitate.

ABSTINENTIÆ virtutem, à ſanctis Patribus tantopere commendatam, beatus Didacus exercuit quàm diligentiſſimè. Cùm enim illius virtutis ſit, omnes à ſe carnis delitias, incitamentaque depellere: quàm valde eâ in re totis viribus ſeipſe exercuerit, perſpicuè manifeſtum erit ex ieiunijs ceteriſque operibus, ad corporis macerationem pertinentibus, quæ mox recenſendo perſequar. Is paupertatem, vt dixi, ad normę & regulæ Seraphicę præſcriptum, toto animo, totiſque viribus coluit: paupertatis virtutis egregiè munitus, omnia aſpera, dura, difficilia, vilia, & abiecta quæq; pro delitijs habuit: delitias autem, delicata, mollia, pretioſa, vt paupertatis, quam vnicè dilexit, inopię infeſta fugit, & horruit omnino. Sancti omnes hac mente fuerunt, de quibus ſcriptum eſt: *Inundationem maris, quaſi lac, ſugent.* (Deut 33. 19.) Chriſti enim Domini amor amara omnia mirabiliter dulcia reddit atque ſuauia. Sunt in Seraphico ordine, pręter ſolennia ſtataque Eccleſiæ ieiunia, & præter Quadrageſimam, Chriſti Domini exemplo conſecratam, alia ieiunia, & item quadrageſimæ: quæ certis diebus concluſæ, totum penè anni curſum conficiunt. (*Ieiunia ſtata in Ordine Seraphico.*) Primò ieiunium aduentus, deinde ieiunium ab Epiphaniâ, quod diebus quadraginta conficitur: tum ieiunium à die natali Apoſtolorum Petri, & Pauli vſque ad celebritatem Aſſumtionis beatæ Mariæ Virginis: poſtea ab Aſſumtione, dierum item quadraginta ieiuniũ ante diem feſtum ſancti Michaëlis; in Apoſtolorum præterea honorem alia eſt quadrageſima dicata. Itaque B. Didacus verus Chriſti pauper, qui nihil aliud, niſi duo æra minuta, corpus ſcilicet & animam habebat, hæc ipſa propter Chriſti Domini amorẽ ita offerebat, vt omni fere tempore ſpiritum ardore charitatis, & corpus abſtinentiâ ſingulari immolaret. Tot enim quadrageſimarum curriculum aniuerſariũ perpetuo ieiunij cultu cùm conficeret; (*Quæ ipſe ſeruauit rigidè.*) Sanctorum etiam non modò ſtatas vigilias, ſed alias, quas ſibi præſcripſerat, mirificâ abſtinentiâ, rituque duriter ieiunandi obſeruabat. Panem tantum, & aquam adhibebat, in vigilijs dierum omnium Feſtorum beatiſſimæ Mariæ Virginis, vt infrà vberiùs ſcribam. Ad illam ieiunij auſteritatem ſæpenumero adiungebat verberationem corporis: quâ ita acriter vtebatur, vt à capite vſque ad talos vehementer ſe flagris cædens, tã horribilem carnis cruciatum nõ humanâ, ſed diuinâ potiùs virtute ferre poſſe putaretur. (*Flagris corpus caſtigauit.*) Summâ præterea hieme gelidam item aquam ingredi non dubitauit, vt ipſius item carnis, quæ infenſiſſima aduerſaria eſt, vim reſtingueret, eiuſque ſenſus, dulcedine quadam quaſi titillantes, coërceret. Miris igitur modis ab eâ, quâ, tãquam domeſtico ſatellite, mundus, & dæmon hoſtes vtuntur ad ſpiritus virtutem labefactandam, præclarus athleta Didacus ſe tutatus eſt: cuius propterea pura caſtimonia, egregijs teſtificata teſtimonijs, cumulum quoque addidit ad reliquas omnes eius virtutes. Et quoniam abſtinentiæ coniuncta eſt oratio: locus ſequitur dicendi de illius oratione & deuotione.

CAPVT XV.

De eius oratione, & deuotione.

ORDINIS ſui Fratres beatus Franciſcus, omni ratione ſemper cohortatus eſt ad orationis ſtudium: idque aſſeueranter dixit, neminem in diuino cultu, virtutumque officijs magnas habiturum eſſe progreſſiones, niſi tantæ virtutis præſidio. Quare is ambulans & ſedens, laborans & à labore vacans,

domi

domi ac foris adeo erat precationi intentus, vt non ſolùm quicquid in ſe erat corporis & cordis, verùm etiam operis & temporis orationi dedicaſſe videretur. Eius præclari ducis & magiſtri exemplo Didacus itidem feciſſe dicitur: cùm etiam opus faciendo, vt proximè narraui, diuinis meditationibus animum & mentem exerceret; à cuius otiosâ euagatione longè refugere perpetuò contemplandi vſu contenderat. Mediâ nocte ſurgebat ad laudandum Dominum,& in alijs ſtatæ horæ vigilijs, precando excubabat, tamquam bonus Chriſti miles. Sæpenumerò, præſertim ſolemnibus diebus, totam noctem ſanctis illis myſterijs intimâ pietate meditandis collocabat; ſæpeque è ſomno, religiosâ excitatus contemplationum curâ, è lectulo illo duro & vili, nocte inintempeſtâ exiliens, ad pedes imaginis Chriſti crucifixi iacebat, toto animo ad cæleſtium cogitationem raptus: ſæpe item erecto vultu, manus ſupplices in cælum tendebat, & vt ſummatim breuique complectar, inſtabat obſecrationibus & orationibus nocte, ac die. Id oſtendunt tam multa, quæ miranda precibus nocturnis, ac diurnis à Deo impetrabat. Orauit enim & exauditus eſt: opem Dei implorauit, & à Deo deſertus non eſt; & quo magis ſe ſtratum videbat, eo vehementiùs diuino amore exardeſcebat. Omnia facta, dicta, & cogitatá referebat ad Chriſtum Ieſum; cuius nomen dulciſſimum in corde, in ore, in opere, ſemper habebat. Nominis Ieſu, tamquam olei effuſi ſuauitate liqueſcens, pòſt diuturnum in oratione gemitum, exultare incredibili gaudio videbatur inter choros angelorum. Sanctiſſimam Dei matrem, virginem Mariam, poſt Chriſtum filium præcipuâ veneratione coluit. Cuius rei argumento eſt inſigne ſalutationis Angelicæ: quo ad preces vſus eſt perpetuò. Eam ob rem Hiſpania, Catholicæ fidei nomine ſtudioque florentiſſima, illud in more poſitum habet, vt eius, piè precantis, imaginem exprimat non tantùm oculis in crucem Chriſti ſublatis, & genibus flexis, ſed manibus iunctis tanto pietatis ornamento potiſſimum inſignitis. Laudat Seraphicum Franciſcum eâ de re Bonauentura, ſanctitate & eruditione clariſſimus, quòd Dei genitricē mirâ pietate veneraretur, beatiſſimam ſcilicet illam Virginem, quæ Dominum maieſtatis, fratrem noſtrum peperit, & per quam ſumus miſericordiam conſecuti. Quam ob rem ad eius honorem ordini Seraphico Apoſtolicus ille vir ieiunium conſtituit; eandemque ſibi ſuiſque cæleſtem aduocatam in primis delegit. Hoc erga illā venerationis zelo itidem flagrauit beatus Didacus: qui & illud ieiunium ſeruauit, & quam vniuerſo Minorum ordini patronam ille elegerat, eam ſingularem, ac præcipuam ſibi aduocatam eſſe voluit ardentiſſimo illius colendæ ſtudio. Immò Seraphicā pietatem piete cumulauit, cùm ad ſtatas illas ieiunij dies hoc ſibi adiunxerit, vt omnibus ſingulisque vigilijs feſtorum dierum, beatiſſimæ Dei matri ſacrorū, qui poſtea plures numero fuerūt, pane tantùm & aquâ ad illum, quem ſibi potiſſimùm ſumpſerat, ieiunandi cultum præcipuè & inſigniter vteretur. Patrem autem ſuum Franciſcum Bonauentura ſedulò imitatus, piam IESV matrem, cordis ſui viſceribus impreſſam, meditatione etiā aſſiduâ venerabatur. Vtrumq; etiam Didacus conſectatus, & quotidianâ contemplatione, & frequenti coronæ vſu, omnique pietatis officio illam colebat: neque eâ tantùm veneratione contentus, etiam cultu imitationis venerabatur, quo gratior eſſet eius deuotio. Actuoſis enim illis, luminoſisque virtutibus, quarum exemplar clariſſimum in beatâ Virgine cernitur, humilitate, charitate, miſericordiâ, vitæ caſtitate, & alijs, ſanctitatem illius, operante Domino, pro virili ſuâ imitari contendebat. Quo factum eſt, vt in omni temporū varietate, cū ad eam, vel ſuâ, vel aliorum causâ ille confugiebat; cōfugiebat autē ſemper, cæleſte ſingulareque eius patrocinium ſenſerit ſummâ cunctorum admiratione. Res in promptu eſt cùm ex omnibus, tum ex illo ad ſempiternam memoriam inſigni miraculo, quod diuinitus factum apparet: cùm feminæ, quæ piſtoriam agebat, filium è mediâ morte, nimirum ex ardentibus furni flammis liberauit. Sed rem ipſam totam, loco ſuo dilucidè explicabo. *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.* Verè igitur pius, verè deuotus, ac religioſus Didacus, eamque ob rem beatus: qui, Deum timens, nihil in vitâ antiquius, potiusque habuit, quàm vt Chriſti Domini amore flagrans, diuina eius mandata animo ardentiſsimo ſummaque voluntate obſeruaret: ac matrem eius beatiſſimam

Orationi totus deditus.

Et D. Mariæ cultui.

Pſal. 111. 1.

mam coleret tantâ & tam ſingulari deuotione, quantam verborum copiâ aſſecutus non videor. Libuit tamen eam aliquo modo enarrare, vt potētiſſimus, maximusque Rex Catholicus Philippus II. qui beati Didaci merita & virtutes tam gratâ ac piâ memoriâ proſequitur, immortaliter gaudeat, ſe non ſolùm in auguſtiſſimâ familiâ ſuâ Auſtriacâ olim habuiſſe religioſiſſimos benedictę virginis Dei matris Mariæ cultores egregios, Fredericum Tertium, Albertum Quartum, Imperatores, & ceteros multos, eiuſdē familiæ ſummos Principes, quorum laudem eandem, pietatis imitatione, ipſe iam ſibi collegit: verùm etiam in Hiſpaniâ, cuius regna obtinet, extitiſſe potiſsimùm, tū antiſtites vtpote Ildephonſum Toletanum, luculentum de ipſius beatæ Virginis laudibus ſcriptorem; Iſidorum Hiſpalenſem, & ceteros: tum etiam alios pleroſque innumeros omnis generis homines, qui eo nomine illuſtres ſunt, qui nimirum ſingulari magnæ deuotionis ſtudio, ac mirificâ pietate, inſigniqúe veneratione illam coluerint. Inijs, vt demonſtraui, Didacus & eſt, & habetur: cuius & aliorum Sanctorum, in primiſq. Sanctiſsimæ eiuſdem virginis Mariæ meritis ſperandum eſt, Philippum Regem fore perpetuò felicem, florentem & beatum. Sed redeo ad Didacum, qui crucem Domini etiam præcipuâ atque inſigni amplexus eſt veneratione: ita vt non modò viuens, ſed moriens de eâ, quam tantopere colebat, hymnū dixerit. Eius amore acriter inflammatus, toto animo ad meditationem attentiſsimus, corpus verberibus mirabilem in modum affligebat. Illam autem ob oculos fere ſemper habebat: vt aſsiduâ cogitatione repeteret vulnera, conuicia, dolores, cruciatus, & ſanguinem, tantâ largitate profuſum, Chriſti Domini, cui totum ſe dediderat. Crux in omni contra dæmonem certamine ſibi præſidium erat, in mœrore ſolatium, in omni vita firmamentum ac ſpes. Cui cùm tantopere confideret, omnium ægrotantium, quicumque ex oppido Compluto, & ab alijs vndique locis ad eum confluebant, quorum erat multitudo penè innumerabilis; morbos etiam inſanabiles curabat ſigno crucis, quod Lampadis B. Mariæ Virginis oleo efficiebat. Hactenus de eius deuotione, nunc dicendum eſt de ſimplicitate vitæ & doctrinâ infuſâ.

D. Virginis cultores habuit Hiſpania multos.

CAPVT XVI.

De vitæ ſimplicitate.

VIR fuit Didacus ſimplex: nimirum à malitiâ purus, & integer. De nemine enim vmquā ſe malè ſentire, aut opinari oſtendit: ſed aliorū dicta, facta, & cogitata, ſuis metiebatur. Quæcumque apertè mala nō erant, in meliorem partem accipiebat omnia, vt homo diuinitus columbinâ quadā ſimplicitate imbutus, de quâ Chriſtus Dominus; *Eſtote*, inquit, *ſimplices, ſicut columbæ.* Ex ſuſpicione igitur haudquaquā temerè quemquam reprehendit; cùm eorum, quæ in occultis animi latebris latent, ſolus Deus ſcrutator ſit ac iudex, alius præterea nemo. Simplici autem, & apertâ via iter huius ſeculi faciens, quod ſimplex, verum, ſincerum & rectum videbatur, in eo totus euigilabat, vt maximè ſequeretur. Simplici, & rectâ diuinorum myſteriorum fide cōtentus, illa tantum cogitabat, & meditabatur, quæ præceperat Deus. Eam ob rem à multiplici & variâ illâ curioſitate, vel nouis rebus audiendis, vel factis alienis indagandis ponitur, vſque adeò abhorrebat, vt numquam in omni vitâ verbum, ne otioſum quidem, ne dum iniurioſum ab illo quiſquam audierit. Si quid rurſus detrahendi causâ maledicè, contumelioſeque ab aliis dicebatur: id numquam paſſus eſt ſe auditione accipere. In ſimplicitate autem & puritate cordis recte ambulantem erudiuit illum Spiritus ſanctus: qui in eo reſidens, legis diuinæ decreta in eius viſceribus & animo deſcripſit. Verùm tota res mox infrà enarrabitur.

Mat. 10. 16.

Verbum otioſum ab eo non prolatum.

CAPVT XVII.

De doctrinâ eius infuſâ.

ERAT is litterarum rudis; ideò nullis ſacris ordinibus initiatus, ſimplicis religioſi, & fratris, vt dicunt, laici vitam in ordine Minorum egit. Sed Spiritus ſanctus eſt, qui diuinis virtutibus animum eius imbuit, qui ſapientem effecit, & eloquentem. *Nolite cogitare*, inquit Chriſtus Dominus, *qualiter, aut quid reſpondeatis. Dabitur enim vobis in illâ*

Mat. 10. 19.

horâ

bora quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquutur in vobis. Is omnis eloquentiæ expers, tantâ erat imbutus ſuauitate ſermonis, vt illius vi omnes pelleret animi ægritudines: omneſque cuiuſcumque ordinis homines, ad ſe confluentes, etiam variè affectos, recrearet, mirificeq́; conſolaretur. Certis litterarũ monumentis ad poſteritatem proditum eſt, virum quendam melancholicum, qui vehementer animi cruciatu angebatur, quique etiam corporis morbo langueſcebat, atræ bilis vim, & doloris acerbitatem ſenſiſſe mirabilem in modum minui colloquio, & congreſſu beati Didaci. E cuius manu etiam, cùm aliquid vel exigui cibi ſumebat: tantâ ſe dulcedine perfuſum eſſe, aſſeueranter dicebat, vt illud, tamquam pabulum quoddam cæleſte ſibi videretur. Luce diuini Spiritus cùm frueretur, Chriſtianæ doctrinæ præceptis & inſtitutis, quæ ad vitæ ſalutem neceſſaria eſſent, cunctos imbuebat: myſteriaque ijs fidei dilucidè explicabat. Quo factum eſt, vt plerique, ab eo eruditi, normam viuendi meliorem in poſterum ſuſciperent. Non ab illis, qui ſibi variam & multiplicem ſapientiam olim arrogarunt, Gorgiâ, Platoneque aut ab Ariſtotelicâ ſcholâ ſcientiam hauſit: ſed à cruce Chriſti Domini, in quâ omnes opes veriſſimæ ſapientiæ conſiſtunt. Ad illius diſciplinam Paulus Apoſtolus omnes inuitat: neque quicquam ſe aliud ſcire profitetur; *Ego*, inquit in epiſtolâ ad Corinthios, *non ſum arbitratus me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Didacus, qui litteras minimè norat, etſi ad nullas diſciplinas erat eruditus, miras tamen progreſſiones habebat in doctrinâ crucis Chriſti Domini, quam exemplo Apoſtoli profitebatur. Quare in illius ſtudio cùm omne vitæ tempus conſumpſerit, clariſſimam admirandæ ſapientiæ vim explicatam, atque euolutam, & dictis & factis oſtendit. Cuius rei illud exemplo eſt, vt diuinis de rebus optimè diſſereret, & quæſtiones longe omnium difficillimas, mirâ ſcientiâ explicaret. Eius quidam amicus, homo Conchenſis, artium liberalium vſu longè peritiſsimus, cùm neque Salamanticæ, neque Lutetiæ Pariſiorum, neque vſquam, vbi Academiæ florerent, quemquam, vel prꝙſtantiſſimum eruditione virũ, nactus eſſet, qui ſibi aliquot partim de Theologiâ, partim de alijs diſciplinis locos, obſcuritate inuolutos, explicaret: Didacum vnum inuenit, qui illos diuinè aperuit. Id teſtimonium ei præbent item alij non pauci, eruditi, & doctrinâ exculti viri. Sed vnde tantam non modo ſapientiæ, ſed eloquentiæ vim ſit conſecutus, iam oſtendi. Nunc exponere pergam reliquum eius vitæ curſum.

Suauitas mira ſermonis illi fuit.

Studium illius in Cruce Domini. 1. Cor. 2. 2.

CAPVT XVIII.

De reliquo eius vitæ curſu & obitu.

IAM ex ijs, quæ narrata ſunt, facilè intelligi licet Conuentus, & loca, vbi virtutum ſuarum veſtigia beatus Didacus impreſſa reliquit. Cùm autem ab vrbe Româ, anno Iubilei confecto, in Hiſpaniam vlteriorem redijt: ad prouinciam Caſtellæ profectus, in Conuentu ſanctæ Mariæ Salicei exiguo breuique tempore manſit. Eſt ille antiquitate nobilis, & quaſi ſeminarium, vnde vberrimi familiæ Franciſcanæ fructus prodierant vſque ad vltimos orbis terrarum fines. Sanctæ Mariæ autem Saliceti nomen accepit, quoniam illius nomine altare in Salicis arboris trunco duorum militũ Hieroſolymitanorum pietate iam primò extructum eſt. Plures aluit & religionis, & doctrinæ laude claros viros Deoq́; charos quàm alius illius omnis prouinciꝙ conuentus. Inde verò tandem, ſocio & comite F. Rodriguezio Nonnio: Complutum beatus Didacus migrauit, ad conuentum beatæ Mariæ de IESV: vbi reliquum huius vitæ curriculum confecit ſummâ cum ſanctitatis laude. Eò tum primùm tempore Alphonſus Carrillus, Toleti Archiepiſcopus, ex Summi Pontificis conceſſu illum opere ſatis amplo exædificare cœperat, vbi poſte à fratres cẽtum ſuſtentabantur: quorum ſaltem quadraginta operam Theologiæ ſcholaſticæ ſtudio ex Sancti Bonauenturæ doctrinis darent. In hoc conuentu annos duodecim, vel tredecim Didacus vixit. Tantus autem ſanctitatis odor, ex illo afflatus, tunc in omnes Hiſpaniæ partes ſe diffuderat, vt mirus factus ſit ad hominem Dei concurſus. Veniebãt alij, vt rerum diuinarum, de quibus ſermonem ſemper inſtituebat, cognitione imbuerentur: alij, vt ſibi vel ad

S. Maria Saliceti cõuentus.

Cõplutum venit S. Didacus.

Ad illum magnus concurſus.

neceſſitates, vel ad morbos depellendos aliquid ſubſidij conſequerentur: alij, vt eo adiutore, & deprecatore vterentur ad opem & miſericordiam Dei implorandam. In ijs teſtis eſt, qui affirmat ac profitetur, ſe, quo tempore aliquâ difficultate premebatur, nũquam illũ auxilij causâ adijſſe, quin, eo Deum precante, habuerit, quod ſibi neceſſario tempore piè expetendũ erat. Tam certa denique erat ſanctimoniȩ opinio, quam in omnium animis conceperat, vt, cùm pagos, vicos, aliaq; loca eleemoſynæ causâ obibat, agricolæ cùm primum eum aduentantẽ aſpiciebant, mutuum quendam clamorẽ excitando, inter ſe dictitarent; EN VIR SANCTVS ADEST. Hac eximiâ laude Didacus vbique florens, cùm vitæ huius ſtadium cucurriſſet: tempus iam venit, quo ob merita reciperet coronam iuſtitiæ, quam Deus repromiſit diligentibus ſe. Itaque ſenio, ieiunio, abſtinentiâ, vigilijs, omniq́ue corporis cruciatu, quem ſibi frequentiſſimè adhibuerat, maceratus, & pene confectus, morbo laborare incœpit ex ſuppuratione quadam, quam in brachio ſiniſtro prope manum habebat. Et quamquam morbi purulenti, qui ſanie tabeſcens acerbiſſimum inurebat dolorem, vi intimâ torquebatur: tamen vſque adeo illius cruciatum tolerabiliter patiebatur, vt in ſummo dolore patientiſſimus, excitaret apud omnes admirationem incredibilis patientiȩ, quâ illam ſuppurationem ferebat, difficilem toleratu. Id habebat propriũ, vt ægrotationum, quibus penè aſſiduis in omni vitâ variè vexabatur, acerbitates perferret admirandâ animi corporiſq́ue tolerantiâ. Suppuratio autem, ex qua grauiter nimis ægrotabat, per medicamentum tandem rupta, magnam puris & saniei copiam effudit: quæ non malè, vt ſolet, ſed benȩ potiùs ac ſuauiter olere videbatur. Ea incommodâ valetudine aliquamdiu afflictus, interdum ita è corporis ſenſibus ad animi contemplationem rapiebatur, vt mortuus putaretur. Deinde ad ſe rediens, eas voces emittebat: O QVAM SVAVES ILLI FLORES PARADISI. Tum fratres omnes accurrebant: eorumq́ue vnuſquiſque, cùm primùm ad illum acceſſerat, hoc maximè petebat, vt pro ſe Deum ille precaretur. At ipſe preces eorum ſummopere expetere non deſiſtebat. Vbi demum horam inſtare vidit, quâ ex hoc ſæculo migraret, vt Seraphicum patrem Franciſcum etiam in ipſo obitus momento imitaretur, veſtem viliorem, & cingulum ſibi afferri petijt. Quibus mox indutus, omnes, qui aderant, ſuauiter pieq́ue alloquendo offenſionum ab ijs veniam profuſis lacrymis petijt. Denium vtroque brachio ſublato, etſi alterũ antea vi morbi tabuerat, Crucem, quam ad caput habebat, amplexus, ſæpiuſq́ue omni intimi animi pietate exoſculatus, animam Deo reddidit, cũ illa hymni verba de Cruce Domini protuliſſet: DVLCE LIGNVM, DVLCES CLAVOS, DVLCIA FERENS PONDERA, QVÆ SOLA FVISTI DIGNA PORTARE REGEM CÆLORVM ET DOMINVM. Obijt igitur Cõpluti in cõuentu ordinis ſui, anno à Chriſto nato M CCCC LXIII. pridie Idus Nouembris, die Sabbato, nocte ſequenti. Peruulgato Sancti viri obitu, ad eius corpus viſendum concurrit maxima multitudo populorum finitimorum, & præſertim ciuium Complutenſium omnis generis, ætatis, & ordinis. Hic mira pietas viſa eſt hominũ, illud tangere & exoſcular icupientium. Omnes certatim paululum veſtis, aut cinguli habere: alij capillos carpere contendebant, vt reliquiarum hominis Dei aliquid apud ſe retinerent. Nemo autem fere quiſquam tunc extitit, quin aut pileum, aut orationum libellum, aut ſalutationis Angelicæ coronam corpori præ ardentis erga illum pietatis ſtudio admoueret. Poſtridie, qui dies Dominicus fuit, mane corpus in eccleſiam illatum frequentiſſimo populo ſepultum eſt. Aliqua tamen pridie noctu diuinitus facta narrantur, ex quibus tanti viri Sanctitatis ſplendor vbique colluceſcere videbatur. Verùm iam locus eſt, vt aditum ad miracula faciam, quæ & in vitâ & poſt obitum in ſeruo ſuo operatus eſt Dominus.

Morbo corripitur & in brachio ſuppuratione.

Quæ ſuauẽ afflabat odorem.

Diem ſuum obijt.

Cuius corpus omnes tangere, & de reliquijs aliquid habere cupidi.

DE

PARS SECVNDA.

DE MIRACVLIS SANCTI DIDACI.

Miracula ſanctorum veteris Teſt.

PLENI ſunt ſacri eccleſiaſticiq. Annales miraculis Sanctorum, in quorum laudibus perpetuus eſt Catholicæ Eccleſiæ curſus. Eliæ pallio, Iordanis fluuij aqua diuiſa eſt: ipſeque alueum ſicco pede tranſijt. Moyſis, & Aaronis virgis non in Ægypto ſolùm, ſed in populi peregrinatione, miracula edita eſſe ſacræ litteræ loquuntur. Conſtat S. Ioſephi Patriarchæ, qui iampridem obierat, corpus propheta ſſe: & ſolo reliquiarũ Eliſæi cõtactu, mortuum in eius ſepulcrum illatum, à morte ad vitam eſſe reuocatum; & alia multa diuinis veteris teſtamenti monimẽtis conſignata ſũt. Nouum autem teſtamentum in ijs, quæ fecit Chriſtus Dominus, exponendis, præter cæleſtem doctrinam, quam docuit, verſatur. *Multa quidem*, inquit ſanctus Ioannes Euangeliſta, *& alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* Miracula ab Apoſtolis longè etiam maiora prodierunt: quia ipſe dixerat; *Amen, amen dico vobis; qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his maiora faciet.* *Reliq. teſtatiſſima eſt ex actis Apoſtolorum. Dixit itẽ Dominus: *Si credideritis, dicetis huic monti, Tranſi hinc, & tranſibit.* Quod miraculum ſanctus Gregorius Pontifex commemorat de monacho ſui temporis, qui oratione rupem mouit: & item Gregorius Nyſſenus de Gregorio Neocæſarienſi; quem, ob rerum admirabilium magnitudinẽ, Græci Thaumaturgum, nempe miraculorũ effectorẽ appellãt. Probatiſſimi hiſtoriæ eccleſiaſticæ Annales abundãt narrationibus miraculorum. Euſebius, Palladius, Theodoret. & alij Græci in ijs ipſis frequẽtiſſimi ſunt, præſertimque Chryſoſtomus in vitâ beati Babylæ martyris. Latini autem, ſancti eccleſiæ Doctores, Hieronymus in vitâ Pauli primi eremitæ & Antonij, Athanaſium ſecutus, & in vitâ etiam Hilarionis: Auguſtinus in libris de ciuitate Dei, in ſermonibus, in libellis de ſancto Stephano Protomartyre, in libris confeſſionum: Ambroſius in vitâ beatæ Agnetis: ſed vnus inſtar omnium eſſe poteſt Gregorius Magnus, qui libros confecit de rebus recens ætate ſuâ mirabiliter geſtis. Sed iam non eſt, cur rem longiorem faciam, cum nemo neque antea, neque poſtea, nec vero vllâ vmquam ætate vitas Sanctorum hominum litteris mandârit, quin eorum miracula, monimentis cõſignata eſſe voluerit. Sunt enim illa non modò, quemadmodum initio narraui, ad bonitatẽ Dei demonſtrandam inſignia: ſed ad fidem corroborãdam, & augẽdam valde in omnes partes vtilia, maximeq. accõmodata. Si quis Annaliũ de martyribus memoriam replicat, facilè animaduertit infinitã hominum multitudinẽ ex miraculorũ narratione fidem ſuſcepiſſe. Ea enim, quaſi voces præclaræ, plenæq. ſignificationum, religionem Chriſtianam prædicant, & reſurrectionem mortuorum confirmant. Ob eam rem fuit olim id in more poſitum, vt miraculorum libelli frequentiſſimo populo ab Epiſcopis recitarentur: id quod ex S. Auguſtino animaduerti poteſt. Neque autem illa ſunt ſolùm argumẽto, quantâ Sancti pietate coli debeant, quorũ nomine ea Deus operatur: ſed maximè ad Chriſtiani nominis populiq. gloriam ea ipſa pertinẽt; quę quo latius propagãtur, hoc magis boni gloriãtur, & mali ignominię cruciatu & labe quadã cõtabeſcunt. Cũ igitur B. Didaci vitam, certis capitibus diſtinctam, ſuperiori parte comprehẽſam, litteris mandarim: ſequitur altera pars, quam totam in miraculis eius ſcribendis ponam, exemplo ſanctorum Patrum ductus; qui tantam illorum rationem habuerunt, quãtam ad gloriam Dei illuſtrandam, aliaſque publicas Eccleſię vtilitates habere oportere demõſtraui. Quâ in re hæretici, qui fidei catholicę ſummam omni conatu conuellere ſtudent, cùm antea ſemper iam inde vſq. ab vltimis illis religionis Chriſtianæ temporibus, tum maximè in hac recentium hæreſum tempeſtate nos exagitare contendunt: in eoq; magnis euigilant lucubrationibus, vt fidem labefactent, atque infringant miraculorum, quorum ſplendore perpetuò col-

4. Reg. 2. 8.

Exod. 7. & 10. & ſeq.

4 Reg. 13. 21.

Io 20. 30. Miracula Sanctorum noui teſtamenti.

Io 14. 13.

** Act. 5. 15. Matt. 17. & 20. Dial lib. 1. c. 7.*

Nyſ. in or. de Greg. Neoc.

Lib 22 c. 8. Serm 01. Conf lib. 9. cap 7.

Miracula ad fidem ducunt, eâque confirmant.

Hæretici miracula reijciunt & negant.

luſtrata eſt eccleſia Dei. Itaq. eo ſtudioſius in ſuſcepti muneris curam incumbatur neceſſe eſt, quo magis illorum inſidiæ intentę apparent. Fuerunt olim in eo frequentes, vt Sanctorum vitas, vel confictis argumẽtis ipſi conſcriberent: vel ab alijs ſcriptas, veteratoriâ quadam, hæreticaque deprauandi arte corrumperent, ac falſis narrationibus contaminarẽt. Quorum fraudi ac dolo obuiam itũ eſt ſacro præſertim Canone, quem Gelaſius Pontifex in concilio Romano tulit. Non defuerũt præterea, qui miracula præcisè negãt. Næ iſti perſpicuè mendaces ſunt. Vt enim mentiuntur, qui nullam in Oceano aquam, aut nullum in ſole lumen eſſe dicunt: ſic qui proiectâ audaciâ negant in Eccleſiâ Dei eſſe miracula: à re verâ, & certâ, quæ oculorum aſpectu cernitur, planè aberrant. Eſt cùm iſtorũ malè ſentientium coercenda impudentia, tum bonorum piorumq́ue hominũ ſtudium excitandũ. Id iam nunc mihi faciẽdum cenſui cõmemoratione miraculorũ B. Didaci, ab hac etiã laude feliciſſimi viri. Ea autem narrando perſequar, non quæ aliquo modo apocrypha, quæq́; in obſcuro lateãt, ſed quæ omnis fere Hiſpaniæ vocibus in apertũ prolata, & obſignatis publicis tabulis teſtificata, magnorum ac ſummorũ virorũ ſermonibus prædicata, & omniũ pene, præcipuè Complutenſiũ ac Toletanorũ ciuium, iamdiu firmata conſenſu, nullam ãncipitem afferre poſſunt ſcribendi curam.

C. Sancta Romana Eccleſia diſt. 15.

Mirabilis fuit Deus in Didaco ſancto ſuo magnitudine & multitudine miraculorũ, quæ edidit numero centum triginta, & amplius. Non mei muneris puto, omnia ſingulaq́; recenſere: ſed quæ aliquo nomine illuſtria ſunt, & quæ in primis, ſacroſanctâ Sedis Apoſtolicę auctoritate maturè comprobata, animum meum exſuſcitant ad ea, vt poſſum, luculentè ſcribenda.

Multa S. Didaci miracula.

§. 1. Primò: quod de B. Hilarione Abbate, ſanctus Hieron. ſcriptum reliquit, de B. itidem Didaco teſtatiſſimum eſt, atque ecompertiſſimum: ex eius mortui corpore mirãodoris ſuauitatem eſſe ita afflatam, vt, cùm cubiculum totum repleuerit, tũ omnes etiã qui præſentes aderant, delectatione perfuderit. Nemo autem dijudicare poterat, vnde tanta odorationum vis dimanaret. Sed illud commemorabile eſt, atque admiratione digniſſimum, eam odoris iucunditatem ſenſu percipi nequaquam ab ijs potuiſſe, qui tetris peccatorum ſordibus ſeſe inquinaſſent. Vbi verò de ijs rectè confeſſi ſunt: gratiſſimum inde odorem ſenſerunt.

Corpus S. Didaci ſuauiſſimum pijs adflat odorem.

2. Eius corpus præ ieiunio, abſtinentiâ, & inediâ, nigroris ſpeciem præ ſe ferens, candore poſt obitũ reluxit: vultus illius nõ mortui, ſed viuentis: artus, & articulorum, manuumq́ue commiſſuræ flexibiles, vt ſequerẽtur quocumque verterentur. Neque vlla corporis pars; cùm mortua caloris eſt expers, obriguit, vt hominis cadauer obrigeſcere ſolet.

Candidum eſt, cũ viuũ nigrũ eſſet, viuentis habitum præferens: nec rigidum eſt, ſed per omnes artus flexile mollicũ.

3. Quarto die corpus exhumatum, tantũ ab fuit, vt fœdè putiſceret, vt mirificas odorationes afflaret: etiã ſi nullis vnguentis delibutum, aut balſamo conditũ, in ſepulturam traditum eſſet. Multos autem poſt exhumationem dies inſepultum odorum ſuauitatẽ ſemper exhalauit. Aliquando itidẽ accidit, quo præſertim tempore ad eius ſepulcrum fit aliquod inſigne miraculum.

Ad miracula, mira fragrantia eſt corporis eius.

Sed cùm ingens ſit numerus rerum admirabilium, quas is diuinitus geſſit, illas narratione contexam non ſine ordinis ratione. Primùm de miraculis dicam, quibus in vitæ huius ſtadio claruit: deinde verò de reliquis, quæ prece & meritis ſerui ſui Deus facere nõ deſijt, iã inde à quã die obijt vſq; ad hæc tempora, quibus illius ſanctitatẽ diuina benignitas illuſtriorem reddidit tam admirandis operibus, quæ narranda ſunt.

Pauit eum Dominus aliquando in ſolitudine, quemadmodũ Eliſæum, Paulum eremitam, & alios ſeruos ſuos. Sed rem totã ſcripſi, quo loco expoſui iter eius Hiſpalenſe.

Paſtus à Deo in deſerto fuit. Sup part. 1. cap. 10.

Morbos autem inſanabiles, quos diuinè curauit ſolo tantùm crucis ſigno, difficile eſt, atque longum nimis enumerare. Sed illud aſſeuerãter dici licet, eorum curatione vbique excitatam ita eſſe admirabilitatem nominis ſui, vt magnus ad eum concurſus fieret.

4. Hiſpalim cùm iter B. Didacus haberet, ad hominem diuertit fratrũ ordinis ſui hoſpitem. Erat in viciniã mulier, quæ præ inopiã furnariam exercebat, vt ſe ſuamq́ue familiã ſuſtentaret. Habebat hæc filiũ, annos ſeptem aut ampliùs natum: qui matris, iracundiã exardeſcentis, acerbitatẽ metuens, ſæpenumerò aufugere ſolebat. Is quodam die verberibus cæſus, domo abijt: neque eſt ante diem Dominicum reuerſus. Tum verò timens, ne à matre a-

cerbiùs

cerbiùs iterum vapularet; in furnum ſe ſe abdidit, vbi ſomnus eum artiſſimè complexus eſt. Eo loci puerum iacere, cùm illa ignoraret: poſtero die, qui dies feria ſecunda fuit, ante lucem ſurgens, ignem admouit furno. Qui tam celeriter flãmis exarſit, vt ſimul & puer horribilem in modũ clamitaret, & furnus igneſceret. Eo acerbiſſimo filij caſu mater mœſta ac mœrens, cùm nõeſſet, qui ſibi opem ferret, gemitu eiulatuq; lugubri, & vociferatione muliebri viciniam replebat, auxilium expetens. Cui B. Didacus, bene iuuante Deo, obuiàm factus, re auditâ, mulierem conſolatur: bono animo eſſe iubet, hortaturq; hoc maximè, vt ad eccleſiam quã primùm properè feſtinet, vbi ad B. Virginis Mariæ altare ſupplex, filij ſalutem ei miſericordiarum matri intimè commẽdet. Rectè monenti paruit ilico mater, pueri periculo conſternata: tum continuò B. Didacus & ſocius, ad furnum profecti, lignis & ſarmentis incenſis, illum ab omni planè illo ardore incolumem inuenerunt. Ob rei admirabilitatẽ ad ſacram ædem, vbi mater precabatur, illum perductũ albis veſtibus Canonici induerunt in honorem beatiſsimæ Virginis: nemoq; aderat è frequenti populo, qui illum curioſè nõ ſpectaret, tamquam è mediã morte mirabiliter ereptum. Sacellum autem, quò is, ab incenſione liber in omnium conſpectum adductus eſt, magnâ in veneratione eſſe deinceps cœpit: cùm multa præſertim miracula, B. Didaci gratiâ, Deus poſteà fieri ibi voluerit.

Puerum liberat ex incenſo furno.

Miraculorum B. Didaci fama percrebuit, & in ore ſermoneq; omnium cœpit eſſe. Sed non deerant, qui illa prçcisè negarent. Mirè tamen ac diuine factum eſt, vt ijdem palàm publiceque illa faterẽtur, & commemorarent. Idque planum ex ijs fiet, quæ mox exponam.

5. Maria Barahona, Garſiæ ciuis Cõplutenſis filia, aliquot poſt obitum illius B. Viri diebus, in ſermonem vnà cum alijs mulieribus de eius miraculis incidit. Fortè præſens aderat Alphõſus quidam Gonçalez, ſacerdos: qui illa cùm audiret, ſe non credere dixit, etiam ſi eadem valde cõfirmaret Apoſtolorum princeps, Petrus. Dum hæc temerè dictitabat, quoddam B. Didaci tunicæ fragmentum exiguum in manu habebat, quod multo ſudore manans, manum aquâ madefecit. Res admirabilis cùm cerneretur: continuò in fragmento ſimul & in manu aquâ ſudoris aruit. Eius rei admirabilitate tum Maria & ceteræ mulieres obſtupefactæ ſunt: tum verò Sacerdos commotus, apertè aſſeueranterque dixit, ſe plane credere quæ de beato Didaco miranda narrantur.

Incredulus miraculis S. Didaci, alio miraculo fit credens.

6. Ioannes de Guadalajarâ, homo Cõplutenſis, aliquando cum alijs ciuibus Cõplutenſibus colloquiũ de miraculis habuit, quæ B. Didaci prece Deus operabatur. In ijs Ioannes cùm hæſitaret: domũ reuerſus, dũ noctu ſomnum capit, de repẽtè in crure prope genu ita vehementer dolore cruciatur, vt clamores & gemitus ederet miſerabilẽ in modum. Iampridem nimirũ, quindecim antè annis ea in parte vulnus acceperat: neque anteà vmquam, ne leuiter quidẽ, niſi tunc primum doluerat. Eo cruciatu exarſit totâ nocte, & poſtero die manè quouſq; ad Miſſæ ſacrum acceſſit. Cùm autẽ ad Chori altare, ſtabat tũ repentini doloris impetu victus, nõ modò ſtare non potuit, ſed neceſſe habuit, humi ſtratũ iacere: tum in mentẽ ſtatim venit cauſa, quamobrem plagæ, quæ tamdiu obducta erat, acerbitatem ſentiret. Quã recordatione excitatus ad beati Didaci ſepulcrum, vt ægrè potuit, ſe contulit. Eò loci Deũ hoc intimè precatus, vt ob illius merita ſui miſereretur doloreq. ſibi vniuerſũ adimeret, quo acerrimè torquebatur: tum vbi paululum oraſſet, magnam in crure vim caloris ſenſit: quo diuinitus à doloris liberatus eſt cruciatu.

Hæſitans de S. Didaci miraculis, punitur.

Ad eius ſepulcbrum orans ſanatur.

7. Aluarus Gaa, homo Luſitanus, Archiepiſcopi Toletani familiaris, cõmiſeratione ductus ancillæ, quæ domi ſuæ cũ marito habitans filiã paucis antè horis mortuã, miſerabiliter lugebat, eam cõſolãdo monet, vt ad beati Didaci, cuius tunc miraculorum nomẽ maximè increbreſcebat, ſepulcrũ puellã deferret, id à Deo precans, vt ob eius merita filiam, ad vitam reuocaret. Piè monenti, cum ilico obtemperaſſet, domum puellam, quam mortuam inde extulerat, viuentem ac validam reduxit.

Puella mortua reuixit ibidem.

8. Homo quidam, in oppido de Agredânatus, oculis omnino captus, omniũ ſermone diffuſâ celebritate miraculorum, quæ B. Didaci meritis & precibus Deus efficiebat, multis locis medicũ, cuius virtute lumẽ recuperaret, ſe cõquiſiuiſſe dixit: hîc tamen illum inuenio, qui à cęcitate me diuinitus liberauit. Ad

Cæcus attactu ſacræ manus eius viſum recepit.

ſepulcrum igitur beati eius viri acceſſit, cuius manum oculis cùm admouiſſet: eorum ſenſum, cuius omnino expers erat, diuinitus recuperauit.

Cæci duo pueri luto ſepulchri itemviſum recuperarunt.

9. Filios duos, cæcos, pater quidam, in pago de Corlon natus, ad illius monumentum adduxit: vbi paululum terræ è ſepulturâ cùm excepiſſet, lutum confecit, quo eorũ oculos obliniuit. Id purâ fide cũ pater effeciſſet, liberi reſtituti ſunt ad integrum oculorũ ſenſum.

10. Conſtantia Mendocia, Didaci Lopez filia, menſes quinque febri grauiter laborauit: à quâ diuturnâ & periculosâ ægrotatione liberari nullis etiã aſſiduis medicorum curationibus potuit. Itaque cùm beati Didaci miracula, quæ tum frequentia erant, auditione accepiſſet: ad illius monumẽtum, cùm adhuc febri æſtuaret, aduecta ac Deum precata, ob viri illius beati merita valetudinem priſtinam ita recuperauit, vt febris, cuius æſtu, aut horrore vehementer vexabatur, ne commotiunculam quidem vllam, vel minimam in poſterum ſenſerit vmquam.

A febri quædam conualuit.

11. Hieronymus homo Segobiẽſis, 5. & 10. quoq; die, ita grauiter morbo comitiali afficiebatur, vtmortuus putaretur. Famâ ductus miraculorum B. Didaci, vouit ſe ad illius ſepulcrũ vigilias eſſe acturum. Quo voto piè nuncupato, ſtatim morbum euaſit: neque ſe in poſterum ab eo tentari ſenſit.

Voto concepto ſanus fit ab epilepſiâ vexatus.

12. Petrus Philippus, & Catharina, coniuges, in pago del Freſno nati, filiũ habebant febri grauiter ægrotantem. Quâ febri is quodam die cùm vehemẽter æſtuaret: præ æſtu dum clamorem, gemitumq. magnum edidit, vocis vſũ amiſit: neque cibũ deinceps capiebat, nec verò capère poterat. Quam ob rem deſperatâ eius valetudine, parentes eũ B. Didaco commendarunt: cuius cæleſti apud Deũ auxilio confeſtim locutione recuperatâ, à febri etiam conualuit.

Valetudinẽ à febri S. Didacus reſtituit cum loquelâ.

13. Ioannes Sanchez, familiaris Principis oppidi Sancti Iuliani, tres ipſos menſes ex tumore pedum laborabat: eamq. ob rem incedere, aut ſtare nullo modo poterat, niſi baculo niteretur. Auditis rebus beati Didaci admirandis, quæ omnium ſermone celebrabantur, ad illius ſepulcrum ſe aduchi voluit. Ex voto triduum ibi manſit: in ſinguloſq. dies eo nomine Miſſam celebrandam pie curauit. Dum autem fixus in oratione verſabatur, à pedum tumentium morbo ſe mirabiliter liberum vidit, ac profeſſus eſt.

Pedes reſtituit.

14. Vir quidam, genere nobilis, elephantiaſi morbo fœde infectus, ad beati Didaci monumentũ delatus, multos ibi dies in lecto iacuit, potu aquæ vſus, quâ manus ille abluere conſueuerat: factum eſt, vt contra omniũ ſpem ab inſanabili eo contagio conualuerit.

Leproſum curauit.

15. Henricus Quartus, Caſtellæ, Rex & filia, aliquo poſt beati viri obitũ, ſpatio temporis, grauiter ægrotârunt. Factum eſt, volẽte Deo, vt, quoniam nullis medicorum remedijs præſentibus ſanarentur, prece ac meritis beati Didaci valetudinem priſtinam recuperarint. Cuius diuini beneficij Rex memor, illius nomine ſacellum impensè extruxit: vbi eius corpus intra arcã ferream piè recondi iuſſit.

Regem Caſtellæ cumfiliâ à morbo ſanauit.

16. Ioannes de Soto Catharinam filiam habebat, ex puſtularũ morbo periculosè laborantẽ: cuius etiam morbi vi iam puella cùm oculorũ ſenſum amiſerat, tum vero cibum ſumere nequaquam poterat. Eius ſalute deſperatâ pater, rerum mirandarum beati Didaci commemoratione excitatus, continuò ſupplex ab eo petijt, vt filiæ incolumitatem à diuinâ benignitate deprecaretur. Quod ſi impetraret, vouit ſe nocte vnâ ad eius ſepulcrum vigilaturum. Abijt inde pater, vbi puella, morbo perculſa iacebat: poſtea verò quàm redijt, reperit eã à malo liberam, integreque vtentem ſenſu oculorum: quo patrem intuens, hilari vultu illum ſalutauit.

Item cæcã ex puſtulis.

17. Catharina Martinez, mulier Hiſpana in pago Duron nata, cùm prope fontem quendam eſſet, repentinâ vi quadã morbi, paralytica, muta, ac ſurda euaſit. Quo triplici morbo tres ipſos menſes vehemẽter laborauit. Ad B. Didaci ſepulcrum aducta: dies nouem ibi vigilias egit. Cùm verò ſemel manu illius B. Viri, inſtar crucis, ſignaretur: diuinè factum eſt, vt membrorũ omnium vſum continuo recuperarit. Pedibus ſuis inceſſit, auriũ ſenſu audiuit, & abſq; vllâ linguæ hæſitatione, aut impedimento, ne minimo quidem, locuta eſt. Immò liberè primùm, vicario præeunte, ea verba protulit, Laus Chriſto Ieſu.

Item paralyticam, mutam ſurdam.

18. Adoleſcens quidam, annum vigeſimum agens, ab improbo ſpiritu obſeſſus, ita horribiliter exagitabatur, vt, cùm quotidie ſæpius in terram caderet, ſe ad puteos præcipitem ferri clamitaret. Adductus igitur ad ſacellũ, vbi beati Didaci corpus piè aſſeruatur,

Ad ſepulchrum eius ab energumeno dæmõ profligatus.

aliquot

aliquot poſt diebus, quibus eo loci manſit, ab illius vexatione æſtuque eſt mirifice liberatus.

Item ab alio obſeſſo malus genius.

19. Didacus Lorca, ſpiritus impuri, quo miſerabiliter vexabatur, impetu ſæpenumerò in terram ita abijciebatur, vt horæ ſpatio prorſus omni ſenſu careret. Quo cruciatu ægrè afficiebatur: eamq. ob rem mallet ſe mori, quàm ita dolenter atque acerbè viuere. Ad ſacellum igitur beati Didaci, cùm nullum aliunde remedium inueniſſet, ſe peregrinaturum dieſq. nouem cõmoraturum vouit. Eò profectus illius ſpiritus nequitia, & impetu haudquaquã liberari potuit: propterea ad conuentum beatæ Mariæ de Guadalupe rediit, vnde proximè diſceſſerat. Tum à propinquo rogatus, an quâ debuit fixâ animi pietate, ſinceraq. fide ſe beato Didaco commendaſſet, id minimè à ſe factum reſpondit. Quare monitus, vt ardentiori deuotionis ſtudio opem eius imploraret, pedibuſq. nudis ad ſacellũ incederet, monentis propinqui cõſilio paruit. Quo factum eſt, vt, quodam die flexis genibus cùm intimè oraret, à ſpiritu nequiſſimo omnique malo repente liberatus ſit diuinitus.

Inſana mẽtis compos facta.

20. Maria, vxor Ioannis Flores, diœceſis Toletanæ, ex partu inſanijt: ita à mentis ſtatu depulſa, vt ſtultè & furẽter ageret omnia. Eam ob rem menſes duos vinculis ferreis aſtricta tenebatur. Coniugis miſeratione commotus Ioannes, votum nuncupauit, vt ad beati Didaci monumentum eam adducat. Cùm autem voti ſponſionem præſtare maximoperè cuperet: venit vnà cum altero, quem ſibi ſocium adhibuerat ad locum, vbi catenis conſtricta erat. Mirum, vt, voto facto, illam inuenerit nõ modò non furenter inſanienẽ, quemadmodum antea, ſed quietè placideq. conſidentem. Ad ſepulcrum igitur beati viri ex voto perducta, dies decem ibi commorata, tandem illius prece ac meritis, ad mentis ſanitatem redijt.

Febriens it ẽ ſanatus.

21. Antonius Frances, Iſabellæ Reginæ familiaris, menſeſq; circiter octo, ita febri grauiter vexabatur, vt totius corporis dolore miſerè cruciaretur. Tam diuturno morbo & cruciatu ſe medicinâ liberari non poſſe, experiundo cognouit: voto nuncupato, ad beati viri ſepulcrum ſe adduci voluit. Vbi dies nouem cùm vigilias egiſſet, per illius merita Deũ de ſalute precatus, in dies ſingulos meliuſculè ſe habere incœpit, vſque adeo vt inde diſceſſerit, bene à morbo confirmatus.

Et ab igni ſacro alius tangens ſacri corporis arcam.

22. Igni ſacro, morbo acerrimo, quẽ ſancti Antonij nomine vulgò vocant, vir quidam acerbiſſimè afflictatus, ad illius beati viri monumentũ intimâ pietate ductus, venit: vbi cùm arcam, in quâ eius corpus reconditur, brachio tetigit, ab eo morbo ſtatim conualuit.

Puella cæca videre cœpit.

23. Maria, in oppido de la Parra nata, puella ætate ſeptẽ circiter annorum, oculis capta, ad ſacellum beati Didaci à patre aducta, triduo ibi cũ manſiſſet, videndi ſenſum non recuperauit. Vbi verò inde cum patre abijt, dum torrentem tranſit, patrem ſic affatur; Video pater mi: beatus enim Didacus oculos mihi aperuit: tumque ſe cernere dixit & Complutum, & caminos fumum emittentes. Poſtea verò integrè vſa eſt oculorum aſpectu.

Mortui tres vitæ redditi

24. Beati Didaci precibus homines tres, qui præ maximâ morbi vi obierãt, à morte ad vitam reuocati, ad eius monumentum aliquãdiu euigilârunt: vbi ſunt publice palamq; teſtificati omnibus tanti miraculi magnitudinẽ. Cuius rei illud certiſſimo eſt argumẽto, quòd linteum idem induerunt, quo, vt in Hiſpaniâ moris eſt, inuoluti, ex vitâ hac migrantes, in ſepulturam inferuntur.

A cordis & capitis dolore quidam liberatus.

25. Alphonſus Martinez, nocte quadam, dolore cordis derepentè affectus, cruciabatur maximè. Quo in cruciatu ſibi corpus inflammari & inteſtina dilacerari videbantur. Itaque magnopere metuit, ne illa animi acerbitas, quaſi rabies canis aliquando fieret. Confugit piè ad beati Didaci monumentum, cuius patrocinio cùm intimè ſe commendaſſet, continuò ab illo animi mærore conualuit. Ex capite autem cùm deinceps magnopere doleret, eõdem remedij causâ ſe recepit; vbi genibus flexis opem per illius meritа à Deo precatus, nullum deinceps dolorẽ ſenſit, odore etiam afflatus, quem inde ſuauiſſimum perceperat

Mulier elinguis loquelam accepit.

26. Mulier quædam Hiſpanienſis, annos triginta nata, iam ſeptem & decem muta, ad beati viri ſacellum perducta, vigilias nouem ad illius ſepulcrũ cùm egiſſet, corpori demũ proximè admota, vbi elinguis erat, confeſtim loqui cœpit. Tum omnes, qui aderant, rei admirabilitate obſtupefacti, gratias Deo ingentes egerunt, quòd rem tantam oculis ſuis ſpectaſſent.

Paralytica reſtituta.

27. Melchiora Agular, diuturno morbo lãgueſcens, demum in paralyſim incidit; quæ nullis medicamentis curari potuit. Ad beati Didaci ſacellum euecta, quâ primum nocte eo ingreſſa eſt, dum in matutinâ horâ euigilabat, tanto ſudore manauit, vt guttatim deflueret. Deinde quadã animi defectione cũ mortua putaretur: paulo pòſt ad ſe rediens, integram valetudinem mirabiliter recuperauit.

Crurum firmitas reddita.

28. Dominicus Fernandez, in pago Dela Viñuela natus, cruribus debilitatus, nullam in partem ſe mouere poterat, niſi alienâ ope adiutus. Ad beati viri ſepulcrum iumento vectus, vbi quatriduo manſit, Deum de valetudine ob Didaci ſancti merita precatus, ſubitò conualuit.

29. Maria Garcia, femina nobilis, nurum Catharinam habuit, cui parturienti certum ex partu periculum impendebat, propterea quòd infans, in vtero tranſuerſus, vnum tãtum pedem inde extulerat. In tanto puerperæ diſcrimine illa commeminit beati Didaci, qui tunc miraculorũ claritate ſplẽdeſcebat. Recreata igitur aliquantulùm ex ſpe, quam in illius beati viri meritis habebat, ilico veſtis, quâ is indutus fuerat, exiguum fragmentum, paulũmq. terræ, quâ corpus contegebatur, afferri iuſſit. Rem vnam & item alteram nurui admouit: quæ ſtatim puellam peperit, mortuam illam quidem, ſed ipſa periculo liberata fuit. Ex tanto autem miraculo ſocrus etiam puellæ vitam reſtitui præ fidei ardore à Deo petere confiſa, vouit, ſi id impetraſſet, in ſacello beati Didaci ſe dierum nouem vigilias acturam. Voti cõpos facta, puellam, quæ horis quattuor mortua manſerat, cùm reuixiſſet, in ſacro baptiſmi fonte Mariam ſuo nomine vocari voluit.

Attactu veſtis & terræ Sepulchri S. Viri parturiens facilè enixa fœtũ mortuum, qui voto reuixit.

Febriens item ex voto conualeſcit.

30. Martinus Fernandez, in oppido Alualate natus, febri grauiter ægrotans, in mortis periculum adductus, iam penè mortuus putabatur. In eo ſtatu cùm eſſet, linteo inuoluitur: cui coniunx tum flebili altaque voce, Martine inquit, de valetudine tuâ votum feci, cuius ſponſione obligor Deo, te peregrinaturum ad ſacellum beati Didaci, vbi in oratione euigiles: quamobrem cura, vt valentior fias. Hæc vix dixerat, quòd ille linteo, quo inuolutus erat, ſeſe explicans, voce reſpondit hominis non animam agentis, ſed viuentis: ſicque mirabiliter ex morbo conualuit.

Morbidus ſanatur.

31. Ex inteſtinis, doloreque ſtomachi homo quidam Conchenſis grauiſſimè laborabat, vſq; adeo vt mori metueret. B. Didaci, quem in hac vitâ olim familiariter norat, precibus ſe intimè cõmendauit: ſtatimque è graui morbo euaſit. Illud præterea teſtatus eſt, neq. ſe, nec verò quemquam familiæ ſuæ ad vllam corporis inualetudinem adhibuiſſe vmquam medicũ: ſed ſi quando in febrim, aut in aliquem morbum incidérũt, B. Didaci precũ ope ſe, ſuoſq́. ab omni ægrotatione liberatos eſſe.

Item grauiter febricitans.

32. Leonora Conçalez, femina Hiſpanienſis, febri periculosè æſtuans, votum nuncupauit peregrinationis ad ſacellum B. Didaci. Quo voto facto confeſtim à morbo conualeſcens, vt illud ſolueret, eò venit: vbi, cùm vix pedem illuc intulerat, in febrim incidit. Admirata mulier, quid cauſæ eſſet, cur ſibi aliter, atque alijs è morbò laborantibus ſuccederet: qui, tantum abeſt, vt malis recentibus afficiãtur, vt veteribus omnino liberentur. Id aliquâ culpâ ſuâ factum, animo cùm reputaret: Arabicè ſcriptam ſe quandam ſchedulam habere meminit, quam vbi legi iuſſit, dæmonum nomina, litteris conſignata, in eâ eſſe compertum eſt. Inflammari quamprimum eam mandauit: ſicque continuò febris diſceſſit.

Nota. Nota

Incuruus & hernioſus identidem.

33. Petrus Ramirez, ex pago Sancti Adriani, homo incuruus, & hernioſus, ex vtroque malo valde laborabat. Ita enim curuus fuit, vt ab humeris aliquid prægrande inſtar capitis humani extaret. Hernia, quam Rotturam vulgò dicimus, vſq; adeo ab inferioribus partibus inteſtina diduxit, vt matulæ vaſis ſpeciẽ præ ſe ferret. His ambobus corporis malis, & deformitatibus ægrè affectus, præ doloris moleſtiâ, quam ſentiebat, ſomnũ, aut quietem capere non poterat. Tum beati Didaci miraculis omnium ſermone celebratis adductus in viam ſe dedit, vt ad illius ſepulcrum iret. Eò antequam perueniret, nocte quadam ob eius merita à Deo auxilium valetudinis recuperandæ omni ſummâ pietate ſupplex petijt. Diuinitus factũ eſt, vt precatione factâ, ſe non incuruũ eſſe ſenſerit. Vbi vero ad illius monumentum venit, in oratione, cùm ſemel pernoctaſſet, ab herniâ ſtatim conſaneſcit.

Calculoſus quoque.

34. Ioannes Martinez, ex vrinæ difficultate laborans, 30. ipſos dies mingere

non

non poterat intolerabili cùm cruciatu. Vrinæ autem loco ſanguinẽ guttatim effundebat ægerrimè. Nocte quadam precãdo cùm ad beati viri ſacellum vigilaret, derepente calculum ita grandem emiſit, vt naturâ exire non poſſet. Ita diuinitus factum eſt, vt eum morbum depulerit omnino.

Tactu manus eius à dolore lumborum curatus.

34. Alphonſus Garcia, homo Complutenſis, lumborum dolore vehementer cruciatus, cùm neutram in partem moueri haudquaquam poſſet, ad Didaci beati ſepulchrum ſe ex voto aduehi voluit. Ibi per ſancti viri merita Deum precatus, cùm ad lumbos ſibi manus illius admota eſſet, ilico miram caloris vim ſenſit, quæ dorſum inuaſerat. Is calor ita dolorem depulit, vt deinceps à malo conualuerit in perpetuum.

A febri quadam mulier perſanata.

35. Ioanna Mendocia, Gomezij Manriquij coniux febris æſtu, & horrore grauiter afflicta menſes duos, cùm nihil ſibi quicquam prodeſſe videret, quod à medicamentis proficiſceretur: de valetudinis recuperatione id conſilij cepit, vt ad beati Didaci ſacellum veniret. Eò perducta, ad eius ſepulcrum ſupplex accidens, anteaquam à ſupplicatione ſurgeret, à ſe febrim ita diſceſſiſſe ſenſit, vt nullis eius commotiunculis affecta ſit in poſterum.

Oculum quaſſatum reparauit.

36. Didacus Garauito, cùm pilæ ludum ſpectaret, ictu ſupra oculum vehementer percuſſus, præter capitis dolorem, quem ex eo intolerabilem traxit, nihil quicquam, oculi fracti, & ſanguinem fundentis aſpectu, cernere poterat. Oculo igitur captus, cùm aliunde non inueniret, vnde ſibi remedium adhiberet: Dei opem implorauit, quiob Didaci beati merita illũ reſpexit. Nam beato illo viro deprecatore, ad cuius cæleſte patrociniũ confugerat, vſus, cùm nullum capitis dolorem ſenſit, tum oculi amiſsi ſenſum recuperauit planè diuinitus.

Lateris dolorem depulit.

37. F. Antonius Aguayo ordinis Minorum, mediâ nocte cùm matutini ſignum campana dabat, tam acerbũ dolorem in latere ſiniſtro accepit, vt præ cruciatu horribiles clamores mẽſium circiter trium ſpacio ederet. Eo cruciatu etiam tortus, cùm ſomnum neque diu neque noctu capere poſſet, ad beati Didaci precationem diuinam confugit: cuius ope quãprimùm ſanatus eſt.

Capitis item debilitatem & manus.

38. Ferdinandus, Ioannis Ferrandez & Catharinæ filius, morbo languefcens, viribus labefactatus capitis, quod nullo modo, neque à dextrâ neque à læuâ parte ſuſtinere poterat; & manu debilitatus, quæ, quaſi exareſcens, diduci, & contrahi nequibat, ad beati viri ſacellum perductus, illius meritis reſtitutus eſt ad integram valetudinem.

Cæcitatem quoque.

39. Petrus Martinez, cæcus ab amico ad beati monumentum adductus, viſum, cuius expers fuerat, illius ope imploratâ, continuo recuperauit.

Et corporis tumorem.

40. Iſabella Sanchez, Gonçalij coniunx, Mantuæ Carpetanorum, quam Madrid vulgò vocant, nata, toto corpore tumeſcens, omnibus partibus deformata, & vultu decolorata, numquam vllis exquiſitis medicamentis ſanari potuit. Vbi primùm ad beati Didaci ſacellum aducta eſt, cùm vigilias tres precibus egiſſet, à tumore conualeſcens, priſtini decoris ſpeciem præ ſe tulit mirabiliter.

Item quartanam.

41. Gonzalus, Lopij Garçiæ filius, febri quartanâ annum ægrotabat. Ad beati viri monumentum pietatis cauſâ profectus, cum Guardiano egit, vt ſibi illius corpus oſtenderet. Quod cùm impetraſſet, vbi illud piè ſpectauit, diuinitus factum eſt, vt ex febri quartanâ deinceps neutiquam laborarit.

Et ramicoſum ſanauit.

42. Ioannes Gonçalez, ciuis Mantuæ Carpetanæ in Regno Toletano, filium Didacum, habebat ramicoſum, nempe ex herniâ laborantem. Annos duos filio curationem ex medicorum ſolertiâ cùm adhibuiſſet, nihil ei profuit tamen ad valetudinis recuperationem. Confugit tandem ad beati Didaci auxilium, cuius cæleſti prece à Deo ſalutem filij & incolumitatem mirificè impetrauit.

Brachium aridũ quoque.

43. Lopezius Enzinas ex equo deciderat: quo caſu brachium dextrum fractum ita exaruit, vt ad rem nullam eius functione ac munere vti deinceps poſſet. Miraculorum beati Didaci famâ commotus, magnâ erga eum veneratione & ſpe exarſit. Nocte quadam ſibi ille in ſomnis adeſſe viſus, ab eo petijt ſe ipſius apud Deum deprecatione, ſanum fieri. Tum Didacus, manu impoſitâ; Abi, inquit, quia ſanus es. Somno expergefactus, cùm ſomnium inane putaret, tamen aliter euẽnit: propterea quod brachium prorſus validum & ſanum diuinitus factum eſt, vt in poſterũ facile eo vteretur ad omnia.

Fractũ brachium reparauit.

44. Laurentius Martinez, decem ipſos annos brachio erat fracto, beati Didaci ſacellum cùm piè adiret, ad integram illius reſtitutus eſt valetudinem, magnâ omnium, qui eum norant, admiratione.

Paralyticus ad eius Sepulchrum cõfirmatus.

45. Ioannes Martinez, de vico, quem Caſtillejo Hiſpanicè vulgò dicunt, annorum duodecim ſpatio manibus mancus ac debilis, pedibusque ob paralyſim captus, ad ſacellum beati viri iumento vectus, vigilias nouem ibi orando cùm egiſſet, ſanus factus, manuum pedumque vſum in poſterum adhibuit.

Item alius paralyticus & mutus.

46. Ioannes alter Martinez, ab latere vno totus paralyticus, ac diu mutus, ad beati Didaci monumentum perductus: vbi primùm vigilias duas in oratione egit, diuinitus eſt ab ægrotatione confirmatus.

Item alia vſu membrorum orbata.

47. Ioanna, Catharinæ Diez filia, omnibus fere membris capta, ore obtorto & deformi, linguâ hæſitanti: beati Didaci patrocinio à matre intimè ac piè admodum commendata, membrorum vſum, oris decori formam, locutionis naturale munus ſtatim recepit.

Epilepticus quoque.

48. Didacus de Guadalupe, morbo comitiali in dies ſingulos ſæpe quinquies, aliquando ſexies grauiſsimè exagitabatur. Voto nũcupato ad beati viri ſacellum dies nouem in oratione euigilauit. Die autem nono longè grauius, quàm antea, vexatus, ab hac vitâ migraſſe videbatur. Sed diuinâ ope ob illius viri beati merita factum eſt, vt in poſterum nullam tam vehementis morbi moleſtiam vel leuiſsimam vmquam ſenſerit.

Ex onere graui quaſſatus recreatur.

49. Franciſcus Fontius, vas teſtaceum, amplum ac ponderoſum, in cellam vinariam deorſum immittere cùm vellet, ad hoc opus faciendum vſus eſt operâ Franciſci cuiuſdam Sanchez, qui illud fune conſtrictum, & ſuſpenſum, extrinſecus paulatim demitteret. Hic tam graue onus cùm ſuſtinere nequaquam poſſet: continuò ex illius manu vas lapſum, multis partibus infractum, qui ſubter erat, ſurſum ſpectantem, maximoperè læſit. Eâ igitur confractione variè percuſſus, & animo ſenſuque omni cõſternatus, in lectulo quaſi mortuus collocatur. In quò cùm eſſet, ſe à dæmonibus præcipitem per quoſdam montes ferri, idq; illos triumphare, ac lætari vidit. Vbi ad ſummum montem

Dæmon abigitur.

tenebricoſum tandem vẽtum eſt, cùm ipſum præcipitare inde velle ij viderẽtur: tum beati Didaci, cui ſe commendauit recordatione, recreatus, nihil aliud per viſum aſpexit, niſi illuſtrem claritatem auditioneque vocem hominis accepit, iubentis eum bono fortique animo eſſe, ac ſequi, quò iret. Tum Franciſco viſus eſt illum comitari vſq; ad vicum quendã, quẽ Pozuelo vocant vbi ille habitabat. Eò cùm ambo veniſſent: tunc, Abi, ille inquit, domũ tuam, & de mulieribus percunctare, quæ earum à beato Didaco precum ſuarum opem tibi implorauit. Id ab ijs cũ quæſiſſet: mulier quædam Mencia reſpondit; Ego illi Dei viro te commendaui. Hæc verba Franciſcus vbi primùm audire viſus eſt, ſtatim à morbo integer & ſanus factus eſt, ac liber ab illa dæmonum impreſſione.

Febricus & ventre tumens ſanatur.

50. Lopius, & Iſabella, coniuges, Mantuæ Carpetanorum in Regno Toletano nati, filium habebant, annos circiter acto natum, ex febri biennio laborantem, ventriſque tumore langueſcentem. Pater votum nuncupauit de eo ad Beati Didaci ſacellum perducendo. Vbi primùm vouit, tum puer ſtatim beſtiolas duas euomuit inſtar teſtudinum, & magnam ſimul copiam ſanguinis emiſit, vſque adeò vt vitam vix ducere poſſe videretur. Tantam peſtem poſteaquam ex inteſtinis foras proiecit, ad hominis Dei monumentum allatus, ab omni morbo mirifice quatridui ſpatio conualuit.

Vulneratus quoque, & ex vulneribus deformis.

51. Alphonſus Cardero, bello Nauarrienſi, haſtâ in facie vulneratus, luculentas etiam duas plagas in eâdem accepit: quibus adductus eſt in mortis diſcrimen. Vbi autem menſes octo & ampliùs ob vulnerum curationem domi ſe continuit: nihilominus tamen vultu erat deformato, quia cicatrices obductæ cùm os contraxerant, tum oculum alterum peruerterant. Eâ oris, vultus, & oculi diſtortione, fœdè affectus, ad beati Didaci ſacellum ex voto piè peregrinatus, poſteaquam vigilias nouem precando egiſſet, ilico integrâ formâ, priſtinaque ſpecie fuit & oris, & oculi: quo vtroque præ cicatricibus diſtorto, & peruerſo antea vtebatur.

Lumen recepit oculis orbatus.

52. Petrus Arze de Auilâ, quatuor abhinc annos oculis captus, atque omnibus corporis membris debilitatus dolorumque cruciatu ægre affectus,

nullâ

nullâ vnquam curâ ſanatus, res Didaci beati mirificas, cunctorum vocibus celebratas, cùm primum audiuit, ad illius ſacellũ ſe perduci voluit. De aſpectu oculorum, & valetudine recuperandâ ob eius merita Deum deuotè, humiliterque deprecatus, nocte quadam, dum ſomnum capiebat, ſe conſaneſcere ſenſit. Quo ſenſu expergefactus, lampadis quæ in ſacello prælucebat, lumen oculis aſpexit. Eius rei mirabilitate obſtupefactus ingentes Deo gratias agere non deſiit.

Tremulandus & māuum perſanatus.

53. Alij duo homines, ad Didaci corpus venerant. Quorum alter ex manuum corporiſque tremore ita vehementer laborabat, vt neque cibum, neque potum ſumere poſſet. Alter medio latere mancus & debilis, ægrè vexabatur. Ambo ad illius corpus proxime admoti, continuo ſanati ſunt.

Crus breue ſexēni pueri extenditur.

54. Pater quidam, ex oppido, quod Tamajon Hiſpanicè vocāt, ad beati viri ſacellum filium adduxit: qui ſextum annum agens, crus habebat altero breuius, & contractius digitis tribus. Dies ſeptem cum in oratione euigilaſſet: octauo tandem die, voti compos, filium illico vidit ſanum, pedibuſque ſuis rectè incedentem.

Lumborum dolorem curauit.

55. Petrus Gonzalius, loci de Vzeda, ſacerdos Capellanus, qui ſanctorum martyrum Iuſti & Paſtoris eccleſiæ curā præerat, lumborum dolore ægrè affectus, dies quindecim in lecto iacuit. Miraculorum, quæ Didaci beati meritis Deus efficiebat, magnitudine ac multitudine auditâ, cùm iacebat, ad eius ſacellum ſe aduehi voluit. Quò poſtquam venit, illud à Deo ſupplex humiliter petiit, vt ſibi in tanto cruciatu illius viri beati meritis ſuccurreret. Id deuotè aliquantiſper precatus, eius manu ſibi in dorſo ſignum crucis fieri voluit: quo factum eſt, vt à lumborum dolore ſit diuinitus liberatus in perpetuum.

Cruris item dolorem & vulnus.

56. Alphonſus, pagi de Hontanar ex dolore laborabat, quem acerbum in crure dextero ſentiebat. Ad quem multa medicamenta vſque adeo adhibuit, vt plaga quædam ſeſe aperuerit: cuius etiam dolorem cùm lenire non poſſet, ad beati viri ſepulcrum venit. Tum illius manu vulnus contactum, vbi ſanguinem emiſit, ilico obductum eſt: neque poſtea Alphonſus vnquam dolorem vllum ſenſit.

Muta loquens fit tactu ſacræ manus.

57. Mulier quædam Hiſpanienſis, octo & decem annos muta cùm ſanari medicamentis non poſſet, ad beati Didaci ſacellũ perducta eſt. Tum F. Ioannes Toloſanus, ordinis Minorum, qui præſens aderat, mulieri manum beati viri admouit, ſimulque cùm neſciret, ex quo præcipuo malo laboraret, ab eâ quæſiuit, quo morbo afficeretur: mox alia mulier præſens reſpondit, illam iam diu mutam eſſe. Id vbi Toloſanus audiuit, mutæ dixit: pronuncia ſalutationem Angelicam; *Aue Maria*: quam totam pronūciauit, itidem ordine orationem Dominicam, ſymbolum Apoſtolorum, & præcepta fidei. Sicque deinceps linguæ munere vſa eſt ad omnem loquendi functionem.

Brachium & crus debile mirabiliter curatum.

58. Ferdinandus Martinez, triennium ſiniſtro & dextro brachio, & crure debilitatus, auditis beati Didaci miraculis, quoniam incedere non poterat, baculis nixus, ad eius ſepulcrum venit. Deum de valetudinis recuperatione humiliter deprecatus, ſudariolum fratri cuidam ordinis Minorum tradidit, quo beati viri corpus attrectaret. Ille pie obſecutus, tum ſudariolum reſtituit, quo manum Ferdinandus areſcentem vbi inuoluit, ſtatim conſaneſcere ſenſit: itidem eius crus meliuſcule habuit, vſq; adeò vt inde omni morbo liberatus abierit.

Longum nimis eſſet, ſingulos narrando percenſere, qui morbis variè affecti, humiliter ac deuotè ad beati viri ſacellum profecti, ſperantes in eo, qui ſanat contritos corde, per illius hominis Dei merita ad integrā reſtituti ſunt valetudinem. Iam verò ex iis, quæ breuiter commemorata ſunt, perſpicuum fit, omnes quacumque vel ægrotatione langueſcentes, vel periculo expoſitos, illius precibus & meritis à malis omnibus, etiam è mortis faucibus ereptos ſenſiſſe, vel potius ſentire præſentem virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Ad tanti viri ſanctitatē præterea magis atque magis colluſtrādam accedunt etiam miracula, non ea ſcilicet tantùm, quæ ad eius ſepulcrū facta narraui, ſed quæ ex eius veſtitu, cingulo, ſepulcri terrâ, externaque eius re aliâ Deus extare voluit.

Miracula veſtibus & reculis Sanctorum.

Ex tunicâ veſtibuſque ſancti Martini admirandas virtutes prodiiſſe, narrat Sulpitius Seuerus. Ex B. Hilarionis rebus externis aut monumentis miracula extitiſſe teſtatur ſanctus Hieronymus, qui illius vitam litteris mandauit.

Rurſus ex ſancti Hieronymi ſacco res mirificas diuinitus conſecutas eſſe, vitæ illius annales loquuntur. Nolo ceteros, qui innumeri ſunt. Iam nunc, cùm exempli cauſa eos tantum tres meminerim, dicendum mihi eſt de beato Didaco; è cuius rebus, etiam externis, miracula eminent.

Veſtes tactæ ſacro corpori ſanitatē conferunt.

59. Mulier quædam Vacienſis, quam vrbem vulgò Baeça dicunt, erat: quæ pietatis causâ fratres ordinis Minorum hoſpitio gratis excipiebat. Hæc filiam habuit, annos circiter octo natam: quæ tanto morbi cruciatu afficiebatur, vt obrigeſcentibus membris, moreretur. Ad filiæ autem morbum depellendum mater experta omne medicamentum, tandem piorum hominum conſilio veſtem eius collo impoſuit beati Didaci. Quo facto mirabiliter confeſtim puella ſanata eſt.

Cingulum morbidi lateri applicatum, dolorem depulit.

60. Ioannes Fernandez, intolerabili lateris dolore cruciabatur: ad cuius curationem cum remedia multa conquiſiſſet, hoc vnum diuinitus inuenit, quòd cinguli, quo beatus Didacus vſus erat, fragmentum quoddam vbi primùm lateri, doloris acerbitate perculſo, admouit, planè conualuit.

61. A monaſterio Complutenſi homo quidam religioſus ordinis Minorum, Idubedam, vbi aliud cœnobium eſt, cùm iter inſtituiſſet: relictâ veſte, quâ diu vſus erat, alteram mundam induit. Diuinitus factum eſt, vt ea eſſet, quam beatus Didacus olim veſtierat. Idubedæ is vir religioſus dum morabatur; interea ciuis quidam Idubedenſis graue ac mortiferum vulnus in aluo accepit, inde inteſtina effluebant. Huic, animam propè agenti, mater, femina præclaræ pietatis, ab illius conuētus fratribus veſtitum Seraphici ordinis petiit: quo veſtitu amictus filius moreretur & humaretur. Sed nimirum Deus effecit, vt eam ipſam veſtem traderent, quæ Compluto proximè allata erat. Illam vbi ægrotus induit, præter omnium opinionem meliuſculè ſe habere incœpit, atque adeo ex vulnere conualuit. Cùm autem cognitum atque exploratum eſt, illam fuiſſe tunicam, quam beatus Didacus olim induerat, omnes miraculum tam magnum eius meritis virtutiq́ue acceptū retulerunt.

Veſtis S. Didaci vulnus incurabile ſanat.

A terrâ eius ſepulchri à rabido canè furioſa mētem recepit.

62. Ioanna Gomez, canis rabioſi morſu percuſſa furēter vſque adeò inſaniit, vt viis publicis præceps rabie ab omnibus, qui obuiam ei fierēt, prorſus vitaretur. Tãto furore cùm mulier horribilem in modū æſtuaret: illius ſanādę homo quidā valdè cupidus, aliquid puſillum terræ è beati Didaci ſepulcro ad eam aſportauit. Propiùs ad eam accedere metuit: propterea quòd capillis horridis & diuulſis, oreq́ue ſpumãti rabiem & crudelitatem prę ſe ferret. Terram verò ſacerdoti cuidā tradidit, qui aderat. Is illam partim aquâ liquefactā, mulieri propinauit: partim aridā, panno inuolutam, collo eius alligauit. Tum verò cōfeſtim ad mētis ſanitatē rediit.

Quæ collo appenſa tumorem depulit.

63. Ioannes quidam, corpore toto tumeſcens, præſertimq́ue tibiis: ita tumens, vt incedere non poſſet: ad B. Didaci ſepulcrū delatus, paululum terræ ex eo ad collum cùm adhibuiſſet, tumore depulſo, valetudinem diuinitus recuperauit.

Ex gutture laborantem ſtatim curauit.

64. Maria Alphonſa, Roderici Alphonſi vxor, diœceſis Toletanæ, ex gulæ inflatione laborans, pectore turgens, humeris, collo, facieq́ue tumeſcens, ita vt oculorum aſpectu non cernerec, ac præ tumore non poſſet, neque cibum, neque potum ſumere: eius commiſeratione motus Didacus parochus, intra cuius parochiæ fines illa habitabat, ad remedium ei attulit paululum fragmēti veſtis, & exiguū aliquid terræ ſepulcri B. Didaci. Vtrūque Mariæ, quæ beati illius viri pietate exardeſcebat, collo admotum, & alligatum, quam inde piè expetebat, valetudinem integram ſtatim attulit.

In ſingulos fere annos, ſerui ſui Didaci, poſteaquā is ex hoc etiam ſæculo migrauit, merita ſempiterna Deus, glorioſus in ſanctis ſuis, teſtata eſſe voluit miraculis: quorum duo paucis ab hinc annis præclarè edita maxime inſignia ſunt, vt in præſenti exponam.

Diuerſis morbis affecta mirabiliter perſanatur.

65. Anno à Chriſto milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo quinto, Maria de Pinilla, virgo Hiſpanienſis, paralyſi & morbo comitiali & morbo comitiali ſimul grauiter vſque adeo afficiebatur, vt horas duas, aut tres interdum ſenſuum expers eſſet omnium. Acri aſſiduoq́ue capitis dolore cruciabatur; febribus nimis admodum moleſtis æſtuabat; ex quodam lateris cruciatu vehementer torquebatur. Aliquando autem vis reſolutionis neruorum ita illam inuaſit, vt, cùm multarum corporis partium vſum amiſiſſet, aſpectū præ ſe ferret fœdiſſimè deformatum. Aliam ei ſimilem medici teſtātur ſe vidiſſe num-

quam.

quam. Multis aliis affligebatur ægrotationibus: quibus mẽſes vndecim pene confecta & conſumpta, vbi exquiſitiſſimis remediis ſanari nullo modo potuerat, ad B. Didaci ſepulcrum aducta, eius precibus ac meritis continuo ſalutem à Deo impetrauit: qui omnẽ illius morbũ depulit, ac ſuam cuique membro vim reſtituit. Cuius beneficij memor ſuam Deo virginitatem vouit, virginalemque vitam in monaſterio ſancti Ioannis, quod de la Penitentiâ vulgo nominant, egit ſanctiſſimè.

Carolus Hiſpaniarũ princeps letale vulnus è caſu accepit in capite.

66. Anno M. D. LXII. Hiſpaniarum Princeps, Carolus, Philippi II. filius, Caroli V. Imp. nepos, patris auique amor & delitiæ, Compluti in Regiâ cùm luderet, è ſcalis quibuſdã ſupinus cecidit. Quo caſu tam vehementer offendit, vt letiferũ in capite vulnus acciperet. Graue id vulnus ac mortiferũ etia medici putârunt. cumque propterea Principis potentiſſimi, ampliſſimorum regnorũ heredis futuri, ac ſummâ indole pueri ſalus ageretur: non potuit Philip. pater nõ eſſe ingenti ac ſummâ animi ſolicitudine de filio, quem ſingularẽ vnicè amabat, & in oculis ferebat. Quare, nihil non attigit, nihil non egit, nihil non intẽtauit, vt in tãto vitæ periculo adiumentũ Carolo filio chariſſimo afferret. Medicos peritiſſimos atq; optimos ad pueri curationẽ vndique adduci iubet. Medicamenta, quęcumq; excogitari, & conquiri ſolertiſſimè poterant, vulneri præſtò fuerunt. Verùm omnia exquiſitiſſima remedia vicerat morbi vis & grauitas: niſi Regem Catholicũ, & eximium catholicæ religionis non modò cultorem, ſed propugnatorem maximum, ac ſingularem, de filio mœſtum & mœrentem Deus pater miſericordiarum, & Deus totius cõſolationis reſpexiſſet. Deſperata igitur à medicis, & ab aliis res cùm eſſet, pater Rex ſeceſſit. Tum veſtes lugubres, panni ad Palatij veſtitum funebres, funeſtaque apparantur omnia: & exequiæ denique tanto Principe dignæ, diligẽtiſsimè curantur. Dum in eam funeris curam incumbitur: illico extitit à Deo ſalutare conſilium, auxilium, & gaudium. Repentè enim viri quidam, qui in luctu & mœrore erant, cæleſti aliquo & diuino inſtinctu ad beatum Didacum mentem conuerterunt. Poſtulatũque tunc ſummopere eſt, vt eius corpus ad Principis cubiculum quamprimũ aduheretur, & prope eum collocaretur. Quod ſingulari pietate, celeritateque incredibili factum eſt. Corpus ad ſe piâ veneratione delatum Princeps, qui, morbo ingraueſcens, & quaſi ſpiritum agens, per ſe non poterat, ab aliis ſubleuatus, humiliter deuoteque veneratus tetigit: ſincerâ in primis & maximâ fide Deũ ob illius beati viri merita intimè de valetudinis recuperatione precatus. Itaque eo ipſo momento, quo Principem medici ex hac vitâ migraturum prædixerãt, meliuſculè ſe habere incœpit: tum, paucis horis elapſis, mirabiliter ſancti eius viri precibus ſanatus eſt, ſummâ Philippi patris lætitiâ, & maximâ omnis Hiſpaniæ gratulatione.

Deſperatâ valetudine, ex tactu ſancti corporis reualuit.

Corpus ſancti Didaci etiamnum integrum & ſuauiſſimè odorum.

67. Nec prætereà ſilẽtio prætereundum eſt, quod etiam ad B. Didaci ſanctitatẽ ſpectat, eius corpus, quamquam centum ante annis & amplius in ſepulturam traditũ erat, tamen quo tempore ad Principem aductum eſt, totum, exceptâ naris particulâ quadam, incorruptum atque integrũ vſquequaque conſeruabatur: eãq; ipſam, quã antea, odoris ſuauitatem iucundiſsimã retinebat.

Iam demum res illius mirificè diuineque geſtas ſcribendi finẽ faciam hoc præclaro miraculo; quod, tabulis publicis obſignatum, vniuerſæque Hiſpaniæ prædicatione celebratũ, Princeps etiã, dũ in hac vitâ fuit, gratiſſimi animi pietate teſtatiſsimũ fecit; palamque & litteris, & nunciis, & vocibus, tanto Principe verè dignis, profeſſus eſt, ſe illius viri Dei precibus ac meritis ſalutem atque incolumitatem eſſe conſecutũ. Reliqua autem, quę antè, & poſt hoc maxime illuſtre miraculũ, facta ſunt, ad poſteritatem annales Ordinis Minorum, & Hiſpanicè, & Italicè prodũt: præſertim cùm nõ ſolùm populi Hiſpani vocibus in vulgus dicantur, ſed ſermonibus, piiſque officiis celebrẽtur Principum virorũ, qui maximo cõcurſu beati illius viri ſacellũ piè in omni ætate frequentârũt: quique voti compotes facti, donaria, auro, argento cælata, veſtes ſerico & item auro intextas, aliaque eius generis opere pretioſo ornamenta, ibi quaſi impreſſa ad ſempiternã memoriam extare voluerunt, tamquã publica monumẽta miraculorum, quæ ipſi iam experti ſcierunt, & viderunt.

Sacellum S. Didaci donariis pretioſis adornatum.

Multã autem miracula tam in vitâ, quàm in morte B. Didacũ edidiſſe, ampliſsimus Cardinalis, Epiſcopus Præneſtinus, ſummâ laude digniſsimus, Marcus Antonius Colũna ſcribit luculentã

grauiſsimaq; in relatione ſuâ, quam ad SIXTVM QVINTVM, Pótificem ſapientiſsimũ & religioſiſsimum, magnâ Cardinalium frequentiâ, habuit. Ex iis pauca quædam ſe de ampliſsimorum collegarum aſſenſu ſe legiſſe oſtendit: ita tamen, vt, quæ, Hiſpanienſibus monumentis obſignata, inde Romam ad Pontificem miſſa ſunt, centum ac triginta eſſe, eaque probari affirmet. Oratione item, quam Pompeius Arigonius, Aduocatus Conſiſtorialis, iuriſconſultus diſertus, & legum vſu egregiè peritus publico in conſiſtorio dixit, ex iis miraculis nonnulla recenſuit: quorum vix milleſimam partem ſe attigiſſe fateatur. Itaque ea longè plura ego complexus, cùm illorum auctoritatem, quæ mihi fuit maximo vſui atque adiumento, ſecutus ſum: tum certiſſima & clariſſima habeo teſtimonia, non ſolùm publicis litteris, publicis votorum tabulis, publiciſque documentis inſtructa, ſed perpetuo firmata cõſenſu omnium pene populorum Hiſpanienſium. Quare quæ de beati Didaci miraculis ad poſteritatem prodidi; ea, vt dixi, luculentiſſimè teſtificata, cùm certò ſciam, nihil habere, quod fictum, quod commentitium, quod apocryphum ſit, ea ſpero vtilia, grata, iucunda, ac ſalutaria fore omnibus, de fide Catholicâ bene ſentiẽtibus. Nunc tandem ad B. Didaci Canonizationis acta venio.

Miracula S. Didaci centum triginta ex Hiſpaniis Romã relata ſunt.

PARS TERTIA
DE BEATI DIDACI CANONIZATIONIS ACTIS.

CAPVT I.

Philippus II. Hiſpaniarum Rex potentiſſimus, laudatur à pietate, regiis actionibus, & deſiderio Canonizationis S. Didaci.

TANTI, tamque ſingularis ac diuini beneficij magnitudinẽ Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, Caroli pater, gratiâ piaq; memoria proſecutus, iam inde ab eo tempore, quo illud B. Didaci meritis à Deo acceperat, ſummum Põtificem rogare non deſtitit: vt is, cuius ſanctitas vno omniũ ore iamdiu celebraretur, & indiciis non obſcuris, ſed clariſſimis miraculis in dies illuſtrior fieret, ritè de more matris Eccleſiæ in Sanctorum numero adſcriberetur. Id tum primum à Pio Quarto, deinde à Pio Quinto, qui ſucceſſit, pòſt à Gregorio Decimotertio, demum à SIXTO QVINTO, Pontificibus Maximis, tum litteris, tum nunciis etiam maximopere ſupplex petiit; vt rem totam infra mox ordine enarrabo. Eſt ſapientis ſcriptoris, ad rectè ſcribẽdi ſtudium diligentiſſimi, qui præſertim de Regibus, & Principibus aliquid habet, quod commemorabile, nomineque digniſſimum, litteris mandet: accuratiſſimè perpendere, non modò illud totum vniuersè, ſed ſpeciatim ſingula eius momenta. Ita enim fiet, vt, quarum virtutũ exẽpla ad alios, ac potiſſimùm ad poſteros imitatione dimanare vtiliter poſſunt, earum nihil quidquã non modò tacitum relinquat, ſed luculentâ admodum oratione celebret. Nunc igitur locus poſtulare, vel potiùs efflagitare videtur, vt de præſtantiſſimâ Philippi Regis verè Catholici pietate dicatur: quæ quoniam cum perpetuâ rei propoſitæ narratione maximè conſentiens eſt, eam breui ſtrictimque tantùm attingam; vt cetera deinceps, quæ inter ſe conſentanea ſunt, quæque ad huius meæ narrationis rationem atque vſum pertinent, ordine perſequar. Dei dono

A multis Pontificibus expetita Canonizatio S. Didaci.

Philippi II. Hiſpanorum regis laudes.

no beneficioque ſingulari Philip.II. Regnorũ magnitudine & multitudine rex maximus, opũ abundãtiâ ampliſſimus, copiis potẽtiſſimus, prouinciarum & ciuitatum nobiliũ cliẽtelis florẽtiſſimus, nullis fere belli offenſionibus, ſed victoriis clariſſimus, & ab omni denique laude domimilitieq; feliciſſimus, eâ vnâ gloriâ longè antecellit, quòd perpetuò cunctis in rebus tum ſecundis, tum aduerſis, atque in totâ regiâ adminiſtratione, quæ longè ac late patet, ad infinitaque negotia pertinet, operam præſtat pietati catholicæ & religioni. Si belli motus increpat, ad id fortiter ſuſcipiendum comparat omnia: nullum tamen officium prætermittit piè agendi. Si rerum, quæ maximæ, ac difficillimæ, afferunt in ſummâ regiâ poteſtate ancipitem deliberandi curam, occupationes vndique circumfluunt; proſpicit & conſulit rationibus earum omnium: at non deſerit ſtudium illud, neque negligit, quo exardeſcit ad ſanctiſſimæ religionis cultum, atque ad bonorum operum pietatem. Summis belli paciſque curis implicitus, templa maxima extruxit, ædes cathedrales erexit, Legatos ad ſanctorum Martyrum monumenta perquirenda miſit, eorum ſacras reliquias transferendas, reſque ab illis itidem geſtas ornatè ac ſplẽdide ſcribendas, impensè curauit, collegia litteraria noua inſtituit, vetera inſtaurauit, bibliothecas mirâ librorum, quos vndique conquiſiuit, copiâ inſtruxit. Lectiſſimorum virorum, pietate virtuteque præſtantium, colonias ad vltimos vſque orbis terrarum fines deduxit. Sed cetera omnia, quæ longè plura ſunt, quæque vberrimos commentarios, vel potiùs magnarum vigiliarum opus deſiderant, miſſa iam facio, ne longiùs digrediar: cùm in primis hæc ipſa de beato Didaco in Sanctis adſcribendo cura perpetua, quam neque in tantâ temporum varietate, neque in maximis bellorum incendiis vnquam Rex depoſuit, ſatis per ſe ipſa eſt ad id, quod propoſui. Non motus Bætici Regni, non tumultus Belgici, non arma Turcica, non belli contentio de Regno Luſitaniæ, non alia denique ſumma & incredibilia negotia, quæ vel ad iuris adminiſtrationem, vel ad belligerandi rationem, vel ad vniuerſam tot regnorum gubernationem ſpectarent, potuerunt tam longo temporis interuallo religioſum animum Regium, pietatis ardore incitatum, retardare, aut impedire, quominus rem de beati Didaci Canonizatione ſuſceptam, rectè conficeret. Immo in multis variiſque occupationibus, in quibus ingentior ſolicitudo eſſe ſolet, non modò non intermiſit, ſed vſque adeò rei conficiendæ ſtudium incendit, vt nullo vnquam tempore conquieuerit, niſi eâ perfectâ. Negotium Pio Quarto Pontifice Rex ſuſcepit: Pio Quinto, & Gregorio Decimotertio, ad Eccleſiæ gubernacula ſedentibus, diu ſuſtinuit: demum SIXTO QVINTO Pontifice, ad quem illud diuino conſilio prouidentiaque reſeruatum erat, piè confecit, vt proxime exponam vberiùs. Valetudinis incommodæ, ex quâ Carolus Princeps periculosè laborârat, recuperatio admirabilis in Pontificatum incidit Pij Quarti: ad quem binas litteras, vnas Philippus pater, alteras Carolus filius, pridie calendas Martij, anno M. D. LXIII. ſcriptas, eaſque pietatis plenas dederant. Significârant enim iis ſingulare beneficium, quod beati Didaci precibus à Deo Optimo Maximo, proxime acceperant: eamque ob rem ſupplices ſummopere petierant, pro Dei ipſius gloriâ eũ, cuius meritis illud ſibi conceſſum erat, in ſanctorum numerum referri; cùm aliis quoque quamplurimis eſſet miraculis colluſtrata, & planè perſpecta illius ſanctimonia vitæ, quam in terris cæleſtem egerat, diuinis virtutibus. Religioſo igitur deſiderio Canonizationis, Rex Catholicus, ardentiſſimè inflammatus, voluit item eâ ipſâ de re totâ ad Aloyſium Requeſens, oratorem regium ſuum, litteras vberiores Romam mittere: quibus ad rem conficiendam diligentiſſimè inſtructus, cùm Pontifice coram ageret nomine regio ita ſapientiſsimè & ſtudioſiſsimè, vt maximè res tanti ponderis geri ab eo potuiſſet. Poſtero autem anno, qui annus fuit milleſimus, quingenteſimus, & ſexageſimus quartus, vt negotium, quod tantopere, incenſoque pietatis ſtudio ad exitum perduci, vterque, pater & filius concupierat, demum rectè ac ritè conficeretur, ſpeciatim Aloyſio oratori mandatum per litteras dederat, eodem anno ſcriptas VIII. Idus Februarij. Vbi mandatum Regium rectè obſignatum, Orator accepit: in Conſiſtorium proximum ad Pontificem vẽnit, à quo ſummâ prece id po-

Actiones rege digna.

Regi ſumma cura Canonizationis S. Didaci.

De quâ litteras dedit ad Pium IV. Pont. Max.

ſtulârat, vt fidei, vitæ, ſanctitatis, virtutum & miraculorum beati Didaci cauſam, quam ſummatim cognoſcerent, quibus mallet, Antiſtitibus Hiſpanienſibus delegaret. Beatus autem Didacus vt in Sanctorum numero aſcriberetur, crebris id litteris efflagitatum eſt: quæ diuerſis temporibus cùm ab aliis, tum ab eccleſiâ Toletanâ, à magiſtratibus Compluteſibus, Complutenſique vniuerſitate, & ab omni ferme Hiſpaniâ ſcriptæ ſunt quàm diligentiſſimè. Sed vbi, lecto mandato Regio, Pontifex Pius Quartus, iuſtæ petitionis cauſas ab Oratore cognouit, rem non differendam cenſuit.

CAPVT II.

De cauſa delegatione factâ à Pio Quarto Pontif.

ITAQVE Calendis Mai, janno milleſimo quinquageſimo ſexageſimo quinto, ampliſſimis Cardinalibus, Ioanni Morono, Epiſcopo Prænestino, Ioanni Michaeli Saracenio, tit. ſanctæ Anaſtaſiæ, Michaeli Alexandrino, titul. Sanctæ Sabinæ, Clementi titul. Sanctæ Mariæ in Aracæli Presbyteris, & Vitellotio Vitellio Diacono S. Mariæ in Porticu, id negotium tanti ponderis delegauit: eamque facultatem prȩterea adiunxit, vt ex delegationis illius Apoſtolicæ auctoritate alios, quoad opus eſſet, ad cauſæ cognitionem ſubdelegare poſſent. Cuius rei nomine litteræ Pontificiæ inſtar Breuis confectæ ſunt. Ij verò promptâ voluntate, animoque ad obediendum paratiſsimo, delegatam ſibi cauſam ſuſceperunt: verùm maxima locorum diſtantia, & grauiſsima negotia, quorum occupationibus impediti, ab vrbe abeſſe non poterant, fecerunt, vt facultate Apoſtolicâ vſi, illam ſubdelegarint. Tertio igitur Nonas Maij, eodem anno, re mature deliberatâ, hos tres Epiſcopos, Seguntinum, Segobienſem, & Conchenſem, delegerunt: quibus per litteras, quarum exemplum in actorum canonizationis tabulas publicas relatum eſt, illam commiſerunt, & mandârunt; factâ etiam poteſtate, vt ipſi tres ſimul, vel ſaltem duo eam cognoſcerent. Allatis iis ſubdelegatæ cauſæ litteris, Epiſcopi Complutum venerunt, vbi centum antè annis beatus Didacus deceſſerat. Eo loci cùm de illius ſinceritate fidei, vitæ religioſæ conſuetudine, virtutum meritis, miraculis, populique in eum pietate, accuratiſsimè riteque ad præſciptũ à probatiſſimis viris perquiſiſſent, & cognouiſſent: acta cognitionis, ſummatim confecta, recte obſignata, Romam miſerunt.

Epiſcopi tres in Vitam S. Didaci inquiſiuerunt.

CAPVT III.

De alterâ delegatione à Pio Quinto, facta.

FACTVM eſt interea, vt Pius Quartus Pontifex diem ſuum obierit, nec potuerit rem conficere, quam Rege, & Principe Hiſpaniarum efflagitantibus, aggreſſus erat. Proxime in Pontificatum ei ſucceſſit Pius Quintus ſanctæ memoriæ: qui cauſæ huiuſce ſtatum publicè in conſiſtorio ad ſe referri voluit. Quo audito illam iis ipſis Cardinalibus iterum delegauit, tum prӕterea Ioanni Baptiſtæ titul. Sancti Clementis: quem in locum ſuum ſubrogauit, vt quod ad acta recte conficienda reliquum eſſet, ab iis perficeretur. Itaque ij, procuratore fiſci, vt moris eſt, citato litteras compulſorias & remiſſorias rite decernunt: quas illis ipſis Epiſcopis ſcripſerunt, quorum fidei, integritati, & ſapientiæ demandata antea cauſa fuerat. Eam autem ob rem cùm Philippus Rex, & Carolus Princeps Ambroſium de Morales, presbyterum Cordubenſis diœceſis, virum bonum, & hominem doctum, procuratorem conſtituiſſent: is illas litteras VIII. Idus Februarij, anno milleſimo, quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Epiſcopis legitimè reddidit. Tum ſubdelegati iudices, cauſam ordine iudicij, perſecuti, vocato procuratore fiſci Sedis Apoſtolicæ, Petro Martinez, Canonico Seguntino, qui ſpeciatim ad hoc negotium delectus erat, rem totam,

Ad eoſdẽ, Epiſcopos litteræ Cardinaliũ de re peragendâ.

totam, certis quæſtionibus præſcriptam, à tribus & octoginta teſtibus, ſpectatâ fide & integritate viris, accuratè inquiſierunt: teſtimoniaque eorum certa atque explorata, & item ſcripta, quæcumq; ad rei, de quâ quęrebatur, teſtificationem opus eſſe videbantur, diligenter conquiſita, quæ inueniri potuerant, rectè obſignata, & cetera ritè confecta, Romam miſerunt: vbi pridie Idus Auguſti, anno MDLXVII. reddita ſunt omnia, eaque more iudiciali recognita & interpretata. Omnibus igitur quæſtionum actibus abſolutis, reliquus erat actus canonizationis; ad quem integrè ſanctéque conficiendum etſi deſiderio incredibili Pius Quintus beatæ memoriæ Pontifex exarſerat, tamen incidit deinceps in tempora reipublicæ Chriſtianæ turbulentiſſima, difficillimaque negotia; quibus toto Pontificatu diſtentiſſimus ad exitum rem perducere non potuit, quam totis in Chriſto viſceribus ardentiſſimè concupierat. Derepentè enim Galliæ tumultus extiterunt, quodam hæreticorum furore, quaſi repentino incendio excitati: tum ſubitò inflammatum eſt etiam bellum formidoloſum Turcarum: aliaque ſimul mala, magnopere pertimeſcenda, populi Chriſtiani ceruicibus vndiq; imminebant, quibus præcauendis ac propulſandis occupatiſſimus optimus Pontifex, vix, vel potiùs ne vix quidem, aliquando reſpirare potuit. Plurimis demum laboribus pro Eccleſiâ Dei Pius Quintus perfunctus, ex hac vitâ ceſſit; cui in Pontificatum Gregorius Decimustertius ſubrogatus eſt. Et quamquam aliquot antè annis Carolus, Hiſpaniarũ Princeps, obierat: nihilominus tamen eius obitu tantùm abeſt, vt Philippi patris deſiderium in re conficiendâ refrixerit, vt ardentiori voluntate incitatus, eandem inflammatiori ſtudio procuraſſe videatur. Sed tam accenſo per ſe Regis animo, multiſque rationibus ad rei optimæ procurationem inflammato, cur Gregorio Pontifice nihil confectum ſit, non video, niſi factum hoc eſſe à Domino, vt canonizationis huius actus ad SIXTI QVINTI Pontificis tempora reſeruaretur.

Pio Quinto Pont. temporum difficultates.

CAPVT IV.

Diuino conſilio ad Sixti Quinti Pontificis tempora actus canonizationis reſeruatus eſt.

NIHIL immensâ ſuâ ſapientiâ Deus efficit ſine ſummo conſilio, æquitate, ratione. Cùm igitur aliquid à Deo fieri perſpicimus, cauſa indagãda eſt, ſi poſſumus: ſi non poſſumus, nihil tamen ab eo ſine causâ agi, nobiſcũ ipſi conſtituere debemus. Iam tanto temporis interuallo, tam ardenti ſtudio incredibilique regiâ pietate procuratum eſt, ac maximopere efflagitatum, vt beatus Didacus, ſanctitatis & miraculorum laude clarus, nomine, imitatione, & memoriâ ſempiternâ digniſſimus, in Sanctorum numerum referretur: id numquam factum eſt tamen, ſed diuinitus SIXTO QVINTO reſeruatum eſſe videtur. Diuini huius conſilij cauſas omnes fateor me neſcire: hoc vnum autem ſcio, à Deo non ſine ratione factum eſſe, vt canonizationis actum his præſertim temporibus Pontifex religioſiſsimus, & Eccleſiæ non ſolùm ædificandæ atque communiendæ, ſed propagandæ cupiditate diuinâ flagrans, SIXTVS QVINTVS demum celebrârit, non ſine ſummâ, vereque Pontificiâ, ac perpetuò commemorandâ pietate: quam lacrymis etiam profuſis expreſsit, vt, cùm locus erit, ordine perſcribam. Verùm etſi in rebus diuinis temerè perſcrutandis curioſus neque ſum, neque eſſe volo, quoniam video me certis finibus circumſcriptum, quos tranſilire minime licet: nihilominus non tam excors eſſe debeo, vt extimeſcam, ſi quas videre poſſum, explanare cauſas eius rei, in quâ tantus diuinæ prouidentiæ, diuinique ac ſingularis beneficij ſplendor vndiq; eluceſcit. Omnibus enim fere temporibus Deus Optimus Maximus Hiſpaniâ reſpexit: quam ſi ſæpenumerò florentem intuemur, aliquando rurſus plurimis laboribus afflictam, & immanium nationum barbarie perculſam, & propè depoſitam cernimus. Id omne factum eſt diuino conſilio. Quo primùm tempore Euangelium diſſeminari cœpit, tum à Iacobo,

Hiſpaniam Deus ſemper reſpexit.

& Paulo Apoſtolis religionis Chriſtianæ illa ſata ſemine, poſt à ſanctiſſimis illis viris ſeptem, quos beatus Petrus, Apoſtolorum Princeps, de fide paceque Legatos, ab vrbe Româ miſerat, exculta etiam diligenter, radices in agro Domini altè agere cœpit: vt, quod diuino conſilio effectum eſt, deinceps Pontificum Romanorũ, Anteri, Lucij, Melciadis & aliorum, qui per litteras & doctrinæ, & diſciplinæ Chriſtianæ præcepta diſſeminârũt, cultura propagaretur egregiè. Sed nefariũ ſuperſtitionis ſemen Marcus quidam Ægyptius intulit, itidem Vigilantius hæreticus fecit, genſque præterea Gothorum, omni barbarie immanis, & hæreſis Arianæ crimine contaminatiſſima, vaſtitatem inuexit. Neque id in tantâ illorum temporum calamitate ſine causâ factum eſt, vt Hiſpanorum hominum ſcilicet & pietas exploratior eſſet, & virtus illuſtrior, vt ſynodorum celebritatibus prouincia non modò clariſſima fieret, ſed inſtructiſſima, tum ad retinendam religionem catholicam, tum ad propulſandas hæreſes. Non defuerunt enim illis formidoloſis temporibus Reges, & Antiſtites, qui ſanctæ ſedis Romanæ auctoritate Concilia quàmplurima coëgerunt: quibus actum eſt diuinitus, vt, ſi qua per hoſtium vim & iniuriam ſuſcepta eſt, macula deleretur. Eam aliquando labefactatam, & pene collapſam nouorum hominum colluuie videmus: breui tamen eandem inſtaurauit Deus ſalutaribus epiſtolis, omni præſidio cumulatis, quas ſanctæ memoriæ Pontifices, Siricius, Hormiſda, & Gregorius, illuc neceſſario eius tempore miſerãt. Arabum ſubitâ tempeſtate pene illam euerſam reſtituit Deus, qui Pelagium Regem dedit, ſummâ virtute præſtantem, qui hoſtem exturbauit, profligauit, deleuit. Ac præterea voluit Deus Hiſpaniam difficillimo quoque tempore tam barbarorum hoſtium impreſſionibus ſæpiùs afflictam, magnas perferre calamitates; vt diuturno laborum vſu exercitata, & ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ auxilio, quod in tantâ temporum varietate experiendo cognouit, communita, demum floreret, non opibus ſolùm, ſed laude cùm omnium virtutum, tum gloriâ religionis catholicæ. Sed hæc vniuersè; illud iam ſpeciatim dicendum eſt, quod rem propoſitam maximè attingit; in ſingula tempora, quibus Pontifex aliquis nomine SIXTVS Eccleſiæ gubernacula tenuit, Hiſpaniam accepiſſe, quod magni beneficij loco putandum eſt. Neque ab vltimis illis Sixti Primi, & Secundi ætatibus id altiùs repetam, cùm longum nimis eſſet: ſed ad ſæcula, quæ recentiora multo ſunt, venio. Nam Sixto Tertio Pontifice, Attilæ, Gothorum Regis omnia diuina & humana permiſcentis, audaciam Turiſmundus Hiſpaniæ Rex fregit, copiaſque eius deleuit. Catholici nomen, quod auguſtiſſimum eſt, quodque fidei & pietatis regiæ inſigne, olim in ſynodis Toletanis inſtitutum; Apoſtolicâ auctoritate renouatum, Sixtus Quartus Pontifex Ferdinando & Elizabethę Regibus ob præclara rerum piè geſtarum merita tribuit. Et verò, quod diuinum atque immortale munus extitit, ſanctæ Inquiſitionis officium ſalutaribus conſiliis in eâ inſtituit ad orthodoxam fidem tuendam, hæreſumque tempeſtates depellendas: quarum fluctibus multæ deinceps illæ prouinciæ, olim religionis Catholicæ ſtudio nobilitatæ, naufragium fecerunt & opum, & veræ Chriſtianæ pietatis, cuius ſanctiſsimo nomine gloriabantur. Eſt igitur diuino conſilio factum, vt canonizationis huius actum optimus religioſiſsimuſque Pontifex SIXTVS QVINTVS rite conficeret, cui non ſine ratione cauſaque ille reſeruatus videtur; cùm ob alia multa, tum etiam, vt Hiſpaniã aliquo ſingulari beneficio condecoraret: quod itidem diuinâ prouidentiâ alios ſingulos, qui præceſſerant, Sixti nomine, Pontifices feciſſe demonſtraui. Hoc à Deo factum eſt, vt ordinis Franciſcani beatum Bonauẽturam, ſanctitatis nomine illuſtrem, Sixtus Quartus, eiuſdẽ ordinis, in Sanctorum numerum referret; itidem de beato Didaco, illius ipſius ordinis obſeruantiſsimo viro, & ſanctimoniæ laude claro, à SIXTO QVINTO, qui Seraphicæ etiam religionis eſt, ſtatui ac fieri voluit. Ille Federico Tertio Auſtrio, Imperatore efflagitante; hic Philippo eiuſdem auguſtiſſimæ familiæ Principe, & Rege Maximo petente ſummoperè, in Sanctis aſcriptus eſt. Hæc, atque adeò longè plura ſi quis rectâ reputabit viâ, facile intelliget, quod propoſui. Verùm SIXTI V. ſapientia, pietas, conſilium, æquitas, & rationes, ſpectandæ iam ſunt, quibus cano-

A Pontificibus nomine Sixtis, ſemper Hiſpaniæ ſingulare bonum euenit.

Catholici nomen rex Ferdinandus à Sixto Quarto conſecutus.

Sixtus V. S. Didacum canonizauit.

Et contra hoſtes ſemper tuitus.

canonizationis huiuſce actum confecit.

CAPVT V.

De pietate, æquitate, conſilio, & rationibus, quibus SIXTVS QVINTVS *canonizationis actum celebrauit.*

DIVINO igitur conſilio motus SIXTVS QVINTVS, rem tamdiu expetitam concedendam ſtatuit. Enixè enim eam, vt narraui, Philippus Rex tamdiu petebat: & item Toletana Eccleſia, Magiſtratus Complutenſes, Collegia piorum hominum; denique Hiſpani omnes, Regis optimi exemplum ſecuti, maximopere obſecrabant. Rem eandem, quæ poſtulabatur, Pontifex ſapientiſſime vidit: vtque eſt actionum æſtimator acerrimus, iuſtam illam quidem, piam, ac ſanctam perpendit. Plurimi igitur ponderis erant, & Regis in primis poſtulantis ratio, & rei tam ſanctæ petitio, plena iuſtitiæ, & æquitatis. Nam id æquiſſimum erat, vt quem vita omnis, ſanctum ſignificauit, & quem tanta miraculorum vis in cælis Sanctorum conſuetudine frui declarauit; eum in illorum numero Apoſtolicâ auctoritate aſcriptum, in terris Eccleſia debito honore coleret. Sed hîc non poſſum tacitam præterire ſapientiam Pontificis, qui tam multa ſimul proſpexit, cùm canonizationis actum ſuſcepit. Seruiendum enim erat gloriæ Dei, quæ in eâ actione maximè ſplendeſcit: ſeruiendum præterea conſolationi Eccleſiæ, quam, tamdiu turbulentis hæreſum tempeſtatibus agitatam, tantiſque malis variè perculſam proſpiciebat, & omnia denique doloris plena videbat, cùm vulnera, reipub. Chriſtianæ vndique inflicta, cerneret. Eo vno facto, quam animo conceperat, miram omnibus alacritatem addidit. Mœrore debilitatas prouincias, & ciuitates, quaſi in mœſtitiâ iacentes, recreauit hominum religioſorum collegia, tanquam diuturno languore obtorpeſcentia, ad pietatis Chriſtianæ exercendæ vſum, ſtudiumque alacriùs excitauit: Ordinis autem Seraphici cõuentus, pene diu feriatos, ad præclaras illas & præſtabiles beati Didaci virtutes hilariter animauit: bonorumque omnium animos propè fractos, atque afflictos erexit; & malorum, præſertim hæreticorum, temerè ac perditè geſtientium furorem, rabie quadam exultantem repreſſit. Ad hos vberrimos pietatis fructus, quâ eſt ſummâ charitate, diuinaque ſapientiâ, Pontifex cùm ſolemne canonizationis officium referri iam inde ab initio viderit, magno exarſit deſiderio rei conficiendæ. Non defuerant tamen, qui rem differri ſuadere conabantur, neſcio quibus rationibus; quæ inanes ſunt, ne dicam, aniles & ſuperſtitioſæ. Non enim verum eſt, neque cum pietatis officio conſentaneum, quod vulgò dicunt, Pontificem breui moriturum, vbi aliquem in Sanctorum numero aſcripſerit. Imo contrà perſpicuè manifeſtum fit exemplis plurimorum Pontificum. Alexander Tertius Pontifex in ſanctorum confeſſorum ordinem anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto Bernardum Claraualleníem retulit: poſtea tamen vixit annis quindecim, cùm alios etiam quattuor, & in iis præſertim Thomam Cantuarienſem anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto in beatorum Martyrum numero aſcripſerit. Idem affirmari licet de Gregorio Nono Pontifice: qui annis poſtea tredecim obiit, quàm beatum Dominicum, ordinis Prædicatorum auctorem, & parentem, in ſanctis annumerarat, cùm Seraphicum Franciſcum etiam, & item alios quatuor deinceps in eorundem numerũ poſuerit. Res ex Pontificiis annalibus in promptu eſt; ac præterea rationes multæ ſunt, quæ liquidò conſtant: ideò iam nihil attinet, cur pluribus demonſtretur. SIXTVS igitur QVINTVS, qui pietate, religione, ſanctiſſimiſque paſtoralis ſuæ ſolicitudinis rationibus omnia metitur, religioſi animi ſui ardore inflammatus, cùm cetera, quæ mox narraui, ſibi ad animum in re efficiendâ propoſuerat; tum illud etiam potiſsimùm, vt & Hiſpaniam tanti muneris lætitiâ exhilararet, & in primis Philippum Regem Maximum, de Eccleſia Dei optimè meritum, tam immenſo ſtudio canonizationis actum, tamque diu piè efflagitantem. Profitebatur Rex, ſummis in negotiis, difficillimiſque conatibus, ſe, beato Didaco cæleſti patrono & depre-

In Canonizatione honor Dei ſpectatur, & Eccleſiæ ſolatium.

precatore, à Deo maxima adiumenta beneficiaque plurima eſſe conſecutum. Inſtabat bellum Anglicum, & illud quidem difficile ac periculoſum, quod contra perditiſſimam & profligatiſſimam feminam, omni imbutā ſcelere, omniq; hæreſis labe inquinatiſſimam, Elizabetham, dominatu tyrānico illud Angliæ regnum diu nimis opprimentem, ac nefaria quęque cōtra Eccleſiam catholicam bonoſque omnes molientem, Rex pietate ductus, & iuſtiſſimis cauſis motus, ſibi gerendum ſtatuerat. Belli inſtrumenta innumera cùm Rex paraſſet, claſſem ingentem ornaſſet, atque inſtruxiſſet, & claſsicorum militum copias magnas coegiſſet: tum Pontifex SIXTVS QVINTVS ad iuſtiſſimum bellum, quod iam affectū, diuinâ in primis ope rectè cōfici breui poſſe ſperabat, opus etiam eſſe vidit cæleſtibus potiſsimùm defenſoribus: quos beatus Ambroſius Mediolanenſis, cùm ab impiâ Iuſtinâ vexabatur, ſe in tantâ perturbatione ambire dixit. Oportuno igitur tempore, vt eſt egregiâ, diuinaque ſapientiâ, Pontifex in Sanctorum numero beatum Didacum conſtituendum cenſuit, in cuius meritis Rex tantopere confidit. Et quoniam canonizationis actus plenus eſt myſteriorū, ac rituum, eamque ob rem maximè ſolemnis, & propriè Pontificius: quàm rite, & rectè, atque ex inſtituto moreque ſanctiſſimo eum Pontifex celebrârit, id planum fiet commemoratione rerum, quæ mox ordine explicabūtur. Verùm aliquid me ſummatim oportet præfari de canonizationis antiquitate & celebritate: cum quâ omnis reliqua deinceps narratio aptè cohærebit.

Bellum Anglicum.

Canonizationis actus myſteriis ritibuſque plenus.

CAPVT VI.

De canonizationis inſtituto, vſu, & rationibus.

IAM inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, inſtitutū canonizationis eſſe cœpit, vt à falſis veri Martyres internoſcerentur. Tum enim primùm S. Clemens Pontifex & martyr, Notarios ſeptem creauit, quos in eam curam incumbere iuſsit, vt res geſtas Martyrum litteris mandarēt. Viros autem eſſe voluit, qui & ſpectatâ fide, & probitate, & doctrinâ antecellerent: quique omnem in munere commiſſo diligentiam adhiberēt. Anterus præterea Pontifex deinceps hoc ſtatuit, vt eorum acta non modò conſcriberent, ſed etiam conquirerent quàm diligentiſsimè. Et verò Fabianus Notariis illis ſeptem adiūxit Diaconos totidem: quorum etiam teſtimoniis niteretur rei geſtæ veritas. Eadem planè omnia decreuit Vrbanus Primus, atque reliqui, qui proximè ſucceſſerant, Pontifices. Quam ob rem ij Notarij ad ſummum Pontificem referebāt de ſingulis, qui ex actorum veritate ponendi eſſent in Martyrum numerum. Commemorabant autem res geſtas, cruciatus, fortitudinem, conſtantiam, dimicationes, verè pro fide ſuſceptas, & necem, quam pro Chriſti Domini gloriâ obierint. Hæc igitur tria, nimirum grauitas virorum, quibus de Martyrū factis ſcribendum erat; inueſtigatio diligens, & teſtimonium Diaconorum ſeptem, eò ſpectabāt, vt veri tantum Martyres, reiectis ceteris, qui pſeudomartyres erant, in martyrologij tabulis aſcriberentur. Principio enim oriētis religionis Chriſtianæ non defuerant homines hæretici, nec verò ſchiſmatici, qui cùm tormenta ac mortem Chriſti nomine ſubire viderentur, eos tamen à fide orthodoxâ, & communione catholicâ alienos, non recepit Eccleſia Dei: quoniam ex Patrum ſententiâ, quidquid aliquis, qui extra Eccleſiam eſt, patitur, non martyrium, ſed perfidiæ pœna cenſetur. Erant vero aliæ etiam cauſæ, atque rationes, quare neceſſaria erat omnis vel diligentiſsima indagatio, vt re verâ quis in Martyrum numerum poni rite poſſet. Nam in Africâ ex Diocletiani edicto, qui ſacros codices tradere noluerūt, cùm eam ob cauſam martyriū ſubierint, eos Martyrū cultu atque honore dignos cenſuit Menſurius Epiſcopus Carthaginienſis, vt rem totam Sanctus Auguſtinus enucleatè perſcribit. Alios autem facinoroſos fiſcique debitores, qui illius vexationis occaſionē nacti, quoniam vitâ acerbiſſimâ priuari mallent, propterea quòd grandi ære alieno obſtricti eſſent; vltro ſponteque ſeſe perſecutoribus offerebant, ſacraque volumina, quæ tradere recuſabant, ſe habere mentiebantur, in Martyrum numero cenſeri, idem Menſurius vetuit. Eamque ob rem Optatus Mileuitanus Lucillæ factioſæ feminæ narratione demōſtrat, nefas eſſe vene-

Canonizatio Sanctorū cœpit ab initio Eccleſiæ.

Veri Martyres tabulis Sanctorum inſcribebantur.

Nota, Nota.

Non pſeudomartyres.

In Breuia. coll. 3. diei cap. 4.

Opt lib. 1. cont. Par.

venerari reliquias alicuius martyris, non vindicati, nimirum non probati & recepti. Itaque pernecceſſaria fuit de martyribus etiam, eorũque fide & charitate perquiſitio. Ab iis autem initiis profectus ſanctorum canonizationis vſus, in dies progreſſionibus ſuis auctus, magnam requirit ſolemnitatem, omni vel diligentiſſimo indagandi ſtudio exquiſitam. Elapſis enim beatiſſimorum martyrum temporibus fuerunt multæ canonizationis cauſæ. Neque in præſenti neceſſe habeo cõmemorare omnia ſæcula ſanctorum, quos ſine dubio gloriæ Domini participes effectos, catholica veneratur Eccleſia. Sed cùm aliquãdo hominum fraudibus, vt mox narraui, doliſque occurrendum fuerit: tum etiam ſuperſtitioni proſpiciẽdum erat imperitæ multitudinis, quæ facilè interdum falli decipique poteſt aſſimulatâ quadam ſpecie ſanctitatis. Hermanus quidam, iam annorum viginti ſpatio ſanctus vulgi opinione putabatur, veneratione que propterea colebatur. Sed habitâ de eo inquiſitione diligentiſſimâ, Bonifacius Octauus Pontifex exhumari iuſſit, cùm, quem ſanctum vulgo opinabantur, eum hæreticum comperiſſet. Acceſſit etiam alia cauſa, quæ maximi momẽti eſt. Obuiam enim eundum ſæpenumerò fuit quarundam familiarum ambitioni, humanoque affectui: quo factum eſt nonnumquam, vt hic parentis, ille filij, alius fratris, alius amici, ex hac vitâ piè decedentis, tamquam Sancti, patrocinium publicè imploraret. Quæ res tum ambiguitatem, tum confuſionem ac perturbationem ſæpiùs peperit: cùm idem à quibuſdam, vti ſanctus, coleretur, ab aliis irrideretur. Hanc igitur priuatam, & ambitioſam licẽtiam, quam ſibi homines arrogârant, diuinè ſapiẽtiſſimeque coercuit ſancta Eccleſia Dei. Ac præterea, vt & Sanctis honorũ acceſſio fieret, & fidelibus certa, explorataque veritas de eorũ gloriâ afferretur: mos rituſque ſolemnis, Spiritu ſancto auctore ab eâ introductus eſt canonizãdi ſanctos ſtatis cærimoniis, quæ in præſenti inuiolatè obſeruantur ad præſcriptũ librorum Ritualium. Neque enim tanti ponderis negotium, quãti eſt Sancti canonizatio, cuiquã vel Patriarchæ, vel Primati, vel Metropolitano, Epiſcopove, ſed ſoli Pontifici Romano commiſſum eſt, qui ſummam diuinamque Eccleſiæ regendæ & gubernandæ poteſtatem habet.

Diligens actus canonizationis ad cauendas fraudes neceſſarius.

Et ad affectus humanos coërcendos.

Cap. 1. de Rel. & ven. ſanct.

Et hic actus proprius Rom. Pontificis.

Quo in munere is, vt Pontif. Vicariuſq; Chriſti, neque fallere, neq; falli poteſt; quia non prudẽtiæ ſuæ innititur, ſed regitur prouidẽtiâ Dei; qui Eccleſiam ſpiritus ſui lumine illuſtrat, ac dirigit, vt non erret, ſicut promiſit iis verbis: *Spiritus Paraclitus, quem mittet pater in nomine meo, docebit vos omnem veritatem.* Cuius ſingularis prouidentiæ argumento certiſſimo ſatis illud eſt, quod numquam labefactata, neque infirmata eſt fides, ab hominum teſtimoniis, ſemel in iis canonizationis iudiciis ſuſcepta, vt diſertiſſimi viri rem totam non probabiliter ſolùm, ſed neceſſariò demonſtrant. Præterea canonizationis munus, quoniam maturæ deliberationis eſt, non ilico peragitur, ſed morâ interpoſitâ, vſque adeò vt in annos plurimos diutiùs differatur. Nam quo maius negotium eſt, eo maturiùs deliberari debet. Chriſtus Dominus cùm Lazarum ad vitam reuocauit, non confeſtim id fecit, ſed multas prius cærimonias adhibuit. Pontifex igitur in canonizatione quàm ſapientiſſimè agit; qui, etiam atque etiam ſæpe à Regibus, Principibus, aliiſque primariis viris, aut à ciuitatibus, nationibuſque omni ſummâ prece rogatus, quo ſplendidiùs veritas eluceſcat, eam actionem in longius tempus ducit. Id quod Eugenius Quartus fecit, cùm de Bernardini Senenſis ſolemni adſcriptione ageretur, itidemque Innocentius Quartus de Staniſlao martyre. Hic annis pòſt eius martyrium centum & ſeptuaginta, ille longè diu poſt obitum in Sanctorum numero eſt aſcriptus: cùm à ceteris etiam, qui præceſſerant, Pontificibus res antea prolata ſit. Ac præterea illius, qui verbo & opere Chriſtum Dominum confeſſus, rerum diuinè geſtarum laude clarus, in ſanctis dignus eſt qui annumeretur, vitæ innocentia, morum ſanctimonia, virtutes, miracula inueſtigantur diligenter. Idque inueſtigationis officium, non omnibus committitur, ſed religioſiſſimis Eccleſiæ Antiſtitibus, viris ſapientiſſimis, rerumque gerendarum vſu peritiſſimis. Et quo exploratius ſit id, quod quæritur: aliquando factum eſt, vt quæſtionum, quæ ad canonizandi rationem, vſumq; attinent, acta, fidei & diligentiæ eorum potiſſimùm Cardinalium concredita commiſſaque ſint, qui illius ſancti, de quo ageretur, canonizationi maximopere refragarentur.

In quo non errat Eccleſia.

Ioan. 16. 13.

Ioan. 11.

Quare etiam differtur, vt cum tempore veritas monſtretur.

Inquiſitio in vitam Sanctorum canonizandorum, plerumq; Cardinalibus vel parum fauentibus committitur.

Iam

Iam verò Innocentius Quartus de ſancti Staniſlai vitâ inquirendi curam delegauit Ranaldo, Cardinali Oſtienſi, illius canonizationem valde admodum impedienti: qui deinceps, re totâ perſpectâ, ſuffragatus eſt mirificè. His ſolemnibus inſtitutis & aliis, quæ ordine infra perſpicua erunt, de beato Didaco, in Sanctorum numerum referendo SIXTVS QVINTVS Pontifex egit, vt omnia ſolet, tum religioſe, tum ſapienter.

CAPVT VII.

De actis huius cauſæ, in vrbe recognitis, & comprobatis.

CANONIZATIONIS autem huius causâ, quemadmodum ante narraui, cùm in eo ſtatu verſaretur, vt illius acta, quæ iudices delegati in Hiſpaniâ confecerant, rectè obſignata, inde Romam perlata eſſent: Philippus Rex, qui tamdiu non aſſecutus erat, quod ſummopere expetierat, per oratorem ſuum Regium, Henricum Guſmanium, Comitem de Oliuares, virum genere illuſtrem, & virtutum laude clarum cum ſanctiſſimo D. N. SIXTO QVINTO Pontifice precibus agi voluit, vt res, diutiſſimè dilata, tandem ritè conficeretur. Id ſupplex orator regio nomine, maximopere petiit, quod pro pietatis, æquitatiſque ratione Pontifex, quâ eſt ſummâ benignitate, libenti gaudētique animo conceſſit. Itaque vt ordine res tanti pōderis, ac momenti gereretur: optimum factu putauit, eam ſapientibus, vſuque peritis hominibus ſpeciatim delegare. Eamque ob rem è rotæ Auditoribus duos delegit, Roſcium Decanum, & Robuſterium, ambos iuris ſcientiâ eruditiſſimos viros, iudiceſque integerrimos. Iis præcipuo, vt moris eſt, reſcripto Pontificio, cui manu ſuâ Pontifex ſubſcripſerat, quarto Calendas Iulij, anno M. D. XXCV. dato, negotium mandauit: vt huius cauſæ acta, ab Hiſpaniâ Romam allata, viderent, cognoſcerent, atque expenderent in primis; An quæſtiones ritè habitæ eſſent, an item legitima teſtimonia, idoneaque ad probationes, decernentque item inter ſe de iis omnibus, tum referrēt. Qui vbi aliquot pòſt menſibus magnâ cum diligentiâ, quam adhibuerunt, omnia perſpexerūt, & conſiderârunt, maturaque deliberatione inter ſe ſtatuerūt, ad Pontificem ſingula retulerūt, certis capitibus deſtincta, vt mox infrà exponā.

Acta in Hiſpaniâ comprobata ſunt poſt recognitionē.

Quæ his capitibus recenſentur.

I. Cauſæ acta eſſe legitime tum recognita, tum interpretata.

II. Teſtes ex litteris remiſſoriis, rectè riteque interrogatos; & quæſtiones de iis legitimè habitas eſſe.

III. Eos teſtes nullâ exceptione ſummoueri, ſed maximè idoneos ad faciendam fidem.

IV. Teſtes præterea, litterarum remiſſoriarum auctoritate adhibitos, fuiſſe legitimè atque ex præſcriptâ ratione, rectè interrogatos: & præterea quæſtionum aliarumque ſcripturarum monumenta, rectè exſcripta eſſe, fidemque & probationem afferre.

V. Librum, de miraculis inſcriptū, quo ſcilicet beati Didaci miracula centum & triginta explicantur, ex archiuio Complutenſis conuentus S. Mariæ Ieſu deſumptum, probationum vim præbere, & recognitum, vt per exemplaris vetuſtatem fieri potuit, fidem facere: & reliqua item duo, & quinque foliorum fragmenta, è pago ſancti Nicolai, patriâ beati Didaci, perlata.

VI. Conſtare item beatum Didacum, in eo pago natum, ordinis ſancti Franciſci laicum profeſſum, ex hoc ſæculo migraſſe anno M. CCCC. LXIII. vitam egiſſe piam, religioſam, ſanctam: illum morum ſanctimoniâ, caſtitate, humilitate, charitate, eleemoſynarum largitione, commiſeratione, & egregiâ mirandaque erga pauperes Chriſti liberalitate, aliarumque virtutum ſplendore diuinitus illis ſæculis præluxiſſe: multa pro gloriâ Dei perpeſſum eſſe, eamque ob rem in vitâ, & poſt obitum, omnium, qui illum nôrant, opinione ſanctum putari, piaque veneratione coli: eius corpus in eccleſiâ ſanctæ Mariæ Ieſu loco recondi, quod ſacellum appellant beati Didaci nomine.

VII. Conſtare item illum, multâ ætate prouectum, diem ſuum obiiſſe pridie Idus Decembris, anno à Chriſto nato M. C. D. LXIII.

VIII. Omnium ſermone, & prædicatione illum, dum in hoc ſæculo fuit, ſanctitatis nomine celebrari.

IX. Idem teſtatiſſimum fieri libro miraculorum, itemque teſtimonijs quàm plurimorum, qui illum de facie nôrant, eiuſq. fere aſſiduâ vſi ſunt conſuetudine.

X. Teſtificari multa miracula, & beneficia diuinitus hominibus diuerſi generis & loci facta meritis & precibus beati Didaci.

XI. Præcipua etiam, atque ſingularia miracula teſtata, & probata eſſe, præſertim, quod narratum eſt de sereniſſimo Carolo, Hiſpaniarum Principe, & item de Mariâ Pinilla, paralyticâ.

XII. Alia multa nota, & teſtata eſſe ex libro miraculorum, quem mox commemoraui.

Hæc Auditores Rotæ iudices delegati ad Pontificem ordine retulerunt: tũ quæcunq. præterea ad canonizationis actum pertinerent, rectè ac legitimè inſtructa parataq. eſſe omnia expoſuerunt.

CAPVT VIII.

De Cardinalibus, delegatis etiam iudicibus recognitionis actorum huius cauſæ.

IIs omnibus auditis, SIXTVS Pontifex, quo maturius cuncta peragerentur, in conſiſtorio, quod decimo Calendas Februarij anno MD.XXCVII. habuit, ampliſſimis octo Cardinalibus, Alexandro Farneſio, Collegij Decano, Epiſcopo Oſtienſi, Marco Antonio Columnæ, Epiſcopo Prænestino, Michaeli Bonello Alexandrino tit. S. Mariæ ſupra Mineruam, Iulio Antonio Santorio tit. S. Bartholomæi in Inſulâ, Antonio Carafæ tit. SS. Ioannis & Pauli, Conſtantio Sarnano tit. S. Petri in monte aureo, Presbyteris, & Ferdinando Mediceo, Diacono S. Mariæ in viâ latâ, Hieronymoq. Mattheio, Diacono item ſancti Adriani, id præcipuè mandauit, & delegauit, vt quæ ab Auditoribus relata eſſent, omnia ſingulaq. accuratiſſimè cognoſcerent; itidemq. perſpicerent, & conſiderarent, quàm diligentiſſimè poſſent, quæcumque in negotij huius grauiſsimi rationibus conſiderari oporteret. Tum ij cauſam delegatam ſtatim aggreſsi, vt viri ſunt ſummâ ſapientiâ, iudicioq. præſtantiſſimo, in eâ, quemadmodum ceteris in rebus ſolent, & religioſè, & piè & æquiſſimè ſe geſſerunt præclarâ cum laude. Farneſius igitur Decanus, tertio Nonas Februarij, cõgregationem delectorum Cardinalium habuit, quâ primum de re delegatâ agi cœptum eſt. Rotæ Auditores, Roſcius, & Robuſterius, præſtò fuerunt ad cauſam: de quâ retulerunt, ſe illius acta vidiſſe, recognouiſſe, & perpendiſſe omnia diligenter, prout ſummatim, de more canonizationis, certis capitibus comprehenſa, ſingula contineri dixerunt. Hæc breui cùm coràm expoſuiſſent; actorum exemplaria Cardinalibus tradiderunt, & ſummam itidem capitum, quam ipſi confecerant. Poſteà verò quàm illi abierunt, in eam deliberationem, maturâ conſultatione agitatam, Cardinales venerunt, vt & omnia illa acta denuò recognoſcerentur ordine, quo Rotæ Auditores vſi erãt, & ſingulę prętereapoſitiones, quas, inde deſumpta, illi attulerant, ſtudioſè cum actis collatę examinarentur. Quare actorum & ſummariorum exempla confici, ſingulisque Cardinalibus tradi: eorum autem exemplar à Notario rectè aſſeruari iuſſum eſt.

Iterato iſthæc à Cardinalibus recognita.

CAPVT IX.

De Congregationibus eo nomine habitis.

DEINDE ſtatas alias congregationes delegati iudices, Cardinales habuerunt: quibus de totâ cauſa ordine actum eſt. Fuerunt autem eæ omnes numero tredecim, in quibus præſertim iuriſcõſulti, grauitate & doctrinâ præcellentes, cùm vſu venit, præſtò fuerũt ad conſilium. Primùm acta cauſæ, in Hiſpanijs confecta, quæ Auditores Rotæ, certa, ad fidemq. faciendam idonea decreuerant, aliaq. ea diligenter recognita, & alia quæcumque id generis, ad canonizationis actum pertinentia, Cardinales cũ rata, & firma diuturnis conſultationibus habuiſſent, omnia maturiſſime comprobàrunt. Poſtea ſingulas poſitiones illas, ſummatim ex ſcriptas, & collectas, quas Auditores attulerant, etiam atque etiam cum aduocatis conſultatas, ex omni parte rectè conſtare decreuerunt. Tum varia miracula, de

Congregationes deciester habitæ ſuper hac cauſâ

quibus diu conſultatum ac deliberatum eſt, cognita atque explorata vſque adeo habuerunt, vt nihil deeſſe ſtatuerint ad rem perficiendam. Quare vltimâ cõgregatione decretum in ſententiam confecerunt, ſequenti capite explicatam.

CAPVT X.

De vltimâ congregatione & decreto comprobationis actorum.

DEMVM rebus omnibus agitatis, cùm nihil dubij reliquum eſſe videretur, in congregatione, quæ ob eam cauſam vltima apud Farneſium decimo Calendas Iulij anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo octauo habita eſt, Cardinales cenſuerunt, nihil omnino obſtare, quo minus ſanctiſſimus D. N. SIXTVS QVINTVS vltrà progrederetur ad canonizationis actum. Itaque magnâ conſenſione, intimaque animi lætitiâ de re totâ deliberarunt in hanc ſententiam. Diligenter perſpectis atteſtationibus, probationibus & actis omnibus, de beati Didaci canonizatione confectis, accurateq; recognitâ ſcripturarum fide, & conſideratis Auditorum Rotæ poſitionibus; cognitâ etiam illâ conſtanti deuotione, ac veneratione, quam beato patri Didaco centum & viginti abhinc annis omnes Hiſpaniæ populi votis, vigilijs, donarijs, omnibusque pietatis officijs perpetuò tribuunt; Nos illius fidei puritatem & integritatem, vitæ ſanctitatem, egregias virtutes, præclara miracula optimè probata comperimus. Quocirca vno animi aſſenſu decernimus ob clariſſima eius merita Sanctiſsimum D.N. ſi eius Sanctitati placuerit, cuius correctioni & iudicio omnia ſubijcimus, poſſe ad illius canonizandi actum vltrà progredi, riteque eundẽ in Sanctorum numero aſcribere.

Delecti inquiſitores S. Didacum canonizandum vnanimiter cenſent.

CAPVT XI.

De conſiſtorijs canonizationis cauſa habitis.

RE à Cardinalibus ita explicatâ, optimus Pontifex SIXTVS QVINTVS, vt religioſiſſimo deſiderio exardeſcẽs, ita attentiſsimus & diligentiſsimus ad rem perficiẽdam, conſiſtorium ſecretum quàm primum habere voluit: quod duodecimo Calendas Iulij habuit frequentiſſimo Cardinalium conuentu. Erat vnus, vt dixi, è Cardinalibus delegatis iudicibus, Marcus Antonius Columna: qui, à collegis delectus, mirificè cauſam perorauit graui & illuſtri oratione vereque dignâ ampliſſimo Cardinale. Eam huic commentario adiungam ad extremam partem. Sed magnâ omnium attentione cùm auditus eſſet; tum à Pontifice in primis attentiſſimè, qui id negotium, quod totum Dei eſt, ſummâ pietate amplexus, & luculentiſſimâ oratione dicentis, & cogitatione meditationeque rerum, quæ præclaræ ac diuinæ narrabantur, magnopere delectatus, intimum animi gaudium vultu atque adeò lacrymis oſtendit. Erat enim oratio plena officijs pietatis, referta exemplis ſanctitatis, & ſplendeſcens lumine illuſtrium miraculorum, quibus vir Dei Didacus maximè claruit. Iis omnibus auditis Cardinales, ſententias rogati, canonizationi ſuffragati ſunt magnâ pietatis ſignificatione. Tum Pontifex, de eorum conſilio, & aſſenſu omnia rite recteque acta, & geſta, ac legitimè probata eſſe decreuit: & pergere iuſsit ad reliqua, quibus canonizationis actus omnibus partibus abſolueretur. Septimo igitur Calendas Iulij, die ſabbato conſiſtorium publicum fuit. In eo Pontifex, vt in ſolemni id generis actu moris ritusque eſt, amictu Pontificio rubro, & mitrâ pretioſâ ornatus, ſolio præcelſo ſub vmbellâ eiuſdem coloris ſedit, magno Cardinalium conſeſſu, magnaque Antiſtitum frequentiâ, & celebri virorum omnis ordinis multitudine. Tum Pompeius Arrigonius, Aduocatus cõſiſtorialis, & regius, iuris ſcientiæ, atque eloquentiæ laude florens, oratione Latinâ, & in omnibus partibus elegantiſſimâ, primùm expoſuit auguſtiſsimum perpetuumque Philippi Re-

In Conſiſtorio ſecreto de Canonizatione concluſum.

gis catholici deſiderium quo tamdiu maximè exarſit ad Beati Didaci canonizationem: deinde ordine narrauit eiuſdem viri beati integritatem fidei, ſanctimoniam, & ſimplicitatem vitæ, admirabiles virtutum progreſſiones, & miracula aliqua præſertim inſignia: tum demum perorauit. In quâ peroratione cùm in primis eiuſdem Philippi Sereniſſimi Maximique Regis, tum verò Toletanæ Eccleſiæ, vniuerſitatis Complutenſis, & denique totius Hiſpaniæ nomine Sanctiſſimum D. N. Sixtum, quàm maximè potuit, id rogauit, atque obſecrauit, vt, quâ eſt ardentiſſimâ pietate, beatum illum virum, in domo Domini tot meritorũ ſplendore elucentem, in Sanctorum numero referre velit. Hæc Arrigonius cùm dixit: tum Antonius Buccapadulius, Secretarius Apoſtolicus, vir doctus & eruditus, non modò ad eloquentiam, ſed ad omnes liberales ingenuaſque diſciplinas, ex præſcripto Pontificis appoſitè, ornatè, ſplendidè, ac grauiſſimè reſpondit. Pietatis namq; regiæ ſtudium, diuturnâque rei tã piæ poſtulationem, præclarè commendauit: canonizationis actus rite ſolemniterque conficiendi voluntatem ſummi Pontificis propenſam oſtendit, eamque ardentiùs inflammatam narratione vitæ ſanctiſſimæ, virtutum, & miraculorum, quæ Arrigonius Aduocatus dilucidè explicauit: ſed ob rei grauitatem dixit, Pontificem velle diutiùs deliberare: interea Deum in primis orare id omnes oportere, vt diuino lumine mentem illuſtret Sanctitatis ſuæ, quo rectiùs actionem grauiſsimam dirigat, cùm ad Dei ipſius gloriam, tũ ad Eccleſiæ amplitudinem, Chriſtianæque pietatis fructus vberrimos. Sed, vt res tota tamquam ob oculos poſita, planiùs cernatur, & reſponſum hoc, & orationem commentario in extremâ parte aſcribam.

In quam Pontifex conſenſit.

CAPVT XII.

De conſiſtorio, quod eius rei cauſâ poſtremò habitum eſt, ac de præſtantiſsimâ Pontificis concione.

QVONIAM res agebatur maxima, ſemper aliquid reliquum fuit, quod in conſultationem, ac deliberationem venit. Sed præterea ritus ratio id poſtulabat, vt poſtremò conſiſtorium haberetur, in quo cauſa tota, non ſolùm Cardinalium, id quod in more poſitum eſt, ſed Patriarcharum etiam, Archiepiſcoporum, aliorumque Antiſtitũ, qui præſentes adeſſent, ſuffragijs permitteretur. Dubitatũ eſt, an Cardinales ſimul & reliqui ordine Præſides ſuffragiũ ferrent. Res diu incerta, & obſcura, ita diſcuſſa eſt, vt omnes eo ipſo in conſiſtorio ſuffragium ferrent: cùm in œcumenicis concilijs id fieri ſolemne ſit, tum etiam in cauſis grauiſsimis, quemadmodum Innocentiũ IV. in cauſâ Frederici Imperatoris, Clementem V. in Concilio Viennenſi de re quorundam Principũ maximâ, Piũ ſecundum in canonizatione item beatę Catharinę Senenſis, & Leonem Decimum itidem feciſſe, cùm Franciſcum de Paulâ in Sanctos retulit, ex actorũ monumentis compertiſſimũ fuit. Quia verò in eiuſmodi conſiſtorio ius ſuffragãdi præter Cardinales omnibus etiã Antiſtitibus, vt dixi, permiſſum eſt: ſemipublici nomine illud appellatur in commentarijs quotidianis veteribus rituum Pontificalium. Id conſiſtorium quinto Calendas Iulij, feriâ ſecundâ, habitum eſt. Vbi autem omnes, ſuo quique loco, conſederunt, Cardinales & item ceteri Prælati, qui frequentiſsimi aderant, miro ſilentio, cum rei grauitate, locique auctoritate conſentaneo, tum Pontifex, amictu Pontificio rubro, fimbrijs aureis ornato indutus, cum mitrâ ſimplici, auro contextâ, è ſolio concionem habuit, ſententiarum diuinarum pondere grauiſsimam, doctrinæ vbertate eruditiſſimam, omnique argumentorum maieſtate, & ſapientiæ admiratione maximè decoratam. Quâ in concione à rei, quæ agebatur, magnitudine exorſus, primò de poteſtate Pontificis, auctoritateque Eccleſiæ, quæ à Deo tradita eſt, illuminatè diuineque dixit: tum demonſtrauit & ſacris litteris, & rationibus, ex intimâ Theologiâ depromtis, omnique argumentorum genere, Romanum Pontificem, verum ſucceſſorem B. Petri Apoſtolorum principis, pro quo orauit Chriſtus Dominus, ne eius fides deficeret, eundemque verum caput Eccleſiæ, quæ eſt firmamentum & columna veritatis, quæque à Spiritu ſancto regitur ac gubernatur, in Sanctorum canonizatione errare, & falli non

Et ſententiam dicere debent, non ſolùm Cardinales; ſed etiam omnes Antiſtites in re tali.

Sixti Quinti oratio.

Luc. 22. 32. 1. Tim. 3. 15.

 poſſe.

poſſe. Idque non modò pie, ſed neceſſariò, & certiſsimâ fide credendum affirmauit omnibus ſummis rationibus diuinitus in medium allatis: cùm illud etiam perſpicuè manifeſtum ſit, Eccleſiæ Pontificisue decreta, certa, & firma eſſe, quæ ad fidem, aut morumq́ diſciplinam pertinētia, certis& firmis principijs fundamentisue innitantur. Pluribus cùm eam in ſententiam dixiſſet, ad horæ ſpatium concionem duxit: quam cuncti, qui inter fuerunt, ſummâ attentione, atque admiratione audierunt. Deinde Pontifex de beato Didaco, in Sanctorum numerum aſcribendo, ſententias dici iuſſit: tum ſuo quiqueordine, Cardinales, poſtea Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Auditores Rotæ, Protonotarij, Abbates, ceteriq́ue omnes, qui aderant, vno conſenſu, ac liberè dixerunt, illum, cuius vitæ ſanctitas, ac miracula nota, & teſtata erant, dignum eſſe, qui in Sanctis aſcriberetur. Singulorum ſententias vbi Pontifex benigniſſimè audiuit, diem actus canonizationis certum ſtatuit ac decreuit vj. Nonas Iulij; qui dies beatiſſimæ Virginis Mariæ viſitationis ſacer, in ſabbatum incidit. Hoc factum eſt à Domino. Quo enim die, nimirum ſabbato, beatus Didacus è corporis ergaſtulo ſolutus, in cælum abijt: poſtea tot elapſis annis, ſabbato itidem in Sanctorum numerum ponitur; die præterea, ex Eccleſiæ vſu, atque inſtitutis in venerationem dicato Sanctiſſimæ Virgini, Dei matri, quam ille in hac vitâ, vt narraui, eximiâ pietate coluit. Feſto etiam die eiuſdem Virginis, quem ab eius infantiâ coli cœptum, vt ceteros alios eiuſdem, ſemper præcipue in honore cultuq́ue habuit. Omnes igitur Dei viro cùm ſuffragati eſſent ad canonizationis cauſam: mox fiſci Apoſtolici procurator de ſummi Pontificis decreto, ac de aſſenſu Antiſtitum, Protonotarios præſentes rogauit, vnas pluresve tabulas confici ad rei geſtæ fidem faciendam.

In publico Conſiſtorio cuncti S. Didacum canonizandum cēſent.

Cultor b. Mariæ S. Didacus. Sabbato, die D. Virginis ſacrâ, mortuus, item Sabbato, die Viſitationis B. Mariæ canonizatus eſt.

Par. 1. c. 15

CAPVT XIII.

De baſilicâ Vaticanâ S. Petri, eiuſq́; ſolemni apparatu ad canonizationis actum.

ILLVD in more iamdiu poſitum eſt, vt, cùm Romæ Pontifices manent, in ſacroſanctâ baſilicâ Vaticanâ beati Petri, Apoſtolorū Principis, actus canonizationis ab iis celebretur: quemadmodum celebritatum eiuſmodi, quæ multis abhinc ætatum ſæculis ritu ſolemni actæ ſunt, commentarij rituales veteres demonſtrant. Eam Baſilicam Sanctiſſimus D. N. SIXTVS QVINTVS ex antiquiſſimo inſtituto delegit, ac decreuit, vbi maxima illa ſolemnitas ageretur: quæ rite religioſeq́ue celebrata, exemplum ex omni parte præclariſſimum attulit mirificæ pietatis. Pontifex enim, qui omnia cogitata, optata, & facta ad gloriam Dei, Eccleſiæq́ue amplitudinem dirigit, eius rei recte conficiendæ curam ac facultatem Cardinali Geſualdo dedit, quem paucis antè menſibus ſacrorum rituum congregationi præfecerat. Is, vt vir eſt ſummâ ingenij ſolertiâ, & prudentiâ magnâ, ad Pontificis mandata exequenda attentiſſimus, nihil non egit egregijs conſultationibus, vt canonizationis, cuius ſolicitudo in animo Pontificio inſidebat, modus & actus ad exitum perduceretur, qui maximè à pijs omnibus expetebatur. Sed vt ea res, plena myſteriorum, & ſacris referta ritibus, ex Pontificis voluntate in primis ſuccederet, omnemq́ue ſolidæ, ac perfectæ laudis cumulum haberet: nihil Cardinalis conſultauit, aut deliberauit, quod ad Pontificem non retuliſſet; ex cuius non ſolùm voluntate, ſed ſapientiâ ſingulari, quâ diuinitus excellit, actio omnis gerenda erat.

In baſilicâ igitur primò ſuggeſtum, firmiſſimâ contignatione, & opere ampliſſimo, decoroque extructum, intra mediam illius nauim continebatur: quæ pulcherrimam formā ac ſpeciem, aſpectu iucundiſſimam præ ſe ferebat. Lōgè id patebat pro menſuræ Romanæ ratione, palmos ſex & nonaginta, latè ſeptem & quadraginta. A pauimento autem altitudine erat cubitorum circiter quinque: totum conſtratum decen-

Suggeſtum in D. Petri templo mirificè ornatum.

tiſſimè pannis colore viridi: à parte verò vbi ſolium Pontificis collocatum perſpiciebatur ,ſtragulo purpureo.

In quo altare ſacrificaturo poſitum pontifici.

Super ſuggeſtum à fronte, quæ ianuam primariã baſilicæ ſpectat, altare egregiè extructum cernebatur, in quo Pontifex Miſſam ſolemniter celebraturus erat. Hæc ſuggeſti pars vndique ſplendeſcebat ornamentis , & aulæis, periſtromatiſque conchiliatis, auro argento intextis, ac pretioſo opere confectis : quæ duplici ordine appenſa, erant præclara ad aſpectum. In mediâ hac parte extabat peripetaſma, mirifico artificio contextum, Spiritus ſancti, inſtar linguarum ignis, ſuper Apoſtolos aduenientis , memoriam & imaginem repræſentans , maximè inſignem, canonizationis actui apte riteque conuenientem.

Super altaris illius vmbellâ , crucis ampliſſimæ ſignum eminebat, textili ſtragulo expreſſum, clauibus duabus, lumine artificioſo eluceſcentibus hinc inde ornatum, præclariſſimum aſpectum exhibens. Proximè autem ſub hoc ornamentum pendebat culcitra, holoſerico purpureo amicta, crucis item magnæ imagine auro intextâ, quâ beati martyres olim ſepeliebantur, vt ex veteri perpetuaque traditione conſtans eſt opinio.

Vexilla, S. Didaci picta imagine.

A quattuor ſuggeſti lateribus ſuſpenſa erant vexilla totidem: quæ ſingula, ſancti Didaci effigiem exhibebant, SIXTI Pontificis, & Philippi Regis inſignibus ornatam. Tum verò, cùm vniuerſus clerus, ſupplicationis cauſâ ad baſilicam procedens, aduentauit, quintum, ceteris quattuor longè maius, eiuſdem imaginis ornatu ſplendeſcens, in medio ſuggeſto quàm decentiſſime pendebat : ita vt omnia quinque ſimul, inter ſe ordine reſpondentia, ſpeciem præ ſe ferrent mirificam aſpectu.

Aſcendebatur ſuggeſtum commodè aliquot gradibus: ingreſſioque eò fiebat ianuis duabus, quarum vna in ſummis , altera in imis gradibus, ab Heluetiis præſidiariis militibus cuſtodiebatur, ne hominum, quorum ingens concurſus fuit, turba illuc præ ſpectaculi deſiderio irrumperet. Erat autem ſuggeſti locus vndique ornatus, atque inſtructus omni ſacrâ ſupellectile, veſte, & ceteris rebus ſelectiſſimis ad rem conficiendam neceſſariis. A dexterâ altaris Pontificij, nimirum à latere Euangelij, loco editiori collocatum erat ſolium Pontificale , vmbellâ , vt moris eſt , in celeberrimo actu ornatiùs contectum. Quo de ſolio Pontifex functiones, ad canonizationem pertinentes, ceteraſque actiones executus eſt: quas illum, Miſſæ ſacrum ſolemniter celebrantẽ, exequi ſolemne eſt. A ſiniſtrâ, nempe à latere Epiſtolæ, poſitum cernebatur ſolium humiliori loco: vbi is, Miſſæ ſacrum facturus, ſacris veſtibus, de more, indutus eſt. Vndique à ſuggeſti partibus diſpoſita erant ſubſellia, aulæis inſtructa, atque adornata ad Cardinalium conſeſſum: à quorum tergo ſedilia extabant, quibus Archiepiſcopi, Epiſcopi, & reliqui Antiſtites conſiderent. Extrinſecus autem Clerus Romanus omnis, qui ſuam quiſque candelam ceræ albæ, manu geſtabat, locum cum crucibus habebat, è quo ſolemnem actum ſpectaret. Prope ianuam, quę in ſummo ſcalę gradu erat à ſubſelliorum tergo, in quibus Cardinales conſidebant, inſtructa menſa extitit pretioſis donarijs, quæ offerenda erant.

Cathedra Pontificis.

Subſellia Cardinaliũ.

Maximus ornatus templi.

Baſilica ampliſſimo ornatu, apparatuque longè omnium ſumtuoſiſſimo mirificè fulgebat, luminibus vbique denſiſſimis, & funalibus ceræ candidæ, à ſuperiori parte ordine collocatis vndique prælucentibus. Proximè autem ornamentum, ſubter illa erat, phrygiano opere pulcherrimum, palmos aliquot longe lateque patens, pręclarè intextũ inſignibus B. Didaci, SIXTI Pontificis, & Philippi Regis maximè decorũ, topiarijſque floribus , partim picturâ, partim herbâ adumbratis, aſpectum præbebat iucundiſsimũ. Ab hoc phrygio ornatu ex omni parte pendebant aulæa, artificio admirabili contexta: à latere autem, vbi ſanctiſsimum Sacramentũ, aſſeruatur, ſtragula ſpectabantur opere attalico, filiſque aureis collucentia. Omnis denique tum baſilicæ, tum ſuggeſti apparatus , vt ex commentarijs quotidianis rerum Pontificalium perſpici poteſt, omnes alias canonizationis celebritates, vel apparatiſsimas, antè actas, longè ſuperauit.

CAPVT XIV.

De proceſsione, ac ſupplicatione ſolemni.

REBVS his omnibus rectè apparatis, pridie diei canonizationis maximus factus eſt concurſus ingentis multitudinis: quæ primâ, ſecundâ, tertiaque noctis vigiliâ, & ſummo manè frequenter confluens, non tantùm baſilicam, ſedp orticum, atrium, limina, forumque Vaticanum ampliſsimum, vndique repleuerat. Immo via Alexandrina, quæ rectà ab arce Adriani ad Vaticanum ducit, conferta erat vndique hominibus omnium ordinum. Magna frequentia concurrit, mirificique etiam non ſolùm ciuiũ Romanorum, ſed peregrinorum cœtus fuerunt canonizationis voce excitati, qui actũ tã ſolemnem frequentabant. Omnia ſpiritalis gaudij plena, vt parietes ipſi præ lætitiâ geſtire viderẽtur. In tãtâ autem, tamque innumerâ hominum turbâ, quæ ſæpenumero, vel leuiſsimis commota rumuſculis, maximos tumultus derepentè aliàs concitare aliquando conſueuerat: ſine vllo motu ac perturbatione, immò verò ſummâ tranquillitate ſunt acta, & tranſacta omnia. Poſtridie igitur, qui dies canonizationi decretus erat, horâ octauâ Cardinales, ſacris veſtibus, pro ſuo quique ordine induti, in ſacellum Palatinum, quod SIXTI nomine vocant, frequentes conuenerãt: eoq; item loci præſtò erãt Patriarchæ, Metropolitani, ceteriq; Antiſtites, mitris & pluuialibus veſtiti: Pœnitentiarij baſilicæ ſancti Petri, caſulis amicti: tum Subdiaconi, & Rotæ Auditores rochetis, & ſuperpelliceis: Protonotarij, vt moris eſt, cappis & rochetis. Tum Pontifex, ab aliquot Cardinalibus, Legatis Princiũ, Romanis viris primarijs, & Prælatis familiaribus deductus in ſacellum deſcendit: vbi in altari veſtes ſacræ Pontificiæ, quibus indueretur, apparatæ erant: vtpote Amictus, alba, cingulũ, ſtola, & chlamys purpurea Pontificalis, opere textili aureo, fimbrijs itẽ aureis. In quâ chlamyde ab vnâ parte aſſuta erant inſignia Pontificis, ab alterâ Philippi Regis. Ijs veſtibus decorè indutus cùm eſſet: tum in coronâ Cardinalium aſtantium, à Petro Deça Cardinale Hiſpano, quem is iuſſerat, in oratoris locum, prȩſto eſſe Regio nomine ad canonizationis actũ, tres cereos colore albo accepit, eoſque auratos, atque elaboratos ſignis Pontificijs & Regijs. Horum duo prægrandes erant, quorum vnum oratori Reipublicæ Venetæ, alterum item oratori Ducis Sabaudiæ tradidit, tertium, qui tenuior erat, in proceſsionem manibus ipſe prȩtulit. His rite geſtis, Pontifex exorſus eſt hymnum, AVE MARIS STELLA, quem nõ modò, propterea quòd dies feſtus Viſitationis B. Mariæ Virginis erat, ſed quia ob canonizationis celebritatem in ſupplicationis, proceſsionisve initio cani ritus poſtulat. genibus flexis ad altare fuit, dum hymni verſus primus eſt abſolutus, inde ſurgens, mitram pretioſam accepit, in ſellaq; geſtatoriâ ſedit, quoad proceſsionis ordo è SIXTI ſacello ad palatij ianuam Pontificiam directus eſt. Interea piâ tacitâ ſupplicatione omnes, & ſolemni modulatione cãtores hymnum proſecuti ſunt. Pontifex autem, qui eſt religioſiſsimâ pietate inflammatus, quique in Seraphico ordine tamdiu cæleſtium illarum contemplationum curricula præclarè confecerat, ſecum animo reputans canonizationis actum, quem celebraturus erat, omni mentis cogitatione ad ſupplicationem attentiſsimus, tum in proceſſione, tũ in omni canonizationis officio ſanctiſsimam illam pietatem, vereque Pontificiam quam cordis ſui viſceribus conceperat, non modò religioſis precum vocibus, ſed vultu, qui animi imago eſt, facie, ore, oculis indicauit: cum lacrymarum, quas præ eximiâ ſuâ erga Deum charitate expreſsit, ſint plerique omnes ſpectatores, ac teſtes. Omnis autem Clerus Romanus tum ſæcularis, tum regularis, cuius maxima frequentia erat, in atrio palatij ampliſſimo morabatur: vbi verò primum procedendi ſignum accepit, è ianuâ primariâ ordine egreſſus, totum forum Vaticanũ proceſsione circuiuit, hymniſque & canticis, litanijs, omnique ſanctarum precum modulatione ſupplicando, demum venit ad atrium & porticum baſilicæ ſancti Petri: ibique pro ritus ratione conſtitit, dum Pontifex, qui ſellâ geſtatoriâ de more, ſolemniter euectus, ſequebatur, in eius medio ad eandem baſilicã proceſſit. In actu proceſſionis mirũ ſilentiũ fuit, miraq; omniũ veræ ac ſolidæ Romanæ pietatis

Maximus hominum concurſus.

Pontificis ornatus.

tatis

tatis ſignificatio. Res enim ita adminiſtrata eſt, quo diligentius tumultibus prouiſum eſſet, vt ad ſuburbium Vaticanum quo temporis ſpatio canonizatio agebatur, curribus, pilentis, quadrigis, eſſedis vehiculiſque cuiuſcumque generis, ac iumentis omnibus aditus vndique præcluderetur.

CAPVT XV.

De ordine proceſſionis.

AD baſilicam Vaticanam viâ, quam proximè dixi, proceſſum eſt hoc ordine. Primùm familia Pötificia, veſtibus rubris amicta, antecedebat: deinde Secretarij Apoſtolici: pòſt, Aduocati Cõſiſtoriales, veſtibus violaceis induti incedebant: tũ tubicines, qui certis ſtatis locis ſimul inſtantes, ſuaui tubarum ſono canebant. Proximè ſequebatur procurator Generalis Obſeruantium ordinis Minorum, homo Hiſpanus, ſacerdos, planetâ albi coloris veſtitus: qui inſigne vexillum, ſancti Didaci effigie religioſâ præclarè ornatum, ferebat. Hunc propè conſectabantur quattuor eiuſdem ordinis ſacerdotes veſtitu albarum. His propinqui erant Cantores: qui varijs modulatè, numeroſéque canendi modis, ac pio hymnorum cantu, omnium animos alliciebant ad ſpiritale gaudium. Mox procedebant Abbreuiatores, Acolyti Apoſtolici, Auditores Rotæ, Subdiaconi item Apoſtolici, omnes ſuperpelliceis & rochetis veſtiti. Erat in ijs autem Subdiaconus eodem ornatu, crucem Pontificiam præferens; cui miniſtri duo virgæ rubræ aderant, vnus à dextro alter à ſiniſtro latere. Crucẽ Pötificiã prope comitabãtur Pœnitẽtiarij baſilicæ B. Petri, deinde Abbates: tum Epiſcopi, deinceps Archiepiſcopi, Patriarchæ, Prælatique Sanctiſſimo D.N. aſſiſtentes, pluuialibus & mitris ornati. Iis proximè Cardinales Diaconi incedebant, dalmaticis, & mitris: mox Cardinales presbyteri, planetis, & item mitris: pòſt Cardinales Epiſcopi, pluuialibus itidẽq; mitris induti. Hos ſtatim ſequebãtur Diaconi Cardinales tres, quorum vnus erat Aſcanius Columna: qui, quoniam muneris ſui functio tunc erat Euangeliũ legere, medium inter alios duos locum tenebat, quorum vnus fuit Cardinalis SforTia, alter Cardinalis Montaltus, ambo tanquã Pontifici aſſiſtentes. A lateribus eorum duorum Cardinalium progrediebantur Oratores duo, vnus Reipublicæ Venetæ, alter Ducis Sabaudiæ: qui vterque cereos illos duos prægrandes manu portabat.

Generalis fratrum Minor Obſeruantiæ cũ imagine S. Didaci procedebat.

Crux Pontificis prælata.

Iis omnibus ordine præcedentibus, ſummus Pontifex, ſellâ geſtatoriâ ſublimis euehebatur ſub vmbellâ: quæ primò ab Oratoribus, pòſt ab alijs Principibus, tum ab alijs primarijs viris ferebatur, qui viciſſim hoc munus ſubierunt. Sequebantur deinceps Cubicularij intimi duo Pontificis, qui præſto eſſent ad aſſiſtendum: in horum medio erat Seraphinus Oliuarius, Vicedecanus Rotæ; qui Decani abſentis vicem gereret ad mitræ Pontificiæ functionem. Vltimo loco erant Protonotarij eodem, vt ſupra, veſtitu atque ornatu: tum præterea frequentiſſima multitudo ciuium Romanorum, & aliorum nobilium virorum. A Pontificis & Cardinalium lateribus præſidiaria Heluetiorum cohors, magna præſto erat ad ſummouendam repellendamque tam infinitæ multitudinis turbam. Totum autem forum Vaticanum, quacumque parte ſupplicationibus procedebatur, prætorijs equitum turmis erat vndique ſeptum & communitum.

Pontifex autem, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, ceteríque omnes Antiſtites, qui in proceſſione frequentes aderant, cereos albos accenſos manu geſtabant: quos eorum vnicuique pro dignitatis ratione largè liberaliterque diſtribuerant miniſtri Philippi Regis, cuius rogatu celebritas canonizationis agebatur.

Cereos albos cuncti geſtabant.

Vbi ad Baſilicæ porticum Pontifex venit; ei Canonici, cleruſque illius Baſilicæ vniuerſus, obuiam fuerunt ſuauiſſimis muſicæ modis & cantibus.

CAPVT XVI.

De actu, & ſolemnitate canonizationis.

BASILICAM Pontifex ingreſſus, ſuggeſtum, canonizationis causâ apparatum, aſcendit: tum è ſellâ geſtatoriâ deſcendens, in

faldiſtorio genibus flexis, ad altare verſus orauit. Inde ſolium Pontificium, excelſo loco poſitum, conſcendit: in quo, vt moris eſt, Cardinales obedientiæ munus ei præſtiterunt. Quâ abſolutâ re, Franciſcus Mocantius, cærimoniarum magiſter, Cardinalem Deçam accerſiuit, qui cùm Arrigonio Aduocato ad Pontificem venit. Ambo vbi debitam Pontificiæ maieſtati reuerentiam adhibuerunt: tum Cardinalis ſtabat, aduocatus autem genibus flexis, ac ſupplex paucis verbis dixit, Deçam Cardinalem præſentem, id regio nomine ſummoperè rogare, atque obſecrare, vt beatus Didacus, in ſanctorum numerum rite aſcriberetur. Tum Buccapadulius ſecretarius Pōtificio nomine grauiter breui reſpondit, illud negotium maximæ deliberationis fuiſſe: eamq; ob rem diuturnis & neceſſarijs conſultationibus diligenter à Pontifice tractatum: & cùm, quod ad canonizationis actum pertineret, ſatis probatum eſſe videretur, tamen quia oratio iuſti aſſidua multum apud Deum valet, Pontificem hoc maximè exoptare dixit, vt omnes vnà precarentur, quo magis, res auxilio diuino inchoata, adiuuaretur etiam diuinâ illius benignitate.

Obedientiæ dant munus Pontifici Cardinales.

Hæc vbi Secretarius reſpondit, continuò è ſolio Pontifex ad faldiſtorium deſcendit: vbi genibus flexis, mitrâ indutus, orauit: interim ſacræ litaniæ in choro canebantur, & aliæ preces dicebantur. Quibus abſolutis, ad ſolium redijt.

Magiſter autem cærimoniarum iterum Cardinalem Deçam cum Aduocato ad Pontificem euocauit; ad quem confeſtim cùm ambo acceſſiſſent, itidem iterum ſummopere inſtarunt. Appoſitè & breui Secretarius dixit, rem tam grauem poſtulare vt ardēti iterum oratione preceque imploretur auxilium & gratia Spiritus ſancti, vt in re grauiſſimâ ſuo diuino lumine eum dirigat. Tum rurſus Pontifex è ſolio in faldiſtorium venit ad orandum, vt ſuprà, genibus flexis, & item mitrâ adhibitâ. Mox autem Cardinalis Sfortia Diaconus, ad populum verſus, altâ voce dixit; ORATE. Ilico mitrâ è capite Pontificis depoſitâ, ceteri etiam omnes Cardinales & Antiſtites depoſuerunt: genibusque flexis ſimul cum Pontifice taciti orarunt ſummâ intimi animi prece, quoad Cardinalis Montaltus Diaconus, è ſiniſtrâ Pontificis ſtans, alte pronunciauit; LEVATE. Quâ voce pronunciatâ Pontifex, Cardinales, & reliqui ſurrexerunt. Libro tunc à Prælatis aſsiſtentibus allato, Pontifex inchoauit hymnum: VENI CREATOR SPIRITVS. Statim ad genuflexionem redijt, itidemque omnes fecerunt, tamdiuque in eâ permanſerunt, quoad primus verſus finitus eſt. Tunc ad ſolium Pontifex inde abijt, ceteri ſteterunt. Hymno abſoluto, Cantorum chorus cecinit verſum: EMITTE SPIRITVM TVVM. Poſtea dixit Pontifex orationem hanc: DEVS QVI CORDA FIDELIVM, &c. Quâ pronunciatâ oratione, Deça Cardinalis vnà cum aduocato, Philippi Regis nomine tandem tertiò inſtitit, ſummeque efflagitauit, negotium canonizationis confici. Reſpondit Secretarius: Pontificem credere Dei voluntate, ac benignitate id fieri, propterea deliberaſſe, beatum Didacum, vitæ ſanctitate, & miraculorum ſplendore clariſsimum, in ſanctorum numerum referre.

CAPVT XVII.

De canonizationis decreto.

ALLATVS eſt confeſtim ab aſsiſtentibus Prælatis, liber: de quo canonizationis ſententiâ Pontifex, in ſolio ſedens, mitraq; ornatus, pronunciauit verbis grauiſsimis, maximeque ſignificantibus. Is illâ Pontificiâ ſententiâ beatum Didacum in ſanctis Confeſſoribus conſtituit, & adſcripſit: decreuitque propterea ab omnibus illū veneratione coli: diem eius feſtum, pridie Idus Nouembris officio ſancti Confeſſoris celebrari: eccleſias, & altaria, quibus Deo omnipotenti ſacrificium fiat, illius nomine ædificari licere. Indulgentias, & priuilegia omnia, quæcumque Sanctorum eiuſdem ordinis Seraphici eccleſijs conceſſa ſunt, conceſsit fidelibus, verè pœnitētibus & confeſsis, die illius feſto ſacellum, vbi Compluti eius corpus reconditur, aut viſitantibus altaria eccleſiasve, quæ ad eiuſdem honorem erigentur.

Pontifex S. Didacum Sanctis annumerat.

Sententiâ rite ſolemniterque pronunciatâ, Cardinalis Deça, & Arrigonius Aduocatus, qui ambo præſentes aderant, Pontifici debitas gratias regio nomine egerunt, & habuerunt: ſimulq;

ſupplices petierunt, à Pontifice decerni, canonizationis bullam cōfici. Tum is dixit: DECERNIMVS. Ilicoque vt moris ac ritus eſt, ſigno crucis benedixit. Quo decreto facto, Aduocatus Protonotarios, Notarioſque præſentes rogauit, publicas rei geſtæ tabulas conſici ad memoriam perpetuam.

His re us actis omnibus, lætitiæ, & gratulationis publicæ ſigna facta ſunt, tubarum clangoribus, campanarum ſonitu ſolemniſsimo, maximis ſclopetorum explosionibus, & bombardarum, quæ in foro Vaticano, & arce ſancti Angeli ſunt, reboatibus ſummo, & diuturno fragore tonantibus, ſpiritaleque Eccleſiæ gaudium ſignificantibus.

Ad ſolemnitatis actum progrediens Pontifex hymnum TE DEVM LAVDAMVS exorditur, quem Cantores canere pergunt. Hymno abſoluto, Cardinalis Sfortia Diaconus, verſiculum cantauit; ORA PRO NOBIS, BEATE DIDACE. Cantores reſponderunt: Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti. Tum Pontifex ſequentem Orationem de Sancto dixit.

Oratio de S Didaco ſiue Collecta. OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui diſpoſitione mirabili infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: cōcede propitius humilitati noſtræ, vt pijs B. Didaci confeſſoris tui precibus ad perennem in cęlis gloriam ſublimari mereamur. Per Dominū noſtrū, &c.

CAPVT XVIII.

De Miſſâ ſolemni canonizationis

POST orationem Aſcanius Cardinalis Columna, Diaconus, Euangelij canorâ voce dixit: CONFITEOR DEO, &c. In quâ confeſsione, cùm ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum nominaſſet, mox beati Didaci commeminit. In abſolutione itidem Pontifex fecit. *Nota.* Deinde Pontifex tertiam inchoauit, quam choro proſequente ad alteram ſedem acceſsit: in quâ illum miniſtri veſtes ſacras Pontificias induerunt ad Miſſam celebrandam. Erant illæ veſtes omnipretioſo opere, præclaroque artificio maximè inſignes, ad canonizationis huius vſum confectæ. Dum Pontificem induerunt, Tertiæ officium Chorus cecinit. Quo finito, Miſſam de Viſitatione beatæ Mariæ Virginis, cum commemoratione beati Didaci Pontifex celebrauit. Sed in offertorio hæc ex ritu acta ſunt,

Dum Pontifex offertorij antiphonam de ſolio Pontificio dicit; Cardinales quattuor è ſubſellijs ſuis ad res ſumendas venerunt, quæ in abaco, offertorij causâ, paratæ & diſpoſitæ erant. Ii fuerunt, Marcus Antonius Cardinalis Columna, vt Epiſcopus Cardinalis: Michael Cardinalis Alexandrinus, vt Cardinalis Presbyter: Hieronymus Cardinalis Matthæius, vt Cardinalis Diaconus: qui tres delegati iudices canonizationis extiterant. Quartus fuit Cardinalis Deça, quem in Oratoris Regij locum, vt dixi, Pontifex delegerat ad huius ſolemnitatis actum. Dona, ad offerendum apparata, ordine tulerunt eorū domeſtici nobiliſsimi, ſuarum quique familiarum viri: quæ dona, ac munera Cardinales ipſi obtulerunt admirabili cærimoniâ, myſteriorum plenâ. *Cerei duo oblati ad Miſſam.* Cardinalis Colūna, cereos duos, ſancti Didaci imagine, & Pontificis, Regiſque inſignibus pictos, maiores aliquanto illis, qui ad proceſſionem ferebantur, hac cærimoniâ obtulit, vt ſingulos cereos primùm oſcularetur, tum Pontifici offerret: quos vbi Pontifex tangebat, eius manum & genu exoſcularetur. Cardinalis Deça, eâdem cærimoniâ, cereum vnum obtulit, & *Item tertius cum binis turturibus.* caniſtrum exiguum auratum, in quo turtures binæ erant viuæ. *Duo magni panes.* Deinde Cardinalis Alexandrinus panes duos prægrandes obtulit, vnum auratum cum inſignibus Pontificis, alterum argento cælatum inſignibus Regis. Mox iterum Cardinalis Deça alterum cereum obtulit, & item alterum caniſtellum cū binis turturibus albis. *Item cereus cum turturibus.* Cardinalis autem Matthæius eodem ritu cados exiguos duos, vini plenos obtulit, *Cadi duo vino pleni.* vnum inauratum in cuius fundo erant inſignia Pontificis, alterum argentoſum cum inſignibus Regis. Ilico Deça Cardinalis tertiò obtulit cereum tertium, & caniſtrum, coloribus varie *Iteratò cereus cum caniſtro auiculis pleno.* pictum, auiculis diuerſi generis plenum. Quod dum offertur, eius reticulum magiſter cærimoniarum incidit, vt auiculæ volucres, quemadmodum fecerunt, hac atq; illac volitarent. Ceteri tres Cardinales delegati iudices, donis oblatis, ad ſuū quiſq; ſubſellium redierunt. Deça ſolus remanſit, quoad

omnium

omnium oblationũ ſuarum, quas narraui, functionem eſt exequutus.

Offertorio rite peracto, Pontifex ſtatis ſolemnibus cæremonijs Miſſam celebrare pergit cum propriâ Sancti commemoratione, Secretâ, & Poſtcommunione. Tum Miſſæ ſolemnibus celebratis, Cardinalis ſancti Georgij, Epiſcopus Portuenſis, cùm Farneſius Cardinalium Decanus abeſſet, nomine Pontificis, plenariam Indulgentiam, formâ Eccleſiæ cõſuetâ, omnibus præſentibus induxit. Reque omni demum rite actâ, Pontifex de more à Cardinalibus ad aulam, quam paramentorum nomine vocant, deductus, inde omnes dimiſit benedictione.

CAPVT XIX.

De ſacrorum veſtimentorum apparatu, & ſupellectile ad canonizationis huius celebritatem.

NE verò quid ad rei bene præclareq; confectæ narrationem deſit, exponam etiam veſtes, quæ canonizationis causâ confectæ ſunt mirifico pretioſoque opere.

Vmbella altaris Pontificij, aſpectu ſpecieque omnibus ex partibus pulcherrimâ, ex auri puſulati telâ, egregio artificio intexta, & amplitudine admodum magna fuit, lacinijs pendentibus ornata, in quibus apparebant imagines ſancti Didaci, inſignia Pontificis & Regis, vexillum Eccleſiæ, & facies Seraphinorum. Omnia hæc ornamẽta fuerunt locis ſuis variè diſtincta, ac diſpertita, cùm ex laciniarum fragmentis triginta totum id opus conſtaret.

Pallium altaris, eâdem telâ pretioſâ, lacinijs & peniculamentis auro vndique collucentibus. Erat in medio pallio effigies beati Didaci, à latere dextero inſignia Pontificis, à ſiniſtro autem, Philippi Regis: omnia acu picta, auroque & argento variè copioſeque contexta.

Integumenta bina ſacrorũ codicum ex eâdem telâ, auro puſulato ſplendeſcenti, cum ſuis etiam fimbrijs opere aurato illuſtribus.

Puluinar Miſſalis codicis ex eadem ſumtuoſâ telâ, ornatu aureo obductum, & globulis ac lemniſcis ſericis, auro intextis, præclaro opere enitens.

Sacculus corporalis admodum amplus, vt in ſacello Pontificio conſuetudinis eſt, ex illo ipſo telæ opere, eodem ornamento, cruceque actum puta ex filis aureis.

Ornamentum ſuggeſti lignei ad vſum lectionis Euangelij, totum ex illâ picturâ textili aureâ confectum, fimbrijs aureis & ſericis, ſanctique Didaci effigie, atque inſignibus Pontificijs & Regijs ſumptuoſiſsimè elaboratum.

Faldiſtorij ornamentum, eodem opere, & artificio, inſignibusque, vt ſuprà, perfectum.

Puluinaria bina ampla admodum, vt moris eſt in ſacello Pontificio, ad vſum genuflexionum ex eodem textili opere aureo, globulis, & lemniſcis oblongis, ſericis, aureis, vt ſuprà, ad ornatum appoſitis. Eorum alterum, quo Pontifex nitebatur, effigie ſancti Didaci ornatum erat, ac præterea Pontificijs Regijsque inſignibus.

CAPVT XX.

De veſtium Pontificalium apparatu.

CHLAMYS Pontificia, attalico opere aureo intexta, purpureo colore apparata fuit, ampliſsimo ornatu laciniarum ex alterâ textili telâ aureâ, opere, vt vocant, paſſamanio item aureo circumfluens, vncis ternis, & fibulis ſenis, ex puro puto auro, collucens.

Planeta cũ ſtolâ, & manipuli bini, ex eadẽ magni pretij telâ, toto opere aureo intexta, lacinijs ex holoſerico villoſo, operis attalici. In extremâ parte à tergo effigies ſancti Didaci, hinc inde Pontificia, & regia inſignia acu omnia picta filis aureis, refulgebant.

Dalmatica, & tunicella, ambæ ſericæ, colore candido circumueſtitæ opere paſſamanio aureo.

Gremiale ex illâ aurei operis telâ, cui crux intexta erat, ornatu fimbriato ſerico aureo.

Caligæ ex ſerico albo, ornatæ opere paſſamanio aureo.

Sanda-

Sandalia è telâ aureâ: quibus cruces binæ ex auro aſſutæ erant.

CAPVT XXI.

De ornamentorum apparatu ad vſum miniſtrantium Pontifici.

PLVVIALE ex illâ magni pretij telâ, opere phrygio, quo Cardinalis Epiſcopus Aſſiſtens induebatur, ornatu erat laciniofo auro contexto, paſſamanijs circumdatum: quod vncis & fibulis argenteis annectebatur. Huic veſti à tergo pendebat inſigne, quod Capucium vocant, ſatis amplum, ex opere attalico: in quo medio ſancti Didaci imago, ab vnaque & item alterâ extremâ pater erãt inſignia Pontificis, & Regis, acus opere confecta.

Tunicellæ Diaconales binæ, eodem opere, & ornamẽto, globulis præterea, & lemniſcis auro ſplẽdeſcentibus cum ſtolâ, ac manipulis, tunicellarum veſtitu reſpondentibus. In earum vnaquaque effigies Sancti, & inſignia, vt ſuprà.

Græcè Euãgelium & Epiſtola lecta.

Tunicellæ aliæ item binæ, è telâ item aureâ, ſed operis plani, non auro eminentis, eodem ornatu, eâdem effigie, ijſdem inſignibus. Quarum vnas induit Diaconus, qui Græcè Euangeliũ: alteras, qui itidem Græcè Epiſtolã legit. Atque hæc de ſupellectile, apparatuque ſacrarum veſtium: quæ cùm vix, aut ne vix quidem præ operum artificio ornatuque vario explicari ſatis potuerint, re ipſâ præbuerũt auguſtiſſimum, ſummaque pietate refertiſſimum ſpectaculum, ad perpetuam tam ſolemnis actus gloriam maximè inſigne.

CAPVT XXII.

De Cardinalibus qui canonizationis ſolemnitati interfuerunt.

Cardinales quadraginta præſentes.

CARDINALES, qui canonizationis actui præſentes aderãt numero erant quadraginta. Quorum quattuor Cardinales Epiſcopi, triginta Presbyteri, ſex Diaconi.

Cardinales Epiſcopi ij intererant.

IOANNES Antonius Sorbellonius, Mediolanẽſis, Epiſcopus Portuenſis, nũcupatus Cardinalis S. Georgij.

Alphonſus Geſualdus, Neapolitanus, Epiſcopus Tuſculanus.

Marcus Antonius Columna, Romanus, Epiſcopus Preneſtinus.

Ptolemeus Gallus, Nouocomenſis, Epiſcopus Albanenſis.

Cardinales Presbyteri.

PROSPER Sancta Crucius, Romanus. tit. S. Clementis.

Michael Bonellus, Alexandrinus, ordinis Prædicatorum. tit. S. Mariæ ſuper Mineruam.

Ludouicus Madruccius, Germanus. tit. Sanctæ Anaſtaſiæ.

Nicolaus Peluius, Gallus. tit. S. Praxedis, Cardinalis Senonenſis.

Iulius Antonius Santorius Caſertanus, ſanctæ Seuerinæ nomine vocatus. tit. S. Bartholomæis in Inſulâ.

Hieronymus Ruſticucius, Vicarius S.D.N. tit. S. Suſannæ.

Ioannes Hieronymus Albanus, Bergomenſis. tit. S. Ioannis ante portam Latinam.

Petrus Deça, Hiſpanus. tit. S. Hieronymi Illyricorum.

Antonius Carapha, Neapolitanus. tit. SS. Ioannis, & Pauli.

Ioannes Antonius Fachinettus, Bononienſis. tit. SS. Quatuor Coronatorũ.

Ioannes Baptiſta Caſtagnius, Romanus. tit. S. Marcelli.

Franciſcus Ioieuſius, Gallus. tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio.

Iulius Cananius, Ferrarienſis. tit. S. Euſebij.

Nicolaus Sfondratus, Mediolanẽſis, tit. S. Cæciliæ, Cardinalis Cremonenſis.

Antonius Maria Saluiatus, Romanus. tit. S. Mariæ de pace.

Auguſtinus Valerius, Venetus. tit. S. Marci, Cardinalis Veronenſis.

Vincentius Laurus, Tropiẽſis. tit. S. Mariæ in viâ, Cardinalis Montis Regalis.

Scipio Lancellotus, Romanus. tit. S. Saluatoris in Lauro.

Henricus Caietanus, Romanus. tit. S. Pudentianæ. Cardinalis Camerarius.

Ioannes Baptiſta Caſtrucius, Lucenſis. tit. S. Mariæ de Arâ cæli.

Dominicus Pinellus, Genuenſis. tit. S. Laurentij, in pane, & pernâ

Hieronymus Ruuerius, Taurinenſis. tit. S. Petri ad Vincula.
F. Hieronymus Bernerius, ordinis Prædicatorum. tit. S. Thomæ in Parione. Cardinalis Aſculanus.
Antonius Maria Gallus, Auximanus. tit. S. Agnetis in Agone, Cardinalis Peruſinus.
F. Conſtantius ordinis Minorum. tit. S. Petri in Monte aureo, Cardinalis Sarnanus.
Scipio Gonzaga, Mantuanus. tit. S. Mariæ de populo.
Antonius Saulius, Genuenſis. tit. S. Vitalis.
Euangeliſta Paleottus. tit. S. Matthæi in Merulanâ, Cardinalis Coſentinus.
Petrus Gondius, Florentinus. tit. S. Silueſtri, Cardinalis Pariſienſis.
F. Stephanus Benucius, ordinis Seruitarum. tit. SS. Marcellini & Petri, Cardinalis Aretinus.

Cardinalis Didaci.

FRANCISCVS Sfortia, Romanus, Diac. S. Nicolai in carcere Tulliano.
Alexander Perettus, Cardinalis Montaltus, Diac. S. Euſtachij.
Hieronymus Matthæius, Romanus, Diaco. S. Mariæ in Coſmedin.
Benedictus Iuſtinianus Genuenſis, Diac. S. Agathæ.
Aſcanius Columna Romanus, Diac. SS. Viti & Modeſtæ.
Federicus Borrhomæus, Mediolanenſis, Diac. S. Mariæ in Domnicâ.

Interfuit etiam magnus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Antiſtitumq. aliorum numerus, maxima nobilium virorũ frequentia, & innumera hominum omnis ordinis, omniumque vrbis regionum multitudo, vt ſuprà narraui, quæ iam inde vſque à primâ fere vigiliâ noctis, frequẽtiſſima ad ſolemniſſimum tantæ celebritatis actum conuenerat.

Sit per omnia benedictus Deus, qui tenebricoſis his temporibus, tãti tamq; illuſtris beneficij lumine Eccleſiam Catholicã colluſtrauit. Eſt hoc, quod proximè accepimus, verè munus donumq. diuinum. Omnium eſt, qui Chriſtiano catholicoque nomine cenſentur, illud agnoſcere, profiteri effuſis ad Deum precibus, obſecrationibus, atque omnibus pietatis officijs, hoc præſertim neceſſario rei Chriſtianæ publicæ tempore: quo opus eſt communibus ſupplicationum aliorumque piorum operum præſidijs. Tu verò Hiſpania, quæ iam inde ab initio naſcentis fidei Chriſtianę tot tantisque à Deo adornata es, atque illuſtrata muneribus, beneficij etiam huius ſplẽdore illuminare: in eoq. etiã perſpice paternam charitatem SIXTI QVINTI, Pontificis Optimi Maximi, ſalutis & gloriæ tuæ cupidiſſimi: deinde etiam agnoſce regium potentiſsimi Regis tui ſtudium, quo exardeſcit ad catholicæ pietatis opera. Eſt cur ingentes, immortaleſque Deo gratias agas, & habeas: illudque ab eo maximè preceris omni orationis aſsiduitate, vt vtrumque & Pontificem, & Regem quàm diutiſsimè ſaluum & incolumem Reſpublica Chriſtiana habeat. *Ad Hiſpaniam alloquium.* Verùm tu Didace Sancte, qui ſupra cæleſtes orbes euectus, iam ad Deũ fontẽ viuum, quem tantopere ſitieras, lætus migraſti, quiq; illum nunc contemplaris bonorum omnium auctorem, tuis precibus opitulare ambobus egregijs ſanctitatis tuæ cultoribus, SIXTO Pontifici, & Philippo Regi. *Ad S. Didacum.* At tu Deus, omnium cõditor, cuius maieſtatem ac numen in Sanctis veneramur, cuius immenſam amplitudinẽ illorũ vita, mors, gloria maximè oſtendit, quæ ſumus omnes, exaudi confeſſorem tuum beatum Didacum, pro vtroque precantem: facque vt eorum tandem temporibus, tuâ potẽtiâ ſuffragante, vniuerſorum hoſtium frangatur impietas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

LAVS DEO.

MARCI ANTONII CARD. COLVMNAE EPISCOPI PRAENESTINI

RELATIO,

DE VITA ET MIRACVLIS B. F. DIDACI

de S. Nicolao, facta coram S. D. N. SIXTO PAP. V. & Cardinalium Collegio, in Conſiſtorio ſecreto, die xx. Iunij, anno M. D. LXXXVIII.

BEATISSIME PATER:

SVPERIORIBVS annis, & præſertim anno M.D.LXIII. à Rege Philippo & Carolo eius primogenito, ſicut ex litteris & mandatis conſtat, & ab vniuerſâ fere Hiſpaniâ humiliter ſupplicatum fuit ſanctæ memoriæ Pio Quarto, vt ſtante celebri famâ Fratris Didaci, laici profeſſi, Ordinis Minorum de Obſeruantiâ, quæ per centum & plures annos in toto illo Regno conſtantiſſima viguerat, ac vigebat, ac illius vitæ ſanctitate, pluribuſque eius miraculis, vnde pro Sancto ab omnibus reputabatur, ac colebatur, vellet Sanctitas ſua committere, vt de ijs omnibus diligẽs informatio ſumeretur. Quæ ſi vera reperta fuiſſent, Sanctitas ſua illum inter Sanctos connumerandum, & pro Sancto ab vniuerſâ Catholicâ Eccleſiâ tenendum, ac venerandum ſtatueret. Quibus precibus, & repetitis poſtulationibus Sanctitas ſua mota, anno ſequenti M.D.LXIV. Menſe Maio in Conſiſtorio ſecreto totũ negotium de more Ioanni Morono, Saraceno, Alexandrino, qui poſtea Pius Quintus fuit, Aracæli, & Vitello S. R. E. Cardinalibus commiſit, fueruntq; Remiſſoriæ in partibus tranſmiſſæ; & Canonicè inchoatus proceſſus, atque ſummaria informatio capta, & ad Curiam, viuente adhuc Pio Quarto trãſmiſſa. Eius verò morte ſubſequutâ, Pio Quinto ab eodẽ Rege & Principe, necnon Gregorio XIII. ſupplicatum fuit, negotium reaſſumi, & ad finẽ perduci. Sed cùm iidem etiam Pontifices, antequam hæc omnia perficerentur, vltimum diem vitæ ſuæ ſanctiſſimè clauſiſſent, fuit apud Sanctitatem Veſtram, eiuſdem Regis Philippi, & Regni nomine, per Illuſtrẽ Comitem de Oliuares Oratorem ſuum ſuppli-

A Philippo Secundo rege Hiſpaniarum poſtulata ſæpiùs S. Didaci canonizatio.

ſupplicatum, vt cùm iam omnia, quæ in mandatis data fuerant, circa proceſſum cõficiendum, eſſent perfecta; Cardinaleſq; omnes deputati, eſſent vitâ functi, Sanctitas V. quæ vicem in terris Ieſu Chriſti gerit, & cui vniuerſalis Eccleſiæ cura cõmiſſa eſt, & ad quam ſolùm hęc negotia ſpectãt, pro ſuâ ſingulari pietate, dignaretur committere, & mandare, vt tam pium, tam ſanctũ, & ab vniuerſo Hiſpaniæ Regno deſideratum opus, ad debitum finem perduceretur. Quibus S. V. benignè annuens, de menſe Iunio M.D.LXXXV. mandauit duobus Rotæ Auditoribus, Io. Baptiſtæ videlicet de Rubeis, Decano, & Chriſtophoro Robuſterio, vt diligenter viſo proceſſu, & diſcuſſo, Sanctitati V. vt moris eſt, de ſcripto relationem facerent. Quo in negotio cùm per multos menſes diligentẽ nauaſſent operam: tandem relatione, ac voto Sanctitati V. de ſcripto tranſmiſſo, volens conſuetum in ſimilibus ab hac Sanctâ Sede, & à Prędeceſſoribus Sanctitatis V. modũ ſeruare, die xxiij, Ianuarij anni præteriti in Conſiſtorio ſecreto commiſit Reuerendiſſimo Farneſio Decano, Alexandrino, ſanctæ Seuerinæ, Caraphæ, Sarnano, de Medicis, Matthæio, & mihi, vt viſo omni cum diligentiâ toto proceſſu de vitâ & moribus, & miraculis in eo cõtentis, relatione Rotæ conſideratâ, Sanctitati V. in Conſiſtorio ſecreto de more relationem faceremus, ſententiamque ac ſuffragium noſtrum explicaremus, vt poſteà Sanctitas V. ſancti Spiritus gratiâ illuſtrata, quid faciendum iudicauerit, maturè deliberare poſſit.

Reuerendiſſimis Dominis meis collegis viſum eſt, hoc negotium, licet humeris meis impar, & omnium Dominorum meorum minimo mihi demandare: quod, ſi placet Sanctitati V. quâ maximâ breuitate potero, in præſentiâ præſtare conabor.

Diſpoſitio huius orationis, eiuſque membra.

Tria ſunt, Beatiſſime Pater, quæ in hac hodiernâ narratione mihi explicanda propoſui: primò de iſtius viri vitæ ſanctitate & fidei integritate pertractabo, in quo, vt Theologorum omnium, & Canoniſtarum eſt ſententia, totius iſtius negotij ſumma conſiſtit: ſecundo loco de eius obitu: tertio de miraculis verba faciam. Et, vt à primo exordiar:

Patria S. Didaci & parentes pij.

1. In Regno Caſtellæ, & ditione Hiſpalen. oppidũ eſt nomine ſancti Nicolai, in quo ante M.CCCC. annum natus eſt B. Didacus, humilib. ſed Chriſtianis, & magnâ pietate imbutis parentibus, qui ſimili pietate filium ſuum educare procurârunt. Hunc etſi non genus inſigne, egregiæ tamen ipſius virtutes, ſanctiſſimè actæ vitæ documenta, & coruſcantia

miracula,

miracula, non ſolùm inſignem, ſed etiam clariſſimum, atque illuſtriſſimum reddiderũt. Nam cùm mortalis huius vitæ pericula, quibus ſępè anima æternis inuoluitur cruciatibus, perſpecta haberet, ab ineunte ętate totum ſe pijs deuouit operibus: & apud idem oppidum S. Nicolai, in quodam eremitorio ibi propinquo, S. Nicolai veteris nuncupato, vnà cum pio quodam ſacerdote ſeceſſit: vbi per aliquot annos eremiticã vitam ducens, magnâ cum totius illius oppidi ædificatione permanſit.

Ad eremum ſecedit.

Inde cupiens artioris obedientiæ vinculis alligari, retento eodem pœnitentis habitu, ad conuentum de Arrizafâ non longè à Cordubâ diſtantem profectus, ibidem Seraphici S. Franciſci habitu recepto, illius religionem expreſsè profeſſus eſt; eiuſque regulam ſanctiſſimè per totam vitam ita inuiolabiliter obſeruauit, vt apertè teſtentur viri omni exceptione maiores, neminem ſe vidiſſe adeò ſuæ regulæ, & præceptorum obſeruantem.

S. Franciſco dat nomen.

Quia verò Spiritus ſanctus magnum in eo ſanctitatis ædificium ædificaturus erat, primum, ac ſolidum huius ædificij fundamentum in humilitate collocauit: quæ in hoc viro tanta fuit, vt omnes, qui cum illo conuerſabantur, admirarentur: atque hac potiſſimum virtutis armaturâ munitus, diaboli artes omnes facilè ſuperauit.

Virtutum in illo corona.

Obedientię iugum ſuauiter ferebat. Prælatorum mãdata promtè, ac libentiſſimè exequebatur. Et quoniam regulam S. Franciſci, vt dixi, profeſſus fuerat, paupertaté, quam in ſuâ profeſſione vouerat, piè ac religiosè ſemper coluit. Erat in eo magna fides, maximâ cum ſpe & charitate coniuncta. Pauperes Ieſu Chriſti, ac proximos ardenter dilexit. Infirmos, ſi quãdo ſibi occaſio offerebatur, non ſolùm omni charitatis officio proſequebatur, ſed illis die noctéque inſeruiebat, tantâ humilitate, ac charitate, vt ſæpiùs etiam plagas pure plenas linguâ lingere non erubuerit; eleemoſynis adiuuabat, & quidquid ex quotidianis cibis in eleemoſynam Monaſterio datis habere, vel ex proprio cibo ſibi ſubtrahere poterat, alacriter eis largiebatur. Cùm verò non haberet quid illis in eleemoſynam porrigeret; miſericordiâ commotus, profuſas lachrymas emittebat.

In pauperes benigniſſimus, & liberalis.

Orationi erat intentus: Diſciplinis non ſolũ ſe Deo magis gratum reddere procurabat, ſed etiam vt proximi ſui emẽdationem vitæ faciliùs impetraret, corpus ſuũ domabat. Ieiunijs ferè continuis carnem macerabat, ſed in primis omnibus vigilijs Beatiſſimæ Virginis Mariæ in pane & aquâ ieiunabat.* Acer erat reprehenſor eorum, qui contra Dei honorem, aut regulam ſancti Franciſci aliquid temerè perpetrabant: quam non ſolùm ipſe, vt dixi,

Rigidè carnem domabat verberibus, ieiunijs.

Peccantes arguebat.

diligenter obſeruauit, ſed eam ab alijs fratribus inuiolabiliter obſeruari curauit. Nullas vnquam didicerat literas: ſed quoniam conuerſatio eius cæleſtis potiùs erat, quàm terrena, cùm de reb. diuinis agebat, mirificos proferebat ſenſus, & difficillimarum quæſtionum articulos enodabat: ita vt inter alios, duo eruditiſſimi & pietate inſignes viri apertè teſtentur, ſæpiùs illis cõtigiſſe, vt rebus difficillimis, & in Theologiâ abſtruſis quæſtionibus cum illo cõmunicatis, doctiores ſemper euaſerint, illarumque quæſtionum ſolutionibus ita mẽtes ipſorum acquieuerint, vt à nullo alio doctore, nec in vllâ Academiâ id habere potuerint. Illud de hoc ſancto viro valdè laudabile cõmendatur, eum adeò puro, ac ſimplici corde ſemper fuiſſe, vt ſemper omnia in bonam partem accipiens, nunquam malè de aliquo iudicauerit, nec contra aliquem vllum malum verbum vnquam protulerit. Prudentiam cum ſimplicitate coniunctam habebat: vnde factum eſt, vt cùm ad Inſulas Canarias miſſus eſſet, Guardiani officiũ in illo Monaſterio ſibi demandatum omni cum ſuâ laude geſſerit. Multos ibidem infideles, & adhuc idola colentes ad fidem Chriſti adduxit: quapropter ingentes in magnâ Canariâ perſecutiones pertulit. Deſiderauit ille pro Chriſti fide martyrium ſubire, & multoties parũ abfuit, quin eo bono frueretur: ſed Deo ita ordinante non fuit voti compos effectus.

A Deo Doctus, ipſe idiota.

De nullo vnquam malè æſtimauit.

Martyrio voluntas non defuit.

2. Reuerſus in Hiſpaniam omnibus charus, & in magnâ veneratione habitus in cõuentu Compluten. vbi multis annis fuit commoratus, annorum plenus, in grauẽ infirmitatem incidit: ex quâ cùm ſe iam moriturum cognoſceret, & hora mortis inſtaret, fratribus, qui in illo Monaſterio aderant, ad ſe vocatis, eos ita verbis amantiſſimis & ſanctitate plenis allocutus eſt, vt ex eorum oculis lachrymas excuſſerit. Deinde arreptâ cruce ligneâ, quam ad caput habebat, illorum orationibus ſe commendans, conuerſus ad crucem, hæc verba protulit; DVLCE LIGNVM, DVLCES CLAVOS, DVLCIA FERENS PONDERA, QVÆ SOLA FVISTI DIGNA PORTARE REGEM CÆLORVM ET DOMINVM. In quibus verbis animam Deo reddidit. Obijt itaq; Compluti in ſuo Monaſterio, die Sabbati, xij. Nouembris. M.CCCC. LXIII.

Mortuus in complexu ſigni Crucis.

3. Omnia ſupradicta, Beatiſſime Pater, conſtant per plures cõteſtes, qui de causâ ſcientiæ deponunt: quorum aliqui ſunt eiuſdem religionis Fratres, viri magnâ eruditione & integritate præditi, & in religione probati, quique illum per plures annos cognouerunt, & in eodem Monaſterio intrinſecè

Vita eius ſanctitas conteſtata.

cum

cum illo conuerſati ſunt, quorum etiam duo Guardiani illius Monaſterij fuerunt, & ſub illorum curâ beatus iſte vixit. Alij verò, vnus ex Ordine Prædicatorum, alter Baccalaureatus gradu inſignitus.

Quartâ die ad concurſum hominum corpus exhumatū ſuauiſſimū ſpirantis odorem: qualis ſæpè ſentitur etiam nunc.

4. Eius verò morte auditâ, ingens populorum vicinorum concurſus eſt factus, in primiſque vniuerſorum ordinum ampliſſimæ ciuitatis, & inſignis Collegij Compluten. Per quatuor dies humatum, & quarto die refoſſum cadauer, iacuit inſepultum per multos dies, non eſt corruptum, non emiſit fœtorem, vt humanorum cadauerum eſt conditio: ſed ſuauiſſimum ſpirans odorem, per multos menſes viſitantium animos magnâ ſuauitate repleuit, & vſque ad hodiernum diem ſæpe ille odor ex eius ſepulchro ſpirans ſentitur: non riguerunt membra, vt deficiente calore rigere ſolent defunctorum cadauera, ſed veluti viuentis flexibilia erant, & moueri poterant. Similem rem veluti valdè mirabilem narrat S. Hieronymus in vitâ S. Hilarionis, quod pòſt decem menſes integrum fuerit inuẽtum eius cadauer & ſuauem ſpirans odorẽ. Poſt aliquod verò tempus ab huius beati obitu, Henricus IV. Caſtellæ Rex, beneficij memor, quòd huius B. Didaci interceſſione & ipſe & eius filia grauiſſimè ægrotantes ſanitatem à Deo recuperaſſent: ſacellum in eius honorem ædificari, & in eo intra ferream arcã huius beati corpus recondi iuſſit: in quâ diligenter cuſtoditum fuit, nec vnquam viſum, donec anno M.D.LXII. ad Principẽ D. Carolum, Compluti ægrotantem, adductum, & tunc cùm ex illâ arcâ educeretur, integrum omnino repertũ eſt: adeo vt nec pili quidam albicãtes ſuperciliorum illi defuerint. Hęc autem omnia, quæ de odore & corporis integritate dicta ſunt, præter publicam famam, multi teſtes omni exceptione maiores probant, & inter alios, vnus de Societate IESV de viſu teſtatur. Multa miracula tam in vitâ, quàm in morte edidit, ita vt in proceſſu & informatione tranſmiſſa legantur ferè centum triginta, & probentur: ſed pauca quædam viſum eſt Dominis meis collegis ſeligere, eaq; mihi hodierno die narranda dederunt, quorum primum eſt.

Nec rigidũ illud ſed flexile.

Caſtellæ Rex S. Didaco ſacellũ extruxit, in quo illud conditum.

Paralytica, ſurda, muta attactu ſacræ manus curata.

5. Fuit in oppido de Duron iuuenis quædam Catharina vocata, quæ cùm ingentem paralyſim pateretur, & ſurda etiam euaſiſſet, & muta, nouem diebus vigilias in ſacello B. Didaci ducens, dum manu eiuſdẽ beati tangeretur, ſubitò ceſſauit ſurditas, loquela reſtituta, & membra paralytica diſtenſa ſunt, liberaq; & ſana omnino viſa eſt. Quæ omnia per tres teſtes, præter principalis dictum probantur, qui examinati fuerunt, ritè & rectè coram Vicario Archie-

piſcopi Toletani: quorum primus eſt Ioannes de Peñaluer Guardianus, ſecundus Ioannes de Toloſâ, tertius Frater Ioannes de Medinâ.

Obſeſſus à dæmone liberatus.

6. Didacus quidam de Lorca, iuuenis viginti ferè annorum, qui per multos annos ſpiritu immundo detinebatur, ita vt aliquãdo ſepties in die illum corriperet, & ad terram illum illidens, veluti mortuum relinqueret, cùm ſe B. Didaco commendaſſet, & in eius Cappellâ vigilaſſet, omnino liberatus fuit. Quod plenè probatur per duos teſtes, quorum primus eſt ipſemet patiens, qui per extenſum, & magnâ cum ædificatione omnia narrat: ſecundus, qui hæc omnia comprobat eſt Frater Ioannes de Peñaluer Guardianus.

Parturiens, adhibitâ ſibi veſtis eius particulâ, fætũ enixa eſt mortuam puellã, quæ ex voto reuixit.

7. Catharina Garcia vxor nobilis viri Bartholomæi Sanchez, cùm parturiens in maximo vitæ periculo verſaretur, iamq; morti proximam ſe crederet, parte habitus ſibi huius Beati ſuperimpoſitâ fætũ emiſit, ſed mortuum: & cùm ita per quatuor horas puella, quam ediderat, ſtetiſſet mortua, eius ſocrus, & maritus illam B. Didaco commendârunt, vt eius precibus vitam puellulæ à Deo impetrarent, ſicut factum eſt. Nam illam viuã matri ſuæ reddiderunt, baptizataque fuit, & Maria vocata, & per multos annos vixit. Quæ omnia probantur præter dictum principalis, per tres teſtes, quorum primus eſt Maria Garcia ſocrus: ſecundus Bartholomęus Sãchez eius maritus, qui ambo teſtes oculati: tertius Frater Ioannes de Peñaluer.

Deformis ex morbis varijs recurata.

8. Et Domina Maria dela Pinilla, quæ tam horrendâ, & deformi paralyſi fuit affecta, cum multis alijs grauiſſimis infirmitatibus, vt neminem ei ſimilem Medici ſe vidiſſe atteſtarétur, mirabili modo ſanata etiam apud ſepulchrum B. Didaci eſt. Cuius beneficij memor virginitatem ſuam Deo vouit in Monaſterio S. Ioannis de pœnitentiâ vocato, vbi ſanctiſſimam vitam duxit. Hoc miraculum de Dominâ Mariâ dela Pinilla probatur per octoginta fere teſtes omnes conteſtes vel de viſu, vel de famâ, qui rite, & rectè examinati fuerunt.

Carolus Hiſpaniarum Princeps deſperatè colliſus, ſanatus eſt.

9. Et denique cùm Carolus, Princeps Hiſpaniarum anno M.D.LXII. Compluti ex grauiſſimo caſu grauiter ægrotaret, nec vlla remedia illi profuiſſent, ſed ſemper in deterius rueret, & omni humano auxilio; ſic Medici teſtantur, ac plenè probatur, deſtitutus eſſet: eâdẽ illâ horâ, quâ Medici illum moriturum prædixerãt, meliùs habere cœpit, & intra paucas horas interceſſione huius Beati ſanatus eſt. Hæc omnia optimè probant Medicorum illum curantium depoſitiones, necnon patris Mantij, eius Confeſſoris, multi alij inſignes & omni ex-

ceptione

ceptione maiores teſtes, præter ipſiuſmet Principis & Regis dictum, qui apertè ſe per interceſſionem huius beati viri à Deo ſanitatem recuperaſſe, & verbis & ſcriptis pluries teſtati ſunt.

Quare Hiſpaniarum Rex cùm vitam præfati Caroli ſui primogeniti à Deo ſe per interceſſionem & merita beati Didaci recuperaſſe cognouiſſet, ſicut dictum eſt, procurauit, & hodie ſupplicat, vt ad laudem omnipotentis Dei, totius Regni conſolationem, augmẽtum Catholicæ fidei, inter Sanctos referatur.

10. Præter hæc omnia, quæ retuli, quod mirum in modum Reuerẽdiſſimos Collegas meos ædificauit, & in ſententiam, quam modò dicam, concorditer adduxit, fuit, quòd per centum & viginti tres annos ab obitu beati Didaci, durat tanta erga illum totius illius gentis deuotio, tam frequenter illius opem apud Deum implorant, tot vigiliæ, tot ſacrificia in eius cappellâ celebrantur, tot donaria illuſtriſſima ſoluendi voti causâ in eâ ponuntur: vt certè firmiter credendum ſit, non paſſurũ fuiſſe Deum Optimum Max. vt per tot annos, qui memoriam hominum excedunt, gens illa Hiſpana deuotiſſima, & de Chriſtianâ religione optime merita, Clerus, ac Prælati, inſigni pietate & doctrinâ prædití, ſic eſſent decepti, ac deluſi.

Hiſpanorum pietas in S. Didacum.

Pater Beatiſſime, ſanctitatem vitæ beati Patris Didaci, fidei puritatem & integritatem, egregias virtutes, præclara & inſignia miracula optimè probata inuenimus. Quare vnanimes in hanc ſententiam venimus, Sanctitatem Veſtram ad vlteriora procedere, atq; hunc beatum Virum, quæ ſua eſt feruens deuotio, in Sanctorum numerum referre meritò poſſe. Nos tamen omnia correctioni, & iudicio Sanctitatis Veſtræ, & Sanctæ huius Sedis ſubijcimus.

Non dubito Beatiſſime Pater, me in multis in hac narratione defeciſſe: ſupplebunt optimè Reuerendiſſimi Domini mei Collegæ. Mihi Sanctitas Veſtra ignoſcat, obſecro, ſi tantæ prouinciæ tam humeris meis impari, vt debui, atque deſideraui, ſatisfacere non potui.

POMPEII ARIGONII, CONSISTORIALIS, ET REGIS CATHOLICI ADVOCATI, ORATIO

DE VITA ET MIRACVLIS B. F. DIDACI.

Quâ Regis nomine B Didacus canonizari poſtulatur: habita Romæ in Conſiſtorio publico, die XXV. Iunij, anno M. D. LXXXVIII.

Sancti Viri regnorum theſauri.

CVM multis alijs in rebus PHILIPPVS Hiſpaniarum Rex, ſummam in ſe Dei beneficentiam agnoſcit; tum inter præcipuos Regni theſauros, diuino ſibi beneficio tributos, æſtimat, in ſuâ ditione viros egregios extitiſſe: qui cæleſtem in terris viuendi rationem ingreſſi, ſibi quidem ad cælum aditum aperuerunt, ceteros autem ſuâ apud Deum gratiâ, ſuoque patrocinio tuentur. Quamuis enim, qui humanas haſce curas exuunt, Deo prorſus addicti, non vnam gentem, aut alteram ſolùm diligant, ſed diuini inſtar numinis, cuius ſpiritu ducuntur, vniuerſum genus humanum ſuo amore, ac beneuolentiâ complectantur: tamen proximi cuiuſque maior eſt charitas, ac beatarum mentium benefaciendi voluntas ad omnes, beneficia ad vtentes pertinent: quos ex propinquis frequentiores eſſe, quàm ex alienis neceſſe eſt. Meritò igitur pius, vereque Catholicus, Hiſpaniarum Rex beato Didaco in ſuâ ditione orto præ ceteris gloriatur, cuius & in popularibus opem expertus eſt, & in filio primogenito iam à Medicis omnibus deſtituto, quemadmodum ſuo loco dicemus.

1. De huius ego vitæ ſanctitate, varijſque miraculis, tuo, Pater Sancte, Regiſque iuſſu hodie verba facturus, illud in primis oro, ne ex meâ tenuitate ſanctiſſimi Viri virtutes æſtimentur, neu mihi conatus, cui me imparem fateor, audaciæ tribuatur: ſed mea potiùs in re tam arduâ voluntas atque alacritas commendetur, imbecillitas, parendique neceſſitas excuſetur. Nam diuina mortali cuiquam aſſequi nefas. nec tamē, quia de diuinis dignè dicere nequeas, idcirco nihil omnino dicēdum; aut quia nulla illis

De quibus [illegible] oratio.

oratio ſufficiat, omnis omnino oratio deneganda. Igitur vitam eius & miranda, non omnia, ſed pauca de multis, quàm breuiſſimè, ſimul & veriſſimè dicam: nam ſingula recenſentem dies deficiet.

2. Et ex his, quæ dicentur, ſatis apertè liquebit, Beatum hunc virum in Sanctorum numerum referendum. Natus eſt B. Didacus in Prouinciâ Bæticâ, in oppido S. Nicolai ditionis Hiſpalenſis, honeſtis parentib. & Chriſtianis: quales fuiſſe par eſt, à quibus tantus futurus vir ad pietatem informaretur. Qui verò dies eius natalis fuerit, aut quo menſe, quoue anno in lucē editus, haud ſatis compertum habeo ex ijs, quæ vidimus literarũ monumentis. Sed quántum ex eiſdem coniecturâ aſſequi licet, natum eſſe credibile eſt, paulò antè quadringenteſimum ſuprà milleſimum annum à Chriſto. Nam cùm ad multam ſenectutem vixerit, & anno Iubilei milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo in Vrbem venerit, ac duodecim pòſt annis in cælũ migrauerit: neceſſe eſt natiuitatem eius incidiſſe in ea tempora, quę ſuprà memoraui. Cùm primæua autem ſapere cœpit, humana omnia diuino cultui poſthabuit. Itaque ne rerum terreſtrium curâ à cæleſtibus contemplandis auocaretur, continuò ſe ab ineunte adoleſcentiâ in ſolitudinem, hoc eſt, in libertatem vindicauit: atque eremum patriæ propinquam coluit, ſacerdote quodam ieiuniorum, vigiliarum, continentiæ, atque innocentiæ teſte ac ſocio. Ibi Dei diuinorumq; meditatione animũ, corpus eleemoſynis ſuſtentabat: dumque Deo corde aut ore gratias ageret, interim manus operi intentę haud quaquã otio langueſcebant: ſed varia è iunipero vaſcula, ſalina, cochlearia conficiebat, eaq; largiebatur ijs, qui victui neceſſaria ſuppeditabant: ſi quid autem prætereà dare vellent, id omnino recuſabat. Tantus in eius moribus elucebat virtutum omnium conſenſus, vt omnium in ſe oculos raperet, omnes excitaret in admirationem ſui. Radix autem virtutum omnium, & quaſi fundamẽtum humilitas, & ſui contemplatio, quæq; eam ſequitur, aliorũ hominum charitas, quo nullum aptius vinculum humanę ſocietatis. Nam qui ſeipſum deſpicit, alios ſuſpicit, is nunquam ſibi plus ſumet, quã ceteris: itaq; aut iuſtitiam adeptus iam eſt, aut iuſtitiæ valdè propinquus. Humilitas in eo tanta erat, vt omnes homines ſibi præferret, inſeruire omnibus cuperet, ſenes, iuuenes conſilio atque auxilio iuuaret: charitatem autem haud facilè cogitatione aſſequi, nedum eloqui quiſquam poſſit. Harum virtutum fama cùm vicinas vrbes impleſſet, repentè ab eremo diſceſſit, & ſe ad

Patria S. Didaci.

Quando natus incompertum.

Sanctus [illegible].

In ſolitudine egit adoleſcens cum ſocio Sacerdote pio.

Laborat manibus pro victu.

Humilitas in eo & ſui contemptus.

conuen-

conuentum de Arrizafâ Ordinis S. Franciſci à Cordubâ non longè diſtantem contulit, ſeque in illorum ordinem admitti poſtulat, quos vulgò Obſeruantes vocant: inde ad Monaſterium Complutenſe eiuſdem ordinis, quod eſt ad ædem ſanctę Mariæ Ieſu, prefectorum iuſſis obtemperans ſe transfert. Hic latior humilitatis campus, vberiorq́; materia virtutum omnium, nemo conſtantiùs atque hilariùs Religionis illius iugũ tulit. nemo exactiùs omnia illius regulæ præſcripta ſeruauit, nemo acriùs carnis ſtimulos retudit, nemo eam ieiunijs ac vigilijs, flagelliſque fortiùs macerauit: vtq́ue ingenitos impetus reprimeret, gelidam interdũ hiemali tempore aquam ingredi non dubitauit. Tam rigidâ vtebatur caſtigatione corporis, à capite ad talos vſque ſeſe flagellis lacerans, vt nemo humanâ illã virtute ferri poſſe putaret. Fortunatas aliquando Inſulas petijt, quas Canarias appellant: ibi innumerabiles Canarienſes ad Chriſtianam Religionem, verumq́; Dei cultum traduxit. In his Ioannem Alphonſum quendam, qui eò infidelis atque Idolorum cultor è magnâ Canariâ venerat: is deinde duos filios B. Didaco inſtruendos, & verâ pietate imbuendos tradidit. In magnam inde Canariam profectus, vt incolas ad veram Religionem traheret, magnas ibi Chriſtianæ Religionis propagandę causâ perſecutiones pertulit: magno enim ſtudio martyrij ſubeundi tenebatur, niſi illum comites à propoſito auertiſſent, qui vereri ſe dicerent, ne captiui à Canarienſibus detinerentur; horum charitas B. Didacũ ab eo conſilio retraxit. Quodq́; admirationem auget, hæc omnia peragebat nullá excultus doctrinâ, nullis litterarum ſtudijs eruditus; erat enim illiteratus: quã ob cauſam nullis vnquam ſacris Ordinib. initiatus eſt, ſed, vt vocant, laicus per omnẽ ætatem manſit. Quin etiam Conchenſi cuidam amico bonarũ artium peritiſſimo, alijſque non paucis quæſtiones difficillimas de rebus nõ ſolùm ad ſalutem animæ, ſed etiam ad litterarum ſtudia ſpectantibus enodabat: quarum illi ſolutionem neque Salamanticę, neque Lutetiæ, neque alijs in Academijs, in quibus antea ſtudijs operã dederant, inuenire potuerant. Cùm autem omnes omnium conſenſu virtutibus omnibus anteiret, præcipuè in eo pauperũ charitas enitebat. his omnia largiebatur: quidquid vndique ab amicis, à contubernalibus, à notis, ab ignotis accipere poterat, id omne in vſus pauperũ erogabat. cumq́; quid illis daret, nõ habebat, vnà cum illis eorum miſeriam deplorabat, multiſq́; lachrymis animi ſui dolorem teſtabatur. Mendicorum vlcera ſuis manibus abſtergebat. Romam venit, vt antè

Minorida fit.

Aſperam rigidamq́ue vitam duxit.

A capite ad pedes ſe flagris cecidit.

In Canarijs inſulis mirè fructificauit.

Doctus diuinitus, non ab hominibus.

Difficillimas quæſtiones enodauit.

Charitas eius ad pauperes.

dictum eſt, anno Iubilei; diuertitque in Monaſterium ſancti Franciſci, quod eſt ad ædem ſanctæ Mariæ, quæ dicitur Aracæli. ingens ibi ægrotorum & languentium numerus; magna inſuper annonæ charitas & penuria rerum omnium Vrbem inuaſerat. Didacus ægrotorum curâ ſuſceptâ, tantâ illis charitate, ac diligentiâ miniſtrabat, tantaque affluentiâ rerum omnium, vt omnes, in primiſque Monaſterij pręfectus, mirarentur, vnde illi in tantis aliorum anguſtijs, tanta rerũ copia ſuppeteret: omneſque opem illam beati Didaci apud Deum gratię acceptam ferebant: omnes Didacum vt virum ſanctum, Deoque gratiſſimum mirabantur.

In annona charitate ſuis abundè prouidet.

3. Complutum tandem rediit, nam ſingulas eius actiones perſequi nimis longum, & propè infinitum eſſet: ibique deinde ad duodecim, aut tredecim annos vixit tantâ cum humilitate, atque in Superiores obedientiâ, tantâ pręceptorum obſeruantiâ, tantâ vitæ auſteritate, tanto exemplo, vt ab omnibus exiſtimatus fuerit obſeruatione mandatorum Dei ceteris omnibus, qui vlli vnquam Religioni ſe addixerint, pręſtitiſſe. In morbum incidit, qui & illi mortalis huius vitę finem attulit, atque ad æternam illam ac perennẽ aditum patefecit. Eius morbi moleſtias tantâ conſtantiâ tulit, vt nullum vnquam doloris indicium dederit. Suauiter aſtantes alloqui, ſolari, veniam offenſionum petere non deſtitit, donec vtroque brachio ſublato, quorum alterũ magnâ vi morbi, quod apoſtema dicitur, immobile fuerat, Crucem amplexus, atque exoſculatus in illa Hymni verba; DVLCE LIGNVM, DVLCES CLAVOS, & quæ ſequuntur; animam Deo reddidit anno poſt Chriſtum natũ milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio. Mortuo Didaco neque artus obriguerũt, & multis menſibus flexibiles manſerunt, vt viuis ſolent. Odoris etiã ſuauiſſimi fragrantia cubiculum oppleuit. Hodieq; is odor à nonnullis plerumq; ſentitur; quamquam ſine vllis illum odoribus aut aromatibus ſepultum fuiſſe conſtat: atque ad eius mortui famam ingẽs populorum concurſus eſt factus. Scio ego, Pater Beatiſſime, de reb. mirabilibus dicenti plerumque faciles eſſe audientium aures, & alioquin à tædio narrationis defendit officij neceſſitas: verũtamen haud quaquam conceſsâ mihi facultate, nec audientiũ benignitate intemperantiùs abutar, ſed ex ingenti miraculorum copiâ, quibus diuinus ille vir in vitâ claruit, vnum aut alterum breuiter attingam; itemque nonnulla de ceteris, quæ poſt mortem euenere. Quid autem mirabilius referam, quàm quod è Monaſterio quodam, quod Hiſpani Cerraja nominant?

Mira eius obſeruantia.

Mortuus ∞.CCCC.LXIII.

Membra eius non obriguerũt, ſed gratanter olent.

Puerum à furno ardente liberat.

4. Hiſpalim profectus, mulieri cuidam filiolum in furno latitantem, ibique ſopore correptum, accenſo dein furno atque vndique conflagrante, illęſum à flammâ ſeruauit. Erat miſeræ cuidam mulierculæ ſeptennis filius, aut paulò maior, qui ſæpiùs eius iram metuens aufugere ſolebat. Is cũ die quodam aufugiſſet, non ante diem Dominicum domũ rediјt: tum veritus ne à matre vapularet, in furno ſeſe abdidit: nam mater pane coquendo ſeq; & puerulum, & reliquam familiam ſuſtentabat. Ibi puerũ iacere mater ignorans, furnum veſperi lignis opplet, vt ſummo manè poſtridie incenderet, ac ferueſaceret. Tum ſedula mulier, antequã luceſceret, ignem lignis admouet, atque arida ſarmenta tanto impetu flammam corripiunt, vt ſimul & puer excitus clamare inciperet, & repentè furnus flammis conflagraret. Quid in tam acerbo filij caſu mater faceret? quod illi auxilium ferretur? omni humanâ ope deſtituta, ſciſsâ comâ, gemitu atque vlulatibus domum ac viciniam omnem complet. res ad beati Didaci aures peruenit: ille obuiam factus mulierem ſolatur, ac bono animo eſſe iubet; hortatur, vt ad ędem maiorem Beatæ Virginis accedat, eiq; ſe toto ex animo commendet. Non ſecus atq; oraculo monita, relicto furno, ac filio, ad maiorem Dei genitricis ædem aduolat. Quid verbis opus eſt? continuò B. Didacus, quique illi comes aderat, qui & huius rei teſtimonium perhibuit, in furno illæſum puerum, combuſtis lignis inuenerunt, adductumque ad ædem, vbi mater orabat, Canonici albis veſtibus in honorem beatæ Virginis induerũt. Hoc ille miraculo cùm Hiſpalenſes omnes obſtupefeciſſet, incredibile dictu eſt, quã ipſe ſibi ſolus humilior atque abiectior videretur.

5. Ex eodem Monaſterio cùm aliquando eodem comite ad oppidum Sanlucar de Barramedâ, abſque vllo commeatu profectus eſſet, ipſeq; & comes longo itinere defeſſi in vicum quendam, quem Palacios vulgò dictitant, diuertiſſent, vt inde ſibi ad victũ neceſſaria corrogarent, neque ibi quidquam opis inueniſſent, quo famem ſedarent, longumque adhuc iter ſupereſſet, comitem hortatus vt in Deo ſpem haberet, alacriter viæ reliquum obibat, varias Deo laudes concinens. Cumq; in planitiem quãdam amplam perueniſſent, animaduertunt in viâ prope herbam, quæ Mareſma dicitur, mantile quoddam linteum eximio candore, in eoque panem candidum ac duos piſces recèns coctos, & malum medicum, & inſuper vini vaſculum. Id illi quamquam diuinitus oblatum rati, nõ confeſtim arripuerunt: ſed vndequaque circũſpectantes, an quempiam

In deſerto ſicut verus Iſraelita à Deo cibatus fuit.

viderent, cuius illa cibaria eſſe poſſent: erat autem planities maxima, vt non minùs decem millibus paſſuum conſpici vndequaque poſſet, vbi neminem viderunt. Paratis ſibi dapibus refecti, Deo gratias egerunt, quodque ſuperfuit ibidem reliquerunt. Ac B. Didacus comiti gratulatus, quòd ſibi Deus neceſſaria ſuppeditaſſet, non ſecus atque filijs Iſrael in deſerto, tantus in eo fidei candor, & quædam, vt ita dixerim, ſimplicitas inerat, vt nihil ſuprà.

Multorum morbos ſanat.

6. Itaque varias ægrotantium ac languentium ſpecies ad ſanctitatis eius famam vndique confluentium digito lampadis oleo inuncto, ac ſigno Crucis facto ſanabat. Hæc aliaque innumerabilia ille miracula viuens edidit. Sed & aliquid referamus ex ijs, quæ ſummâ omnium admiratione mortē eius conſecuta ſunt, ac potiùs quotidie conſequuntur.

Surda, muta, paralytica curata.

7. Catharina Martinez, Antonij filia, ex oppido de Duron oriunda, quæ cùm muta, ſurdaque eſſet, ac ſemper paralyſi laboraſſet, ad corpus B. Didaci delata, ac ſigno Crucis eius manu ſignata, repentè conualuit: nec tantùm ſuis pedibus inceſſit, ſed etiam Vicario præeunte hæc verba protulit: Laus Chriſto Ieſu. ſemperque deinceps abſque vllo impedimento locuta eſt.

Iuuenis à dæmone liberatus.

8. Iuuenis alius xx. annorum, cùm ſpiritu quodam immundo detineretur, ita vt ſæpiùs quotidie in terram decidens, ad puteos rapi ſe diceret, adductus ad Sacellum, in quo beati Didaci corpus aſſeruatur, ibiq; dies aliquot moratus ſanitatem priſtinam recuperauit.

Lacinia veſtis eius & ſepulchri puluere parturiens adiuta.

9 Maria Garcia, cuius nurui Catharinę nomine certa ex partu pernicies aderat, propterea quòd infans in vtero tranſuerſus vnum tantum pedem extulerat, in tanto puerperæ diſcrimine beati Didaci meminit, allatumque veſtis fragmentum, quâ beatus ille vir amictus fuerat, & paulum terrę, quâ corpus eius tegebatur, nurui ſuperimpoſuit: ita, quæ diem totum in tanto periculo mãſerat, continuò partum edidit, mortuum quidem, ſed ipſa mortis periculo liberata. Tum ſocrus ex tanto miraculo etiam partui vitam reſtitui præ fidei feruore à Deo petere auſa, vouens, ſi id impetraſſet, in ſacello beati Didaci ſe nouem dieb. euigilaturam, voti compos facta, infantem, quæ per quatuor horas mortua fuerat, cùm reuixiſſet, in ſacro Baptiſmatis lauacro Mariam de ſuo nomine dici voluit.

Ex voto fœtus mortuus redditus vitæ.

Puella mortua ad corpus S. Didaci reuixit.

10. Aluarus de Gaa, Luſitanus, ancillæ ſuæ miſericordiâ motus, quæ filiam paucis antè horis mortuam miſerabilem in modum lugebat, eam hortatur, vt puellam ad corpus B. Didaci deferret, atque à Deo peteret, vt ob eius merita vitam filiæ reſtitueret. Ancilla cùm domini

monitis paruiſſet, quam puellam exanimem domo extulerat, eam viuentem ac validam domum reduxit.

Multis ærumnis & morbis miſera, recreata.

11. Quamuis autem mortuos in vitam reuocare inter præcipua Dei miracula cenſeatur, haud ſcio, an maius etiam cēſendum ſit, quod virgini cuidam Hiſpanæ, cui Maria de Pinilla nomen erat, nō vnam tantùm, vt alijs, ſed multiplicem vitam reddidit: tot illa morbis grauiſſimis laborabat, tam intolerandis febribus vexabatur, tam acribus atque aſſiduis capitis doloribus torquebatur, vt, ſi ita dici fas eſt, multas quotidie mortes experiretur. Ad hęc humero, crure, tibiâ debilitata multarum corporis partium vſum amiſerat. Tot modis afflictam virginem cupido inceſſit, quando nullâ iam humanâ ope ſanari ſe poſſe ſperabat, ad beati Didaci corpus adeundi, ab eóque auxilium implorandi. Ita vti petierat eò delata, quid memorem quæ puella miranda viderit atque audierit? Ea nec referre neceſſe habeo, & certis extant grauiſſimorum hominum teſtata monumētis. Inſummâ; quæ per vndecim menſes varijs cruciatibus exagitata fuerat, vbi ad Beatum hunc virum acceſſit, & morbum toto corpore depelli, & ſuum membris omnibus vigorem reſtitui ſenſit, ac ſuis pedibus deinceps inceſſit, Deum laudans, ingenteſq; beato Didaco gratias agens, cuius precibus ac meritis à Deo ſalutem impetraſſet. atque hoc noſtrâ memoriâ factum eſt anno humanæ ſalutis milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo quinto.

Huic miraculo recentius aliud ſubijciam, quod plerique meminiſtis: factum eſt enim anno milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo ſecundo.

Carolus Hiſpaniarum Princeps, allato ſacro corpore, à valetudine deſperatâ reualuit.

12. Sereniſſimus Hiſpaniarum Princeps Carolus olim adoleſcens, Compluti, cùm in Regiâ luderet, è ſcalis quibuſdam ſupinus cecidit, ac tam grauiter offendit, vt ingens in capite vulnus acciperet: cùm & letale vulnus omnibus videretur, & de ſalute tanti Principis ageretur, exiſtimandum eſt humaniſſimum Regem, ac liberorum amantiſſimum nihil intentatum reliquiſſe, quod filio primogenito in tanto diſcrimine adiumēto eſſe poſſet. Medicos vndique accerſit, remedia quæcunque adhiberi poſſunt humanitus, adhibentur: omnia tamen vulneri cedunt. Itaque deſperatâ filij ſalute Rex ſeceſſit; ſepulturæ locus deſtinatur; panni lugubres, funeralia, exequiæ tanto Principe dignę magnâ cum curâ parantur. Poſtremò tamen, aſtantium quorundam animus ad B. Didacum ſe conuertit; poſtulatúmque eſt, vt eius corpus in cubiculum Principis deferretur, & propè eum locaretur. Poſtquam id factum eſt, paucarum

carum horarum ſpatio Princeps meliuſculè ſe habere, ac potiùs reuiuiſcere cœpit: vt omnibus liquidò conſtaret, vitam ei non humanitus, ſed beati Didaci merito diuinitus reſtitutam.

Poſtulatur inter Diuos referri.

13. Igitur Beatiſſime Pater, qui ab ineunte ætate ſeſe ab humanis curis omnibus abdicauit, qui vitam ſuam omnem Deo dicauit, qui cæleſtem in terris viuendi rationem coluit, qui charitate in homines, in Deum pietate ceteris omnibus præſtitit, qui diuinas leges omnes adimpleuit, qui ſuſceptæ Religionis iugum nō exactè ſolum, verùm etiam iucundè tulit, qui præſcripta eius omnia ac mandata ſeruauit, cuius vitæ ſanctitatē & ex actionibus eius nouimus, & ex innumeris miraculis comprobari quotidie videmus, ex quibus ego tametſi nonnulla recenſui, vix tamen eorum milleſimam partem attigi: quem Deus acceptiſſimum ſibi æternâ beatitudine perfrui non obſcuris indicijs, ſed ſignis certiſſimis clariſſimiſque monſtrauit; quem à ſanctiſſimis Patribus maioribus tuis Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Pontificibus Maximis, Hiſpaniarum Rex, ac potiùs Hiſpania tota petijt in Sanctorum numerum referri; quem referendum Sacri Palatij cauſarum Auditores cauſâ ab eiſdem Pontificibus delegatâ, viri ſapientiſſimi ac diuini, humaniq́ue iuris periſſimi cenſuerunt; quem etiam ex hoc ſupremo Chriſtiani orbis Concilio delecti Patres eâdem cauſâ diu multumq́ue cognitâ ijſdem honorib. dignum iudicarunt: eundem idem Philippus Hiſpaniarum Rex non minùs re, quàm cognomento Catholicus, B. Didaci, tuæq́ue gloriæ ſtudioſiſſimus, enixè rogat, vt Sanctorum numero tandem adſcribi declares, vt quorum in cælo conſuetudine fruitur, eorundem numero adſcriptum in terris Eccleſia debitis honoribus ac laudibus proſequatur. Hoc ſi ab vllo ei Pontifice debebatur, abs te Pater ſancte præcipuè debetur, qui & eandem regulam coluiſti, & eius vitæ imitatione ad iſtud humanarum rerum faſtigium aſcendiſti. Hoc abs te ſuo quodammodo iure poſtulant pij viri omnes, qui eiuſdem Regulæ contubernio vtuntur, ne huiuſmodi quaſi ſtellarum lumini, quæ è ſanctâ iſtâ domo emicant, ignoratione hominum, ac tenebris officiatur. Hoc abs te Toletana Eccleſia, hoc Complutenſis petit Vniuerſitas, quæ tali Alumno meritò gloriantur: hoc denique Hiſpani omnes optimū ac ſapientiſſimum Regem ſecuti ſummis precibus obteſtantur; tibiq́ue atq; huic Sanctæ ſedi perpetuam beneficij memoriam & gratitudinem pollicentur.

F I N I S.

ANTONII BVCCAPADVLII, SECRETARII APOSTOLICI, S. D. N. SIXTI QVINTI, NOMINE, RESPONSIO.

DIVTVRNAM Philippi Regis Catholici poſtulationem de B. Didaco, viro & vitæ ſanctitate, & miraculorum copiâ, & magnitudine clariſſimo, in Sanctorum catalogum aſcribendo, digniſſimam iudicat Sanctiſſimus Dominus noſter perpetuâ Regis ipſius pietate & gloriâ. Qui enim curam, cogitationemque omnem habet locatam & fixam in Catholicâ religione tuendâ & propagandâ, qui & ſemper anteà, & hoc maximè tempore ſummis opibus contendit, vt deletâ hæreticorum perfidiâ, fides Catholica in veterem dignitatem, atque amplitudinem vindicetur; cuius omnia, tum belli, tũ pacis ſtudia ad Dei gloriam referuntur, inq; eâ conſumuntur: hunc cenſet Sanctiſſimus Dominus noſter conuenire, de augendâ etiam quodammodo cæleſtium gloriâ cogitare & poſtulare, ſi ita videatur Romano Pontifici; cuius ea poteſtas, atque actio propria eſt; vt ei Viro, cui nihil fuiſſet in hac vitâ Deo charius, quiq; ipſe Deo chariſſimus fuiſſet, is honos tribuatur, qui poſſit maximus adhiberi, vt Pontificis ſc. ipſius decreto declaretur, Sãctus eſſe ex eorum numero, quos Eccleſia quotidianis honoribus veneratur. Et beati quidẽ illius vita, ac miracula aliquot de multis nũc ſũt diſerta, & graui oratione expoſita. Agit autẽ Sanctiſſimus Dñs noſter Deo gratias immortales, quòd tantâ cũ ſui nominis gloriâ, cũ Eccleſiæ lætitiâ, cum piorum fructu, cumulet ſeruos ſuos ſummis virtutibus, velitq; illos ſummâ apud omnes in veneratione, atq; admiratione eſſe. Laudatur Deus in Sãctis ſuis, ac mirabilis prædicatur: proponitur auxiliũ ad implorandum, exemplũ ad imitandũ, ſegnities noſtra ad accuſandũ; dum agnoſcimus tanto nos illis inferiores eſſe, tamq; longè ab illorũ perfectione abeſſe. (Bernard in vigil. SS. Petri, & Pauli.) Sed facit rei magnitudo, vt cẽſeat Sanctiſſimus D. N. de Regis poſtulatione eſſe etiam atq; etiam cogitãdum, cumq; ſuis fratrib. deliberandũ. Hortatur igitur eos, monetq; vt de actis B. Didaci, quę confecta ſunt, quã diligentiſſimè cõſiderent: quodq; ipſe iam pridẽ facit, Deũ orent, è cuius vultu debẽt hominis iudicia prodire; vt oſtendat quid facto maximè opus ſit, actionemq; hanc omniũ grauiſſimã totã dirigat ad ſuam gloriam, ſanctæq; Eccleſiæ ſuæ fructum, atque amplitudinem.

S. D. N. D. SIXTI PAPAE QVINTI

DECRETALES LITERÆ

quibus

SANCTVS DIDACVS DE S. NICOLAO PROVINCIÆ BEATICÆ, HISPANVS, ORDINEM

Minorum S. FRANCISCI expreſsè profeſſus, in ſanctorum Confeſſorum numerum & catalogum adſcribitur; ac inſuper decernitur, vt ab vniuerſali Eccleſiâ vti Sanctus colatur; illiuſque feſtum anno quolibet, die xij. Nouembris, & Officium ſicuti pro vno Confeſſore tantùm, ad formam in Rubricis Romani Breuiarij præſcriptam deuotè celebretur, cum Indulgentiarum elargitione.

SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§. Rex Regum ante omnia ſæcula Chriſtus Dominus; qui propter perditi ſalutem hominis, formâ ſerui acceptâ, in plenitudine temporis factus eſt homo; Eccleſiam ſuam vnicè dilectam, ſuoque pretioſo ſanguine acquiſitam, ſupra Beatiſſimum Apoſtolorum Principem Petrum, cui petræ firmitatem dedit, in ſe ipſo ſummo angulari lapide, à Chriſtianæ fidei primordijs ædificauit, & vſque ad ſęculi conſummationem per omnes temporum ætates mirabiliter ſemper ædificat. Diuinum verò admirabilis huius ædificationis artificium, nec inflata mundi ſapientia capit, nec terrena, & carnalis prudentia, vllo modo aſſequitur, Diaboli

Eccleſiam ſuam Deus mirabiliter ædificat.

autem aſtutia, & ſuperbia contremiſcit. Nimirum, quemadmodum ex pauperibus, & contemtis plerumque hominibus, humili & obſcuro loco natis, nullis artibus, nullâ eloquentiâ inſtructis, nullo deniq; humanæ potentiæ præſidio communitis, tanquam ex abiectis & reprobatis lapidibus, tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornata, tam fortis, tam ſtabilis, in tãtam demum conſurgat altitudinem, vt ipſę inferorum portæ eius robur, ac firmamentũ perhorreſcant. Sed viæ Dei nõ ſunt vię hominum, nec cogitationes eius ſicut cogitationes eorum. Itaque *non multi ſapientes ſecundum carnem, nõ multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ nõ ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret,*

Velut ex lapidibus reprobatis.

1.Cor.1.26

vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Sic omnipotens, Deus per ſcandalum Crucis, & per ſtultitiam prędicationis ſaluos fecit credentes; ſic ab ipſis naſcentis Eccleſiæ initijs per ſapientem Apoſtolorum infantiam, & per fortiſſimã Martyrum infirmitatem, Græcorum ſapientiam infatuauit, & gentium potentiam deiecit, atque proſtrauit: ſic denique per ſuccedentes ætates brachio fortitudinis ſuæ depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles Sanctos ſuos. Hinc ſuperiori ſæculo, & patrum noſtrorum memoriæ valdè propinquo, ex humili familiâ Fratrum Minorum ſancti Patris noſtri Franciſci, humilem beatum Dida- *Qualis videatur B. Didacus, rudis vt Apoſtoli.* cum, in Hiſpaniâ natum, non doctrinâ præcellentem; ſed quales primi illi noſtri Magiſtri, & Principes fuerunt, ſine literis humano ſtudio comparatis, ſed idiotam, & in Sanctâ Religionis profeſſione laicum, delegit: in quo oſtéderet abundantes diuitias gratiæ ſuæ; cuius admirabili vitæ ſanctitate, & exemplo multos ad viam ſalutis perduceret, & ſeneſcétem, ac penè decrepitum mundum magis magiſque coargueret:
Ind. 25. *quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Itaque pater miſericordiarum Deus, qui facit mirabilia magna ſolus, hunc ſeruum ſuum paruulũ, & demiſſum, cœleſtib. donis ſuis adeò ornauit, tantoque Spiritus ſancti igne incendit, manumque ſuam ad ſanitates, & ſigna, & prodigia, beati Didaci meritis, cùm in eius vitâ, tum poſt mortem efficienda, tam mirificè extendit, vt is non ſolùm apud ſuos in florentiſſimis Hiſpaniæ Regnis notus, & clarus eſſet, ſed apud exteros etiam eius nomen magnâ cum gloriâ peruulgaretur. Iuſtus enim & miſericors Dominus ſeruos ſuos fideles, quos ante Mundi conſtitutionem elegit, & prædeſtinauit ad vitam, non ſolùm in cælo ſemper coronat, ſed ſæpè etiam in Terrâ, vbi fortiter, & legitimè certauerunt, multo gloriæ ſplendore cumulat, atque illuſtrat. Nimirum, vt præclaras illas ſuas promiſſiones perſoluat; *Dabo vos* (inquit) *nominatos, & in gloriam, & in laudem in* Sophon. vlt. 20. *Cur Deus ſuos Sanctos honoret in terrâ.* *cunctis Populis terræ*; vt ſe ipſe in Sanctis ſuis mirabilem demonſtret, & potentiam ſuam ſignis & virtutibus declaret: vt propoſitis Sanctorum glorioſis laboribus, & meritis, qui homines fuerunt nobis ſimiles, circumdati infirmitate, ſegnitiem, & tarditatem noſtram in viâ virtutis excitet, & frigeſcétem charitatem accendat; vt hæreticorum prauitatem coërceat, peruerſitatem confundat, dum ad ſacras eorum Reliquias, diuinâ virtute, ægroti curantur, Dæmones pelluntur; vt mortuos, qui in Domino ſunt

mortui,

mortui, beatos eſſe, & multo feliciùs viuere omnes intelligant. Poſtremò, vt amici Dei multo maximè honorentur, & qui Sancti ſunt apud Deum, Sancti etiam ab hominibus habeantur; ad quorum nos opem confugientes, eoſque piè inuocantes, eorum ſuffragijs adiuti cœleſtem miſericordiam faciliùs impetremus. Meritò igitur B. Didacum laudamus, quem Deus multis, & illuſtrib. oſtendit miraculis prædicandum; de cuius beati viri vitâ, & rebus geſtis, puriſſimæ fidei integritate, morum excellenti ſanctitate, ſignorum admirabilitate pauca quædam libenter pro noſtro Paſtorali officio Populo Dei proponimus, vt laudetur Deus in Sancto ſuo, & fidelium deuotio tanquam ſalutari quodam & periucundo cibo nutriatur, omneſque Deo gratias agant, publico noſtro, & huius Sanctæ Apoſtolicæ Sedis teſtimonio, quę à Spiritu ſancto gubernatur & regitur, beati Didaci ſanctitatem optimo iure declaratam eſſe & promulgatam.

Patria ſancti Didaci, & vita.

2. Natus eſt B. Didacus in Hiſpaniâ, in Prouinciâ Bæticâ, & in oppido, cui nomen eſt S. Nicolaus de Portu, quod eſt in diœceſi Hiſpalenſi. Et is quidem, vt fœcundus ager cœleſtis gratiæ imbre irrigatus, vberes fructus citò protulit. Nam adoleſcens ex medio Babylonis fugiens, hoc eſt ex laqueis & periculis ſæculi, pœnitentis habitu indutus, in propinquam ſolitariam eccleſiam vnà cum pio quodam ſacerdote ſpiritalis vitæ duce, & ſocio receſſit, vbi nouus Chriſti miles in huius fallacis mundi contemtione, & omnium humanarum rerum deſpicientiâ, in cœleſtium contemplatione, in corpore edomando, & ſpiritui ſubijciendo, ſe aſſiduè exercens, magnâ cum ſuorum oppidanorum ædificatione præclarum tyrocicium poſuit. Poſt aliquot verò annos, vt ſe arctioribus vinculis Chriſto adſtringeret, & à mundi tempeſtatibus, quàm longiſſimè diſcederet, ſub ſuaui obedientiæ iugo Deo ſecuriùs, & fructuoſiùs ſeruiret, in portum Seraphicæ ſancti Franciſci Religionis confugit, eamque prope Cordubam in Conuentu de Arrizafa, vt vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Obſeruantiâ nominantur, incolunt, verbis expreſſis eſt profeſſus. Hic iam Athleta Chriſti ampliſſimum virtutum ſtadium ingreſſus, tanquam obliuiſcens, quæ retro erant, & ad ea quæ ſunt priora ſe extendens; cœpit omni contentione corporis & ſpiritus perſequi (diuinâ gratiâ ſuffragante) brauium ſupernæ vocationis. Summâ curâ & diligentiâ in Regulæ obſeruatione verſabatur, quam in omni vitâ ſanctè adeò inuiolateque ſeruauit, vt ipſe in cũctis Religioſis functionibus

Vita in adoleſcentiâ ſolitaria.

Inſtituto ſe addixit de Obſeruantiâ.

nibus & officijs, viuens quædam, & expreſſa regula eſſe videretur. In primis verò, quia ſapientiſſimus Architectus Spiritus ſanctus, ſublime regularis perfectionis ædificiũ in eo extruebat, altiſſimum humilitatis fundamentum iecit, & vt prudens ille ædificator in Euangelio laudatus, fodit in altum, & ædificauit domũ ſuper petram: nihil ſibi tribuens, nulli ſe anteponens: quò plura à Deo accipiebat, eò demiſſiùs ſe gerens. Itaque nullæ tentationum procellæ, nulli ſuperbiæ, & inanis gloriæ venti, nullæ Diaboli machinationes domum illam tam egregiè fundatam mouere, aut labefactare potuerunt. Superiorum & Pręlatorum mandata & iuſſa, tantâ obedientiâ, tantáque alacritate exequebatur, ac ſi Deum in eis loquentem audiuiſſet. Sanctam paupertatem Domini ſui ſponſam chariſſimam, quam diligentiſſimè cuſtodiebat, omnia arbitratus vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret. Cumq; Satanę aſtutias non ignoraret, ſed optimè intelligeret infenſiſſimum humani generis aduerſarium, tanquam Leonem rabidum, & rugientem dies noctéſque circuire, vt Chriſti ouiculas dilaceret, ac deuoret; nunquam otio, aut torpori ſe dabat, ſed ſtabat ſuccinctus lumbos ſuos in veritate, indutus loricam iuſtitiæ, galeâ ſalutis aſſumta, & ſcuto fidei arrepto, in quo omnia poſſet ignita nequiſſimi hoſtis tela extinguere.

Humilitas illi fundamentum virtutum.

Corpus igitur & carnem ſuam illecebram peccati, labore ieiunijs ferè continuis & flagellis caſtigabat, & in ſeruitutem redigebat: præcipuè verò ad excelſam illã Arcem cõfugiebat, quâ nulla fortior, nulla munitior, hoc eſt ad ſanctæ Orationis præſidium, cuius alis in cœlum frequenter ſublatus, terrenorum oblitus, ſuauiſſimo Dei colloquio fruebatur. In eâ igitur ſcholâ diuinitus eruditus vir, alioqui planè rudis, & literarum minimè ſciens, admirandum in modum de rebus diuinis loquebatur, ſenſuſq; mirificos proferebat; ita vt viri eruditiſſimi, qui in ſacræ Theologiæ ſtudijs ætatem contriuerant, ſummopere obſtupeſcerent: illudque memoriæ traditum eſt, & graui teſtimonio comprobatum, doctos & pios viros cùm abſtruſas & perdifficiles quæſtiones ad res diuinas, animarumque ſalutem pertinentes cum eo familiariter communicarent, id ab homine litterarum experte cumulatè didiciſſe, quod in celeberrimis Academijs à magnis Doctoribus addiſcere nequiuerãt. Ille præterea Orationis fructus erat vberrimus, quòd iam in benedictionibus dulcedinis præuentus, & calicẽ illum præclarum, qui cor inebriat delibans, ardentis charitatis igne erga Deum & proximos toto pectore æſtuabat: quare bonorum

Corpus ſuum caſtigãs in ſeruitutem redegit.

Oratione & iugi cõtemplatione doctiſſimus euaſit.

D. Virg. aduocatā generis humani ſedulò coluit.

rum omnium auctorem Deum, & Beatiſſimā Dei Genitricem ſemper Virginem humani generis Aduocatam, quam ſummâ deuotione ſemper coluit, non pro ſe ſolo, ſed pro omnibus hominibus, & præſertim pro peccatorum emendatione continenter, vehementiſſimeque orabat; pauperes verò Ieſu Chriſti tanto affectu diligebat, tantaque erga eos miſericordiâ commouebatur, vt omni ſtudio (quantùm ei licebat) eorum inopiam, & calamitates ſubleuare ſeduló procuraret: quod ſi interdum præſtare non poſſet, vim lachrymarum profundebat, eoſque verbis amantiſſimis conſolabatur. Ægrotos fratres omnibus charitatis officijs proſequebatur, aſſidere ad lectum, cibum miniſtrare, vigilare totas noctes, perferre omnes moleſtias, tantâ patiētiâ, tantâ humilitate, vt quorundam purulentas plagas non ſolùm medicamētis curare, ſed linguâ quoque eas lambere & abſtergere non abhorreret: quo in genere eximia ſerui Dei charitas Romę aliquando in Cœnobio Fratrum ſuorū, quod eſt ad Aram cœli, inſigniter eluxit. Nam anno quinquageſimo ſuperioris ſæculi, cum piæ mem. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter Sacrum Iubilæum de more celebraret, Romam venit beatus Didacus, vt ſalutarem Indulgentiam conſequeretur, & beatorum Apoſtolorū ſepulchra,

Pauperibus & ægris obſequioſus.

Plagas purulentas lambebat.

Romam venit anno Iubilæi Indulgentias conſecuturus.

cæterorumq; Sanctorum Martyrum illuſtres memorias religiosè veneraretur: magna erat annonæ inopia, grauibus & periculoſis morbis Vrbs laborabat, cùm beatus Didacus ægrotis curandis, quorum ingens erat numerus, à Guardiano, ſeu Cœnobij Pręfecto, qui iam eius ſanctitatem deguſtauerat, eſt prępoſitus; cuius officij munus, tam fideliter, feliciterque adminiſtrauit, vt in publicis anguſtijs omnia apud pauperes Chriſti abundarent, omneſque in ſeruo Dei, & copioſum charitatis ſpiritum, & ſingularem illius apud Deum gratiā agnoſcerēt. Nec ſanè mirandum eſt, virum Dei membris Chriſti Fratribus ſuis, in quibus Chriſtus ipſe ægrotabat, tanto charitatis ſtudio inſeruiſſe, tam impigrè miniſtraſſe, qui eò iam perfectionis progreſſus erat, vt charitatem illam, quâ nemo maiorem habet, ſponſo animæ ſuæ præſtare, & perſoluere concupiſceret, & pro Chriſti nomine, & confeſſione vitam & ſanguinem profundere deſideraret. Ea nimirum eſt perfecti amoris vis & natura, vt non facilè conquieſcat, ſed maiora ſemper & maxima appetat, & moliatur, ſemperque actuoſus & operoſus ſit. Itaq; cùm aliquando ad inſulas Canarias miſſus eſſet, vt Guardiani officio in illo Fratrum Minorum Conuentu fungeretur, ſeruus Chriſti, cui viuere Chriſtus erat & mori

Vis in eo perfecti amoris.

Ad Canarias inſulas deſtinatur.

lucrum, cœpit Martyrij deſiderio vehementer flagrare. Erat in eo non ſolùm columbæ ſimplicitas, ſed & ſerpentis prudentia; quare multâ cum vigilantiâ, & regularis diſciplinæ obſeruantiâ vir Dei in ſuâ cuſtodiâ excubabat, in omni ſanctitate & iuſtitiâ, forma factus puſilli gregis ſui, & fidelium Inſulanorum, quibus bonus odor Chriſti erat ad vitam, ita vt frequẽtes eum adirent, ex eiuſque ſpiritalibus colloquijs miram caperent conſolationem & voluptatem. Magnam verò exercendæ charitatis ſegetem in Inſulis illis nactus, ſimulque conſequendi Martyrij ſpe incitatus, multos ex Canarienſibus infideles, & impuris adhuc Idolorum ſuperſtitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Chriſti fidem perduxit: quo in munere dum ſtrenuè verſaretur, multa illi pericula in eâ Canariâ, quæ magna appellatur, diaboli inuidia conflauit; ſæpè in capitis, & vitæ diſcrimẽ venit, vt ſeſe iam Martyrij palmam potiturum ſperaret; ſed Deo aliter diſponente, nõ Martyrio animus & voluntas, ſed voluntati Martyrium defuit; at certè gloria non defuit, cùm præclarè à beato Martyre Cypriano ſcriptum ſit, *ad coronam Dei promerendam ipſius teſtimonium ſolum ſufficere, qui iudicaturus eſt*, qui arcana renum ſcrutatur, & cordis intuetur occulta. Ergo & purpuream de paſſione coronam aliquo modo accepit, & multas de bonis operibus candidas reportauit, reſeruatus à Deo, vt multos Chriſto lucrifaceret. Iam enim in vniuersá Hiſpaniâ clariſſimum erat beati Didaci nomen, magnamq; apud omnes & venerationem & admirationem habebat, & tanquam Angelum quendam in terris agentem, ſic eum homines intuebantur: nihil illo lenius; nihil manſuetius; lac & mel ſub linguâ eius, & cor eius mũdum, & ſimplex Chriſtianâ dulcedine redundabat: omnia in bonam partem accipere; de nemine malè iudicare; nullum aduerſus aliquem verbũ acerbius immittere. Si quem verò contra legem Dei, & regularem diſciplinam peccantem animaduerteret; zelo Dei incenſus, liberè obiurgabat, nullâ tamen in re gloriam ſuam, ſed Dei honorem & fraternam vtilitatem quærebat. Signis etiam & miraculis viuentem ſeruum ſuum illuſtrauit Deus, eiuſque excellentem fidem rebus mirabilibus efficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo ſingularis gratia curationum, ita vt vndiq; ad eum eius rei causâ quamplurimi confluerent: ille verò fide, quæ per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cùm digitum in lampadem, quæ ante Sacram Beatiſſimæ Virginis imaginem collucebat, demiſiſſet, ex eius oleo ægrotos ſigno Crucis obſignatos

Vbi multos ad fidem perduxit.

Miraculis viuens enclaruit.

Præſertim gratiâ curationum.

Epiſt. 9 ad Martyres & Confeſſores de Mappalico.

ſignatos perungebat, multorũ-ǭue varios languores & morbos, eiuſdem Crucis virtute, in quâ ſolâ gloriabatur, mirabiliter ſanabat.

4. Accidit aliquando, vt è cœnobio, in quo erat, ad oppidum ſancti Lucæ de Baramedâ proficiſceretur, fratre vno comite, cumq; nullis cibarijs acceptis iam ſumendi cibi tempus aduenisſet, & ex itinere defeſſi eſſent, nec in proximo vico quidquam, quo ex alienâ miſericordiâ reficerentur, Deo ita diſponente, reperire potuiſſent; ad comitem ſereno vultu conuerſus beatus Didacus; Eia, inquit, frater in Domino confidamus, ipſe nos paſcet. cùm iter ſtrenuè proſequerentur, ecce in peramplâ planitie candidam mappam inter herbas propè viam poſitam vident, propiuſǭue accedentes album panem, piſces recentes coctos, & vini vaſculum inueniunt: inſiſtunt ſerui Dei, & in latiſſimo campo vnde in omnes partes liber erat proſpectus, omnia oculis perluſtrantes circumſpiciunt, ſi quis fortè eo in loco prandium reliquiſſet; deniq; id, quod erat, rati, ad menſam ſibi à Deo in deſerto paratam veri Iſraëlitæ accumbunt, ac cibo & potione ſiti fameǭue depulsâ, quod ſuperfuit, ibidem liquerunt, Deo patri miſericordiarum gratias agentes, qui ſeruis ſuis in eo ſperantibus eſcam dederat in tempore opportuno.

Cibos à Deo paratos inuenit in deſerto.

5. Quid illud quod Hiſpali geſtum eſt, quàm magnæ fidei eſt argumẽtum? Nam cùm ſeptennis puer, qui à matre vapulare ſolitus erat, in furno, in quem eius iracundiam fugiens ſe abdiderat, obdormiſſet, & furno ab ignarâ matre ſuccenſo expergefactus clamaret, vir Dei exanimatam matrem, eiulatu omnia complentem, nec quò ſe verteret ſcientem, ad maiorem Eccleſiam ire, ibiǭue Matrem miſericordiarum deuotè orare iuſſit; Ipſa te, inquit, ô mulier adiuuabit; cùm illa, quaſi Dei nuncium audiuiſſet, pergeret, ipſe ad furnum accedens puerum ex maximo periculo extractum paulò pòſt ad idem templum adduxit, matriǭue ſuæ ſaluum & incolumem reddidit.

Puerum ex ardẽte furno ſaluum eduxit.

5. Cæterùm, cùm iuſtus iudex Deus Athletam ſuum tot victorijs illuſtrem, carne, mundo, diabolo per Dei gratiam deuictо, coronâ iuſtitiæ, quæ illi ab omni æternitate repoſita erat, coronare decreuiſſet, ſeruumǭue multiplicatis talentis induſtrium, & in pauca fidelem ſupra multa conſtituere, & in gaudium vellet Domini ſui introducere; B. Didacus in ſenectute bonâ, plenus dierum, & operum bonorum, in conuentu Complutenſi, in quo annos complures eſt commoratus, in ſupremum morbum incidit, in quo incredibilis patientiæ exemplum præbuit. Quadam

Infirmatur ad mortem.

autem

autem nocte extra ſe raptus, ſenſu omni, & vitali motu amiſſo, ita vt à Medico, & qui adſtabant, fratribus mortuus planè crederetur, tandem ſolutâ ecſtaſi ter, aut quater hæc verba locutus eſt; *O quales flores habet Paradiſus.* In profundæ verò humilitatis ſtatione, vſq; ad extremũ vitæ ſpiritum ſeruandâ, ita firmus manebat, ita nuſquam de ſuo loco decedebat, vt cùm fratres ſinguli ab eo peterent, vt pro ipſis oraret, ipſe contrà ſe eorum orationibus vehementer commendabat, vt ipſis pro eo Deum orantibus, bonorum operũ fructus, quem illi in ſanctæ Religionis Obſeruantiâ cumulauerant, ſibi quoque à Deo communicaretur, atque ita miſericordiam impetraret. Poſtremò cùm ſe iam moriturum intelligeret, comitis illius, & adiutricis fideliſſimæ, quæ illum in huius vitæ peregrinatione nunquam deſeruerat, hoc eſt ſanctæ paupertatis, ſupremo vitæ die non oblitus, ſed in eius intimo ſinu, quam maximè fieri poſſet, ſpiritum emittere cupiens; conuocatis Fratribus, eos obnixè rogauit,

In veſte detritâ mori cupit.

vt ſibi veſtem obſoletam, & laceram, habitumque omnium viliſſimum, in quo moreretur, concederent: quo impetrato, multis profuſis lachrymis ab his, qui adſtabant, offenſionum atq; erratorum veniam poſtulauit, quibus copioſè collacrymantibus, ipſe cruce ligneâ, quam ad caput habebat, arreptâ, eamque amplexus & oſculatus, vtroque brachio in altum fortiter ſublato (cùm tamen alterũ graui apoſtemate tumens, ac debilitatum antea mouere non potuiſſet) oculiſque in vitale ſignum defixis, verba illa ex ſacro Hymno magno affectu, magnoque pietatis ſpiritu pronunciauit; *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum, & Dominum.* quæ cùm dixiſſet, in ipſo ſalutiferæ Crucis complexu, quam vnicè dilexerat, quam in corde & corpore ſemper geſtauerat, in quâ Chriſto confixus, & mundo crucifixus fuerat, animam efflauit, & in Domino obdormiuit, pridie Idus Nouembris, anno Domini M. C C C C. L X I I I.

Cruci complexus animam reddidit.

6. Ad eius corpus (beati Didaci morte auditâ) magni vndique concurſus facti, illud deuotè omnes contingere, amictus particulas præſcindere, capillos deuotionis causâ euellere; demum Chriſtiano ritu corpus honorificè humatũ eſt. Hic iam ſtatim Deus mortui ſerui ſui, cui in vitâ cooperatus fuerat, eximiam ſanctitatem ſignis ſequẽtibus comprobauit. Nam corpus, quod iam quatriduo humi ſepultum fuerat, iterum non abſq; miraculi interuentu, effoſſum, non ſolùm integrum, incorruptumque apparuit; ſed cùm per multos menſes, vt pio

Ad ſacrum corpus magnus concurſus.

ſtudio

ſtudio ſatisfieret, & ciuium, & aliorum, qui ex diuerſis partibus accurrebant, inſepultum iacuiſſet, non computruit, nullum tetrum odorē emiſit: imò verò corpus illud, quod viuens Spiritusſancti templum fuerat, odorem ſuauiſſimum afflabat, quo omnes mirificè recreabantur; qui quidem & in hodiernum vſque diem ex eius ſepulchro ſuauiter & iucundè ſpirans à pleriſque ſæpè ſentitur. Illud quoque in B. viri mortuo corpore mirum acceſſit, quòd eius membra & artus vitali calore deſtituti non obriguerunt, nec duri aut rigidi ſunt effecti, vt cadauerum ſolent, ſed molles erant & flexibiles quocunque verterentur.

Quod refoſſum ſuauem afflat odorem.

Id flexile per omnes artus.

7. Quocirca laudanda eſt pietas & magnificentia cla. me. Henrici IV. Caſtellæ Regis, qui vnà cum filiâ periculoſè ægrotans, & B. Didaci precibus ſanitate impetratâ, nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit, ibique in arcâ ferreis laminis diligenter communitâ beati Didaci corpus decenter recondi iuſſit: ad quod quidem ſacellum, vt cōſtat, non ſolùm Complutenſes ciues, ſed vicini & remotiores populi, atque ex omni ferè Hiſpaniâ fideles, tantâ deuotione confluunt, tam multi beati illius viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigilię fiunt, tot ſacrificia in eodem eius ſacello celebrantur, tam multa & illuſtria dona voti reddendi gratiâ offeruntur, vt hæc de B. Didaci ſanctitate, non exigui temporis tanquã rumoris aurâ, ſed per annos centum viginti & ampliùs conſtans & perpetua fama & opinio, tantuſq; illorum fidelium omnium generum, omnium ordinum conſenſus, magni profectò, & illuſtris teſtimonij loco habendus ſit ad B. Didaci ſanctimoniam comprobandam.

Cui fernando Caſtella Rex ſacellum extruxit.

8. Veruntamen multis quoque poſt obitum miraculis vir cōmemorabili ſanctitate præditus claruit. Nã in actis tranſmiſſis centum ferè & triginta leguntur, Deo, qui glorificatur in Concilio ſanctorũ, ſignis & prodigijs teſtãte, ſeruum ſuum non ſolùm morum, ſed etiam ſignorum virtute, nec operibus modò pietatis in vitâ, ſed etiam miraculorũ luce poſt mortem clarum, & venerabilem eſſe.

Poſt eius exceſſum centum relata miracula.

9. Duron oppidum eſt in Hiſpaniâ, in Diœceſi Seguntinâ, ex eo Catharina Martini filia virgo annos xij. nata, cùm ante aliquot menſes ſubitâ vi morbi ſurda & muta euaſiſſet, brachijs item pedibuſque paralyſi diſſolutis incedere nequiret; ad B. Didaci ſacellum delata, cùm ibi peruigilaret, eius tacta manu, & in Crucis formam cōſignata illicò, & aurium ſenſum, & loquendi facultatem recepit, membrorumque vſu reſtituto, totoq; corpore confirmato, liberè quâ libuit inceſſit, laudans & benedicens Deum.

Muta, ſurda, paralytica reualuit.

Energumenus liberatus.

10. Adoleſcens quidam erat annorum ferè viginti, Didacus de Lorcâ appellatus, filius Petri Gonzales viri nobilis, qui Deo permittente, ab immundo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum; ita vt ſæpiùs interdum in die arreptus, & ad terram alliſus, horribiles corporis geſtus ageret, & veluti mortuus relinqueretur. hic ſe B. Didaco humiliter commendans, & in eius ſacello aliquamdiu inuigilans, à miſerabili vexatione omnino eſt liberatus.

Parturiens in vita diſcrimine facilè peperit puellam mortuam, quæ etiam ex voto reuixit.

11. Cùm Catharina Bartholomæi Sanchez vxor, expleto ad pariendum tempore, parere non poſſet: fœtus enim in vtero tranſuerſus alterum tantummodo pedē eduxerat, materque miſera ab aurorâ ad veſperam in eo cruciatu permanens, in ſummo vitæ diſcrimine verſaretur, & planè morti propinqua eſſet: ſocrus eius Maria Garcia vxor Io. Garciæ incolæ oppidi de Ambroz B. Viri in maximis anguſtijs recordata, ad eius opem confugit. Itaque fruſtum amictus B. Didaci, parumque pulueris è ſepulchro ſupra parturientē nurum impoſuit, quæ ſubitò mortuum fœtum edidit ipſa ſalua. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio, ſed eiuſdem auia Maria iam ſemel beati Viri opem in matre experta, cum pro neptis vitâ tanto fidentiùs orare non dubitauit: quod cùm deuotè feciſſet, alterum etiam beneficium impetrauit, & puella ſacro Baptiſmi fonte abluta, & geminæ vitæ munere à Deo donata diu poſtea ſuperuixit.

12. Illud autem quod in Mariâ della Peñuela Petri Hernandez Complutenſis filiâ, Dei virtute, per merita beati Didaci mirificè effectum eſt, notum & valdè peruulgatum in Hiſpaniâ, multique, qui meminerint, ſuperſunt. Inuaſerat virginem horribilis & deformiſſima paralyſis, tantâ neruorum diſſolutione & membrorum luxatione, brachijs, cruribuſque diſtortis, totoque corpore conuulſo, vt non iam mulier, ſed monſtrum eſſet, & Medici ſe nihil vnquam tale vidiſſe profiterentur; accedebant febres vehementes, & capitis dolores peracres & aſſidui, quibus miſera grauiſſimè affligebatur. Ea igitur ad beati Didaci corpus delata, cùm in eius interceſſione & Dei miſericordia confideret, & ſuppliciter oraret; voti compos, ab omni illâ membrorum diſtortione & deprauatione, omnique corporis infirmitate eſt liberata, quæ tanti accepti beneficij non ingrata Deo Virginitatem ſuam vouit, & ſacrarum Virginum Collegio adiuncta in Monaſterio ſancti Ioannis, quod à pœnitentiâ nominatur, ſanctè & religioſè vitam duxit.

Monſtro puella ſimilis à morbis & cruciatibus perſanata.

13. Sed quod in Principe Carolo, chariſſimi in Chriſto

filij

filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici primogenito filio diuinitus actum eſt, magnam âpud omnes famæ celebritatem habet. Ægrotabat Compluti adoleſcens Princeps anno humanæ ſalutis M. D. LXII. qui cùm è ſcalis decidiſſet, grauiſſimum ex eo caſu, & prolapſione in capite vulnus acceperat: omnia remedia, omnes curationes adhibitæ, quæ humanâ induſtriâ præſtari poterant, vt in tanto Principe par erat: ſed cũ nihil humanũ proficeret, morbuſque magis ſemper ingraueſceret, iamque eius grauitati natura ſuccumberet; Medici, Principis ſalute prorſus deſperatâ, certam imminentis mortis horam præfiniunt; idque Regi patri, ne tam acerbo ſpectaculo intereſſet, denũciant. Cùm igitur omnis humani adiumẽti ſpes defeciſſet, ad diuinum, quod vnum reliquum erat, præſidium confugiunt. Itaque deuotionis ardore ſuccenſi à Fratribus ſuis, beati Didaci corpus decenter & religiosè in Principis cubiculum afferri curant, poſt annos ferè centum integrum & incorruptum: quod, cùm Princeps beati Viri patrocinio ſe commendans, deuotè tetigiſſet, eo inde amoto, vidit in ſomni quiete beatum Didacum ante lectum ſtãtem, & crucem arundineam manu gerentem, ſeque admonentem bono animo vt eſſet, & in Deo confideret; fore enim vt

Quâ horâ Carolus Princeps moriturus credebatur, eâdem reualere cœpit.

ex eâ ægrotatione ſanus fieret. Quare eo potiſſimùm tempore, quo Medici Principem moriturum prædixerant; non ſolùm meliùs habere cœpit, ſed paulò pòſt ex omni illo vitę diſcrimine diuinis, ac ſupra naturam adiumentis tam mirabiliter eſt ereptus, vt digitum Dei per merita beati Didaci ibi adfuiſſe omnes intelligerent. Sed præter cæteros Princeps ipſe, & Philippus pater, incredibili lætitiâ tanquam rediuiui filij affectus, id agnoſcere, & Deum glorificando palàm profiteri.

14. Itaque pius Rex cùm chariſſimi & primogeniti filij vitam, ſummæ Dei clementiæ per merita & preces beati Didaci ferret acceptam, cuperetque quacunque ratione poſſet gratiam aliquam Deo in Sancto ſuo referre; anno inſequenti ad fel. rec. Pium IV. prædeceſſorem noſtrum, vnà cum Principe filio, & cunctâ ferè Hiſpaniâ literas dedit, quibus ab eo ſuppliciter petebat, vt pro ſuâ, & ſanctæ huius Apoſtolicæ Sedis ſummâ auctoritate, beatum Didacum tam excellenti ſanctitate virum, & tantâ miraculorum claritate illuſtrem in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab vniuerſâ Catholicâ Eccleſiâ pro Sancto venerandum eſſe ſtatueret. Tam deuotis, iteratiſque Catholici Regis, aliorumque poſtulationibus permotus idem Pius prædeceſſor, de ijs in Conſiſtorio

Poſtulatur à Rege patre & filio S. Didacus canonizari.

ſuo ſecreto referri iuſſit, & quinque Cardinales conſilio, & doctrinâ præſtantes delegit, qui eiuſmodi permagni momẽti negotio præeſſent, inter quos vnus fuit Cardinalis Alexandrinus, cuius memoria in benedictione eſt, qui poſteà Pontifex factus Pius eius nominis Quintus eſt appellatus. Res ſuo Ordine agi cœpta eſt ſub Pio Quarto litteris in Hiſpaniam tranſmiſſis, ad teſtes ex formulâ examinandos, actaque ritè conficienda. Cùmque ipſe Pius Quartus è vitâ migraſſet, non deſtitit idem Philippus Rex apud ſuccedentes Pontifices ſanctæ recor. Pium Quintum, & Gregorium Decimumtertium itidem prædeceſſores noſtros ſedulò: ſed Deo ita diſponente, quamuis pleraq; ſuperioribus annis ſint acta, res tamen ipſa perfici ſub illis Pontificibus, atque abſolui non potuit. Cùm primùm igitur humilitas noſtra non noſtris meritis, ſed diuinæ clementiæ abundantiâ, in excelsâ Apoſtolicæ ſolicitudinis ſpeculâ, his difficillimis tẽporibus eſt conſtituta; ſtatim idem Philippus Rex nullâ ex parte reſtincto aut refrigerato fidei ſuæ zelo, nobis per dilectum filium nobilem virum Henricum de Guzman Comitem de Oliuares ſuum apud Nos, & Sedem Apoſtolicam oratorem, magnoperè ſupplicãdum curauit, vt poſteaquam ea ferè omnia, quæ ad acta & proceſſum beati Didaci pertinebant, ex huius ſanctæ Sedis pręſcripto confecta erant, Nos, quibus vniuerſalis Eccleſiæ cura eſſet credita, & ad quos ſolos eius rei iudicium pertineret, tam pio & tam ab eius Maieſtate totaque Hiſpaniâ exoptato operi, quod eſt de eodem beato Didaco Sanctorum catalogo adſcribendo, ſupremam manum imponere vellemus. Et nos quidem Regis ipſius religioſum ſtudium, & perſeuerantem hac in re ſedulitatem commendantes, cupiebamus eius piæ petitioni, quantum cum Domino liceret, ſatisfacere: tamen pro noſtro paſtoralis muneris officio ſtatuebamus, in re tã graui nullâ præproperâ feſtinatione vtendum, ſed omnia ex Eccleſiaſticâ diſciplinâ, ex maiorum noſtrorum ſaluberrimis inſtitutis, ex Apoſtolicæ Sedis circumſpectione diligentiſſimè agenda eſſe. Itaque duobus antiquioribus cauſarum Palatij noſtri Auditoribus, doctrinâ & rerum vſu præſtantibus, ipſis ferè primis Pontificatus noſtri diebus mandauimus, vt acta omnia totumque proceſſum ſummâ cum diligentiâ perlegerent & examinarent, quo illi in muñere menſes complures ſedulò accurateque verſati, copioſam relationem omnium, ſuamque ſententiam nobis ſcripto tradiderunt. Cùm autem Cardinales omnes ab eodem Pio Quarto huic negotio olim

Acta omnia diligenter reuidentur ad canonizationem.

præpo-

præpoſiti viam eſſent vniuerſæ carnis ingreſſi; Nos primo anni ſuperioris menſe, in Conſiſtorio noſtro ſecreto alios in eorum locum ſuffecimus, pietate, prudentiâ, eruditione, fide nobis probatos, adhuc autem & numero plures prioribus; vt in graui causâ, prudenti multorum grauium virorum iudicio adhibito, cuncta exquiſitiùs diſcuterentur. Hi verò fuere more maiorum, ex tribus ordinibus delecti Venerabiles Fratres Epiſcopi Alexander Oſtienſis Farneſius, Marcus Antonius Præneſtinus Columna, & dilecti filij noſtri Frater Michaël ſanctæ Mariæ ſupra Mineruam Alexandrinus, Iulius Antonius ſancti Bartholomæi in Inſulâ ſanctæ Seuerinæ, Antonius SS. Ioan. & Pauli Carafa, Frater Conſtantius ſancti Petri in Monte aureo titulorum presbyteri Sarnanus, Ferdinandus ſanctæ Mariæ in viâ latâ de Medicis, & Hieronymus ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Matthæius nuncupati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quibus commiſimus, vt pro rei grauitate, proque eâ, quæ Deo cordium ſcrutatori, & nobis quoque in eiuſmodi publico munere obeundo à primarijs Eccleſiæ membris fidelitas & diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vitâ, moribus, & miraculis beati Didaci, & Auditorum noſtrorum relationem, quantâ maximâ fieri poſſet diligentiâ inſpicerent & expenderent, atque ad nos opportuno tempore referrent; vt diuinâ Spiritus ſancti gratiâ illuſtrati, de ipſorum & cæterorum Fratrum noſtrorum conſilio, quæ Dei gloriæ, qui Iuſtitia & Veritas eſt, conſentanea forent, deliberare poſſemus. Multis igitur elapſis menſibus, cùm interea Cardinales ipſi frequẽter congregarentur, acta, proceſſus, rerum geſtarum ſeriem, teſtes, ſingula denique ad ſacrorum Canonum præſcriptum maturè & accuratè conſiderarent, examinarent, atq; inter ſe conferrent, viros etiam ſacræ Theologiæ & Pontificij iuris ſcientiâ peritiſſimos in conſilium adhiberent; cùm iam omnia parata eſſe intelligeremus, ſecretum Conſiſtorium de more conuocari iuſſimus, in quo Venerabilis Frater noſter Marcus Antonius Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, ſuo & Collegarum, qui ibidem aſſidebant, nomine, graui & accommodatâ oratione de omnibus fideliter nobis retulit, quib. explicatis ad extremum dixit; Quandoquidem B. Didaci fidei integritas, egregiæ virtutes, præclara & inſignia miracula optimè eſſent comprobata, ſe & collegas ſuos vnanimes in eam ſententiam veniſſe (ſi ita nobis videretur) vlteriùs nos progredi, & beatum illum virum in Sanctorum numero poſſe adſcri-

In fidem, vitam, mores & miracula S. Didaci delegati ſerò inquirunt

bere : quorum cum ſententiâ etiam cęteri Fratres noſtri Cardinales, cùm à ſingulis graues ſententiæ dictę eſſent, ad vnum omnes conſenſerunt. Quę cùm audiremus, gaudēs erat cor noſtrum in Domino, quòd beati ſerui ſui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque ipſo benedicente tam feliciter procederent. Quare in tam ſancto, pioque opere nihil omnino neceſſariæ diligentiæ prætermittentes, ex more inſtitutoque maiorum decreuimus, vt ad vlteriora procederetur. Ac diebus aliquot interpoſitis publicum Conſiſtorium indiximus, in quo, præter Cardinalès, etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati omnes, ac familiares noſtri de more interfuerunt.

Conſiſtorium publicum omnium Prælatorum agitatur.

In eo verò dilectus filius Pompeius Arigonius Romanus, Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Aduocatus, diſertam orationem habuit de vitæ ſanctitate, rebus geſtis, & miraculis beati Didaci; & denique Catholici Regis, totiuſque Hiſpaniæ nomine, vt eundem beatum Didacum tantis meritis illuſtrem Sanctorum numero aggregaremus, nobis humiliter ſupplicauit. Gaudebamus etiam hoc loco in Domino, in cuius manu cor Regis eſt, & quocunque voluerit, inclinat illud.

Prou. 21.1.

Etenim planè videbamus, non ſine diuino inſtinctu fieri, quòd Catholicus Rex, cui multorum Regnorum grauiſſima adminiſtratio à Deo eſt tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc B. Didaci negotio abſoluendo verſaretur, vt in magnis temporum difficultatibus ſe, ſuaque regna apud Deum noui patroni ſuffragijs & piè, & prudenter communiret: quare reſpondimus, Philippi Regis Catholici de beato Didaco, noſtrâ & Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Sanctis adſcribendo tam diuturnam & perſeuerantem poſtulationem dignam eſſe ſingulari eius pietate, dignam perpetuo Catholicæ Religionis propagandæ ſtudio; lætari nos & Deo gratias agere, quòd beatos ſeruos ſuos, quos in cœlis coronat, à noſtrâ quoque tenuitate in terris honorari velit, eoſque nobis ad auxilium & exemplum proponat.

Decreuit Pontifex canonizandum eſſe.

15. Et nos quidem ad pium eius deſideriū explendum propenſiores eſſe; facere tamen rei grauiſſimæ magnitudinem, vt de Regiâ petitione adhuc cum Fratribus noſtris Cardinalibus & Epiſcopis etiam atque etiam deliberandum cenſeremus: quare eoſdem Fratres hortati ſumus, vt omnia, quæ ad hanc cauſam pertinerent, diligentiſſimè conſiderarent, quodque nos ipſi iam pridem faciebamus, Deum magnoperè orarent, vt corda noſtra ſuo lumine colluſtraret, totamque hanc actionem ad ſui glo-

riam & Eccleſiæ vtilitatem diſponeret & dirigeret. Hæc cùm eſſent acta, alterum item Conſiſtorium ſecretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos in Romanâ curiâ præſentes, Protonotarios quoque noſtros, qui ex numero dicuntur, & Rotæ Auditores intereſſe iuſſimus. Tum nos ipſi de ſacroſanctâ huius Apoſtolicæ Sedis, in quâ Dei prouidentiâ ſedemus, auctoritate & poteſtate, deque Spiritus ſancti ſingulari patrocinio, atque infallibili aſſiſtentiâ à Deo in omnibus verbis ſuis fideli promiſsâ, vſque ad conſummationem ſæculi perpetuò affuturâ, quibus gubernatur; ea diximus, quæ cauſæ & temporis ratio potiſſimùm requirere videbatur. Demum à Fratribus noſtris petiuimus, vt quoniam aliàs ſtatutum eſſet, vt ad vlteriora in hoc negotio procederetur, nunc præcisè & expreſsè dicerent, an ex ijs actis, quæ ipſi viderant, & audiuerant, beatus Didacus eſſet canonizandus. Igitur à Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus primùm, deinde à Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis piè, grauiter & eruditè ſententijs dictis, omnes vnanimes idipſum ſentientes dixerunt, ſibi videri ex ijs quæ maturè ipſi hac de re viderant, & audiuerant, beatum Didacum à nobis meritò inter Sanctos eſſe adſcribendum. Deo autem, qui in domo ſuâ Fratres in vnum habitare facit, gratias agentes de tantâ Fratrum noſtrorum conſenſione, quodque ad ſeruum & amicum ſuum, quantùm nobis licet, honorandum corda noſtra impelleret & illuſtraret; cùm per eius gratiam hucuſque omnia ritè, atque ordine acta eſſent, quod reliquum erat, diem canonizationis præſtituimus ad ſextum Nonas Iulij, quo die memoria Viſitationis beatæ MARIÆ ſemper Virginis ad ſanctam Eliſabeth piè ab Eccleſiâ recolitur, vt eiuſdem humani generis Aduocatæ patrocinio, tandem pium hoc opus proſperè, & ſalutariter à nobis abſolueretur. Fratres interea noſtros hortati ſumus, vt intermedio tempore vnâ nobiſcum precibus, eleemoſynis (quas nos & libenter & piè erogauimus, quemadmodum & Regis nomine ab ipſius Oratore factum fuit) ieiunijs, ſacrificijs Dei auxilium inuocare non ceſſarent. Is igitur feſtus Viſitationis dies, id eſt, hodiernus, cùm adueniſſet; Nos & Fratres noſtri Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſacris veſtibus induti, inchoato per nos ipſos in noſtrâ Pontificiâ Capella Hymno, Aue maris ſtella, cantorumque choro proſequente; vt ipſa,

Dies Canonizationis præſcripta.

quæ mater eſt gratiæ, nobis præiret, & præluceret, cæteris etiam Romanæ Curiæ Prælatis, & officialibus, familiaribuſque noſtris, ac vniuerſo regulari & ſæculari clero longo deuotoque ordine progredientibus, omnes ſimul accenſos cereos in manibus geſtantes in eius honorem, qui eſt lux vera, gloria & ſplendor Sanctorum, è Palatio noſtro Apoſtolico ſolemniter proceſſimus ad antiquiſſimam & religioſiſſimam Baſilicam Principis Apoſtolorum, in cuius medio peramplum ſuggeſtum Regio ſumptu extructum erat, paratumque Altare ad ſacram Pontificalem Miſſam celebrandam, totaq; templi facies in communi Eccleſiæ lætitiâ hilaris, & Pontificio apparatu decenter ornata, omniaq; ſpiritalibus canticis perſonabant, funalia & faces circumquaque ardebant, & vexilla appenſa, in quibus beati viri imago expreſſa erat, qui corpore erecto depictus, dextra manu coronam Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſiniſtrâ Crucem inuictiſſimam gerit & intuetur, cuius nimirum auxilio hoſtes teterrimos carnem, mundum, & diabolum ſuperauit. Hic nos in maximâ fidelis populi, totiuſque adſtantis cleri frequentiâ, cœleſtis illius & triumphantis Hieruſalem effigiem quandam nobis ante oculos proponentes, & quantum in hac lachrymarum valle licet, intuentes, conſcenſis gradibus, in ſuggeſtu ante Altare orauimus; mox in ſublimi Apoſtolico Throno conſidentes, Fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales & Epiſcopos omnes ſacris veſtibus ornatos & paratos, nobis obedientiam de more præſtantes excepimus: tum dilectus filius noſter Petrus tituli ſancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Deça Hiſpanus, Catholici Regis Philippi totiuſque Hiſpaniæ nomine ſemel, iterum, & tertiò ſuppliciter & inſtantiſſimè à nobis petijt, vt beatum Didacum in Sanctorum numerum adſcriberemus; noſque ad ſingulas eius petitiones, Regis pietate, & beati Viri meritis collaudatis, ſemper tamen per diſtincta interualla, noſtras totiuſque cleri & Populi orationes, litanias & ſacros hymnos interpoſuimus. Demum, cùm iam nihil omnino ex his, quæ à maioribus piè, ſanctéque ſunt hoc de genere inſtituta, eſſet prætermiſſum, immò potiùs matura deliberatio, ſummaq; diligentia abundantiùs adhibita; inuocato Sancto creatore Spiritu, cuius conſilio & ſapientiâ, ſancta Eccleſiâ, columna & firmamentum veritatis regitur, eiuſque numen ſæpè à nobis ex intimo corde multis etiam lachrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes: ad honorem ſanctæ, & indiuiduæ Trini-

Supplicatio publica cũ cereis ardentibus.

Imago S. Didaci dextrâ coronam B. Mariæ, ſiniſtrâ crucem tenentis.

tatis

tatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; ad exultationem ſupernæ & triumphantis Hieruſalem matris noſtræ; ad exaltationem Catholicæ fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentum; auctoritate eiuſdem ſanctæ Trinitatis, beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ; de Venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romanâ Curiâ exiſtentium conſilio, & vnanimi conſenſu, beatum Fratrem Didacum de ſancto Nicolao Prouinciæ Bæticæ Hiſpanum, Ordinem Minorum ſancti Franciſci expreſsè profeſſum ſepultumq; Compluti in Eccleſiâ Fratrum eiuſdem Ordinis, de cuius fidei puritate, excellentiâ vitæ, & miraculorum in vitâ & poſt mortem claritate nobis pleniſſimè cônſtat, in Sanctorum Confeſſorum numerum, & catalogum adſcribendum eſſe decreuimus & adſcripſimus, prout per præſentes decernimus & adſcribimus, eumque vt Sanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus: ſtatuentes, vt ab vniuerſali Eccleſiâ anno quolibet, die xij. Nouembris feſtum ipſius, & officium, ſicuti pro vno Sancto Confeſſore tantùm, ad formam in rubricis Romani Breuiarij præſcriptam deuotè celebretur, quodque in eius honorem Eccleſiæ & Altaria, in quibus Deo ſacrificia offerantur, erigi & fundari poſſint; eâdemque auctoritate omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ſingulis annis eodem die feſto ſupradictam Eccleſiam oppidi Complutenſis Toletanæ Diœceſis vbi ipſius corpus requieſcit, necnon Altaria & Eccleſias, quæ in eius honorem constructæ erunt, deuotè viſitauerint, eaſdem Indulgentias, priuilegia, & gratias conceſſimus & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus, & elargimur, quæ cæteris dicti Ordinis Sanctorum Eccleſijs conceſſæ ſunt.

Refertur inter Sanctos.

Feſtum eius annuè celebrandum.

Indulgentiæ datæ, quæ in alijs feſtis Fratrum Minorum.


16. Quibus omnibus, quæ ad ſancti Didaci canonizationem pertinebant, abſolutis, ac laudis & gratiarum actionis, Hymno Deo decantato; eiuſque auxilio per beati Didaci preces peculiari oratione, quam nos clarâ voce pronunciauimus, implorato; tandem eodem in loco & Altari Miſſam ſolemnem de Beatiſſimæ ſemper Virginis Viſitatione, cum beati Didaci commemoratione nos ipſi celebrauimus, fidelibuſque, qui tam pię & religioſæ actioni, & ſacroſancto Sacrificio deuotè interfuerant, ad Dei & Sancti ſui gloriam & laudem, plenariam Indulgentiam conceſſimus.

17. Omnes igitur Deum cæli benedicamus, & coram omnibus viuentibus confiteamur

ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam; agnoſcamuſque non ſine magnâ Dei prouidentiâ factum eſſe, vt hiſce afflictis Chriſtianæ Reipubl. temporibus, quibus maximè multiplici Sanctorum ſuffragio indigemus, nouus hic ſuffragator & patronus fideli populo tribueretur. Et nos quoque, qui in hac paſtorali ſtatione, in quâ nos Deus collocauit, de vniuerſi gregis Domini ſalute anxij dies noctéſque peruigilamus, Dei erga nos ſingularem clementiam agnoſcimus, qui poſt tot annos, poſt tot Beatiſſimos Pontifices prædeceſſores noſtros, nobis humilibus huius magni operis abſolutionem reſeruauerit, qui cum Sancto ſuo eiuſdem Seraphicæ religionis communione cõſociati ſumus. Quamobrem eundem Patrem miſericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, vt per merita & interceſſionem ſancti Didaci Eccleſiæ ſuæ pacem, & tranquillitatem, regibus & Principibus Chriſtianis vnionem, vitam & felicitatem, miſeris, & obcæcatis Hæreticis lucem Catholicæ veritatis largiatur. Cæterùm quia nimis difficilè foret præſentes noſtras originales litteras ad ſingula loca, vbi opus eſſet, deferri; volumus, vt earum tranſſumtis etiam impreſſis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem quæ ipſis præſentibus, fides vbique adhibeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę M.D. LXXXVIII. Sexto Non. Iulij, Pontificatus Noſtri anno quarto.

Ego

✠ Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ Ego Alexand. Cardinalis Farneſius Vicecanc. Epiſcopus Oſtienſ.

✠ Ego Ioan. Antonius Epiſcopus Portuenſ. Cardin. ſancti Georgij.

✠ Ego Alphon. Cardinalis Geſualdus Epiſcopus Tuſculanus.

✠ Ego Innicus Aualos Cardinalis de Arag Epiſcopus Sabinenſis.

✠ Ego Marcus Antonius Cardinalis Columna, Epiſcopus Præneſtinus.

✠ Ego Ptolemæus Cardinalis Comenſis Epiſcopus Albanenſis.

✠

✠ Ego Marcus Siticus Cardinalis ab Altaemps, tt. S. Mariæ Tranſtiberim.

✠ Ego P. Cardinalis Sanctacrucius, titulo ſancti Clementis.

✠ Ego G. Card. Pal. tt. S. Laur. in Lucinâ.

✠ F. Michaël Bonellus Cardinalis Alexan. tt. S. Mariæ ſuprâ Mineruam.

✠ Ego Ludouicus Cardinalis Madrutius, tt. ſanctæ Anaſtaſiæ.

✠ Ego Nic. Card. de Pelleue, tt. Praxedis.

✠ Iul. Ant. tt. S. Bartholomæi in Inſulâ presbyter Cardinalis S. Seuerinæ.

✠ Ego Hieronymus Cardinalis Ruſticucius. titul. ſanctæ Suſannæ.

✠ Ego Io. Hieronymus Card. Albanus, tt. S. Io. ante portam Latinam.

Ego

✠ Ego H. Card. Simoncellus, tt. S. Priſcæ.

✠

✠ Ego Petrus Cardinalis Deça, tt. ſancti Hieronymi.

✠

✠

✠ A. t. SS. Io. & Paul presbyt. Carafa.

✠ Ego Io. Antonius Card. SS. Quatuor.

✠ Ego Io. Baptiſta Card. ſancti Marcelli.

✠

✠

✠

✠ Ego Franc. Cardin. Joyeuſe, tt. Sanctiſſimę Trinitatis in Monte Pincio.

✠ Ego Iulius Cardinalis Cananius, tit. ſancti Euſebij.

✠ Ego Nic. tt. S. Cæciliæ Cardin. Cremonenſ.

✠ Ego Antonius Maria Cardinalis Saluiatus, tt. S. Mariæ de Pace.

✠ Ego Aug. Card. Veronenſ. tt. S. Marci.

✠ Ego Vincen. tt. ſanctæ Mariæ in viâ, Card. Montis Regalis.

✠ Ego Phil. Card. Spinula, tt. S. Sabinæ.

✠

✠

✠ Ego Scipio Cardinalis Lancellotus, tt. S. Saluatoris in Lauro.

✠ Ego Vincentius Cardinalis Gonzaga, titulo ſancti Alexij.

✠ Ego Henricus titul. ſanctæ Pudentianæ, Cardin. Caietanus, S.R.E. Cam.

✠ Ego Io. Baptiſta, tt. S. Mariæ in Aracæli, Card. Caſtruccius.

✠ Ego F. Card. Cor. tt. S. Stephan. in M. C.

✠

✠ Ego Dominicus, titul. ſancti Laurentij, Cardinalis Pinellus.

✠ Ego Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus, tit. ſancti Pancratij, Maior Pœnitentiarius.

✠ Ego Hieronymus, tt. ſancti Petri ad Vincula, Cardin. de Ruuere.

✠ Ego Philip. Cardinalis de Lenoncourt, tit. ſancti Honuphrij.

✠ Ego F. Hieronym. tt. ſancti Thomæ in Parione, Card. Aſculan.

✠ Ego Antonius Maria, titul. S. Agnetis in Agone, Card. Peruſinus.

✠ Ego Fr. Conſtantius Cardinalis Sarnanus, tt. ſancti Petri in Monte Aureo.

✠ Ego G. Alanus, titulo ſancti Martini, Cardinalis Anglican.

✠ Ego Scipio, tit. ſanctæ Mariæ de Populo presbyt. Cardinalis Gonzaga.

✠ Ego Ant. Card. Saulius, tt. S. Vitalis.

✠ Ego Euangeliſta Card. Cuſentinus, titul. S. Matthæi in Merulanâ.

✠

✠ Ego

✠ Ego Fr. Stephanus tt. SS. Marcellini & Petri Presb. Card. Aretinus.

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. Cardinalis Montaltus, Diaconus S. Euſtachij.

✠

✠ Ego Hieronymus S. Mariæ in Coſmedin, Diaconus Card. Matthæius.

✠ Ego Benedictus S. Agathæ, Diaconus Cardinalis Iuſtinianus.

✠ Ego Aſcanius Sanctorum Viti, & Modeſti, Diaconus Card. Columna.

✠ Ego Federicus Sanctæ Mariæ in Domnicâ, Diaconus Card. Borromæus.

Tho. Thom. Gualterutius.

A. de Alexiis.

Regiſtrata apud eundem Thomam Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri, milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, Indictione prima, die verò Lunæ, quinta menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno eius quarto; Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ, affixæ, publicatæ, & lectæ fuerunt ad valuas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, & S. Ioannis Lateran en. de Vrbe, & ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Horatium de Raynaldis, & Io. Baptiſtam Bagni eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſ.

Alex. Parabiachus Magiſter Curſ.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V
AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

GLoriosvs Deus in Sanctis ſuis, in eorũ veneratione eo iucundiùs lætatur, quò ipſi per quamplura ſanctitatis opera, & virtutis ſigna, quibus claruerunt, inter Sanctos ſuos meruerunt connumerari. Cùm itaque nos nuper Sanctum Didacum ordinis fratrum Minorum de Obſeruãtiâ nuncupatorum ſanctitate vitæ,& morum nitore tam admirãdum, quàm venerandum, ac etiam miraculis clarũ, in numero Sanctorum retulerimus, eiuſque diem feſtum, die duodecimâ Nouembris anniuerſario honore in Eccleſiâ Dei celebrari indulſerimus; conueniatque, vt dicti ordinis Profeſſores hunc ſanctum celebriori memoriâ venerentur: Nos Motu proprio, & ex certâ noſtrâ ſcientiâ, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quòd omnes, & ſinguli Profeſſores dicti ordinis, ac Moniales,& Sorores tam S. Claræ & Conceptionis, quàm Tertiariæ in Congregatione ſub obedientiâ eorundem Fratrum Minorum de obſeruãtiâ viuentes, in ſuis quiſque videlicet eccleſiis, in quibuſcunque mundi partibus exiſtẽtibus, Feſtum huius S. Didaci ſub duplici officio; in Regnis verò Hiſpaniarum etiam illius octauam, quemadmodum feſta aliorum dicti ordinis Sanctorum celebrare poſſint, Apoſtolicâ authoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus: ita quòd feſtum S. Martini Papæ,& Martyris, quòd dictâ die occurrit, trãſferatur in primam diem immediatè ſequẽtem ſimili feſto non impeditam. Et quia difficile foret, has litteras ad ſingula quæque Orbis terrarum loca peruenire; volumus,& decernimus, quòd eârum exemplis etiam impreſſis,& manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Nouẽbris, 1588. Pontificatus noſtri Anno quarto.

I. Ang. Papius.

LITTE-

LITTERAE

CLEMENTIS PAPÆ VIII.

De Anniuerſaria B. DIDACI ſolemnitate, & in ea de ritu diuinum officiũ recitandi, cum Indulgentiæ plenariæ largitione

CLEMENS *Papa Octauus ad perpetuam rei memoriam.*

Quæ ad Sanctorum venerationem augendam pertinent, ea libenter concedimus, prout fideliũ deuotio poſtulat, ac aliàs in Domino cõſpicimus expedire. Alias ſiquidem fel. record. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter motu proprio conceſſit & indulſit, quòd omnes & ſinguli profeſſores Ordinis fratrum Minorum S. Franciſci, ac Moniales & ſorores, tam S. Claræ & Cõceptionis, quàm Tertiariæ in congregatione, ſub obedientiâ eorundem Fratrum Minorum de Obſeruantiâ viuentes, in ſuis quiſque, videlicet, eccleſiis, in quibuſcunque mundi partibus exiſtentibus, feſtum Sancti Didaci Confeſſoris, die duodecimâ Nouembris, ſub duplici officio; in regnis verò Hiſpaniarum etiam illius Octauam, quemadmodum feſta aliorum dicti Ordinis Sanctorum, celebrare poſſent, prout in eiuſdem Sixti prædeceſſoris, in formâ Breuis, ſub die decimâ Nouembris, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octauo, expeditis litteris pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut pro parte dilecti filij Commiſſarij Generalis Curiæ eiuſdem Ordinis nobis expoſitum fuit; Religioſi eiuſdem Ordinis, etiam extra Hiſpaniam, vbique locorũ exiſtentes, eundẽ S. Didacum ſingulari deuotionis affectu proſequãtur; eorumq. deuotioni, ac ſpirituali conſolationi plurimũ ſatis fieri poſſet, ſi eis quoque prædictum feſtum cum Octauâ celebrandi facultas concedatur. Quare nobis, nomine dicti Commiſſarij Generalis humiliter ſupplicatum fuit, vt in præmiſſis ac alijs infra ſcriptis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur eorundem Religioſorũ, ac aliorum Chriſti fideliũ, erga ipſum B. Didacum, deuotioni, quantùm cum Domino poſſumus, benignè annuere volentes, ac litterarũ Sixti prædeceſſoris prædictarũ tenorẽ præſentibus pro expreſſo habẽtes; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus & ſingulis eiuſdem Ordinis profeſſoribus, nec non Monialibus, & ſororibus tam S. Claræ & Conceptionis, quàm Tertiarijs in congregatione, ſub obedientiâ eorundem fratrum Minorũ de

Obſeruantiâ viuentibus, extra regna Hiſpaniarum, in quibuſcunq; mūdi partibus exiſtentibus, vt eorū ſinguli feſtum prędictum S. Didaci, ac etiã illius Octauam, quemadmodum feſta aliorum eiuſdem Ordinis Sanctorum, celebrarè valeant, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium concedimus & indulgemus. Prętereà cùm ab eodē Sixto prædeceſſore ordinatum fuerit, vt in vniuerſis orbis eccleſiis feſtum eiuſdem S. Didaci celebraretur, ſed quâ ſolemnitate celebrandum ſit non fuerit declaratum: nos eorundem tenore præſentium decernimus & declarauimus, in vniuerſis orbis terrarum eccleſiis, ac ab omnibus tam ſæcularibus, quàm quorumuis Ordinum & Inſtitutorum regularibus, & aliis Eccleſiaſticis perſonis vtriuſque ſexus, feſtum prædictum S. Didaci, ſub ritu ſemiduplici: in ciuitate verò ac diœceſi Hiſpalenſi, vnde prædictus S. Didacus ortus eſt, nec non in ciuitate & Diœceſi Toletanâ, in quâ illius corpus requieſcit, ſub duplici ritu celebrandum eſſe. Prætereà ad eorundem fidelium deuotionem, non modò conſeruandam, ſed in dies magis augendam, de omnipotentis Dei miſericordiâ ac Beatorum Petri & Paulli Apoſtolorum eius confiſi, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui verè pœnitentes & confeſſi, ac Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refecti, aliquam prædicti Ordinis vtriuſque ſexus eccleſiam, die feſto prædicti S. Didaci, à primis veſperis, vſque ad occaſum Solis eiuſdem diei, deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordiâ, hæreſum exſtirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgētiam & remiſſionem miſericorditer, in Domino concedimus & elargimur. Non obſtātibus conſtitutionibus Apoſtolicis ac Kalendarij, Breuiarij, & Miſſalis Romani diſpoſitionibus & regulis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem vt præſentium tranſſumtis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die vigeſimâ ſextâ Martij, Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Totâ Eccleſiâ feſtum eius celebrandum.

Indulgentia plenaria in eius feſto.

M. Veſtrius Barbianus.

SANCTÆ
CLARÆ VIRGINIS
ASSISIATIS,

Secundi Ordinis S. Franciſci primigeniæ, ſancti-
tate & miraculis clariſſimæ

VITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

*S*ANCTÆ *Claræ virginis Aſſiſiatis, D. Franciſci, ex ſecundo eius Ordine primogenitæ, ſubijcio vitam; quæ nomine ſuo, virtutibus, ſanctimoniâ, & miraculis multo fuit clarior. Terrarum orbis teſtatur, quâ Catholicus fuit, & nunc eſt, quàm latè. Secundus hic Ordo à S. Franciſco Virginibus præformatus, propagatus ſit: nec puto huius ſexus in Eccleſiâ frequentiorem alium. Sanè quibus à mundo ſeceſſus, & ab eius curâ; quibus ſolitudo, diu noctuque longæ praeces, quotidiana ieiunia, ab eſu carnis abſtinentia perennis, pietatis denique multa & ardua exercitia cordi ſunt; tales plurimùm ad ſe hoc inſtitutum conducit. habuit olim, & nunc quoque reginas habet & principes, præter nobiles de communi notâ, quibus velut margaritis ac pretioſiſſimis vnionibus hæc virginum corona decoratur. Scribit S. Antoninus Hiſtorial. part. 3. tit. 24. cap. 6. huius ordinis hæc fuiſſe primordia.* S. Franciſcus anno Domini milleſimo ducenteſimo duodecimo inſtituit ordinem pauperum dominarum, quem antè per ſex annos futurum in Eccleſiâ Dei prophetauerat, dum eccleſiam S. Damiani ſolicitè reparabat: cuius prima plãtula fuit virgo Sanctiſſima Clara. Quam in eccleſiâ S. Mariæ de portiunculâ, attonſam & religionis veſte indutam, in monaſterio S. Pauli monacharum nigrarum pro cuſtodiâ collocauit. Demum ipſam ad eccleſiam S. Michaëlis de Panſo tranſtulit intra ciuitatem Aſſiſij; & finaliter ad eccleſiam S. Damiani extra muros, cum ſorore ſuâ Agnete, poſt multas ſuperatas tribulationes, incluſit.

Ordinis S. Claræ maxima incre-[redacted]

Eius initia.

ELOGIA.

Hartmannus Scheydel Hiſtoricus Neriburgenſis.

I. CLARA virgo admirabilis & ſanctiſſima, de ciuitate Aſſiſij, claro ſatis genere traxit originem: cuius pater miles, mater Ortulana dicta, D. Franciſci diſciplinis & exemplis, in diuino opere plurimùm erudita, apud Aſſiſium vrbem, virtute ſanctitatis & gratiâ, in pretio habita eſt. Quæ ad eccleſiam S. Damiani commigrans, collegium ſanctum pauperum dominarum, & Ordinem inchoauit. In hoc arcto recluſorio, per quadraginta duos annos mirandâ carnis ſuæ maceratione, & operibus virtutum claruit, diuerſa quoque miracula ſigno Crucis peregit. Cùm ſub Imperatore Frederico quaſſata eſſet Eccleſia, & in Aſſiſium hoſtilis furor irrueret: & Saracenorum gens apud Sanctum Damianum, intra clauſtrum virginum influeret: Clara infirma ad hoſtium agmen ſe duci iubet, & ante hoſtes poni, præcedente eam capſulâ argenteâ, in quâ erat Sacramentũ Euchariſtiæ; & in oratione cum lacrymis ait; Placet, mi Domine, inermes ancillas tuas manibus tradi paganorũ: cuſtodi famulas tuas? Illico ad aures eius intonuit; Ego vos ſemper cuſtodiam: & mox, qui muros aſcenderant, obſidionem dereliquerunt. In religioſo eius tranſitu Innocentius Quartus cum Cardinalibus eam viſitans, ab eo remiſſionem omnium peccatorum obtinuit. In Domino confortata, ſeptemdecim diebus nullum cibum ſumpſit:

Ortulana mater S. Claræ.

S. Clara hoſtes abarcet à ſuo cœnobio.

tan-

Agnes ſoror S. Claræ.

tandem ait ad animam ſuam; Vade ſecura, quia bonum itineris habes conductorem. In craſtino igitur B. Laurentij, egreditur anima illius ſanctiſſima, & ad S. Georgium, vbi corpus B. Franciſci primò conditum fuerat, deportatur. Agnes autem ſoror eius ad agni nuptias euocata, interiectis diebus ſubſecuta eſt. Et cùm ſanctiſſimè vſque ad vitæ exitum vixiſſet, & Dominus ad gloriam eius plura miracula feciſſet, Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, Alexander Quartus in Sanctarum catalogo eã aggregauit, & eius diei feſtum, pridie Idus Auguſti celebrari mandauit. *Sextâ ætate mundi.*

Bartholomæus Piſanus, Ordinis Minorum.

S. Clara primus lapis illius Ordinis.

2. Si quæris ſcire, quis & qualis fuerit lapis primarius ipſius Ordinis: & ſi poſſet dici, B. Franciſcus ipſius Ordinis inſtitutor: inter mulieres tamen fuit ipſa B. Clara, quæ inter filias Ieruſalem ſanctitate vitæ & meritis digniſſima & maxima reperitur. *Conform. fruc.* 8.

Philippus Bergomenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

3. Clara virgo ſanctiſſima, D. Franciſci diſciplinis erudita, his potiſſimùm temporibus apud Aſſiſium vrbẽ ſuam, virtute ſanctitatis & gratiæ, maximo in pretio habita, tamquã apis argumentoſa, vberes & mellifluos virginum fructus in Domini agro, cũ D. patre Franciſco & ipſa producere ſategit. Propter quod & Honorius & Gregorius ſummi Pontifices, eam honoribus & gratijs plurimùm proſecuti ſunt. Et cùm ſancta vſque ad vitæ exitum perſtitiſſet, Alexander Quartus eam in Sanctarum Catalogo aggregauit. *Sup. Chron. lib.* 13.

CAPITVM SERIES.

PROLOGVS *auctoris.*

I. Cap. *S. Claræ parentes: & de eius ſanctitate diuinum ad matrem oraculum.*

II. *Pueritiæ eius tenera pietas, & virtutum eius exercitatio.*

III. *Adit B. Franciſcum, qui ei contemtum mundi & amorem inſtillauit Chriſti.*

IV. *B. Franciſci conſilio prorſus mundum deſerit.*

V. *Retrahere conantur Claram amici: illa conſtans permanens, commigrat ad eccleſiam S. Damiani.*

VI. *Famâ ſanctitatis B. Claræ complures eius pietatem ſectantur.*

VII. *Sanctimonia eius longè lateque apud exteras celebratur nationes.*

VIII. *De eius humilitate.*

IX. *Flagrans eius amor in nudam paupertatem.*

X. *De quinquaginta panibus multiplicatis ex vno fruſtillo.*

XI. *Oleum diuinitus ei ſubminiſtratur.*

XII. *De carnis mortificatione, & auſterâ vitâ.*

XIII. *Exercitatio eius in oratione, à quâ dæmon abſtrahere conatur.*

XIV. *De admirandâ precum potentiâ, quâ Saraceni à monaſterio profligantur.*

XV. *Et Aſſiſium ab hoſtibus liberatum, orante Clarâ cum ſororibus.*

XVI. *De conuerſione Agnetis ſororis S. Claræ.*

Digitized by Google

XVII. *S. Clara dæmones precibus abarcet; & quantum illi tribuit Gregorius Papa IX.*
XVIII. *Magna eius deuotio in ſacroſanctam Eucharistiam.*
XIX *Nocte natalis Domini audit diuinum officium in Fratrum eccleſiâ, à quâ longè aberat.*
XX. *De magno eius affectu in Chriſti paſſionem.*
XXI. *Miracula complura ſigno Crucis effecit.*
XXII. *Quotidie ſorores imbuit ſalutaribus monitis & documentis.*
XXIII. *Deſiderio flagrat audiendi Verbum Dei.*
XXIV. *Beniuolentia eius in ſorores.*
XXV. *De infirmitate valetudinis eius.*
XXVI. *Vt eam inuiſerit Innocentius Quartus ſummus Pontifex cum ſuis Cardinalibus.*
XXVII *Migrat ex hac vitâ.*
XXVIII. *De eius exſequijs, & qui eas cohoneſtauerint. Agnes eius ſoror moritur.*
XIX. *Multa poſt mortem facit miracula.*
XXX. *S. Clara in Sanctorum album refertur.*

Bulla Canonizationis Alexandri IV. Pont. Max.
Commentarius ad Vitam S. Claræ Aſsiſiatis.

SANCTÆ CLARÆ VIRGINIS ASSISIATIS,

Secundi Ordinis S. Franciſci primigeniæ, ſanctitate & miraculis clariſſimæ VITA:

Iuſſu S.D.N. Alexandri Papæ Quarti, cùm eam in Sanctorum numerum retuliſſet, anno ab eius obitu ſecundo, ſcripta.

PROLOGVS AVCTORIS

Ad S.D.N. Alexandrum Papam IIII.

QVASI veterani mundi ſenectâ vrgente, fidei caligabat viſus, morum nutabat greſſus, marcebat virilium operum fortitudo; quinimo fæces temporum, fæces comitabantur etiam vitiorum: cùm amator hominum Deus, ex ſuæ pietatis arcano, ſacrorum Ordinũ ſuſcitans nouitatem, prouidit per eos & fidei fulcimentum, & reformandis moribus diſciplinam. Dixerim certè, modernos Patres cum veris ſequacibus, luminaria orbis, viæ ductores, vitæ magiſtros: in quibus meridianus fulgor mundo ad veſperam conſurrexit, vt lumen videat qui in tenebris ambulat. Nec decuit infirmioris ſexus adiutorium ſibi deeſſe, quem libidinis gurgite interceptum, non minùs ad peccandum trahebat voluptas, & magis fragilitas impellebat. Suſcitauit propterea pius Deus virginem venerabilem Claram: atque in eâ clariſſimam fœminis * lucernam accendit: quam, & tu Papa beatiſſime ſuper candelabrum ponens, vt luceat omnibus qui in domo ſunt, virtute cogente ſignorum, Sanctorum catalogo adſcripſiſti. Horum Ordinum te patrem colimus, te nutritium ſcimus, te protectorem amplectimur, te dominum veneramur: quem ſic permaximæ nauis regimen vniuerſale ſolicitat, vt paruæ quoque nauiculæ curam ſingularem, & ſolicitã non excludat. Sanè placuit Dominationi veſtræ, meæ paruitati iniungere, vt recenſitis actibus ſanctæ Claræ, Legendam eius formarem: opus certè quod mea ruditas multum formidabat, niſi Pontificalis auctoritas, verbum coràm poſito iterum atque iterum repetiiſſet. Igitur me colligens ad mandatum; nec tutum ratus per ea procedere, quæ defectiua legeram: ad ſocios beati Franciſci, atque ad ipſum collegium Virginum Chriſti perrexi; frequenter illud corde reuoluens, non licuiſſe antiquitus hiſtoriam texere, niſi iis qui vidiſſent, aut à videntibus accepiſſent. Iis, inquam, veritate præuiâ, cum timore Domini, me pleniùs inſtruentibus, aliqua colligens, & plura dimittens, plano ſtylo tranſcurri: vt, quia magnalia virgines legere delectabit, rudis intelligentia non inueniat, vbi pro verborum ambitu tenebreſcat. Sequantur ergo viri viros, Verbi incarnati nouos diſcipulos: imitentur fœminæ Claram, Dei matris veſtigium, nouam capitaneam mulierum. Vobis autem, ſanctiſſime Pater, ſicut in his corrigendi, ſubtrahendi, & addendi plena manet auctoritas: ita mea per omnia ſubiacet, concordat flagitatque voluntas. Valere vos faciat Dominus Ieſus Chriſtus, nunc & in æternum Amen.

Regulariũ ordinum vtilitas & laudes.

Quibus ad adiutorium in Eccleſia ſexus fœmineus deeſſe non debuit.

*Luc. 11. 33.

Qui velut cymbula magna Eccleſiæ nauis.

Quis verus hiſtoricus.

CAPVT I.

S. Claræ parentes, & de eius ſanctitate diuinũ ad matrem oraculum.

ADmirabilis fœmina, Clara vocabulo & virtute, de ciuitate Aſſiſij, claro

Patria Claræ Aſſiſium.

ſatis

ſatis genere, traxit originem: B. Franciſco primò fuit conciuis in terris, conregnans poſtmodum in excelſis. Pater eius miles, & tota vtroque parente progenies militaris. Domus abundans, & copioſæ iuxta morem patriæ, facultates.

Hortulana matris eximia pietas.

Mater eius nomine Hortulana, fructiferam in horto Eccleſiæ plantulam paritura, fructibus bonis & ipſa non mediocriter abundabat. Nam quamuis maritali iugo ſubdita; quamuis curis familiaribus alligata; vacabat tamen pro poſſe, diuinis obſequiis, inſiſtebat operibus pietatis.

Terram & loca ſancta inuiſit.

Vltra mare ſiquidem cum peregrinantibus deuota tranſiuit: & loca illa perluſtrans, quæ Deus homo ſacris veſtigijs conſecrauerat, tandem cum gaudio remeauit. Itẽ ad ſanctum Michaelem Archangelum cauſâ orationis acceſſit, & Apoſtolorum limina deuotiùs viſitauit. Quid plura? * *Ex fructu arbor cognoſcitur*, & fructus ex arbore comẽdatur.

*Luc. 6. 44.

Pręceſſit in radice diuini copia muneris: vt in ramuſculo ſequeretur abundantia ſanctitatis.

Ad crucem adoratur crucifixum.

Prægnans denique mulier: & partui iam vicina, cùm ante crucem, in eccleſiâ crucifixum attentè oraret, vt eã de partus periculo ſalubriter expediret: vocem audiuit dicentem ſibi: Ne paueas mulier: quia quoddam lumen ſalua parturies, quod ipſum mundum clariùs illuſtrabit.

Vbi futura S. Claræ claritas prædicitur.

Quo edocta oraculo, natam infantulam ſacro baptiſmate renaſcentem, Claram vocari iuſſit: ſperans promiſſi luminis claritatem, pro diuinæ beneplacito voluntatis, aliqualiter fore complendam.

CAPVT II.

Pueritia eius tenera pietas, & virtutum exercitatio.

EDITA mox in lucem paruula Clara, tempeſtiuè ſatis in vmbrâ ſæculi cœpit clarere lumine, atque intra teneros annos morum ſplendere probitate.

Mater eam docet rudimenta fidei.

Docili corde primùm ex matris ore fidei rudimenta ſuſcepit; & ſpiritu interiùs conflante pariter & formante, vas reuerâ puriſsimum, vas innotuit eſſe gratiarum. Extendebat libenter ad pauperes manum ſuam; & de abundantiâ domus ſuæ ſupplebat inopias plurimorum. Et vt ſuum ſacrificium gratius eſſet Deo: proprio corpuſculo delicata ſubtrahebat cibaria, clamque per internuncios mittens reficiebat viſcera pupillorum.

Cibos ſuos pauperibus deſtinabat.

Sic * ab infantiâ ſecum miſeratione creſcente, mentem compaſsiuam gerebat, miſerorum miſerias miſerantem.

* Iob 31. 18.

Sanctæ orationis ſtudium habebat amicum: vbi ſæpiùs odore bono reſperſa, paulatim vitam cælibem actitabat.

Sphæralis vſa precatorijs orabat.

Et quia ſignacula non habebat, quorum euolutione diceret Orationes Dominicas: congerie lapillorum ſuas oratiunculas Domino adnumerabat. Vbi ergo ſancti amoris ſtimulos primitus ſentire cœpit, mundani floris picturam inſtabilem iudicat contemnendam: & Spiritus ſancti vnctione prædocta, vilibus rebus pretium imponere vilitatis. Sub veſtibus namque pretioſis ac mollibus ciliciolum gerebat abſconditum; mundo exteriùs florens, Chriſtum interiùs induens. Denique ſuis eam nobiliter maritare volentibus, nullatenus acquieuit: ſed diſsimulato in poſterum mortali coniugio, virginitatem ſuam Domino cõmendabat.

Virginitatem ſuam Domino cõmendabat.

Talia fuerunt in domo maternâ ſuæ delibamenta virtutis: tales primitiæ ſpiritus, talia præludia ſanctitatis. Tantis itaque redundantem vnguentis, velut cellam aromatum licet clauſam, ipſâ ſuâ fragrantiâ manifeſtat. Ore quidem viciniorum laudari neſcia cœpit: & ſecretos actus veridicâ famâ prodente, rumor bonitatis eius vulgabatur in populo.

CAPVT III.

Adit B. Franciſcum qui ei contemptum mundi & amorem inſtillauit Chriſti.

AVDIENS verò tunc celebre nomen Franciſci, qui velut nouus homo obliteratam in mũdo viam perfectionis, nouis virtutibus renouabat: mox alloqui eum deſiderat & videre; ſuadente hoc ipſum patre ſpirituum, cuius iam vterque, licet differenter, acceperat primitiua. Nec minus ille, tam gratioſæ puellæ celebri famâ perflatus, videre hãc & alloqui cupit: ſi quo modo, qui totus inhiabat ad prædã, regnumq; mundi debellaturus aduenerat, nobilem iſtam prædam ſæculo nequam poſſit eripere, ſuoque Domino vendicare. Viſitat ille iſtam, & ſæpiùs

iſta illum, viſitationum ſuarum tempora moderantes: quibus diuinum illud ſtudium, nec percipi ab homine poſſit, nec rumore publico detrectari. Nam vnicâ tantùm familiari ſociâ comitante, paternos lares puella egrediens, clandeſtinos ad virum Dei frequentabat acceſſus; cuius ſibi verba flammãtia, cuius ſupra hominem opera videbantur. Hortatur eam pater Franciſcus ad mundi contemtum; ſpeciem ſæculi aridam, & ſpem deceptiuam viuo ſermone demonſtrans. Inſtillat auribus eius dulcia connubia Chriſti: ſuadens virginalis pudicitiæ margaritam, beato illi ſponſo, quem amor humanauit, fore ſeruandam. Quid immorer multis? Inſtante patre ſanctiſſimo, & more fideliſſimi paranymphi ſolerter agente, non trahit in longum virgo conſenſum. Aperitur ei protinus æternorum intuitus gaudiorum: quorum conſpectu mundus ipſe vileſceret, quorum deſiderio à ſemetipsâ liqueſceret, quorũ amore ad ſupernas nuptias anhelaret. Cæleſti namq; igne ſuccenſa, terrenæ gloriam vanitatis ſic ex alto contemſit: vt nihil de mundi plauſu eius affectibus inhæreret. Carnis quoque illecebras perhorreſcens, iam thorum in delicto ſe neſcituram proponit: ſoli Deo de corpore ſuo templum facere cupiens, & magni Regis connubia virtute promereri contendens. Ex tunc Franciſci conſilio ſe totã committit: ipſum poſt Deum ſtatuens ſuæ directionis aurigam. Pendet exinde anima eius ad ſacra illius monita: & de bono Ieſu, calido excipit pectore, quic quid promit ille ſermone. Moleſtè iam fert ſæcularis ornatus decorem: & quaſi ſtercus arbitrabatur omnia, quæ foris applaudunt, vt Chriſtum lucrifacere poſſit.

Nota quod ſtudioſè obſeruet.

Accenditur monitis S. Franciſci ad contemtum mũdi.

CAPVT IV.

Beati Franciſci conſilio prorſus mundum deſerit.

PROTINVS ne ſpeculum illibatæ mentis mundanus puluis vlteriùs inquinet, aut contagio ſæcularis vitæ azymam fermentet ætatem: properat Claram educere pius pater de ſæculo tenebroſo. Inſtabat Palmarum dies ſollemnis, cùm ad virum Dei puella feruido corde ſe confert; ſciſcitans de ſuâ conuerſione, quando & qualiter ſit agendum. Iubet pater Franciſcus, vt in feſto comta & ornata procedat ad palmam, cum frequentiâ populorum: ac nocte ſequenti exiens extra caſtra, mundanum gaudium conuertat in luctum Dominicæ paſſionis. Die itaque dominico veniente, in turbâ dominarum ſplendore feſtiuo puella præradians, cum reliquis intrat eccleſiã. Vbi illud digno præſagio contigit, vt ceteris ad ramos concurrentibus, dum Clara prę verecundiâ, ſuo in loco maneret immota: Pontifex per gradus deſcendens vſq; ad eam accederet, & palmam ſuis in manibus poneret. Nocte ſequẽti ad ſancti Patris mandatũ ſe præparatis, optatam fugam cum honeſtâ ſocietate aggreditur. Cumque oſtio conſueto exire non licuit, aliud oſtium quod lignorum & lapidum pondera obſtruebant, mirandâ ſibi fortitudine propriis manibus reſerauit. Igitur domo, ciuitate, & conſanguineis derelictis, ad ſanctam Mariam de Portiunculâ feſtinauit: vbi fratres qui in aulâ Dei ſacras excubias obſeruabant, virginem Claram cum luminaribus receperũt. Mox ibi reiectis ſordibus Babylonis, mundo libellum repudij tradidit: ibi manu fratrum crines deponens, ornatus varios dereliquit. Nec decuit alibi florigeræ virginitatis ordinẽ, ad veſperam temporum excitari, quàm in eius aulâ, quæ prima omnium atque digniſſima ſola extitit mater & virgo. Hic locus ille eſt, in quo noua militia pauperum, duce Franciſco, felicia ſumebat primordia: vt liquidò videretur, vtramque Religionem mater miſericordiæ in ſuo diuerſorio parturire. Cùm autem corã altari beatæ Mariæ, ſanctæ pœnitentiæ ſuſcepiſſet inſignia, & quaſi ante thorum huius virginis, humilis ancilla Chriſto nupſiſſet: ſtatim eam ad eccleſiam ſancti Pauli ſanctus Franciſcus deduxit, donec aliud prouideret Altiſſimus in eodem loco mauſoleum.

Notavit quem mu- temans v- gines caj eunda.

Ad S. Mariam Portiuncula Deo conſecratur demtis crinibus.

CAPVT V.

Retrahere conantur Claram amici; illa conſtans permanens commigrat ad eccleſiam S. Damiani.

AD cõſanguineos autẽ rumore volante, dilacerato corde factum &

pro-

propoſitum virginis damnant: & conglobati in vnum currunt ad locũ, tentant quod obtinere non poſſunt. Violentiæ impetum, venena conſiliorum, blanditias adhibẽt promiſſionum: ſuadentes ab huiuſmodi vilitate diſcedere, quia nec generi congruat, nec exemplum habeat in contratâ. At illa pannos apprehendens altaris, caput denudat attonſum: firmans ſe nullatenus à Chriſti ſeruitio vlteriùs auellendam. Creſcit animus bello creſcente ſuorũ; vireſque miniſtrat amor iniuriis laceſſitus. Sic per plures dies, cum in viâ Domini obicem pateretur, & ſui ſe opponerẽt eius propoſito ſanctitatis; non collapſus eſt animus, non feruor remiſſus: ſed inter verba & odia, ad ſpem animum tamdiu reformat, donec propinqui retuſâ fronte quieſcunt. Paucis interiectis diebus, ad eccleſiam ſancti Angeli de Panſo tranſiuit: vbi cùm non plenè mens eius quieſceret, tandem ad eccleſiam ſancti Damiani, beati Franciſci conſilio commigrauit. Ibi mentis anchoram quaſi in certo figẽs, non iam pro loci mutatione vlteriùs fluctuat, non pro arctitudine dubitat, nec pro ſolitudine reformidat. Hæc eſt illa eccleſia, in cuius reparatione Franciſcus miro deſudauerat ſtudio, cuiuſq; ſacerdoti pecuniam obtulerat pro opere reparãdo. Hæc eſt, in quâ dum Franciſcus oraret, vox ad eum de ligno crucis dilapſa inſonuit; *Franciſce; vade, repara domum meam, quæ, vt cernis, tota deſtruitur.* In huius locelli ergaſtulo, cæleſtis amore ſponſi virgo ſe Clara concluſit; in hac ſe à mundi tempeſtate celans, corpus, quoad viueret, carcerauit. In huius cauernâ maceriæ, columba deargentata nidificans, virginum Chriſti collegium genuit, monaſterium ſanctum inſtituit, pauperum dominarũ ordinem inchoauit. Hîc in viâ pœnitẽtiæ, glebas membrorum terit, hic ſemina perfectæ iuſtitiæ ſeminat, hic inceſſu proprio ſignat veſtigia ſecuturis. In hoc arcto recluſorio per quadraginta duos annos, diſciplinæ flagellis frangit ſui corporis alabaſtrum: vt domus Eccleſiæ repleatur fragrantiâ vnguẽtorum. Vbi quam glorioſè conuerſata ſit, tunc demum apertè narrabitur, ſi quot & quantę animæ per eam ad Chriſtum venerint, primò narretur.

Mundi ingenium, abducere à pietate.

Propoſiti figit anchoram in loco S. Damiani.

Quadraginta duos annos exegit in monaſterio.

CAPVT VI.

Famâ ſanctitatis B. Claræ, complures eius pietatem ſectantur.

SPARGITVR enim paulò pòſt, opinio ſanctitatis virginis Claræ per proximas regiones: vt in odorem vnguentorum eius vndique mulieres currant. Feſtinant virgines, eius exemplo, Chriſto ſeruare quod ſunt; maritatæ caſtiùs agere ſatagunt: nobiles & illuſtres amplis contemtis palatiis, arcta ſibi monaſteria conſtruunt, atque pro Chriſto in cinere & cilicio viuere, magnam gloriam ducunt. Concitatur nihilominus ad coinquinata certamina iuuenum impetus: & ad carnis aſpernanda ludibria, per infirmioris ſexus exempla fortia prouocatur. Plures denique matrimonio iuncti, mutuo conſenſu continentiũ ſe lege vincientes, viri ad Ordines, vxores ad monaſteria tranſeunt. Mater filiam, filia matrem inuitat ad Chriſtum: ſoror ſorores allicit, & amita neptes. Omnes æmulo feruore Chriſto ſeruire deſiderant. Omnes huius vitæ angelicæ, quæ per Claram inclaruit, fieri participes optant. Innumeræ virgines Claræ rumoribus excitatæ, dum ad clauſtralem vitam tranſire non præualent, in paternis domibus ſine regulâ regulariter viuere ſtudent. Tanta hæc ſalutis germina virgo Clara ſuis parturiebat exemplis: vt in eâ videretur impleri propheticum illud; *Multi filij deſertæ magis, quam eius quæ habet virum.* Iſa. 54. 1.

Coniuges conſenſu ſuo in cœnobiis capiuntur diſtincti.

CAPVT VII.

Sanctimonia eius longè lateque apud exteras celebratur nationes.

INTEREA, ne cæleſtis huius benedictionis vena, quæ in valle Spoletanâ ſcaturiit, breues intra terminos concludatur: ſic diuinâ prouidentiâ deriuatur in amnem, vt fluminis impetus totâ Eccleſiæ lætificet ciuitatem. Pſal. 45. 5. Nam tantarum nouitas rerum longè lateque tranſiuit in orbem: & vbique animas cœpit lucrifacere Chriſto.

Clauſa manens Clara, toto clareſcere mundo
Incipit: & laudum titulis præclara refulget.

Numquam virtus in obſcuro manet.

Replet fama virtutum eius cameras dominarum illuſtrium, attingit Ducisſarum palatia: ipſarum quoq; penetrat penetralia Reginarũ. Flectitur nobilitatis apex ad eius ſectanda veſtigia: & à ſuperbi ſanguinis genere ſanctâ humilitate degenerat. Nonnullæ Ducum ac Regum matrimonio, dignæ, Claræ inuitante præconio, arctam pœnitentiam faciunt: & quæ potentibus nupſerant, Claram ſuo modulo imitantur. Ornantur monaſteriis innumeræ ciuitates: ipſa quoque campeſtria & montana, huius cæleſtis ædificij fabricâ decorantur. Multiplicatur caſtitatis cultus in ſæculo, Clarâ ſanctiſſimâ præcedente: & rediuiuus ordo virgineus in medium reuocatus eſt. His beatis floribus quos Clara parturiit, fæliciter hodie vernat Eccleſia: quibus & ipſa fulciri poſtulat dicens; *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* Sed iam ad propoſitum ſtylus redeat: vt eius conuerſatio qualis fuerit, innoteſcat.

Cœnobia ornant oppida & agros.

Cant. 2. 5.

CAPVT VIII.

De eius humilitate.

HAEc ſui Ordinis lapis primarius, ac nobile fundamentum, in fundamento ſanctæ humilitatis, virtutum omnium fabricam, ab ipſo principio ſtuduit collocare. Beato namque Franciſco obedientiam ſanctam promiſit, & à promiſſo nullatenus deuiauit. Triennio verò poſt ſuam conuerſionem, nomen & officium Abbatiſſæ declinans, humiliter ſubeſſe voluit potiùs quàm præeſſe: & inter Chriſti ancillas ſeruire libentiùs quàm ſeruiri. Cogente autem beato Franciſco ſuſcepit tandem regimen dominarum; de quo in corde ſuo timor, non tumor exoritur, nec libertas ſed ſeruitus augmentatur. Quo enim iam aliqualis prælationis ſpecie altior cernitur, eò reputatione propriâ vilior, obſequio promtior, cultu deſpectior reperitur. Nullos iam famularum reſpuit actus: adeò vt plerumque ſororum manibus aquam infunderet, ſedentibus aſſiſteret, comedentibus miniſtraret. Inuita valde aliquid præcepit, ſpontanea verò facit: magis eligens per ſeipſam facere, quàm ſororibus imperare. Infirmarum ſedilia ipſa lauabat, ipſa tergebat: ſuo illo nobili ſpiritu nec ſordida fugiens, nec fœtida perhorreſcens. Pedes famularum deforis reuertentium ſæpiùs abluit, & ablutis oſcula imprimit. Lauabat ſemel cuiuſdam ſeruientis ſororis pedes: quos dum deoſculari properat, illa tantam humilitatem non ferens, pedem ſubtrahit, dominamque ſuam pede in ore percuſſit. At illa pedem famulæ blandè reſumit, & ſub ipſâ plantâ ſtrictum oſculum figit.

Obedientiam promittit B. Franciſco.

Abbatiſſa creatur.

Sororum ſuarum ancilla.

Quarum pedes ablutos oſculatur.

CAPVT IX.

Flagrans eius amor in nudam paupertatem.

PAVPERTATEM ſpiritus, quæ vera humilitas eſt, paupertatem rerum omnium continebat. Primùm in ſuæ conuerſionis initio, paternam hæreditatem, quæ ad eam peruenerat, diſtrahi fecit: ſibique de pretio nihil reſeruans, totum pauperibus erogauit. Hinc ſæculo foris relicto, mente intus ditatâ, poſt Chriſtum ſine ſacculo exonerata percurrit. Tantum denique cum ſanctâ paupertate fœdus iniit, amoremque contraxit; vt nihil præter Dominum Ieſum vellet habere, nihil filias ſuas poſſidere permitteret, nil præter neceſſarium victum & veſtitum à ſororibus recipi, vel in poſterum reſeruari. Nequaquam cæleſtis deſiderij pretioſiſſimam * margaritam, quam venditis omnibus comparârat, arbitrabatur cum temporalium mordaci ſolicitudine poſſidendam. Inculcat ſuis frequenti ſermone ſororibus, tunc acceptabile Deo illud fore collegiũ, cùm paupertate fuerit opulentum: & tunc perpetuò ſtabile permanſurum, ſi altiſſimæ paupertatis fuerit ſemper turre munitum. Hortatur eas in paupertatis nidulo, Chriſto pauperi conformari; quem paupercula mater in * arcto præſepio paruulum reclinauit. Hoc enim peculiari recordatorio, quaſi monili aureo ſuum fibulabat pectus: ne terrenorum puluis ad interiora tranſiret. Volens denique Religionem ſuam intitulari titulo paupertatis: à bonæ memoriæ Innocentio Tertio paupertatis priuilegium poſtulauit. Qui vir magnificus, tanto virginis feruore congratulans, ſingulare dicit eſſe propoſitum:

Vendens omnia dedit pauperibus.

** Mat. 13. 46.*

Paupertas turris & munimentũ inſtituti.

** Luc. 2. 7.*

tum: quòd nunquam tale priuilegium à ſede Apoſtolicâ fuerit poſtulatũ. Et vt inſolitæ petitioni fauor inſolitus arrideret; Pontifex ipſe cum hilaritate magnâ petiti priuilegij primam nouellam ſuâ manu conſcripſit. Felicis recordationis dominus Papa Gregorius, vir, ſicut Sede digniſſimus, ita & meritis honorãdus; paterno affectu ſanctam iſtam arctiùs diligebat. Cui cùm ſuaderet, vt propter euentus temporum & pericula ſæculorum, aliquas poſſeſsiones aſſentiret habere, quas & ipſe liberaliter offerebat: fortiſsimo animo reſtitit, & nullatenus acquieuit. Ad quam reſpõdente Põtifice; Si votum formidas, nos te à voto abſoluimus: Sancte Pater, ait, nequaquam à Chriſti ſequelâ in perpetuum abſolui deſidero. Eleemoſynarum fragmina, panumque minutias, quas eleemoſynarij deportabant, valde hilariter ſuſcipiebat: & quaſi mœſta de panibus integris, exultabat potiùs in fragmẽtis. Quid multa? Satagebat pauperi crucifixo paupertate perfectiſsimâ cõformari: vt nulla res peritura amantem ab amato ſecluderet, aut curſum eius cum Domino impediret. Occurrunt ecce duo miranda, quæ paupertatis amatrix meruit operari.

A voto paupertatis & Chriſti ſequelâ non cupit abſolui.

CAPVT X.

De quinquaginta panibus multiplicatis ex vno fruſtillo.

VNICVS erat in monaſterio panis, cùm iam inſtarent & fames & hora comedendi. Diſpenſatrice vocatâ, iubet Sancta panem diuidere, partemque fratribus mittere, partem intùs pro ſororibus retinere. De quo retento dimidio, iubet quinquaginta fieri iuxta dominarũ numerum inciſuras: & eis in menſâ paupertatis apponere. Cui cùm deuota filia reſponderet, neceſſaria hîc fore antiqua * Chriſti miracula, vt tam modicũ panis quinquaginta reciperet ſectiones: reſpõdit mater, & dixit; Fac filia ſecurè quod dico. Properat filia matris implere mandata, properat mater ad Chriſtum ſuum, pia cum filiabus deſtinare ſuſpiria. Creſcit interea diuino munere, inter frangentis manus parua illa materia: & cuilibet de conuentu ſua extitit portio copioſa.

* Mat 14. 20. & c 15. 34. Ioan. 6 11.

CAPVT XI.

Oleum diuinitus ei ſubminiſtratur.

DIE quadam, Chriſti ancillis ſic ex toto defecerat oleum, vt nullum adeſſet, ſaltem pro debilibus condimentum. Accepit domina Clara vaſculum vnum, & humilitatis magiſtra ſuis manibus lauat: ponit vas vacuum ſeorſum, vnde frater eleemoſynarius illud accipiat; & vocatus eſt ipſe frater, vt pro acquirendo oleo vadat. Accelerat deuotus frater, vt ſuccurrat inopiæ tantæ, & ad ſumendum vaſculum currit. * *Non enim volentis eſt, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Etenim ſolo influente Deo, vas illud plenum oleo reperitur, præueniente ſanctæ Claræ oratione fratris obſequium, in ſolamen pauperum filiarum. At verò frater prædictus, quaſi fruſtrà vocatus fuiſſet, ſubmurmurans dixit; Deriſoriè me iſtæ feminæ vocauerunt, cùm, ecce, vas plenum exiſtat.

Rom. 9. 16.

CAPVT XII.

De carnis mortificatione, & auſterâ vitâ.

DE mirandâ carnis maceratione, ſilere magis quàm loqui forſitan expediret: cùm talia fecerit, in quibus audientium ſtupor cum veritate rerum contendit. Non illud magnum quòd ſimplâ tuniculâ, & vili mãtello, de rudi panno tegebat potiùs, quàm fouebat corpuſculum: nec id mirandum, quod calceamenti vſum penitus ignorauit; non magnum erat omni tempore continuare ieiunia, nec vti lectulo ſine plumâ: in his enim dũ reliquas in ſuo clauſtro habuit ſimiles, laudes fortaſſe non meruit ſingulares. Sed quæ conuentio carnis virgineæ ad veſtem porcinam? Procurauerat enim ſibi virgo ſanctiſſima, veſtem de corio porci: quam verſâ ad carnẽ hiſpidâ tonſurâ pilorũ, ſecretò ſub tunicâ deferebat. Vtebatur nonnunquã duro cilicio de pilis equorum nodoſè conſerto: quod hinc inde chordulis rudibus ſtringebat ad corpus. Hãc veſtem vni de filiabus, dum petenti accommodaſſet, illaque ſe veſtiſſet; tantæ protinus aſperitati ſuccũbens, non tam

Corio porcino aſperato ſetis induta fuit.

Cilicio vtebatur.

hilariter petit, quàm celeriter poſt triduum reſignauit. Nuda humus, & interdum ſarmenta vinearum, erant pro lectulo; lignumque durum præſtabat ſub capite officium puluinaris. *Lectus aut humus aut vitium ſarmenta.* Proceſſu verò temporis, ſcorteũ debilitato corpori ſtrauit; & capiti modicam paleam clementer indulſit. Poſtquam autem corpus tam ſeuerè tractatum, longa cœpit occupare infirmitas: iubente beato Franciſco, ſacco pleno paleis vſa eſt. Porrò in ieiuniis tantus erat rigor abſtinentiæ ſuæ, vt de viatico tenui, quod ſumebat vix corporaliter viueret; niſi eam virtus alia ſuſtentaret. *Ieiunia dura & crebra.* Sanitatis namque tempore, maiorem Quadrageſimam, & Quadrageſimam ſancti Martini, quotidie in pane & aquâ ieiunans, ſolis diebus Dominicis vinum ſi habebat, guſtabat. Et vt mireris, lector, quod imitari non potes; tribus diebus in hebdomadâ, ſecundâ videlicet, quartâ, & ſextâ feriâ; nihil in illis Quadrageſimis ſumebat in cibum. Sic alternatim dies penurioſæ refectionis, & dies acerbæ mortificationis ſibi inuicem ſuccedebant: vt vigilia perfectæ inediæ, quaſi in feſtum ſolueretur panis & aquę. Non mirum ſi tanta rigiditas multo tempore obſeruata, Claram infirmitatibus ſubdidit; ſi vires conſumpſit, ſi vigorem corporis eneruauit. Compatiebantur propterea sãctæ matri deuotiſſimę filiæ: ac mortes illas, quas quotidie voluntariè ſuſtinebat, lachrymis deplorabant. Prohibuêre tandem beatus Franciſcus, & Epiſcopus Aſſiſij, Sanctæ Claræ, illud trium dierum exitiale ieiunium: præcipientes, vt nullum tranſeat diem, quin ſaltem vnciam & dimidiam panis ſumat in paſtum. *Quotidianus eius cibus.* Cumque grauis afflictio corporum afflictionem ex more generet animorum: longe aliter effulgebat in Clarâ. Seruabat enim in omni ſuâ mortificatione vultus feſtiuos & hilares: vt vel non ſentire, vel deridere videretur anguſtias corporales. Ex quo liquidò datur intelligi, quòd ſancta lætitia quæ interiùs abundabat, exteriùs redundabat: quoniam flagella corporis leuigat amor cordis.

CAPVT XIII.

Exercitatio eius in oratione, à quâ dæmon abſtrahere conatur.

QVA verò ſic in carne præmortuâ, ſic erat à mũdo penitus aliena; continuò ſacris orationibus, & diuinis laudibus animum occupabat. Feruentiſſimam interni deſiderij aciem fixerat iam in lucem: & quæ globum tranſcenderat terrenorum voluminum, ſinum mentis latiùs expandebat imbribus gratiarum. *In precibus lachrymæ.* Longis poſt Completorium tractibus, cùm ſororibus orat: & lachrymarum profluuia, dum in ipsâ prorumpunt, in ceteris excitantur. Poſtquam verò ceteræ feſſa membra duris abibant refouere cubilibus; ipſa in oratione peruigil, & inuicta manebat: vt tunc *Venas diuini ſuſurrij furtiuè ſuſciperet*, quando ſopor ceteras occupaſſet. *Iob. 4. 12* Sæpiſſimè ad orationem proſtrata in faciem terram infundit lachrymis, oſculiſque demulcet: vt ſemper ſuum Ieſum tenere videretur in manibus, in cuius pedes lachrymæ illæ fluant, & oſcula imprimantur. *Tenet dilectum nec dimittit.* Lachrymanti ſemel profundâ nocte adſtitit angelus tenebrarum, in formâ nigri pueruli; & ipſam monuit dicens; Ne tantùm plores, quoniam cæca fies. Cui cùm illicò reſponderet; Cæcus non erit, qui Deum videbit; confuſus ille diſceſſit. Eâdem nocte poſt matutinum orante Clarâ, & irriguo ſolito balneata, monitor fraudulentus acceſſit; Ne tantum, inquit, fleueris, ne tam diu reſolutum cerebrum per nares emunxeris: quoniam adhuc tortum naſum habebis. Quâ celeriter reſpondente; Torturam nullam patitur, qui Domino famulatur: ſtatim elapſus euanuit. Quantam ſui mutationem, in fornace feruentis orationis accipiat, quantum ſibi in illâ fruitione bonitas diuina indulceſcat; ſolita indicia probãt. *Ex oratione feruente, mira & calida monita.* Cùm enim ab oratione ſanctâ cum iocunditate redibat, calida verba, & quę ſororũ pectora ſuccẽdebant, de ignẽ altaris Domini reportabat. Mirabantur enim quãdam dulcedinem ex eius ore procedere, & clarioré ſolito faciem apparere. Parauerat certè in dulcedine ſuâ pauperi Deus: *Pſal. 67. 11.* & mẽtem quam in oratione lux vera repleuerat, exteriùs corporaliter exemplabat. Sic in mundo labili,

ſponſo

ſponſo ſuo nobili, non labiliter iuncta; continuè deliciatur in ſuperis: ſic in rotâ verſatili, virtute ſtabili fulta, & in vaſe fictili theſaurum gloriæ claudens, carne in imis, mente permanet in excelſis. Mos erat ei ad matutinum præuenire iuuenculas, quas per ſigna ſilenter excitās, prouocabat ad laudes. Sæpe ceteris dormientibus lampades accendebat; ſæpe campanam propriis manibus ipſa pulſabat. Nullus erat torpori, nullus in ſuo clauſtro deſidiæ locus: vbi orandi, & Domino ſeruiendi pigritiam aſpera inuectio ſtimulabat.

CAPVT XIIII.

De admirandâ precum eius potentiâ, quâ Saraceni à monaſterio profligantur.

LIBET hîc orationū eius recitare magnalia: ſicut veritate fideliſſima, ſic & veneratione digna. Illâ tempeſtate, quam ſub Imperatore Frederico, in diuerſis mundi partibus ſuſtinebat Eccleſia; Vallis Spoletana de calice iræ frequentiùs imbiberat. Erant in eâ, pro ciuitatū expugnatione, Imperiali iuſſu conſtitutæ acies militum, & Saracenorum Sagittariorū examina velit apum. Cumque in Aſſiſium peculiarem Domini ciuitatem, hoſtilis ſemel furor irrueret, & iam ipſis portis exercitus appropinquaret: Saraceni gens peſſima, qui ſanguinem ſitiunt Chriſtianum, & omne nefas impudentiùs audent; apud ſanctum Damianū intra loci terminos, imo intra clauſtrū virginū influxerūt. Liqueſcūt dominarū corda timoribus, tremūt formidine verba; & ad matrem referunt fletus ſuos. Quę impauido corde ſe infirmam ad oſtium duci iubet, & ante hoſtes poni; præcedēte eam capſâ argenteâ intra ebur incluſâ, in quâ Sancta ſanctorum deuotiſſimè ſeruabātur, ſacratiſsimum ſcilicet corpus Chriſti. Cumque ſe totam in oratione coram Domino proſtrauiſſet, Chriſto ſuo cum lachrymis ait; Placet mi domine inermes ancillas tuas, quas tuis amoribus innutriui, manibus ecce tradere paganorū? Cuſtodi precor Domine has famulas tuas, quas ipſa in pręſenti articulo cuſtodire non poſſum. Mox de nouæ gratiæ propitiatorio, vox quaſi pueruli, ad eius aures inſonuit; Ego vos ſemper cuſtodiā. Mi Domine, ait, & hanc, ſi placet, protege ciuitatem: quia nos pro tuo amore ſuſtentat. Et Dominus ad eam; Grauamina ſuſtinebit: ſed meo munimine defendetur. Tunc virgo lachrymoſam erigens faciem, flentes confortat, dicēs; Fideiubeo vobis filiolæ, quòd nihil patiemini mali: tantùm in Chriſto confidite. Nec mora: ſtatim canum illorum repręſſa paueſcit audacia: & per muros, quos aſcenderant, celeriter exeuntes, orantis virtute deturbati ſunt. Confeſtim Clara illis, quæ vocem prædictam audierant, ſtudioſè interminatur dicēs; Cauete per omnem modum, chariſſimæ filiæ; ne vocem illam dum corpus ago, cuiquam referatis.

Fredericus II. imperator hoſtis Eccleſiæ.
Ier. 25. 15.

Saraceni in cœnobium irrumperunt.

Quos abegit precibus ad SS. Euchariſtiam.

Oratio munimentum tutiſſimum

CAPVT XV.

Et Aſſiſium ab hoſtibus liberatum orante Clarâ cum ſororibus.

ALIO quoque tempore, Vitalis de Auerſâ, vir gloriæ cupidus, & in prœlius animoſus; Imperialem exercitum, cui Capitaneus præerat, admouit contra Aſsiſium. Terram itaque nudauit arboribus, adiacentia cuncta vaſtauit: & ſic in ciuitatis obſidione reſedit. Firmat verbis minacibus ſe inde nullatenus receſſurum, donec ipſam habuerit ciuitatem. Iamque ad id deuentum erat, vt de ciuitatis periculo in proximo timeretur. Quod cùm audiſſet Clara famula Chriſti, vehementer ingemuit: & ſororibus ad ſe vocatis ait, Ab iſtâ ciuitate, chariſſimæ filiæ, multa quotidie bona ſuſcipimus: impium valdè eſt, ſi non in tempore oportuno ei, prout poſſumus, ſuccurramus. Iubet adferri cineres, iubet capita nudare ſorores. Ac primò ſuum exopertum caput cinere multo conſperſit: deinde ſuper illarum capita cinerem ponit. Pergite, inquit, ad Dominum veſtrum, & liberationē ciuitatis totis affectibus poſtulate. Quid ſingula narrem? quid virginum lachrymas? quid preces repetam violentas? Facit miſericors Deus ſequenti nocte * cum tentatione prouentum: vt toto diſſoluto exercitu, & ſuperbus homo contra vota diſcederet, & terram illam vlteriùs non vexaret. Nam & ipſe Dux belli paulò pòſt gladio interemtus eſt.

Cineribus capita conſperſis & precibus ſorores liberant vrbē

1. Cor. 10. 13.

CAPVT XVI.

De conuerſione Agnetis ſororis ſanctæ Claræ.

VERVM nec illa ſuæ orationis virtus mirifica debet ſilentio ſepeliri, quâ in ipſo conuerſionis initio vnam animam ad Deum conuertit, conuerſam defendit. Habebat namque ſororem æquè teneram, carne ac puritate germanam: cuius conuerſionem deſiderans, inter precum primitias, quas Deo plenis affectibus offerebat, hoc poſtulabat obnixiùs: vt ſicut cum ſorore habuerat in ſæculo cohærentiam animorum, ita iam in Dei ſeruitio, fieret inter eas vnitas voluntatum. Orat igitur inſtanter patrem miſericordiæ, vt relictæ in domo ſorori Agneti mundus deſipiat, dulceſcat Deus: eamque ſic à propoſito carnalium nuptiarum, ad ſui amoris copulam transferat; quatenus vnà ſecum in virginitate perpetuâ, ſponſo gloriæ nubat. Mirandus enim vtrique inſederat mutuus amor; qui nouam diuulſionem, licet affectu diſsimili, vtrique fecerat doloroſam. Fauet celeriter diuina maieſtas egregiæ oratrici: primum illud donum quod precipuè poſtulat, quodque magis Deum exhibere delectat, feſtinantiùs elargitur. Nam poſt ſedecim dies à conuerſione Claræ, Agnes diuino afflata ſpiritu, properat ad ſororem: eique ſuæ voluntatis arcanũ reſerat, dicens; ſe velle penitus Domino deſeruire. Quam illa gaudenter amplectens; Gratias, inquit, ago Deo, dulciſsima ſoror: quòd me de te ſolicitam exaudiuit. Miram conuerſionem ſatis eſt miranda defenſio ſubſecuta. Cùm enim felices ſorores, apud eccleſiam ſancti Angeli de Panſo, Chriſti veſtigiis inhærerent; atque illa quæ plus de Domino ſentiebat, ſuam erudiret nouiciam & germanam: repentè contra puellas noua conſanguineorum prælia ſuſcitantur. Audientes enim Agnetem ad Claram tranſiiſſe, currunt ad locum ſequenti die duodecim viri furore ſuccenſi; & conceptam malitiam diſſimulantes exteriùs, pacificum prętendunt ingreſſum. Moxque ad Agnetem cõuerſi (nam de Clarâ iam antea deſperauerant) Quid tu, inquiunt, ad locum iſtum veniſti? Feſtina quantocyus domum redire nobiſcum. Quâ reſpondente, nolle ſe à ſorore ſuâ Clarâ diſcedere; irruit in eam miles vnus animo efferato; & pugnis calcibuſque non parcens, eam per capillos abſtrahere conabatur, ceteris impellentibus, & ſuis brachiis leuantibus eam. At proba iuuencula, dum quaſi à leonibus capta, de manu Domini raperetur, exclamat dicens; Adiuua me ſoror chariſſima, nec me Chriſto Domino tolli permittas. Cùm ergo violẽti prædones adoleſcentulam renitentem, per deuexum montis abſtraherent, veſtes abrumperent, vias crinium laceratione complerent: Clara cum lachrymis in oratione procumbẽs, petit ſorori mentis conſtantiam tribui, petit vires hominum diuinâ potentiâ ſuperari. Confeſtim verò tanto pondere, corpus illius in terrâ iacentis figi videtur: vt illam plures homines, ſuis conatibus adnitentes, nequaquam valeant vltra quendam riuulum abſportare. Accurrentes etiam aliqui de agris & vineis, auxilium illis præſtare contendunt: ſed corpus illius de terrâ leuare nullatenus poſſunt. Dumque in ſuo conatu deficiunt, verbo luſorio miraculum extollunt dicentes; Totâ nocte plumbum comedit: & ideo ſi põderat, non eſt mirum. Nam & dominus Monaldus patruus eius, cùm in tantâ rabie conſtitutus, vellet eam letaliter pugno percutere: manum quam leuauit ſubitò dirus dolor inuaſit, eumque vſque ad plura tempora doloris anguſtia cruciauit. Ecce autem poſt longum agonem, Clara pergens ad locum rogat propinquos à tali conflictu diſcedere: & Agnetem ſeminecem iacentem ſuæ ſolicitudini commendare. Quibus infecto negotio, cum amaro animo recedẽtibus, Agnes iucunda ſurrexit; & iam cruce Chriſti gaudẽs, pro quo hac primâ pugnâ certauerat, ſe diuinis ſeruitiis perpetuò mancipauit. Siquidem & beatus Franciſcus manu ſuâ ipſam totondit, & vnà cum ſorore in viâ Domini erudiuit. Verùm quia magnificam eius vitę perfectionem ſermo breuis explicare non poſſet, intendatur ad Claram.

Orat. B. Clara pro ſorore Agnete.

Quæ mox ſequitur Claram.

Pharao perſequitur Iſraelem fugientem.

Agnes vt propoſito immobilis, ſic loco.

CAPVT XVII.

S. Clara dæmones precibus abarcet: & quantum illi tribuerit Gregorius Papa IX.

MIRVM non eſt, ſi contra malitiam hominum Claræ oratio valeat, quæ etiam dæmones incendebat. Mulier enim quędam, Piſanę Diœceſis, deuota ſemel venit ad locum: vt Deo & S. Claræ gratias ageret, pro eo quòd meritis eius à quinque dæmoniis liberata fuiſſet. Fatebantur autem in ſui expulſione dæmonia, quòd ſeipſa orationes S. Claræ incenderent, & ex poſſeſſo vaſculo deturbarẽt. Non ſine cauſsâ Dominus Papa Gregorius, in huius Sanctæ orationibus fidem habebat mirabilem, quarum virtutem ſenſerat efficacem. Sæpe quidẽ nouâ (vt aſſolet) emergente difficultate, & cùm eſſet Oſtienſis Epiſcopus, & poſtquam ad culmẽ Apoſtolicum eſſet euectus; ſupplex eidem virgini per epiſtolam factus, poſcit ſuffragium, ſentit auxiliũ. Res certè ſicut humilitate conſpicuâ, ſic toto ſtudio imitanda: quãdo Chriſti Vicarius à Chriſti ancillâ opem efflagitat, & ſuis ſe virtutibus recommendat. Sciebat ſanè quid poſſet amor, & quàm liber aditus puris virginibus pateat ad conſiſtorium maieſtatis. Si enim Rex cælorum ſeipſum feruenter amantibus tribuit: quid eſt quod deuotè orantibus, ſi expedit, non conceditur?

Gregorius PP. IX. ſæpe preces exegit S. Claræ.

CAPVT XVIII.

Magna eius deuotio in ſacroſanctam Euchariſtiam.

QVANTVS B. Claræ, ad Altaris Sacramentũ fuerit deuotionis affectus, effectus oſtẽdit. In illâ enim graui infirmitate, quæ eam grabato affixerat, faciebat ſe erigi & fulcimẽtis adpoſitis ſuſtẽtari; & ſedens filabat delicatiſſimos pannos; de quibus vltra quinquaginta paria corporalium faciens, & ea ſericis vel purpureis thecis includẽs, per plana & mõtana Aſſiſij, variis eccleſijs deſtinabat. Corpus verò Domini ſuſceptura, calidis primò lachrymis irrigabatur: & accedens cum tremore, non minùs formidat in Sacramento latentem, quàm cælum terramq; regentem.

Corporalia facit in morbo.

CAPVT XIX.

Nocte natalis Domini audit diuinum officium, in fratrum eccleſiâ, à quâ longè aberat.

SICVT autem in infirmitate, Chriſti ſui memoriâ memor erat: ſic & Chriſtus eam in ſuis lãguoribus viſitabat. In illâ natiuitatis horâ, quando * paruulo nato, mundus cum Angelis iubilat: omnes dominæ ad matutinum in oratorium pergunt, & matrem infirmitatibus preſſam ſolam relinquũt. Cumque de paruulo Ieſu cogitare cœpiſſet, & multum doleret, quòd eius laudibus intereſſe non poſſet: ſuſpirans ait; Domine Deus! ecce ſola relicta ſum tibi in loco iſto. Et, ecce, repentè mirabilis ille concentus, qui in eccleſiâ ſancti Franciſci fiebat, ſuis cœpit auribus intonare. Audiebat iubilum fratrum pſallentium, harmonias cantantium attendebat, ipſum quoque percipiebat ſonitum organorum. Nullatenus tanta erat loci propinquitas, vt hæc attingere potuiſſet humanitus: niſi vel illa ſollemnitas ad eam fuiſſet ampliata diuinitus, vel eius ſupra humanum modum vigoratus auditus. Verùm quod totum hoc excellit miraculum ipſum, digna fuit Domini præſepe videre. Manè ad eam venientibus filiabus, dixit beata Clara; Benedictus Dominus Ieſus Chriſtus, qui me vobis relinquentibus non reliquit. Audiui reuera per gratiam Chriſti, tota illa ſollemnia, quæ in eccleſiâ ſancti Franciſci hac nocte celebrata ſunt.

** Luc. 2. 13.*

Aures Sanctorum valde ſenſiles.

CAPVT XX.

De magno eius affectu in Chriſti paſſionem.

FAMILIARIS ei planctus Dominicæ paſſionis, quæ ex ſacris vulneribus nunc myrrhatas affectiones exhaurit, nunc dulciora gaudia ſugit. Hanc lachryma Chriſti paſſi vehementer inebriat: & quem cordi ſuo profundiùs amor impreſſerat, frequenter memoria repræſentat.

Chriſti cruce docet ſilias ſtudere.

Docet nouitias Chriſtum plangere crucifixum: & ſimul quod verbis docet, factis exemplat. Nam ſæpe cùm in ſecreto ad talia hortaretur, præueniebat verborũ exitum irriguum lachrymarum. Inter horas diei, Sextâ & Nonâ, maiori compunctione afficitur; vt cum immolato Domino immoletur. Nam & ſemel horâ Nonâ orantem in cellulâ diabolus in maxillam percutiens, oculum ſanguine, genam liuore ſuffudit. Vt autem Crucifixi delitiis abſque intermiſſione paſceret mentem: orationem de quinque plagis Domini frequentiùs ruminabat. Officium Crucis, prout crucis amator Frãciſcus inſtituerat, didicit: & affectu conſimili frequentauit. Chordulam tredecim nodorũ ſcopulis annulatã, ſubtus ad carnem cingebat ſecretò, in memoriale vulnerũ Saluatoris. Aduenerat quodã tempore dies ſacratiſſimæ Cœnæ, * quã Dominus in finem dilexerat ſuos. Serò appropinquante Domini agoniâ, Clara contriſtata & mœſta in cellæ ſecretario ſe recluſit. Cumque * orantem Dominum orans proſequeretur, & triſtis vſque ad mortem anima triſtitiæ illius hauſiſſet affectum: iam comprehenſionis & totius illuſionis memoriâ ebriata, lecto reſedit. Totâ igitur nocte illâ, & die ſequenti, ſic abſorpta, ſic à ſeipsâ permanet aliena: vt irreuerberatis circa vnũ ſemper intẽta luminibus, confixa Chriſto, ac prorſus inſenſibilis videretur. Redit quædam familiaris filia ſæpe ad ipſam, ſi forte aliquid velit; & ſemper eodem modo ſe habere reperit. Nocte verò diei Sabbathi veniente, deuota filia candelam accendit: & præceptum ſancti Franciſci, ad matris memoriam ſigno non verbo reducit. Præceperat enim ſanctus Franciſcus, ne vllum ſine comeſtione tranſiret diem. Illâ igitur aſſiſtente, Clara, quaſi aliunde rediens, hoc protulit verbum; Quæ candelæ neceſſitas? nunquid non dies eſt? Mater, ait illa; nox abiit, & dies tranſiuit, noxque altera rediit. Cui Clara; Benedictus ſit iſte ſomnus, chariſſima filia: quoniam diu optatus, tandem donatus eſt mihi. Sed caue ne ſomnum iſtum cuiquam referas, dum vixero ipſa in carne.

Orationem de quinque Chriſti plagis frequentat.
Et officium Crucis à D. Franciſco compoſitũ.

*Ioã 13.1.

* Mat. 26. 39.

Vides morẽ veteranum & vſum cereos accendendi in honorem B. Mariæ.

CAPVT XXI.

Miracula complura ſigno Crucis efficit.

AMANTI vicem crucifixus amatus rependit: & quæ circa Crucis myſterium, tanto amore ſuccenditur, Crucis potentiâ in ſignis & miraculis illuſtratur. Signũ enim viuificæ Crucis dum morbidis applicat, morbos ab eis mirabiliter fugat. Tangam ergo ex multis aliqua.

1. Fratrem quendam nomine Stephanum, furiæ morbo laborantem, beatus Frãciſcus ad dominam Claram tranſmiſit: vt ſuper eum faceret ſignum ſanctiſſimæ Crucis. Magnam enim ſciebat eius perfectionem, & magnam in ipsâ venerabatur virtutem. Conſignat eum obedientiæ filia patris iuſſu: & in loco vbi ipſa orare ſolita erat, parumper dormire ſinit. At ille poſt modicum ſomnum ſolutus, ſanus exſurgit, & ad patrem liber ab inſaniâ rediit.

Furioſum ſanat ſigno S. Crucis ſignatum.

2. Puer quidam annorum trium nomine Matthiolus de ciuitate Spoleti, lapillum quendam incautè ſuis intruſerat naribus. Nemo illum ex eius naſo valebat educere, nec ipſe puer eiicere. Periclitatus anguſtiâ magnâ, ducitur ad dominam Claram: & dum ſigno Crucis eſſet ſignatus, ſtatim proiecto lapide liber efficitur.

Sic calculum ex naſo pueri reiecit.

3. Alius puer de Peruſio, totum habens oculum maculâ coopertum, ad ſanctam Dei famulam adductus eſt: quæ tacto pueri oculo ſignum Crucis impreſſit, & dixit; Ducite eum ad matrem meam, vt ipſa ſuper eum ſignum Crucis ingeminet. Mater etenim eius domina Hortulana ſuam ſecuta plantulam, poſt filiam ad Religionem tranſierat; & in horto concluſo cum virginibus vidua Domino ſeruiebat. Signo autem Crucis ab ipsâ recepto, illicò pueri oculus à maculâ expurgatus clarè & limpidè vidit. Aſſerit ergo Clara, puerum ipſum, ſuæ matris merito liberatum: declinat pondus laudum mater in filiam, ſe tantâ re fatetur indignam.

Item ex oculo laborantem curat.

Mater S. Claræ Hortulana ſecuta filiam.

4. Vna.

Fiſtula medetur B. Clara ſigno S. Crucis.

4. Vna de ſororibus nomine Benevenuta, plagam fiſtulæ ſub brachio duodecim fere annis perpeſſa fuerat, & per quinque foramina ſaniem emittebat. Cui compaſſa virgo Dei Clara, peculiare illud ſuum ſigni ſalutiferi admouit emplaſtrum: ſtatimque ad Crucis deſignationem, perfectam recepit annoſi vlceris ſanitatem.

Aliiſque grauibus morbis.

5. Alia de numero ſororum Amata vocabulo, tredecim menſibus aggrauata hydropiſi, febre inſuper & tuſſi, & lateris dolore confecta iacebat. Super quam domina Clara, pietate permota, ad ſuæ nobilis phyſicæ recurrit experimentum. Signat eam Cruce in nomine Chriſti ſui: & ſtatim reſtituit plenariæ ſanitati.

Vocem reſtituit perditam.

6. Alia Chriſti ancilla de Peruſio nata vocem per duos annos ita perdiderat, quòd vix exteriùs poterat formare ſermonem. Cumque in nocte Aſſumtionis Dominæ noſtræ, ſibi fuiſſet in viſione monſtratum, quòd domina Clara liberaret eam: diem cum deſiderio exſpectabat. Quâ illuceſcente ad matrem feſtinat, ſignum Crucis expoſtulat, vocem mox ſignata recuperat.

Surdam audire facit.

7. Soror quædam nomine Chriſtina, magno tempore in vnâ aure ſurditatem perpeſſa, multas contra malum illud, fruſtra tamen, fecerat medicinas. Cuius caput domina Clara clementer ſignat, aurem contrectat, auditúſque virtutem illico reparat.

Quinque ſorores ſignatas ſigno Crucis à morbis liberat.

8. Magna erat in monaſterio, ſororum multitudo languentium, diuerſis doloribus afflictarum. Ingreditur Clara locum ex more, cum ſuâ medicinâ ſolitâ: & ſigno Crucis quinquies facto, quinque ſtatim releuat à languore. Ex his profectò patet, in pectore virginis plantatam eſſe arborem Crucis; cuius dum fructus reficit animam, præbent exteriùs folia medicinam.

CAPVT XXII.

Quotidie Sorores imbuit ſalutaribus monitis & documentis.

SANE, quia erat magiſtra rudium, & quaſi in magni Regis palatio præpoſita puellarum: tantâ eas diſciplinâ formabat, tantoque fouebat pietatis amore, quòd ſermo nullus explebit. Docet primò ſtrepitum omnem de mentis hoſpitio pellere: vt ſolius Dei penetralibus valeant inhærere. Docet iam carnalium propinquorum amore non affici: *domumque propriam, vt Chriſto placeant, obliuiſci. Hortatur exactiones contemnere fragilis corporis, carniſque nugas imperio reſtringere rationis. Monſtrat inſidioſum hoſtem, occultos puris mentibus iniicere laqueos; aliter ſanctos, aliter tentare mundanos. Monet ad actiuam certis horis: eas hortans ita operari manibus ſuis, vt protinus ad Conditoris deſiderium, per orationis exercitium recaleſcant; & torporem negligentiæ deſerentes, igne ſancti amoris frigus indeuotionis deponant. Nuſquam maior cenſura ſilentij, nuſquam amplior & calor & tenor omnis honeſti. Non ibi fluida loquela fluidum loquitur animum: nec verbi leuitas leuem prodit affectum. Ipſa namque magiſtra parca in verbis, abundæ mentis vota ſermonis breuitate coarctat.

Quies mẽtis captãda.

Gen. 12. 1. Pſal. 44. 11.

Actiua & contemplatiua alternanda.

CAPVT XXIII.

Deſiderio flagrat audiendi verbum Dei.

PROVIDET filiabus per deuotos prædicatores alimoniam verbi Dei, ex quâ ſuam deteriorẽ non efficit partem. Nam tantâ in auditu ſanctæ prædicationis exultatione perfunditur, tantâ ſui Ieſu familiaritatis dulcedine delitiatur: vt prędicante aliquando fratre Philippo de Adriâ, ſpecioſiſſimus quidam puer virgini Claræ aſſiſteret, & per magnam prædicationis partem, ſuis eam gratulationibus oblectaret. Ex cuius apparitionis intuitu, illa quæ de matre videre talia merebatur, ſuauitatem inexplicabilẽ ſentiebat. Licet autem litterata non eſſet, litteratorũ tamen gaudebat audire ſermonem: rata, quòd in teſtâ verborũ nucleus lateat, quem ipſa attingebat ſubtiliùs, & ſapidiùs deguſtabat. Nouerat de cuiuſque ſermone loquentis elicere quod animæ profit: ſciens non minoris eſſe prudentiæ, de rudi quãdoque ſpinâ flores decerpere, quàm fructum ex arbore nobili mãducare. Cùm ſemel Dominus Papa Gregorius prohibuiſſet, ne aliquis frater ad monaſteria dominarum ſine ſuâ licentiâ pergeret: dolens pia mater, cibũ ſacræ doctrinæ rariùs habituras ſorores,

Apparet ei puer ſpecioſus in cõcione.

cum

Fratres olim pro ſororibus mendicabant.

cum gemitu dixit; Omnes nobis auferat de cetero fratres, poſtquam vitalis nutrimenti nobis abſtulit præbitores: & ſtatim omnes fratres ad Miniſtrum remiſit, nolens habere eleemoſynarios, qui panem corporalem acquirerent, poſtquam panis ſpiritualis eleemoſynarios non haberet. Quod cùm audiret Papa Gregorius, ſtatim prohibitum illud in Generalis Miniſtri manibus relaxauit.

CAPVT XXIIII.

Beniuolentia eius in Sorores.

NON autem hæc venerabilis Abbatiſſa filiarum ſuarum ſolas animas diligit, quæ ipſarũ etiam corpuſculis miro ſtudio charitatis inſeruit. Nam ſæpiùs in frigore noctis, propriâ manu cooperuit dormientes: & quas ad rigorem communem ſeruandum cernit inualidas, remiſſiori moderamine vult eſſe contentas. Si quam turbaret tentatio, ſi quã, vt aſſolet, inuaderet mœſtitudo: ſecretò vocatam cum lachrymis cõſolatur. Aliquando ſe ad pedes proſternit mœrentium: vt maternis blãditiis alleuiet vim dolorũ. Cuius beneficiis filiæ non ingratæ, ſeipſaſ tota deuotione rependunt. Complectuntur ſiquidem affectum dilectionis in matre, reuerentur in magiſtrâ prælationis officiũ, ſectantur in pædagogâ rectitudinis greſſum; & in Dei ſponſâ prærogatiuam mirantur omnimodæ ſanctitatis.

Benignè ſolatur afflictas.

CAPVT XXV.

De infirmitate valetudinis eius.

QVADRAGINTA annis in ſtadio cucurrerat altiſſimæ paupertatis; cùm ecce iam ad brauium ſupernæ vocationis, præcedẽte languore multiplici appropinquabat. Vigore ſiquidẽ carnis, in annis prioribus auſteritati pœnitentię ſuccumbente, poſteriora temporum dura occupauit infirmitas: vt quæ ſana ditata fuerat merito operũ, infirma ditaretur meritis paſſionum, *Etenim virtus in infirmitate perficitur*. Cuius miranda virtus, qualiter fuerit in infirmitate, perfecta, hinc maximè liquet: quòd in viginti octo annorũ languore diutino, non murmur reſonat, nõ querimonia: ſed ſemper ab eius ore ſanctum colloquium, ſemper procedebat actio gratiarum. Licet autem ægritudinum pondere prægrauata, feſtinare videretur ad finem: placuit tamẽ Deo, ad tempus illud, ipſius obitum reſeruare, quo ab Eccleſiâ Romanâ (cuius erat factura & filia ſpecialis) dignis valeret honoribus exaltari. Summo namque Pontifice cum Cardinalibus moram trahẽte Lugduni, cùm Clara prę ſolito vrgeri morbo cœpiſſet; filiarum mentes ingentis doloris gladius trucidabat. Mox cuidã ancillæ Chriſti virgini Deo deuotæ, de monaſterio ſancti Pauli Ordinis S. Benedicti, huiuſmodi viſio demõſtratur. Videtur ſibi vnà cum ſuis ſororibus apud ſanctum Damianum dominæ Claræ aſſiſtere infirmanti, ac eadem Clara in lecto pretioſo iacere. Flẽtibus autem & cum lachrymis beatæ Claræ præſtolantibus exitum: formoſa quædam mulier ad lectuli caput apparens, lachrymantibus loquitur; Nolite, inquit, ô filiæ, plorare victuram: quoniam mori non poterit, quouſque dominus cum ſuis diſcipulis veniat. Et, ecce, poſt modicum tempus, venit Curia Romana Peruſium. Audito verò eius infirmitatis augmento, properat de Peruſio dominus Oſtienſis inuiſere ſponſam Chriſti; cuius, erat officio pater, curâ nutritius, affectu puriſſimo ſemper deuotus amicus. Paſcit infirmam Dominici corporis Sacramẽto; paſcit & reliquas ſalutaris exhortationis ſermonibus. Supplicat illa tanto patri cum lachrymis, vt ſuam & aliarum dominarum famulas pro Chriſti nomine habeat commendatas. Verùm illud ſuper omnia rogat, vt priuilegium paupertatis à Domino Papâ cum Cardinalibus ſibi impetret confirmari. Quicquid fidelis ille Religionis adiutor verbo promiſit, opere adimpleuit. Reuoluto anno, dominus Papa cum Cardinalibus de Peruſio tranſiuit Aſſiſium: vt de tranſitu Sanctæ præoſtenſa viſio ſortiretur effectum. Ipſe namque ſummus Pontifex vltra hominem citraque Deum exiſtens, perſonam Domini repræſentat; cui in templo militantis Eccleſiæ, familiariùs adhærent velut diſcipuli domini Cardinales.

2 Cor. 12. 9

Patientia eius, perfecta in longa 28 annor. ægritudine.

S. Clara decumbens inuiſitur à Cardinale Hoſtienſe.

Summus Pont. perſonam Domini repræſentat.

CAPVT XXVI.

Vt eam inuiſerit Innocentius Quartus ſummus Pontifex cum ſuis Cardinalibus.

ACCELERAT iam diuinâ prouidentia ſuum de Clarâ implere propoſitum; accelerat Chriſtus pauperem peregrinam ſuperni regni palatio ſublimare. Cupit iam illa, & toto deſiderio ſuſpirat * liberari de corpore mortis huius: & in æthereis manſionibus Chriſtum videre regnãtem, quem fuerat toto corde in terris pauperem paupercula proſecuta. Artubus itaque ſacris veteri morbo detritis, noua cumulatur debilitas; quæ & proximam vocationem ad Dominum indicat, & ſanitatis perpetuæ viam parat. Feſtinat ſanctæ memoriæ dominus Innocentius IIII. vnà cum Cardinalibus viſitare Chriſti ancillam: & cuius vltra fœminas noſtri temporis probauerat vitam, mortem non dubitat Papali præſentiâ venerandam. Ingreſſus monaſterium, pergit ad lectulum; & infirmantis ori manum applicat oſculandam. Quam illa gratiſſimè ſuſcipit, & pedem Apoſtolicũ ſummâ cum reuerentiâ oſculandum expoſcit. Aſcenſo ligneo ſcabello curialis dominus, dignanter pedem accommodat: ſuper quem illa ſurſum & deorſum inculcans oſcula, vultum reuerenter acclinat. Petit exinde à ſummo Pontifice, vultu Angelico remiſſionem omnium peccatorum. Qui cùm diceret; Vtinam ego tantâ veniâ indigerem; perfectæ abſolutionis munus, & Apoſtolicæ benedictionis gratiam impartiri feſtinat. Recedentibus autem omnibus, quia die illâ de manu prouincialis Miniſtri, ſacram receperat hoſtiam: ſubleuatis in cælum oculis, & iunctis ſimul ad Deum manibus, cum lachrymis ait ſororibus ſuis; Laudate Dominum filiolę meæ: quia tale beneficium hodie Chriſtus mihi eſt dignatus tribuere, quod cælum & terra non ſufficeret compenſare. Ipſum hodie recepi Altiſſimum; & eius Vicarium videre commerui. Circumſtant matris lectum filiæ quàm citiùs orphanandæ: quarum animas acerbi doloris gladius pertranſibat. Non ſomnus eas reuocat, non fames ipſas diuellit: ſed lectulorum oblitas & menſæ, nocte ac die ſolùm plangere delectabat. Inter quas Agnes virgo deuota, lachrymarum inebriata ſalſugine, ſororem efflagitat, ne ſe relictâ diſcedat. Cui Clara reſpondit; Placet Deo, ſoror chariſſima, quòd diſcedam: ſed tu flere deſiſte; quoniam poſt me ad Dominum feſtinè peruenies; & magnam, inquit, conſolationem tibi faciet Dominus, priuſquam moriaris.

[Margin: * Rom. 7. 24]

[Margin: *Pedem oſculatur Apoſtolicum.*]

[Margin: *Chriſti Vicarius eſt ſummus Pontifex.*]

CAPVT XXVII.

Migrat ex hac vitâ.

VIDETVR tandem in extremis, plurimis laborare diebus, quibus fides gentium & deuotio populorum excreſcit: Cardinalium quoque & Prælatorum viſitatione frequenti, vt verè ſancta, quotidie honoratur. Quod verò auditu eſt mirabile, cùm decẽ & ſeptẽ diebus nullum cibum ſumere poſſet, tantâ eſt à Domino fortitudine vigorata, vt omnes ad ſe venientes in Chriſti ſeruitio confortaret. Nam cùm vir benignus frater Reinaldus, in tantarum infirmitatum longo martyrio, ad patientiam hortaretur: liberrimâ ei voce reſpondit; Poſtquam Domini mei Ieſu Chriſti gratiam, per illum ſeruum ſuum Franciſcum agnoui: nulla pœna moleſta, nulla pœnitentia grauis, nulla mihi, frater chariſſime, infirmitas dura fuit. Domino autem propiùs agente, & iam quaſi ad ianuam ſtante; iubet & vult ſacerdotes, & ſpirituales fratres aſſiſtere, paſſionem Domini & ſancta verba recitare. Inter quos dum apparet frater Iuniperus, egregius Domini ioculator, qui calida ſæpe verba de Domino eructabat; nouâ hilaritate perfuſa quærit, ſi aliquid noui de Domino haberet ad manum. Qui aperiens os ſuum, de fornace feruidi cordis, flammantes verborum ſcintillas emittit; atque in eius parabolis virgo Dei magnum ſolatium ſumit. Lachrymantes tandem ſe vertit ad filias, quibus paupertatem Domini recommendans, beneficia diuina laudando commemorat. Benedicit deuotos deuotaſque ſuas; & omnibus dominabus monaſteriorũ pauperũ, tã præſẽtibus quã futuris largam benedictionis gratiã imprecatur. Cetera ſine fletu quis referat? Adſtant

[Margin: *Cibo omni abſtinuit diebus ſeptemdecim.*]

[Margin: *Sacerdotes ſibi adhibet ſub morte.*]

illi duo beati Franciſci ſocij benedicti; quorum vnus Angelus, mœrens ipſe mœrentes conſolatur: alter Leo, recedentis lectulũ oſculatur. Plangunt filiæ deſtitutæ, piæ matris receſſum: & quam vltrà viſuræ non eſſent proſequuntur cum lachrymis recedentem. Dolent amariſſimè totum earum ſolatiũ cum illâ migrare: ſeque in valle lachrymarum relictas, non iam à ſuâ magiſtrâ vlteriùs conſolandas. Vix à dilaceratione corporum ſolus pudor continet manum: & doloris ignem, illud efficit acriorem, quòd exteriori planctu non finitur vaporare. Imperat clauſtralis cenſura ſilentium, extorquet vis doloris gemitum & ſingultum. Tument lachrymis facies: & nouas adhuc aquas mœrebundi cordis impetus ſubminiſtrat. Ad ſe autem conuerſa virgo ſanctiſſima, ſuam animam ſilenter alloquitur; Vade, inquit, ſecura: quia bonum habes conductum itineris. Vade, ait: quoniam qui te creauit, ſanctificauit: & cuſtodiens te ſemper velut mater filiam tenero amore dilexit. Tu inquit, Domine, benedictus ſis, qui me creaſti. Quam cùm quædam ex ſororibus interrogaret cui loqueretur, illa reſpondit; Ego loquor animæ meæ benedictæ. Nec ille glorioſus conductus longè diſtabat. Nam ad quandam filiam ſe conuertens, Vides tu, inquit, ô filia Regem gloriæ, quem ego video? Super aliam quoque facta eſt manus Domini; & corporalibus oculis felicem inter lachrymas excipit viſum. Iaculo quidem profundi doloris confoſſa, verſus portam domus aciem dirigit oculorum; &, ecce, in veſtibus albis turba ingreditur virginum, quæ omnes aurea ſerta ſuis capitibus deferebant. Graditur inter eas vna præclarior ceteris, ex cuius coronâ, quæ in ſummo ſui, feneſtrati thuribuli ſpeciem prætendebat, tantus ſplendor irradiat, vt noctem ipſam in diei lucem intra domum conuertat. Procedit ad lectulum vbi ſpõſa filij decubat; & amantiſſimè ſe ſuper eam inclinans, amplexum dulciſſimum præſtat. Profertur à virginibus miræ pulchritudinis pallium: ac certatim deſeruientibus cunctis, & Claræ corpus tegitur, & thalamus adornatur. In craſtino igitur B. Laurentij, egreditur anima illa ſanctiſſima, prœmio perpetuo laureanda: temploque carnis ſoluto, ſpiritus feliciter migrauit ad aſtra. Benedictus talis exitus de valle miſeriæ, qui introitus ei beatę eſt factus vitę. Iam pro tenui viatico menſâ lætatur ciuium ſupernorum; iam pro vilitate cinerum regno beata cælico, æternæ ſtolâ gloriæ decoratur.

Animam alloquitur.

Virginum turba venit ad Claram.

CAPVT XXVIII.

De eius exſequiis, & qui eas cohoneſtauerint. Agnes eius ſoror moritur.

RVMOR incontinenti de tranſitu virginis, totum ſtupendo auditu concutit populum ciuitatis. Confluunt viri, confluunt mulieres ad locum: & in tantâ multitudine gentes inundant, vt ſola videatur ciuitas remanere. Omnes ſanctam, omnes Deo charam proclamant: & inter laudum verba nonnulli fletibus manant. Adcurrit Poteſtas cum catervâ militum, & multitudine armatorum: feroque illo ac totâ nocte cuſtodias adhibet diligentes, ne fortè de pretioſo theſauro, qui iacebat in medio, pati contingeret detrimentum. Commouetur ſequenti die Curia tota: Chriſti Vicarius cum Cardinalibus accedit ad locum, totaque ciuitas verſus ſanctum Damianum dirigit greſſus ſuos. Ventum erat ad celebranda diuina, cum fratribus incipientibus Officium mortuorum repentè Dominus Papa officium de Virginibus, non de mortuis fieri debere proloquitur: vt priùs eam canonizare videretur, quàm corpus traditum eſſet ſepulturæ. Reſpondente autem viro eminentiſſimo Domino Oſtienſi, moroſiùs in his fore agendum, Miſſa de mortuis celebratur. Confidente poſtmodum ſummo Põtifice, Cardinalium quoque & Prælatorum cœtu, Oſtienſis Epiſcopus, de vanitate vanitatum ſumptâ dicendi materiâ, vanitatis egregiam contemtricem nobili ſermone commendat. Circundant illicò ſanctum funus deuotâ dignatione presbyteri Cardinales: & circa virginis corpus ſolita officia complent. Tandemque nec tutum eſſe cenſetur nec dignum, vt tam pretioſum pignus tam longè diſtet à ciuibus. Leuatur cum hymnis & laudibus, cum tubarum clangore, ac iubilatione ſolſemni ad ſanctum Georgium honorificè deportatur. Nam & hic locus ille

Corpus B. Claræ pr[...] tioſum th[...]ſaurus.

Eccle.

Funus [...] ferunt [...] dinales

eſt,

eſt, vbi ſancti patris Franciſci corpus primò conditum fuerat: vt qui viam vitæ viuenti parauerat, etiam morienti locum quodam præſagio præpararet. Factus eſt proinde concurſus populorum multorum ad tumulum virginis, laudantium Deum atque dicentium; Verè ſancta, verè glorioſa regnat cum Angelis: quæ tantum honorem ab hominibus ſumit in terris: intercede pro nobis ad Chriſtum primiceria pauperum dominarum, quæ innumeros conduxiſti ad vitam.

Inuocatur à fidelibus S. Clara.

Paucis interiectis diebus, Agnes ad agni nuptias euocata, ſororem Claram ad æternas delicias ſubſecuta eſt: vbi ambæ Sion filiæ, naturâ, gratiâ, & regno germanæ, Deo iubilant ſine fine. Et verè cõſolationem illam, quam Clara repromiſerat, Agnes antequam migraret accepit. Nam ſicut ſorore præuiâ, de mundo ad Crucem tranſierat: ſic dum Clara ſignis & miraculis rutilaret, Agnes poſt ipſam de luce finibili maturè volauit ad Deum, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Agnes ſequitur B. Claram.

CAPVT XXIX.

Multa poſt mortem facit miracula.

ILLA ſunt ſanctorum ſigna mirifica, illa miraculorum teſtimonia veneranda, quæ in morum ſanctitate, & operum perfectione conſiſtunt. *Ioannes quidem ſignum fecit nullum*: non tamen ſunt vel erunt Ioanne, qui ſigna faciunt, ſanctiores. Ideoque ſufficeret ſanctæ virgini Claræ ad teſtimonium ſanctitatis, perfectiſſimæ ſuæ vitæ præconium: niſi interdum aliud expoſceret partim tepor, partim deuotio populorum. Clara itaque dum viueret in terris, & iam in abyſſum abſorpta perpetuæ claritatis! nihilominus adhuc miraculorum luce per mundi cardines mirificè declaratur. Cogit ſincera atque iurata veritas multa conſcribere, cogit multitudo quàm plura tranſire.

*Io. 10 41.

1. Puer quidam Iacobinus nomine de Peruſio, non tam infirmus quàm dæmonio peſſimo videbatur obſeſſus. Nunc enim in ignem ſeſe deſperatè proijciens, nunc in terram collidens, vſque ad dentium fractionem lapides mordens, laniabat miſerrime caput ſuum, & corpus ſanguine cruentabat. Ore diſtorto linguam foris proijciens, membrorum machinam tam facilè glomerabat: vt ſæpe crus ſuum poneret ſuper collum. Singulis diebus per duas vices puerum ipſum prædicta vexabat inſania: nec illi duæ perſonæ obſiſtere poterant, quin propria exueret veſtimenta. Peritorum Medicorum iuuamen requiritur: ſed nullus qui ſciat conſulere inuenitur. Pater eius Guidolotus nomine, poſtquam infortunij tanti remedium apud homines nullum inuenit; ad Sanctæ Claræ merita ſe conuertit. O Virgo, inquit, ſanctiſſima, ô mundo venerabilis Clara! tibi miſerum natum deuoueo, à te ſanitatem eius totâ ſupplicatione depoſco. Feſtinat ad ſepulchrum eius fide plenus: & allatum puerum ſuper tumbam virginis ponens, eius protinus opem dum poſcit acquirit. Statim enim puer ab illâ infirmitate liber efficitur, & iam vlteriùs nullâ conſimili læſione vexatur.

Dæmoniacus liberatur ad eius ſepulchrum.

2. Alexandra de Fracto Peruſinæ Diœceſis, dæmonio nequiſſimo vexabatur: quam dæmonium in ſuam redegerat poteſtatem, vt faceret eam per excelſam rupem, quæ in crepidine fluminis eminebat, ſicut auiculam volitare; per tenuiſſimum quoq; arboris ramum fluuio Tyberis impendentem faciebat deſcendere: atque eam ibidem quaſi ludo vacare. Suorum quoq; merito peccatorũ, cùm latus ſiniſtrum penitus amiſiſſet, & manum contractam haberet, medicinis ſæpe tentatis nihil proficiebat. Venit ad tumbam glorioſæ Virginis Claræ, corde compuncto: eiuſque meritis inuocatis contra ſuum illud triplex periculum, vnius remedij ſalutarem ſumit effectum. Contracta quidem manus extenditur, latus ſanitati redditur, poſſeſſa à dæmonio liberatur. Altera mulier eiuſdem loci à dæmonio, & multis doloribus eodem tempore, ante ſepulchrum ſanctæ munus liberationis accepit.

Item dæmoniaca & morbida.

En dæmo. ludibrium

3. Puerum quendam Francigenam qui Curiam ſequebatur, furiæ morbus inuaſerat, qui ipſi & loquelæ abſtulerat vſum, & corpus monſtroſè fecerat inquietum. Detineri ab aliquo minimè poterat: ſed potiùs intra manus detinere volentium horribiliter ſe frangebat. Ligatur funibus lectulo

Furioſus curatur.

mortuorum: & à compatriotis ad eccleſiam ſanctæ Claræ defertur inuitus; ante ſepulchrum eius ponitur, & ſtatim pro fide offerentium peroptimè liberatur.

Item epilepticus, & claudus.

4. Valentinus de Spello, caduci morbi ruinæ in tantum erat obnoxius, quòd ſex per diem vicibus indifferenter vbilibet corruebat. Cruris etiam contractione plagatus, liberè ambulare non poterat. Ducitur aſello vectus ad ſanctæ Claræ ſepulchrum, vbi duobus diebus, & tribus noctibus iacet: die tertio nullo tangente, crus eius fragore magno perſonuit, & ab vtraque infirmitate ſanatus illico fuit.

Cæcus viſum recepit.

5. Iacobellus dictus, filius Spoletinæ, duodecim annorum cæcitate percuſſus, ducem itineris ſequebatur: nec ſine ductore quoquã poterat niſi in præcipitium ambulare. Nam & ſemel à puero parumper dimiſſus, in præcipitium actus, brachij fracturam cum vulnere capitis reportauit. Hic cùm iuxta pontem Vernij, quadam nocte dormiret: apparuit ei Domina quædam in ſomnis dicens; Iacobelle, quare tu ad me non venis Aſſiſium, vt libereris? Qui manè conſurgens, duobus alijs cæcis tremebundus recitat viſionem. Reſpondent illi; Dominam quandam nuper audiuimus in Aſsiſij ciuitate migraſſe: cuius ſepulchrum per ſanitatum munera, & per multa miracula, manus Domini dicitur honorare. Quo audito, impiger factus concitè properat, & nocte hoſpitatus apud Spoletum, eãdem iterum cernit viſionem. Ocyus aduolat, totum ſe præ amore luminis ad curſum præcingens. Perueniens autem Aſſiſium, tantas ante virginis mauſoleum gentium concurrentium reperit turbas: vt ipſe intrare nullatenus poſſet ad tumbam. Supponit lapidem capiti ſuo, & cùm fide magnâ, dolens tamen quòd introitum habere non poſſet, ſomnum capit præ foribus eius. Et ecce tertiò vox ad eum; Benefaciet tibi Dominus, Iacobe, ſi poteris introire. Euigilans ergo rogat cum lachrymis turbas, clamans & preces ingeminans; vt ei propter diuinam pietatem viam præſtare dignentur. Datâ ſibi viâ, calceamenta proijcit, veſtes exuit, collum corrigiâ cingit: & ſic humiliter ſepulchrum contingens, lentum ſomnum incurrit. Surge, inquit ei beata Clara, ſurge; quia liberatus es. Extemplò ſurgens omni cæcitate diſcuſsâ, omni oculorum caligine relegatâ, dum clarè per Claram videt luminis claritatem, Deum laudando clarificat, & pro tanti mirificentiâ operis, ad benedicendum Deum omnes gentes inuitat.

S. Clara dormiẽtem hortatur vt Aſſiſium vadat ad ſuum ſepulchrum vi'us gratiâ recuperandi.

Magnus concurſus ad eius ſepulchrum.

Quaſſata manus ſanatur.

6. Peruſinus quidam vocatus Bonus Ioannes, cum ſuis ciuibus contra Fulginates perrexerat. Cumque hinc inde concertatio incœpiſſet, grauis ictus lapidis, eius manum durâ quaſſatione perfregit. Expendit in medicos pecuniam multam, ſanitatis amore: ſed nullo poteſt medicinali ſuffragio intantum iuuari, quin ipſam manum portet inutilem, & ad omne opus penitus impotentem. Dolens itaque illius, quaſi non ſuæ dextræ pondus ferre, vſu carẽre; optat ſibi pluries eſſe trũcatam. Audiens verò quæ per famulam ſuam Claram Dominus dignabatur oſtendere: votum vouens, ad ſepulchrũ virginis properat; offert ceream imaginem manus, & ſuper tumbam ſanctæ Claræ incumbit. Statim priuſquàm eccleſiam exeat, manus eius perfectæ reſtituta eſt ſanitati.

Recuruus puer adrigitur.

7. Petronus quidã de caſtro Bitone, trium annorum infirmitate conſumtus, totus ferè diutini languoris tabe deſiccatus apparuit. Cuius violentiâ morbi adeò contractus erat in cruribus, vt curuus ſemper & ad terram reflexus, vix cum baculo pergere poſſet. Explorat pater pueri, multorum ſolertiam medicorum, illorum præcipuè qui fractis oſſibus medendi peritiam habebant. Paratus erat omnia bona ſua expendere, pro recuperandâ pueri ſanitate. Cumque reſponderetur ab omnibus, nullius artis ope illi morbo poſſe ſuccurri; ad nouæ Sanctæ ſuffragia, cuius audiebat magnalia, ſe conuertit. Portatur puer ad locum, vbi pretioſa virginis ſpolia requieſcunt: & non diu ad ſepulchrum iacens, perfectæ ſanitatis gratiam ſumit. Confeſtim namque rectus & ſanus exſurgit, ambulans & exſiliens & laudans Deum; & ad ſanctæ Claræ laudes populum confluentem inuitat.

Item claudus.

8. Erat puer decem annorum in villâ S. Quirici, Aſſiſinatis Diœceſis, claudus ex vtero matris ſuæ, tibias habebat exiles, pedes in tranſuerſum iactabat: & tortuosè deambulans, vix poterat ſurgere cùm cadebat. Mater eius beato Franciſco pluries eum deuouerat, nec vllius meliorationis o-

pem

opem acceperat. Audiens verò beatam Claram nouis coruſcare miraculis, ad ſepulchrum eius puerum deportauit. Poſt aliquot dies ſanatis oſſibus tibiarum, ad naturalem rectitudinem ſunt membra redacta: & quod ſanctus Franciſcus multis precibus exoratus non tribuit, ſua diſcipula Clara virtute diuinâ conceſſit.

Rurſus alius claudus puer.

9. Ciuis Eugubinus nomine Iacobus de Franco, puerum quinquennem habens, qui debilis pedibus nunquam ambulauerat, nec poterat ambulare; tanquam oſtentum ſuæ domus, & opprobrium ſuæ carnis, ipſum puerum deplorabat. Cubitabat in ſolo, reptabat in cinere, voluens ſe quandoque ad ſcamnum, nec potens erigere: cui natura gradiendi deſiderium dederat, negauerat facultatem. Vouent puerum parentes eius, meritis ſanctæ Claræ: atque vt ipſorum verbo dicatur, volunt eſſe hominem ſanctæ Claræ, ſi per eam ſanitatem fuerit conſecutus. Protinus voto emiſſo, virgo Chriſti ſuum hominem ſanans, liberæ ambulationis officium in oblato ſibi puero reparauit. Illico parentes ad virginis tumulum cum puero properantes, eum ſubſilientem & gaudentem Domino obtulerunt.

Et admodum incurua mulier.

10. Mulier quædam de Caſtro Meuanij Pleneria nomine, diu contractionem renum perpeſſa, non niſi baculo ſuſtentata poterat ambulare: adminiculo tamen baculi, non curuum erigebat corpus, ſed nutantes vtcunque trahebat greſſus. Deferri ſe fecit quodam die Veneris, ad tumulum ſanctæ Claræ: vbi preces ad eam deuotiſſimè fundẽs, celeriter obtinuit quod fideliter poſtulauit. Sequenti namque Sabbatho integrâ ſanitate obtentâ, domum proprijs pedibus eſt reuerſa, quæ fuerat per alios apportata.

Strumoſa perſanatur.

11. Tumores gutturis, quos vulgari ſermone ſcrofulas vocant, puella quædam Peruſina cum dolore multo diu portauerat: viginti quidem glandulæ numerabantur in gutture, vt ipſum puellæ guttur capite craſſius videretur. Duxit eam ſæpe mater eius ad memoriam virginis Claræ: vbi ipſius ſanctæ beneficium deuotiſſimè implorabat. Cumque totâ quadam nocte ante ſepulchrum puella iaceret: prorumpente ſudore ſtrumæ illæ mollificari cœperunt, atque de ſuo loco paululum commoueri. Proceſſu verò temporis, per ſanctæ Claræ merita ſic euanuerunt, vt nulla penitus veſtigia remanerent.

12. Conſimile malum vna de ſororibus Andrea nomine, dum adhuc in carne virgo maneret, portabat in gutture ſuo. Mirum certè, quòd in medio lapidum ignitorum, anima tam frigida latitabat: & inter prudentes virgines deſipiebat imprudens. Hæc ſiquidem nocte quadam, guttur ſuum vſque ad præfocationem conſtrinxit, vt globum illũ per buccam proijceret, volens de ſeipsâ diuinã ſupergredi voluntatem. Sed hoc incontinenti per ſpiritum Virgo Clara cognouit. Curre, inquit, curre velociter in inferiorem domum: & ouum calefactũ ſorori Andreæ de Ferrariâ ſorbendum præbe, ſimulque cum illâ aſcende. Properans illa reperit dictam Andream loquelâ priuatam, propriæ manus iniectione ſuffocationi propinquam. Releuat eam vt poteſt, & ſecum ducit ad matrem, cui & dixit famula Dei; Miſera! cogitationes tuas Domino confitere, quas & ego bene cognoui. Ecce, quod ſanare voluiſti, ſanabit Dominus Ieſus Chriſtus. Sed vitam muta in meliùs: quoniam de infirmitate aliâ, quam patieris non conſurges. Ad cuius verbum ſpiritum compunctionis accepit, & vitam ſatis egregiè mutauit in melius. Poſt modicum ergo ſanata de ſcrofulis, de aliâ infirmitate migrauit. *Item alia.*

13. Crudelium luporum feralitas ſæua contractam vexare ſolebat: qui in ipſos homines irruentes, humanis ſæpe carnibus paſcebantur. Mulier ergo quædam nomine Bona, de Monte Galliano Aſſiſinatis diœceſis, duos filios habens, vnius, quem lupi rapuerant vix planctum compleuerat, cùm ecce ad ſecundum conſimili voracitate feſtinant. ſtante namque matre in domo, & aliquid rei familiaris agente; puero deambulanti exteriùs lupus dentes infigit, ac per ceruicem mordens, cùm tali prædâ ad ſyluam quantocyus tendit. Audientes autem homines, pueri ſtridores, qui erant in vineis, ad matrem clamant dicentes; Vide, ſi filium tuum habes: quoniam ploratus inſuetos paulo antè perſenſimus. Cognoſcens mater filium à lupo direptum, clamores in excelſum leuat, & vlulatibus aërem complens, virginem Claram inuocat dicens: Sancta & glorioſa virgo Clara, redde mihi miſerum filium meum. Redde, ait, redde infelici *A lupis rapti pueri liberantur.*

matri natellum: quod ſi non feceris meipſam aquis necabo. Currentes itaque vicini poſt lupum, reperiunt infantulum à lupo inSyluâ dimiſſum, & canem iuxta puerum eius vulnera delingentem. Ceruici primos iniecerat morſus beſtia fera; de hinc vt prædam leuius ferret, ipſius pueri renibus ſuas impleuerat fauces, & vtrobique non leuis attractus ſigna reliquerat. Voti compos effecta mulier, cum ſuis vicinis ad ſuam properat adiutricem: & pueri varias plagas omnibus videre volentibus monſtrans, Deo & ſanctæ Claræ gratias copioſas exſoluit.

Luporum arcet rapacitatem.

14. Puella quædam de caſtro Cannarti clarâ die ſedebat in agro, in cuius ſinu mulier altera reclinauerat caput. Et ecce lupus hominum rapax, furtiuos ad prædam concitat egreſſus; quem tamen puella vidit, ſed quia cani credidit, non expauit. Cumque infantula cœpto intenderet ſcrutinio capillorum: efferatur in illam beſtia truculenta, eiuſque vultum ſuo vaſto hiatu concludens, prædam portabat ad ſyluam. Surgit protinus mulier ſtupefacta; & ſanctæ Claræ memor, clamores excitat dicens; Succurre ſancta Clara, ſuccurre: tibi in hac horâ puellam iſtam commendo. Ipſa denique, mirabile dictu, quæ lupi dentibus portabatur, contra lupum inuehitur dicens; Portabis me tu latro vlteriùs, tantæ virgini commendatam. Quâ inuectione confuſus, puellam ſtatim in terram molliter poſuit, & quaſi latro deprehenſus feſtinè diſceſſit.

CAPVT XXX.

S. Clara in Sanctorum album refertur.

RESIDENTE autem in ſede beati Petri, clementiſſimo Domino Alexandro IIII. viro totius ſanctitatis amico; qui & religioſorum tutela & religionum firma columna erat; dum horum mirabilium relatio curreret, & de die in diem fama virtutum virginis latiùs inſonaret: Canonizationem tantæ virginis ipſe iam mundus cum deſiderio exſpectabat. Dictus itaque Pontifex, tantorum turbâ ſignorum, quaſi re inſolitâ excitatus, de canonizatione eius vnà cum Cardinalibus cœpit habere tractatum. Committuntur perſonis ſollemnibus, & diſcretis examinanda miracula: vitæ quoque magnalia diſcutienda traduntur. Inuenitur Clara dum viueret, omnium virtutum exercitio clariſſima: inuenitur poſt tranſitum, veris & probatis miraculis admiranda. Die enim ad hoc ſtatutâ, cûm cœtus Cardinalium conueniſſet, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum conuentus adeſſet, Cleri concio ac Religioſorum, ſapientum quoque & potentum plurima multitudo aſſiſteret: ſummo Pontifice illud ſalubre negotium in medium proponente, ac Prælatorum iudicium ſciſcitante: vniuerſi promto fauore propenſiùs annuentes, Claram dicunt in terris clarificandam, quam Deus clarificauit in excelſis. Inſtante verò die migrationis eius ad Dominum duobus annis ab ipſius tranſitu reuolutis, Prælatorum & totius Cleri multitudine conuocatâ, ſermone quoque præmiſſo, felix Alexander, cui hæc à Domino fuerat gratia reſeruata; cum celebritate permaximâ ſanctorum catalogo Claram reuerenter adſcripſit; feſtum quoque eius ſollemniter in totâ Eccleſiâ celebrandum inſtituit, atque ipſe priùs cum totâ Curiâ ſollemniſſimè celebrauit. Acta autem ſunt hæc apud Anagniam, in eccleſiâ maiori, anno Dominicæ incarnationis milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo quinto: Pontificatus Domini Alexandri Papæ IIII. anno primo: ad laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Inquiritur in [illegible] S. Clara & miracula.

Refertur inter Diuos biennio ab exceſſu.

S. D. N.

ALEXANDRI PP. VI.

LITTERÆ,

Quibus S. Claram inter Sanctos retulit.

§.1. ALEXANDER Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus, vniuerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis per regnum Franciæ conſtitutis ſalutē & Apoſtolicā benedictionē. Clara claris præclara meritis, magnę in cœlo claritate glorię, ac in terrâ miraculorum ſublimium clarè claret. Claræ huius arta & alta religio hîc coruſcat, huius ſurſum æterni præmij radiat magnitudo, huiuſq; virtus magnificis, mortalibus illuceſcit. Huic Claræ intitulatum hîc fuit ſummæ priuilegium paupertatis: huic in excelſo rependitur inæſtimabilis copia theſaurorum, huic à Catholicis plena deuotio, & honoris cumulus exhibetur. Hâc Claram ſua fulgida hîc inſignierunt opera, hanc Claram in alto diuinæ lucis clarificat plenitudo, hanc Chriſtianis populis prodigiorum eius inſignia ſtupenda declarant. O Clara multimodè titulis prædita claritatis! ante conuerſionem tuam vtique clara, in conuerſione clarior, in clauſtrali conuerſatione præclara, & poſt decurſum vitæ præſentis ſpatium clariſſima illuxiſti. Ab hac Clarâ clarum exempli ſpeculum huic ſęculo prodijt; ab hac inter amœnitates cæleſtes ſuaue liliū virginitatis offertur; ab hac in terris manifeſta ſubuentionum remedia ſentiuntur. O admiranda Claræ beatæ claritas! quæ quanto ſtudioſiùs per ſingula quæritur, tanto ſplendidior in ſingulis inuenitur. Emicuit hæc inquā, in hoc ſæculo, in religione præfulſit. In domo illuxit vt radius, in clauſtro coruſcauit vt fulgor. Emicuit in vitâ, poſt mortem radiat: claruit in terrâ, in cælo relucet. O quāta huius vehementia luminis, & quàm vehemens iſtius illuminatio claritatis! Manebat quidem hæc lux ſecretis incluſa clauſtralibus, & foris micātes radios emittebat: colligebatur in arto cœnobio, & in amplo ſęculo ſpargebatur, ſeruabatur intrà & extrà manabat. Latebat namque Clara, ſed eius vita patebat: ſilebat Clara, ſed ſuâ famâ clamabat: celabatur in cellâ, & in vrbibus noſcebatur. Nec mirū: quia lucerna tā accenſa, tam lucēs abſcōdi nō poterat, quin ſplenderet, & clarum in domo

Encomia S. Claræ à nomine ſuo.

Domini daret lumẽ. nec recondi poterat vas tot aromatum, quin fragraret, & ſuaui odore Dominicam reſpergeret manſionem: imò cùm in auguſto ſolitudinis recluſorio, alabaſtrũ ſui corporis hæc durè contereret, tota omnino Eccleſiæ aula ſanctitatis eius odoribus replebatur.

2. Sanè cùm ipſa, dũ adhuc puella eſſet in ſęculo, hũc mundum fragilẽ & immundũ, mundo calle, ab ætate tenerâ tranſilire ſtuderet, & pretioſum ſuæ virginitatis theſaurum illibato ſemper pudore cuſtodiens, caritatis & pietatis operibus vigilanter intenderet; ita quòd ex eâ grata & laudabilis ad vicinos alios fama prodiret:

Monitis B Franciſci mũdo prorſus renuntiat.

B. Frãciſcus audito huius famæ præconio, cœpit confeſtim hortari eam, vt ad Chriſti perfectã induceret ſeruitutem. Quæ ſacris illius monitis mox adhærẽs, & mundũ cum terrenis omnibus abdicare, ac ſoli Domino in paupertate voluntariâ famulari deſiderãs, hoc ſuum feruens deſiderium, quàm citò potuit, adimpleuit: quia tandẽ cuncta ſua bona, vt vnà ſecũ quicquid etiã habebat, Chriſti obſequio deputaret, in eleemoſynas & pauperũ ſubſidia diſtribuit & conuertit.

Amicis refragantibus in propoſito perſeuerat.

Cumque de ſæculi ſtrepitu fugiens, ad quandam campeſtrem declinaſſet eccleſiã, & ab ipſo B. Franciſco ſacrâ ibi receptâ tonſurâ, proceſſiſſet ad aliam; conſanguineis eius ipſam exinde reducere moliẽtibus: illa protinus amplectens altare, pannoſque apprehendens ipſius, crinium ſui capitis inciſurâ detectâ eiſdem conſanguineis, in hoc fortiter reſtitit & conſtanter: quia cùm iam eſſet mente integrâ iuncta Deo, pati non poterat ab eius ſeruitio ſe diuelli. Denique cùm ad eccleſiam S. Damiani, extra ciuitatem Aſſiſinatem, vnde traxit originem; per eundem B. Franciſcum adducta fuiſſet: ibi ei Dominus ad amorem & cultum aſſiduum ſui nominis, plures ſocias aggregauit.

A quâ S. Damiani Ordo cœpit originem.

Ab hac ſiquidem inſignis & ſacer Ordo S. Damiani, per orbem iam longè diffuſus, ſalutare ſumſit exordium. Hæc adhortante ipſo beato Franciſco, huic nouæ ſanctæque obſeruãtiæ ſequendum dedit initium: hæc huius magnæ religionis fuit primariũ & ſtabile fundamentũ: hæc huius alti operis lapis extitit primitiuus. Hæc genere nobilis, ſed conuerſatione nobilior virginitatẽ, quã priùs etiam cuſtodierat, ſub hac ſanctimoniæ regulâ pręcipuè conſeruauit. Hanc poſtmodum religionem mater eius Hortulana nomine, pijs intenta operibus, ipſius natæ ſequendo veſtigia, deuotè ſuſcepit; in quâ demum hæc optima Hortulana, quæ in horto Dominico protulit talem plantam, concluſit feliciter dies ſuos.

3. Poſt aliquot verò an-

nos,

nos, ipſa B. Clara monaſterij & ſororum regimen, nimis eiuſdem S. Franciſci deuicta importunitate, recepit. Hæc vtique fuit arbor procera & eminens, longis diſtenſa ramis, quæ in agro Eccleſiæ dulcem fructum religionis attulit, & ad cuius delectabilem vmbram ſub illius amœnitate, fructum huiuſmodi libaturæ concurrerunt vndique multę alumnæ fidei, & concurrunt. Hæc fuit noua munda vallis Spoletana, quæ nouum aquæ vitalis fontem, ad refectionem animarum & commodum propinauit, qui iam per diuerſos riuulos in territorium Eccleſiæ deriuatus, plantaria religionis infudit. Hæc fuit altum ſanctitatis candelabrum, vehementer in tabernaculo Domini rutilans; ad cuius ingentem ſplendorem plurimæ properauerunt & properant, ſuas de illius lumine lampades accendentes. Hæc profectò in aruo fidei plantauit & coluit vineam paupertatis, de quâ fructus ſalutis pingues & diuites colliguntur. Hæc in prædio Eccleſiæ humilitatis hortum conſtituit, multiplici rerum conſertum inopiâ: in quo magna virtutum copia reperitur. Hæc in religionis diſtrictu arcē artæ abſtinentiæ fabricauit; in quâ larga ſpiritualis alimoniæ refectio miniſtratur. Hæc fuit pauperum primiceria, duciſſa humilium, magiſtra continentium, & pœnitētium abbatiſſa. Hæc ſuum monaſterium creditamque in illo ſibi familiam ſolicitè ac prudenter in timore & ſeruitio Domini, & plenâ Ordinis obſeruantiâ gubernauit, vigil in curâ, in miniſterio ſtudioſa, in exhortatione attenta, diligēs in admonitione, in correctione moderata, temperata in præceptis, in compaſſione præſtabilis, diſcreta in ſilentio, in ſermone matura, & conſulta in cunctis ad perfectum regimen oportunis, volens magis famulari quàm dominari, & honorare potiùs quàm honore ſuſtolli. Huius vita erat alijs eruditio & doctrina.

Altum ipſa ſanctitatis candelabrũ.

4. In hoc libro vitæ ceteræ viuendi regulam didicerunt, in hoc vitæ ſpeculo reliquæ, vitæ ſemitas inſpexere. Corpore namque ſiſtebat in terrâ, ſed animo verſabatur in cælo, humilitatis vaſculum, armarium caſtitatis, caritatis ardor, dulcor benignitatis, patientiæ robur, nexus pacis, & familiaritatis communio: mitis in verbo, lenis in facto, & in omnibus amabilis & accepta. Et vt carne depreſſa conualeſceret ſpiritu; quia quiſque hoſte ſuo debilitato fit fortior: nudum ſolum, & interdum ſarmenta pro lecto habebat, & pro puluinari ſub capite durum lignum: vnaque tunicâ cum mantello, de vili, deſpecto & hiſpido panno contenta, his humilibus indu-

Sororibus gregis ſui liber vitæ, morum ſpeculum.

mentis ad operimentum ſui corporis vtebatur, aſpero cilicio de chordulis crinium equorum contexto nonnumquã adhibito ad carnem. Artâ quoque in cibo, & in potu diſtrictâ, tantâ ſe in his frenabat abſtinentiâ, quòd longo tempore tribus diebus in hebdomadâ, videlicet ſecundâ, quartâ & ſextâ feriâ, nihil penitus pro ſui corporis alimento guſtauit: reliquis nihilominùs diebus adeò ſe cibariorum paucitate reſtringens, quòd aliæ de ipsâ, quomodo ſub tam forti diſtrictione ſubſiſtere poterat, mirabantur. Vigilijs inſuper & orationibus aſſiduè deduci, in his præcipuè diurna & nocturna tẽpora expendebat.

Decumbens etiam & ægra laborat.

5. Diutinis tandem perplexa languoribus, cùm ad exercitium corporale non poſſet ſurgere per ſeipſam, ſororum ſuarum ſuffragio leuabatur, & ad tergum eius fulcimentis appoſitis, proprijs manibus laborabat, ne in ſuis etiam eſſet infirmitatibus otioſa; vnde de panno lineo huius ſui ſtudij & laboris, plura pro altaris ſacrificio corporalia fieri fecit, & per plana & montana Aſſiſij, diuerſis eccleſijs exhiberi. Amatrix verò præcipua, & colona ſedula paupertatis, ſic illam ſuo affixit animo, ſic eam in ſuis deſiderijs alligauit; quòd ſemper in ipſius dilectione firmior & ardentior, in amplexu, à diſtrictâ & delectabili eius copulâ, pro nullâ vnquam neceſſitate diſceſſit; nec aliquibus potuit induci ſuaſibus ad conſentiendum, quòd ſuum monaſterium proprias poſſeſſiones haberet: quamquam felicis recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter, de multâ indulgentiâ ipſius monaſterij piè cogitans, libenter illi voluerit, pro ſororum eius ſuſtentatione poſſeſſiones ſufficientes & congruas deputare.

Studioſiſſima paupertatis.

Miracula S. Claræ.

7. Verùm quia magnum & ſplendidum luminare ſupprimi non poteſt, quin ſuæ radios proferat claritatis: in ipſius etiam vitâ, multis & varijs miraculis, virtus ſuæ ſanctitatis effulſit. Nam cuidam de ſororibus ipſius monaſterij vocem, quàm à longo tempore quaſi omnino perdiderat, reſtaurauit. Alij officiolinguæ penitus deſtitutæ, loquelam reſtituit expeditam. Alteri aurem ſurdam aperuit ad auditum. Laborantem febre, tumentem hydropiſi, plagatam fiſtulâ, & alijs oppreſſas languoribus liberauit, facto crucis ſignaculo ſuper eas. Quendam fratrem de Ordine Minorum ſanauit ab inſaniæ paſſione.

Morbidas curauit ſorores.

Oleum diuinitus datum.

8. Cùm autem quadam vice oleum in monaſterio totaliter defeciſſet; ipſa, vocato fratre, qui erat eidem monaſterio pro colligendis eleemoſynis deputatus; accepit vrceum atque lauit, vacuumque

iuxta

iuxta fores ipſius monaſterij poſuit, vt illum idem frater pro oleo acquirendo deferret: quem cùm vellet ipſe apprehendere, inuenit eum oleo, beneficio diuinæ largitatis, impletum.

Panis fruſtum mirabiliter multiplicatum.

9. Rurſum cùm vno die non niſi vnius panis medietas pro refectione ſororum, in eodem monaſterio haberetur: ipſa medietatem eandem iuſſit in fruſta diſtribui, & ſororibus diſpenſari; quam inter manus frangentis, ille qui viuus eſt panis, & dat eſcam eſurientibus, multiplicauit in tantum, quòd quinquaginta ſufficientes factæ fuerint exinde portiones, & ſororibus diſcumbentibus diſtributa. Per hæc & alia ſigna conſpicua, ſuorum, dum adhuc viueret, innotuit præeminentia meritorum.

A beatis Virginibus viſitatur.

10. Nam & cùm in extremis ageret, candidus beatarum Virginum cœtus, micantibus coronis ornatus, in quo vna ex ipſis eminentior & fulgidior apparebat: viſus eſt domum intrare, vbi eadem Chriſti famula decumbebat; & vſque ad lectulum eius procedere. ac circa eam quaſi viſitationis officium, ad confortationis ſolamen, quodam humanitatis ſtudio exhibere.

Miracula eius poſt exceſſum.

Poſt obitum verò eius, quidam qui morbo caduco ruebat, & propter crus contractum gradi non poterat; ad ſepulchrum delatus ipſius, fuit ibi, crure ipſo quaſi fragoris ſonitum faciente, ab vtraque infirmitate curatus. Curui, renibus, membris contracti, præcipites furiâ, & dementi furore ferales, receperunt ibidem integram ſoſpitatem. Cuidam ſua dextra manus, cuius ipſe vſum, ex illatâ ſibi vehementi percuſſione, ita perdiderat, quòd nihil omnino per eam, veluti prorſus inutilem, poterat operari; fuit ad actum ſuum priſtinum ipſius Sanctæ meritis plenariè reformata. Alius qui diutinâ cæcitate lumen amiſerat oculorum, cùm ad idem ſepulchrum ſub ducatu alterius acceſſiſſet, recuperato inibi viſu, redijt exinde ſine duce.

Vaticinium ad matrem impletum.

11. His & quamplurimis alijs operibus & miraculis hæc venerabilis virgo reſplenduit glorioſis: vt euidéter appareat adimpletum id, quod de ipſâ mater eius, dum eſſet ex eâ grauida, & oraret, dicitur audiuiſſe: videlicet quòd paritura erat quoddam lumen, quod orbem plurimùm illuſtraret.

12. Gaudeat itaque mater Eccleſia, quòd talem genuit & educauit filiam, quæ tamquam virtutum fecunda parens, multas religionis alumnas ſuis produxit exemplis, & ad perfectum

lized by Google

ctum Chriſti ſeruitium pleno magiſterio informauit. Lætetur & deuota turba fidelium, quòd rex cælorum & Dominus ſororem ipſorum & ſociam, quam in ſponſam ſibi elegerat, ad ſuum præcelſum & præclarum palatium cum gloriâ introduxit. Nam & Sanctorum congaudent agmina, quòd in ſupernâ eorum patriâ nouellæ regalis ſponſæ nuptiæ celebantur.

Inter Sanctos recenſetur.

13. Ceterùm, quia congruit, vt quam Dominus exaltauit in cælo, Catholica Eccleſia veneretur in terrâ: quia de ſanctitate vitæ ac miraculis eius, diligenti & attentâ inquiſitione, ac examinatione diſtrictâ, & ſollemni diſcuſſione, præmiſſis, liquidò conſtitit; licet aliàs etiam, & in propinquis & in remotis partibus ſatis eſſent præcognita lucida eius acta: nos de communi fratrum noſtrorum, & prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium conſilio & aſſenſu, de omnipotentiâ diuinâ confiſi, auctoritate Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac noſtrâ, ipſam Catalogo Sanctarum Virginum duximus aſſcribendam. Ideoque vniuerſitatem veſtram monemus, & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ſecundo Idus Auguſti, feſtum eiuſdem Virginis deuotè ac ſollemniter celebretis, & faciatis à veſtris ſubditis venerabiliter celebrari: vt ipſam habere mereamini apud Deum piam & ſedulam adiutricem.

Eius feſtum annuè celebrandum.

Indulgentia ad eius ſepulchrũ.

14. Et vt ad venerandum eius ſepulchrum auidiùs & copioſiùs Chriſtiani populi confluat multitudo, ac celebriùs ipſius feſtiuitas præcolatur: omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad illud cum reuerentiâ, in eiuſdem Virginis feſto, vel etiam infra ipſius feſti octauas annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia humiliter petituri; de Omnipotentis Dei miſericordiâ, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, auctoritate confiſi, vnum annum & quadraginta dies, de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Datum Ananiæ VI. Kal. Octob. Pontificatus noſtri anno primo.

COM-

COMMENTARIVS AD VITAM S. CLARÆ ASSISIATIS.

S. Claræ vitæ ſcriptores.

QVAM *ſcribunt plerique Bartholomæus Piſanus libro Conform. Confor: fructus* 8. *S. Antoninus Hiſtorial. part.* 3. *tit.* 24. *cap.* 6. *Petrus Rodulphius libro primo Hiſtoriarum Seraphicæ Religionis, & ſi qui alij, quibus antecellit Hiſtoria vitæ eius, quam Alexander Quartus Pont. Max. ſcribi iuſsit, & approbauit. doctus eſt qui ſcripſit, ſed ignotus, quam ego ceteris præpono. Laur. Surius exſcripſit ad duodecimam Auguſti diem. Pelbart. à Themeſvvar de Sanctus Clarâ Sermonem habet, & nonnulli alij. Vſus ſum libro membraneo Ms. Bibliothecæ noſtræ Louanienſis, vetere & vitioſo: quare viſum Surij contextum ſequi triginta diſtinctum capitibus, à quo vetus iſtud exemplar nonnihil variat. Capitibus Summaria præſcripſi, & ad margines notas breues adieci. Capita vigeſimum primum, & vigeſimum nonum diſparaui in paragraphos: vt miracula quæ memorantur, ſe clariùs lectori meo repræſentent.*

De imagine S. Claræ.

Quare cum tabernaculo SS. Sacramenti pingatur.

PINGITVR *geſtare tabernaculũ Ven. Sacramenti, cui cũ pijs omnibus & verè Chriſtianis, deuotiſsima fuit: tum maxime, quod ad præſentiam Dominici corporis Deum adorans cum ſororibus, Saracenos Imperatori Frederico Secundo, Eccleſiæ hoſti militantes, in Aſsiſij obſidio, iam cœnobium ingreſſos, vi precum exturbauerit, & tam à ſuo monaſterio, quàm Aſsiſio profligauerit, quod cap.* 14. *memoratur, & adnotat Ioannes Molanus lib.* 3. *de Imaginibus cap.* 31.

IN CAPVT II.

Congerie lapillorum ſuas oratiunculas Domino adnumerabant.] *Ritus ad calculos, ſiue Sphærulas precatorias orandi irroborauit in tantum apud Catholicos, pauci vt ſint qui Roſarijs & Coronis (ſic appellamus) ad orandum non vtantur. Auſim ego vocare Teſſeras hominis integrè Catholici, cui peculiare eſt ex intimo canali pectoris Diuam Virginem Matrem Dei colere, & frequenter nuntio ſalutare Angelico, quod noſtræ dedit initium ſaluti, cùm Verbum Dei, fabricante Spiritu Sancto, ex B. Mariâ noſtram aſſumpſit naturam. Itaque qui reijciunt hunc morem, certum eſt de ſerpentis antiqui ſemine prouenire, cuius caput fortis iſta mulier contriuit; cuius memores ſumus, quoties ſalutationem Angelicam gratanter repetimus. D. Auguſt. Conc. ad Catechum. contra Iudæos, Paganos & Arianos, cap.* 9. *tomo* 6.

De ritu orandi ad calculos.

Primum Chriſti miraculum.

Primum miraculum magnum Mediatoris ac ſingulare fuit, quòd natus ſit ex Mariâ virgine. *In tanta dignationis*

tionis gratam recordationem Chriſtiana deuotio ritum inuenit ad calculos orandi, ſæpe repetitâ oratione Dominicâ, cum Angelicâ Salutatione. Dominicam orationem docuit Chriſtus in terris; Salutationem Angelicam ter ſancta Trinitas dictauit in cælis; cum quâ Archãgelum Gabrielem ad B. Mariam legauit, vti illam verbis eiſdem ſalutaret, & ad incarnationem Verbi Dei ex eâ, velut paranymphus adpararet. Nullam arbitror precationem eſſe Deo gratiorem, quàm ſit oratio Dominica: nec vllam diuinarum rerum commemorationem, quàm ſit frequens iteratio Salutationis Angelicæ, vnde ſalutis noſtræ fons ad nos deriuauit.

Preces Deo gratiſſimæ.

Priſcos monachos pios ſanctoſq; viros ſic oraſſe videri poteſt, cùm Scriptores veteres & probi ſimilem propè morem vſurpatum D. Paullo monacho fuiſſe probant. Paulus in Pherme, qui mons in Sceti eſt, monaſticam vitã egit, non plures quàm quingentos monachos habens. Nihil autem operis fecit, neque à quopiam quicquam, præterquam quod ederet accepit. In orationibus quotidie ſine intermiſſione ſe exercens, eas veluti quoddam tributum, ad trecentas numero, Deo offerebat. Ne autem ab eo numero aberraret: lapillos in ſinum depoſuit, & ad precationes ſingulas, ſingulos eijciebat calculos; quibus ad eum modũ conſumptis, precationes totidem abſolutas ei eſſe conſtabat. *Hæc Nicephorus Calliſt. lib. 11. Eccleſ. hiſtoriæ cap. 36. Palladius Hiſtoriâ Lauſiacâ Sect. vigeſimâ. Tripart. Hiſtor. lib. octauo cap. 1. Marcus Marul. Rerum dictorumque mirabil. lib. 2. cap. 1. Tali more S. Claram oraſſe prodit hiſtoria.*

Ad calculos pios veteres oraſſe.

Rident hæc iſti fanatici in die Domini miſerè ridendi, qui Chriſtum monentẽ non audiunt, Luc. 18. 1. Oportet ſemper orare, & non deficere: *cui S. Paulus conſonat, 1. ad Theſſ. cap. 5.* 10. Sine intermiſſione orate. *propoſitum eſt orare, & certo numero fundere preces. Interim memoria ſæpe oblita ſui aliò diuagatur: vt ſecum maneat ſui neſcia, reuoco calculorum indicio. quid hic mali? æquum & bonum recti bonique conſulet, quod pietas deuotorum hominum imbecillitati ſuæ confirmandæ excogitauit, cuius generis Roſaria ſunt & Coronæ, quæ ex calculis ſiue ſphærulis filo & chordâ nectere, poſterior ætas docuit.*

Ratio huius ritus.

Porrò autem quis horum inuentor ſit primus, haud temerè dicam. In Sacrario Collegij Virginum D. Gertrudis Niuellæ oſtenſum mihi fuit Roſarium ſiue Corona ex precarijs calculis filo connexis, quam Diuæ Gertrudis fuiſſe Canonici teſtabantur. Alij Petrum Eremitam inueniſſe ſcribunt, de quo Polydorus Vergilius libro quinto de inuentoribus rerum cap. 9.

Quis auctor.

Vt orationem cum Deo habere poſſemus, quoties ipſam Dominicam precem cum Angelicâ Salutatione recitaremus, eſt modus orandi, poſtremò inuentus per calculos, (vt ita dicam) ligneos, quos vulgus modò preculas, modo Paternoſtros appellat. Ii numero quinquaginta ita ordine diſtinguuntur, vt poſt denos ſinguli maiuſculi affigantur filo, ſunt enim perforati: & quot hi ſunt, toties Dominicam precem; quot illi, toties Angelicam Salutationem, ter numerum ineundo recitent, terque Symbolum breuius inferant; & id Deiparæ Virginis Pſalterium nuncupant. Eius rei auctor fertur Petrus Eremita homo Gallus, ciuis Ambianenſis, qui .... circiter annum ſalutis humanæ M. XC. ſanctitate floruit, egitque cum Vrbano Romano Pontifice, vt bellum Aſiaticum à noſtris ſumptum fuerit, quo Hieroſolyma recepta ſunt. *Eruditus vir motus auctoritate Polydori Vergilij, ſcripſit in hæc verba:* Gentis Eremitanæ ſunt inſignia ex tribus floſculis quinq; foliorum, itemque ex calculis precarijs in formam Roſarij, vt vocant, digeſtis, compoſita. Ex quo liquet, non vanè Petro Eremitæ calculorum illorum inuentionem à Polydoro Vergilio, aliiſque attribui.

His vt non aſſentiar, facit auctoritas Ordinis illuſtriſſimi Patrum Dominicanorum, pernegantium Petrum Eremitam Roſarij S. Virginis inuentorem eſſe. Certè ritum ad calculos orandi diu ante illum Patribus vſurpatum fuiſſe, ſupra docui ex Nicephoro Calliſto: quin etiam calculos filo nexos ante Petrum Eremitam in vſu fuiſſe D. Gertrudi, probaui ex traditione Collegij Virginum Niuellenſium. Quid igitur dandum Petro Eremitæ? Non inuentum calculorum precariorum, ſed forſitan frequentiorem vſum, non Roſarij, ſed Coronæ Beatæ Mariæ. Extat libellus Teutonicus hoc titulo, Den coſtelijcken ſchat der broederſchap vant H. Rooſencranſken/vande alderweerdichſte Moeder Godts in de Predick-heeren Orden ingeſtelt. *quod latinè ſonat;* Pretioſus theſaurus Confraternitatis ſacri Roſarij à Beatiſſimâ Matre DEI in Ordine Prædicatorum inſtituti. *Excuſus eſt Antverpiæ apud Hieronymum Verduſſen, Anno* 1610. *In quo conſtanter Patres Prædicatores aſſerunt, ritum orandi Roſarium, à D. Virgine Matre B. Dominico reuelatum, vt iſtiuſmodi preces aduerſus Albigenſes hæreticos, contra*

Petrus Eremita non auctor orãdi ad calculos.

Roſariũ B. Mariæ inſtitutũ per S. Dominicum.

quos

quos vir ſanctus ſtrenuè expugnabat, adoberet. Fecit, & multa hominum millia ab errore & hæreſi ad ouile Chriſti reduxit. In concionibus publicè, priuatim, cum inſtitutis ſui ſanctis Patribus vehementer hunc orandi modum propagauit, Deo & Beatâ Mariâ confirmante ſequentibus ſignis. Probant teſtimonijs Pij Quinti, Gregorij Decimitertij, Sixti Quinti, Pontificum laudatiſſimorum, Beatum Dominicum inſtinctu Spiritus ſancti, ſacrum Roſarium inſtituiſſe; iure querentes, alteri tribui immerenter, quod Vir Sanctus religioſis & pijs tradidit ipſe.

Roſarij B. Mariæ frequentatio Deo grata & ſalutaris oranti.

Quàm ſit grata Deo Deiparæque Virgini pia ac frequens Angelicæ Salutationis iteratio, multis illuſtribus exemplis docet Cæſarius Heiſterbachius libro ſeptimo Hiſtoriarum memorabilium capite vigeſimoſexto & ſequentibus. Item Thomas Cantipratanus libro ſecundo Miraculorum & exemplorum Memorabilium capite vigeſimonono. Ex quibus videri poteſt, Salutationis Angelicæ repetitionem ante Beatum Dominicum pijs hominibus in vſu fuiſſe, ſed ipſo auctore, ſacri Roſarij repetitionem mirum in modum apud Catholicos irroboraſſe; quod multis docet Guillermus Pepin, Aurei Roſarij myſtici, *ſermonibus quinquaginta quinque, item Septem Sermonibus de* Roſario Beatæ Mariæ. *Verùm enimuero Roſarium cur dicatur, necdum certò didici: ſed arbitror à florum principe Roſâ: quæ, vt eſt odoratui noſtro grati ſſima; ſic Deo Diuæque eius Matri ſalutationis Angelicæ cum oratione Dominicâ pia & frequens repetitio, in gratam memoriam & gratiarum actionem pro Incarnatione, ceteriſque myſterijs Oeconomiæ filij Dei Saluatoris noſtri, quam cum adiutorio Deiparæ Matris ſuæ peregit.*

Roſarium cur dicatur.

Vir religioſus cùm in itinere quinquagies Salutationem Angelicam iteraret; virguncula viſa eſt, quam Beatam Mariam putamus; ad earum ſingulas ex ipſius ore roſam excerpſiſſe, & ex illis factâ coronâ, impoſitâ capiti, ad cælum euolaſſe. Narrat Guillermus Pepin in Sermonibus ſeptem de Roſario Beatæ Mariæ Sermone primo non procul ab initio. Hæc talia nominis huius originationem dediſſe, licet opinari.

Pſalterium dicitur à numero Dauidicis Pſalmis centum quinquaginta reſpondente: toties repetitâ Salutatione Angelicâ, & quindecies oratione Dominicâ, expletur. Sanctus Bonauentura ex Ordine Minorum Seraphicus Eccleſiæ Doctor, non ita multò poſt Sanctum Dominicum florens, in honorem Diuæ Virginis MARIAE, *cui longè fuit deuotiſſimus, duo compoſuit Pſalteria: alterum maius, in quo Pſalmorum initia & media interponens, ad modum verſuum Pſalmorum, Beatam Mariam laudans & inuocans, claudit Eccleſiæ verſiculo, Gloria Patri, & Filio, &c. Alterum minus inſcribit Pſalterium, quod ex rythmis compoſitum, interpoſitis nonnullis ſingulorum pſalmorum verbis, breuiter Diuam Virginem ſalutando, in laudes eius deſinit & preces. Extant hæc tom. 2. Opuſculorum S. Bonauenturæ in editione veteri, Tom. 6. in edit. Romanâ.*

Pſalteria B. Mariæ.

Itaque Beatum Dominicum, auctore Deiparâ Virgine, ſacri Roſarij eſſe inſtitutorem, fatendum eſt; cuius æuo cultus & pietas in Diuam Mariam mirabiliter excreuit: in tantum, vt pleriſque locis, in eius honorem, & ad impetrandam ab eâ humano generi tutelam, ſodalitia cœperint excitari & confraternitates, quorum principium Sanctus Bonauentura, ex Ordine Minorum, Seraphicus Eccleſiæ Doctor dedit, vt Thomas Bozius doctus hiſtoricus diſertis verbis, libro nono de ſignis Eccleſiæ, ſigno vigeſimoquinto, capite quinto teſtatur; Sanctus Bonauentura primus inſtituit, vt è laicis excitarentur Sodalitates, qui ad opera pia conuenirent, preceſque certas quotidie recitarent, ſuoſque præfectos haberent perpetuo ſucceſſionis tenore deligendos. Initium verò inſtituti ſanctiſſimi Romæ factum in Sodalitate ſiue Archiconfraternitate Confalonis, circiter annum prope milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum. Huius exemplo, innumeræ in orbe Chriſtiano formatæ Sodalitates, quarum inſtitutis nullum non opus pium perficiendum comprehenditur.

Sodalitia B. Mariæ Virginis.

His S. Bonau. dedit initium.

Sacri Roſarij Sodalitium Coloniæ Agrippinæ, auctore Vener. Patre Iacobo Sprenger priore cœnobij Patrum Prædicatorum, monitu & indictu Beatæ Mariæ inſtitutum, eius reparanda venerationi, noſtræque ſaluti, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto: quod Alexander Epiſcopus Foroliuienſis, id temporis, Apoſtolicus Legatus Coloniæ, poſtulante Frederico Tertio Imperatore, litteris ſuis & auctoritate comprobauit, Sixtus Quartus confirmauit, confirmatum ſuccedentes Pontifices magnis auxerunt priuilegijs & fauoribus. Alexander ſupradictus Legatus Apoſtolicus, Fredericus etiam Imperator Tertius, cum primis ritum hunc orandi ad Roſarium auſpicati ſunt, quos tempore procedente ſummi Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Reges, Principes, alij multi ſequuti ſunt, diuæ honoranda Virgini, & ab eâ ſuæ procuranda ſaluti. Adi librum illum quem ſuprà citaui, pretioſum Theſaurum ſacri Roſarij, capite primo, paragrapho tertio.

Roſarij B. Virginis initium Coloniæ.

Ritus orandi coronam, quæ duplex.

Præter ſacrum Beatæ Mariæ Roſarium habet Eccleſia ritum alium orandi Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM *eiuſque matrem ſalutandi, qui precum ſalutationumque breuiori numero conſtans,* Corona *vocatur: quòd ſphærulæ ſiue calculi colligati præſerant ſpeciem Corollarum, quibus ſubinde maiores noſtros ſe coronaſſe picturæ veteres atteſtantur. Duplex eſt Corona: priòr Corona Domini noſtri* IESV CHRISTI; *poſterior Beatæ* MARIAE *ſemper Virginis, cuius altera Maior appellatur, Minor altera: quæ cui fini, ac quo modo legi debeant, verbis docebo Compendij priuilegiorum Ordinis fratrum Minorum, verbo* Indulgentiæ plenariæ quo ad fratres, paragrapho vndecimo. Notandum eſt, quòd Corona Domini noſtri IESV CHRISTI *Corona Domini Ieſu Chriſti.* continet triginta tria Pater noſter, & totidem Aue Maria, in honorem annorum vitæ eiuſdem Chriſti. Corona verò Beatæ Virginis, dicitur ab aliquibus continere ſexaginta tria Aue Maria, & de decem in decem vnum Pater noſter, & ſic habetur in litteris Leonis ſuperiùs allegatis: ſed et alij dicunt, & meliùs; continet ſeptuaginta duo Aue Maria, in memoriam ſeptuaginta duorum annorum, quos Beata Virgo in hoc ſæculo creditur vixiſſe; & itá ponitur in aliis litteris eiuſdem Leonis, *nempe Decimi; cuius hæc verba lubet aſcribere ex capite quinto Regulæ Sororum de Annuntiatione;* Sorores laicæ pro officio diei dicant *Corona quoque B. Mariæ duplex eſt.* Coronam Domini IESV, quæ triginta tria Pater noſter, & totidem Aue Maria continet: pro officio verò Virginis, dicant Coronam maximam Beatæ Mariæ, quæ continet ſeptuaginta duo Aue Maria, & ſeptem Pater noſter. *Nota; Coronam maximam dicit, ſubindicans alteram eſſe minorem, quæ piis hominibus præ maiore frequentiùs in vſu eſt.*

Anni vitæ B. Mariæ. *Conſilium non eſt, de annis vitæ Deiparæ Virginis diſſerere: peregit Baronius Tomo primo Annalium ſuorum, ad annum Chriſti quadrageſimum octauum, varias ponens diuerſorum opiniones. Epiphanius contra hæreſin Antidicomarianitarum, numero ſeptuageſimo octauo Diuam Virginem ſcribit annis vixiſſe ſeptuaginta duobus; opinor ſecutos eius* *Qui per Coronam repræſentantur.* *auctoritatem, quorum pietas repetere in illorum memoriam, toties Salutationem Angelicam, inſtituit: ſed, quod dixi, Corona minor frequentior in vſu eſt, non ſine magno fructu. Adſcribo pauca merita piè Coronas haſce legentium, è Compendio priuilegiorum Ordinis noſtri, loco ſuprà producto:* Iulius Secundus conceſſit, quòd fratres Minores obſeruantes, toties quoties Coronam Virginis MARIÆ, quæ continet ſeptuaginta duo Aue Maria, & octo Pater noſter, præmittendo ante quælibet decem Aue Maria vnum Pater noſter; dixerint, lucrentur Indulgentiam plenariam; addendo tamen vnum Aue Maria pro ipſo Domino Papâ. Idem Iulius conceſſit, quòd prædicti fratres dicendo Coronam Saluatoris noſtri IESV CHRISTI, quæ continet triginta tria Pater noſter, & totidem Aue Maria, in memoriam annorum vitæ Chriſti, lucrentur conſimilem Indulgentiam plenariam, ſicut pro Coronâ Beatæ Virginis. *Leo Decimus Iulij Secundi ſucceſſor haſce peccatorum condonationes, Sororibus Sanctæ Claræ, item Tertij Ordinis Diui Franciſci & quæ Annuntiatæ vocantur, communicauit. Hactenus iſta, occaſione datá verborum,* quòd Sancta Clara congerie lapillorum ſuas oratiunculas Domino adnumerabat.

IN CAPVT III.

Viſitat ille iſtam, ſæpius iſta illum.] *Salubriùs res noſtræ procederent, ſi quemadmodum Sancti ſe inuiſebant; ita nos quoque; aut quod eſt imperfectioribus conſultius tutiusq́ue, feminarum religioſi conſuetudinem euitarent. Grauiter Beatus Hieronymus epiſtolâ ſecundâ, ad Nepotianum capite quinto.* Hoſpitiolum tuum, aut raró aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige, ne ſub eodem tecto manſites, nec in præteritâ caſtitate confidas: nec fortior Dauid, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quòd paradiſi colonum de poſſeſſione ſuâ mulier eiecerit. *Beatus Franciſcus Diuam Claram ſalutari conſilio, colloquio ſuo admiſit, ſemel etiam prandiolo menſâ humi ſtratâ: ſed exemplo memorando. Primum ferculum Beati Franciſci ſuauiſſimi fuere de* *S. Franciſco & S. Claræ raptu in ecſtaſin viſum eſt ardere conuentus.* *Deo ſermones: cùm ipſe vir ſanctus, Beata Clara, & qui aderant ſocij raperentur in mentis exceſſum, oculis & manibus eleuatis in cælum; videbatur Aſſiſinatibus aliiſque accolis conuentus totus ardere, & inſatiabili flammâ vorari: ſed mox adcurrentibus ad*

incendium extinguendum, viſi ſunt illi beati eodem habitu inſenſiles, alio cibo refici, quem nos ignoramus; atque illum ignem, qui foris non vrit, ſed incendit pectora Spiritus ſancti gratiâ, mortalibus oculis apparuiſſe: Speculum vitæ S. Franciſci circa medium, hiſtoriam copiosè perſcribit.

IN CAPVT XIV. & XV.

Fredericus II. Imperat. Saracenos dilexit.

Saraceni ..... intra clauſtrum virginum influxerunt.] *Fredericus Secundus Imperator, aliquoties denuntiatus hoſtis Eccleſiæ, & excommunicatus, auctore Platinâ, Gregorio IX. Pontifice*, Saracenos adeò dilexit, vt eorum operâ præ ceteris in bello vteretur, magiſtratusque eis ac propriam vrbem conceſſerit, quæ noſtris quoque temporibus Nuceria Saracenorum vocatur. *Platina quoque Innocentio Quarto Pontifice ſcribit Fredericum Imperatorem*, impuliſſe quaſdam ciuitates ſtudio partium à Pontifice deſciſcere, maximè verò Foroliuienſes, Ariminenſes, Vrbinates, ac totum Picenum. In Vmbriâ præterea defecerant omnes, præter Tudertinos, Perufinos, Aſſiſiates: *atque hæc cauſſa fuit Aſſiſij obſidionis, & in vicinum cœnobium S. Claræ irruptionis Saracenorum.*

IN CAPVT XIX.

Audiebat iubilum fratrum pſallentium.] *Nimirum nocte natalis Domini, cùm ægra in lecto relicta fuiſſet: refert etiam Speculum Vitæ Beati Franciſci & ſociorum, circa medium.*

IN CAPVT XXI.

Miracula complura ſigno crucis effecit.] *Quibus accenſendum, quod Speculum Vitæ Sancti Franciſci refert. Innocentius Quartus (ſic opinor: nam quis fuerit Pontifex, certò non ſcio) interdum Beatam Claram inuiſit, ſalubres cum eâ commiſcuit ſermones. Inſtante prandio iuſſit Beata Clara ſororibus menſâ paratâ panes apponi, à Chriſti Vicario benedicendos: quod illa ſupplex cùm peteret, contrà iuſſit Pontifex, vt ipſa cum obedientiæ merito ſigno ſanctæ Crucis benediceret. Fecit, moxque in ſingulis panibus impreſſum videtur ſignum Crucis. Addit auctor hæc verba:* Morabantur in dicto monaſterio ſoror Hortulana, mater Sanctæ Claræ, & ſoror Agnes eiuſdem germana, omnes Spiritu ſancto repletæ, cum multis ſanctis monialibus, & ſponſis Chriſti; ad quas Sanctus Franciſcus infirmos plurimos transmittebat, virtute Crucis, quam toto corde colebat, benedicendos: quotquot ſignabantur, remedium reportabant. *Habet & liber Conformitatum Conform. fruct. 15.*

S. Clara ſigno S. Crucis panibus crucem impreſſit.

IN CAPVT XXVII.

Egreditur anima illa ſanctiſſima.] *Sanctus Antoninus Hiſtoriali parte tertiâ, titulo vigeſimoquarto, capite ſexto, paragrapho quinto, in fine;* Erat autem quaſi ſexagenaria tempore obitus ſui. *Capite vigeſimoquinto hiſtoriæ vitæ, initio, ſcribitur Beata Clara* quadraginta annis in ſtadio cucurriſſe altiſſimæ paupertatis. *& capite quinto ſub finem; In cœnobio Sancti Damiani*, arcto recluſorio per quadraginta duos annos diſciplinæ flagellis fregiſſe ſui corporis alabaſtrum, *quorum viginti octo exegit in languore, vt habetur capite vigeſimoquinto. Fuit igitur octodecim circiter annorum, cùm vitam monaſticam auſpicaretur.*

Ætas Sanctæ Claræ.

Ordinem Sanctæ Claræ, non aliquo iure, ſed petente Ioanne Caietano Cardinale protectore, (qui poſtea pontifex, dictus eſt Nicolaus Tertius, Franciſcani ſummus amator inſtituti) à Patribus noſtris in curam acceptum fuiſſe, ſcribit Beatus Antoninus Hiſtoriali parte tertiâ, titulo vigeſimoquarto, cap. 9. paragrapho ſeptimo.

Ordo S. Claræ fratribus Minoribus in curam traditus.

Bullam Alexandri Quarti, de eius Canonizatione, & anniuerſariâ feſtiuitate celebrandâ, exſcripſi ex Firmamento Trium Ordinum parte 2. tractatu 2.

APPROBATIO.

BEatiſſimæ Virginis (re & nomine) Claræ hiſtoriam & vitam, commentarijs, & notis admodum Reuerendi & Religioſi Patris Fratris Henrici Sedulij Minoritæ elucidatam, non abſque animi delectatione perlegi, eamque legentibus plurimùm fore vtilem atque proficuam intelligo, cùm omnium virtutum ſpecimen ſplendeat in eâ, nihilque quod piorum aures (neque in minimo) offendat, contineat. Ideoque ad Dei omnipotentis gloriam (qui in Virgine Clarâ ita ſe oſtendit mirabilem, in Sanctisque ſuis laudari gloriatur) & ad animarum ſalutem, vitæque ſpiritualis incrementum, monaſticæ denique vitæ honorem & laudem, dignam valde iudico, vt in lucem veniat, & typis mandetur. In quorum omnium teſtimonium has dedi & ſignaui. Bruxellæ 14. die Nouembris, anno 1611.

Frater Andreas à Soto Sereniſſimæ Infanti à Confeſſionibus.

SANCTÆ
ELIZABETH VIDVAE,
REGIS HVNGARORVM FILIÆ,
Tertij Ordinis D. Franciſci,
VITA

PIO LECTORI.

SANCTÆ *Elizabethæ viduæ, Andreæ Regis Hungarorum filiæ, ex Ordine Tertio D. Franciſci, nunc accipe vitam, quæ viduitatis coronam illæſo nomine conſeruauit.* Verè vidua & deſolata, ſperans in Deũ, inſtans obſecrationibus & orationibus die ac nocte: *cuius virtutes & opera pia cunctis viduis imitãda; ardor in Chriſtum, pallor ex ieiuniis, eleemoſynæ in pauperes, obſequium in ſeruos Dei, humilitas veſtium & cordis. Non habuit criſpantes mitras, non ſtridentes calceolos, nec orbes ſtibio fuliginatos: quanto fœdior alijs, tanto ſibi videbatur pulchrior. Inter Virginum lilia & Martyrum roſas, velut viola multicolor, multis meritis nitens, ab exceſſu mariti Lantgrauij Turingiæ coniugis optimi, ad ſordes redijt, omnibus ſaeculi cultibus mundiores; iure, meritis exigentibus, triplici redimita coronâ: in cuius laudationes, è multis hæc* *B. Elizabeth verè vidua. 1 Timot 5.*

ELOGIA.

Vincentius Bellouacenſis, ex Ordine Prædicatorum.

Encomia tituli. 1. Hæc filia regis Hungariæ, vxor fuit Lantgrauij Turingię, ab adoleſcentiâ ſuâ ſtuduit religioni, votum ſuum & actiones in Deum dirigens, tam in rebus ludicris quàm ſerijs. Hæc vitiorum extirpatrix, virtutum plantatrix fuit, ſcala morum, exemplum patientię, ſpeculum innocentiæ. *Spec. Hiſtor. lib. 31. cap. 136.*

Hartmannus Scheydel hiſtoricus Noribergenſis.

2. Elizabeth filia regis Hungariæ, vxor Lantgrauij Turingiæ, circa annos Domini M. CCXX. in Alemaniâ claruit, ab adoleſcentiâ ſuâ religioni ſtuduit, actiones ſuas in Deum dirigens, virtutum exſtirpatrix, exemplum patientiæ, ſpeculum innocentiæ: facta nubilis multas perſecutiones paſſa à Conſiliarijs Sponſi, & à proximis ſuis. Sed cùm Dominum exoraſſet, ſponſum occultum conſolatorem ſenſit. qui cùm circa temporalia ſuorũ principatum intenderet: B. Elizabeth, ad omnia exercenda quæ ad opus Dei ſpectant, liberam facultatem conceſſit. Totis igitur viribus pietatis operibus ſe contulit, in quibus optimè vſque ad *Actiones eius & exercitia.* mortem perſeuerans, delectabilia ori proprio ſubtrahens pauperibus miniſtrabat, eoſque balneabat, & lectos eorum ſternebat, eoſque tegebat; fila trahebat, vaſa coquinaria mundabat. Hoſpitale pauperum conſtruxit: quæ bonis virtutibus erudita, tot operum bonorum manipulos protulit. Chriſto copulari deſiderãs, terreni ſponſi conſortium declinauit: & mundanæ gloriæ depoſitis veſtimẽtis, de manu magiſtri Conradi de Marburck griſeâ tunicam induit, contemptâ diuitiarum ipſius iactantiâ, ſe mundo prorſus fecit ignobilem. Tandem XIV. Kalend. Decembris ad Dominum migrauit. Inter innumera miracula, quæ Deus per eam oſtendit, ſedecim mortuos potenter ſuſcitauit, cæcum natum illuminauit. *Mortuos ſedecim ſuſcitauit.* Quamobrem Gregorius Nonus ipſam in Sanctarum numero aſcribi & aggregari voluit, & eius feſtum XIII. Kalend. Decemb. celebrari præcepit. *Sextâ ætate mundi.*

F. Iacobus Philippus Bergomenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

3. Elizabeth Vngariæ regis filia, Lantgrauij Thuringiæ vxor, per id tempus, bonis virtutibus à Gregorio Pontifice erudita, tot protulit manipulos bonorum operum, quot ab eo ſuſcepit ſemi-

na præceptorum. Quæ ſponſo Chriſto copulari deſiderans, terreni ſponſi declinauit conſortium, & mundanæ gloriæ depoſitis veſtimentis, contemtaq; diuitiarum ipſius iactantiâ, ſe mundo prorſus ignobilem fecit: ac tamquam Cananea, de fluxu terrenæ ſolicitudinis liberata, totis ſe viribus, pietatis operibus contulit; in quibus optimè vſque ad mortem perſeuerans, non ſine ſanctitatis opinione quieuit in pace. Quamobrē Gregorius Nonus in Sanctarum numero aſſcribi mandauit. *Lib. 13. Suppl. Chronicor. ad An. Domini 1225.*

Marcus Marulus Spalatenſis.

Mater pauperū dicta. 4. Elizabeth nondum marito Lantgrauio viduatâ, ob aſſiduam in pauperes benignitatē, mater eorum cognominabatur. *Lib. 1. dictorum factorumque memorabilium cap. 2.*

Albertus Krantzius.

5. B. Elizabeth in Marburg canonizata extollitur, præſente Imperatore & multis principibus anno Chriſti M.CC.XXXVI. Tanta ibi erat hominum multitudo, quantam ſe nemo vmquam meminerat vnà conſpexiſſe. Oblatio auri & argenti ſine fine pro miraculis, quæ creſcebant circa dominam illam. *Lib. 7. Metropol. cap. 48.*

Vincentius Belloaacenſis ex Ordine Prædicatorum.

6. Inter innumera miracula, quæ Dominus DEVS per eam oſtendit, ſeptemdecim mortuos per eam ſuſcitauit, cæcum natum illuminauit. Decimo quarto Kalend. Decemb. ad Dominum migrauit. In die autem tranſlationis ſancti corporis eius, poſtquā in capsâ plumbeâ fuit repoſitum, de terrâ ſublatum; proximo die pôſt, aperto loculo pro reliquiarum oſtēſione, repertum eſt oleum mirifici odoris de corpore eius emanaſſe: quod hodie etiam inſpicientibus patet. Nam guttæ tamquam roris ſuper gramen ſtant & diſtillant; eiſq; decidentibus vel abſterſis, aliæ paulatim renaſcuntur. *Spec. Hiſtor. Lib. 31. cap. 137.* *Oleum fluxit ex eius corpore.*

ORDO CAPITVM.

PRæfatio.

I. Cap. *S. Elizabeth parentes Hungariæ reges habuit optimos. Filio Thuringiæ Lantgrauij deſponſata, magnis aucta diuitijs, in Thuringiam quadriennis adducta eſt.*

II. *Pietas in tenerâ pueritiâ maiori ſanctimoniæ eam præparabat.*

III. *Humilitas eius in templo, & conuerſatione ac moribus. Spernitur eius ergo à ſuis, ſponſo tamen in eius amore creſcente.*

IV. *Inuidorum petulantiâ à Principe contemtâ, ab eo in vxorem ducta eſt.*

V. *Nupta iam in aſſuetis durat virtutibus. Sæpe lectum deſerens, orationibus ſe noctu dabat, & caſtigationi ſui corporis.*

VI. *Laudes magiſtri Conradi à Marpurg, cui S. Elizabeth, quâ coniugio congruit, fidem dedit obedientiæ, cuius hic ſtupendum exemplum, ſicut & abſtinentiæ.*

VII. *Conſpectâ Chriſti crucifixi in templo imagine, cultū poſuit veſtium principalium, præſertim abſente marito, quem ipſo redeunte,*

illius gratiâ reſumſit. Tres liberos genuit, quos ipſamet piè templo intulit, & obtulit altari.

VIII. Miſeratio & munificentia eius in pauperes & miſeros; quorum vni crines demſit, horridum caput lauit. pro pretioſo pallio dato pauperi, pallium ei diuinitus redditum.

IX. Otium euitans, lanificio ſuo veſtiuit egenos. Prægnātes & puerperas inuiſens, munuſculis ſolatur. Paupertati ſtudens, vilibus induitur veſtimentis, egeſtatis ſuæ præſcia futuræ. Mirabiliter veſte pretioſâ donata à Deo eſt.

X. Sacrificio Chriſtiano cùm intereſſet, ornamenta poſuit, magnâ ſubinde luce illuſtrata. Dies feſtos ſingulari pietate peregit. In Domini cænâ duodecim pauperum pedes lauit, terſit, oſculata eſt; veſtibus donauit, panibus, pecuniâ. Nocte paraſceues templa nudis pedibus obiuit, quomodo etiam in Litaniis amicta laneis in vulgo proceſsit.

XI. Abſente marito frumentis in fame publicâ diſtributis in pauperes, Xenodochium miſerioribus ſuſtentandis exſtruit, quos velut mater fouit, ſicut & pueros, præſertim horribiliores. Inſigne miraculum.

XII. Potus egenis non defuit miraculo. Nongentos quotidie mendicos coràm ſuſtentauit, præter alios totâ ſuâ ditione. funera decedentium ſolicitè curans, iuſta eis ſoluit.

XIII. Aduerſus calumniatores ratam habuit coniugis profuſam in pauperes liberalitatem, rediens ex itinere maritus, Princeps laudatiſsimus.

XVI. Lantgrauius acceptâ Cruce, in expeditione Terræ ſanctæ mortuus eſt, viduâ Elizabeth valdè lugente.

XV. Exacta cum filijs ex arce, omnibus fortunis exuta, patiens ac Deo gratias agens, vix locum reperit quò diuerteret.

XVI. Ab ingratâ vetulâ quam aluerat, in lutum protruſa S. Elizabeth, lætata ſubriſit, quam Chriſtus vehementer ſuo conſpectu & conſolatione confirmauit.

XVII. Babenbergam Elizabeth accita ab Epiſcopo auunculo, humaniſsimè habita eſt: ſed is, quia neptem rurſus maritare cogitauerat, inde receſsit. E Siciliá rediere qui mariti reuexerunt oſſa. Actum de dote reſtituendâ Elizabeth.

XVIII. Henricus leuir Elizabeth grauiter admonitus, illi reconciliatus eſt.

XIX. Henricus, cùm in arce fratriam principaliter habuiſſet; illa, conſcientiâ ſtimulante, reuertit ad aſſuetam paupertatem, inuidis id mordentibus. Cara fuit vt filia Gregorio Nono P. & ab eo magiſtro Conrado commendata.

XX. *A magiſtro Conrado in pietatis confirmata propoſito, nihili facit obtrectatorum inuidiam: ſed cunctis ſæculi rebus ex voto deſertis, ſecuta magiſtrum, Marpurgi ſummâ exercetur paupertate.*

XXI. *Domunculâ conſtructâ, Xenodochij ſui pauperum curam habet, quorum deſpicatiſſimos adhibebat menſæ ſuæ. Conradus illius exercens patientiam, ex eius animo induit humillimâ veſte.*

XXII. *Lanificio dat operam etiam ægra & decumbens. In patriam reuocata, paupertatem præfert aulæ, ancillis ſe ſuis in omnibus aſsimulans.*

XXIII. *Pauperes inuiſens recreat deſideratis edulijs, quorum vnius appetitui piſcem è puteo precibus impetrauit. Miſeros & horridos magnâ caritate curans, ſubinde ſanauit: humilia opera exercuit. Matrem purgatorio eripuit.*

XXIV. *Iuuenem elegantem, mundo deditum & vanitati, calidis precibus inflammans, ad Ordinem Sancti Franciſci pertraxit.*

XXV. *Amplam dotem cùm recepiſſet, conuocatis vndique numeroſis pauperibus largiter ipſa diſtribuit. Iuuenculam crinibus, quibus gloriabatur, detonſis, meliori vitæ parauit.*

XXVI. *Magiſter pecuniam reliquam ex dote, cum aliis eleemoſynis profusè vetat in pauperes ſpargere: ceterà, quà licuit liberaliter diſtribuit. Baptiſmum prolium, monuit puerperas, non differendum, non negligendum. Suadet moribundis, Eccleſiaſticis muniri Sacramentis, & ad mortem parari.*

XXVII. *Parentes quos aluerat filiâ deſertâ fugientes, precibus redire coegit. Nimijs ſumptibus ad imaginũ ſacrarum ornatũ, præfert eleemoſynas in pauperes. A labore & curis, orationi & contemplationi vacans, Chriſtũ ſæpe vidit cum Angelis, facie eius aliquando reſplendente.*

XXVIII. *Morituram Chriſtus apparens ad cœlum euocauit, cùm ſub mortem inſtar cygni dulciter cecinißet. Adparans ſe morti Chriſtum in pauperibus ſcripſit heredem. De Chriſti lachrymis mira cùm dixiſſet, canentibus accinunt Angelis.*

XXIX. *Dæmonem abegit accedentem. De Chriſto diſſerens moritur, lugentibus pauperibus. Corpus viuentis habitu mobile, gratiſſimum adſpirat odorem, à quo decerpunt reliquias. Magno honore ſepulta fuit.*

XXX. *Propter miraculorum frequentiam, quarto poſt obitum anno, relata eſt inter Diuos à Gregorio IX. Aureâ coronâ donata eſt à Frederico Imperatore in ſacri corporis tranſlatione; in quâ viſum eius oſſa oleum manaſſe morbidis ſalutare. Sepulchri quoque illius attactu à mentis morbis liberati nonnulli.*

XXXI. *Miracula nonnulla conſtante veritate probata.*

XXXII. *Alia miracula in mortuis, in viuis.*

XXXIII. *Alia miracula ad eius ſepulchrum.*

XXXIV. *Miracula alia generis diuerſi.*

Commentarius ad Vitam S. Elizabeth.

SANCTÆ ELIZABETH VIDVAE, REGIS HVNGARORVM FILIÆ, Tertij Ordinis D. Franciſci, VITA,

PRÆFATIO.

DESIDERANTI mihi per annos iam plurimos, vitam & res geſtas Elizabeth conſcribere; ac meritiſſimæ fœminæ, pro virili parte, magnificas prædicare virtutes: partim verecunda quædam ad ſcribendũ lentitudo, partim occupationes obſtiterunt honeſtæ. Illa quidem, pro ſui naturâ tantam ſcribẽdi molem vel inchoare, nedum proſequi, grauabatur: hæ verò, ſi quæ fuiſſent incepta, vario rerũ ſtrepitu minabantur ſingulis pene interruptum iri momentis. Verùm ne ſub agendarũ prætextu rerum, in torporem aliquando ſe tarditas ipſa mutaret; fieretque meritò reprehenſioni obnoxium, quod anteà non iniuriâ potuit excuſari: tandem ad rem maturandam incumbere, tum proprij cenſurâ iudicij perſuaſus, tum contribuliũ quorundam deſiderio, veluti quodam claſſico excitatus, animũ induxi. At (forte quiſpiam dicet) quâ fiduciâ, quo fructu, cuius denique ſpe præmij? Fiduciâ certè, non ingenij, non eruditionis: quæ quàm ſint anguſta, nemo inter mortales me nouit intimiùs: ſed magis diuinę gratiæ, quæ nulli vnquam fuit rite poſcenti negata: fructu verò excitandæ ad virtutem affectionis & meę, & aliorum, ſi qui noſtra hæc qualiacunque dignabuntur attingere; denique ſpe præmij, non cuiuſcunque, ſed æterni, ſed immortalis, ſed diuini. Nam temporariũ, quod de cupiditate poteſt laudis humanæ prouenire, tam eſt inſigni vanitate, tamque pudendâ tenuitate: vt non poſſit non amentiſſimus cenſeri, qui eius gratiâ ſacrarum ſe rerum tractationi dedit. Quid enim amentius vel eſſe, vel dici queat; quàm inde momentariam venari gloriam velle, vnde totius dator boni Deus laudari vel ſolus debeat? Pudet meminiſſe iactantię, & appetitionis impudentiſſimæ quorundam, ſæcularis faſtu ſcientiæ tumentium; atque ad inanem vulgi laudem emerendam, & dies & noctes adſpirantium, tãquam ea lucubrationum editarum iuſta ſit merces; quâ tamẽ quum fuerint abundè perfruiti, neceſſe eſt ſui tandem eos pœniteat conſilij: quòd, poſthabitâ cæleſtis præmij perpetuitate, tanti nequicquam emerint pœnitere. Scilicet imbecilles homuli, atque in putredinem conuertendi, ingenio & eruditione gloriolam quærunt; cùm Chriſtus Ieſus vitæ magiſter, virtus, gloria, & Sapientia ſummi Patris, doctrinam ſuam non ſibi, ſed Patri referat acceptam, dicens; *Mea doctrina, non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Cùm igitur & Deum in Sãctis laudare, & eidem quicquid boni poſſumus, aſcribere debeamus; hanc ſanctiſſimæ ſanctitatis Matronam, è Diuarum numero ſelectam, pro conceſſo diuinitus ingenio laudare ſic adnitemur; vt neque noſtram, neque hominum, ſed Dei laudem perſanctè quæramus. Magnum profectò & graue onus, vireſque noſtras longè tranſcendens! Verùm illi confidimus, qui dixit; *Sine me nihil poteſtis facere.* Ad quem, vaſtum hoc rerum geſtarum æquor emenſuri, flaccida ſupplicis vela deſiderij pandimus, flagitantes ea (quandoquidem de crucis antennâ funiculo ſpei nexa propendent) placidiſſimo ſancti Spiritus flamine diſtendi: vt inoffenſo cæruleũ iter curſu radentes, & ſæuos borealis auræ deuitemus afflatus, & ad littus appellamur optatum. Cæterum, quia multa nobis ſacer vberis vitæ decurſus deſcribenda ſuppeditat; ne verboſâ prolixitate legentium oneremus faſtidium, hac ſtylum arte temperabimus: vt minutiora ſuccinctè, grauiora modeſtè, omnia dilucidè differamus.

...uſſa ſcri-ionis au-ri. opti-...

Ioan. 7. 16.
Pſal. 150. 1.

Nempe laus Dei.

Ioan. 15. 5.

CAPVT

CAPVT I.

S. Elizabeth parentes Hungariæ Reges habuit optimos. Filio Thuringiæ Lantgrauij deſponſata, magnis aucta dotibus, in Thuringiam quadriennis adducta eſt.

Andreas Rex Hungariæ pater Elizabeth.

ELIZABETH nobiliſſimis in Hungariâ parentibus progenita eſt; patre Andreâ rege, matre Gertrude reginâ. Pater eius in gubernando Hungarorum regno, non ſolùm diuitiarum opulentiâ, verumetiam (quod ſingulare optimorum inſigne regum) pietate & iuſtitiâ præclarus fuit. Mater, quę pro naturâ ſexus infirmior cenſeri poterat; adeò magnitudinem virilis animi, prudentiamque nonnunquam exercuit: vt vel abſente, vel occupationibus diſtento rege, ipſa per ſe regni tractanda negotia, non ſine laude curaret. Ferunt, genethliacum quẽdam longè poſitum, qui Clinſor vocabatur; paucis antè horis, quam in lucem ederetur Elizabeth, prædixiſſe naſcituram: natæque nomen, indolem, virtutes, miracula, nuptias, ac ſpõſi nomen: denique lætitiam Eccleſiæ, tantarum gratiâ rerum declarandam, veluti ex ſiderum, quæ contemplabatur, aſpectu, citata depromſiſſe. Quam quidem prædictionem, qui diuino inſtinctum Spiritu hominem volunt, veteris * Balaami vaticinio comparant: qui verò diuinatricem Aſtrologiæ vanitatem derident, intrà famam reponunt. Baptizata non multo pòſt tempore, iuxta vocem * Apoſtoli, Chriſtum induit: indutum, arctiſſimè tenuit, tentum quoad vixit nunquam dimiſit. Lactentem adhuc Hermannus Thuringiæ maximus princeps (quem vulgò Lantgrauium vocant) Ludouico filio infanti; quamuis vtrinque minor ætas foret, quàm quæ iure ſponſalia ſubire poſſet; miſsâ legatione, deſponderi procurauit. Quadrimam poſteà, miſſis iterum legatis, adferri ad ſe precibus, & quidem facillimè, obtinuit; quòd regina petitioni libenter admodum annuere viſa eſt, id quod etiam regiâ munificentia declarauit. Nam poſteaquàm legatis honorificè ſuſceptis, benignè auditis, atque humaniſſimè tractatis, filiam in argenteo cunarum toreumate, molliſſimo cubantem lectulo, & coràm exhibuit, & commendauit; plurima quoque munera ſimul obtulit, veſtes ſericas, ſcyphos auro & argento graues, monilia, lunulas, vnionibus intextas corollas, annulos, faſciolas, calanticas, periſcelides, murænulas, periſtromata, itemque lauandæ filiæ fabrefactum ex argento luterem: quin etiam culcitras plumeas, puluillos, ceruicalia, linteola byſſina, lodiceſque, & alia id genus non pauca, vim denique non mediocrem pecunię. Præcepitque, Principi dicerent; Ne putaret his tantùm muneribus liberalitatem ſuam limitari: deſtinare ſe, ſi diutiùs viuere contingat, adijcere gloriam, diuitias, honores; nec pati, vt priorum collatio obliuione poſteriorum vileſcat: tantummodo bono eſſet animo, filiamque benè commendatam haberet. Se neque declarandæ munificentię, neque augendæ dignitati defuturam aliquando. Legati, rebus ex animi ſententiâ proſperè confectis, nobiliſſimam virginem vnà cùm donarijs accipientes, in Thuringiam ſunt reuerſi: atque à principe, proceribus, aulicis, miro cum gaudio ſuſcepti. Oſculo mox infantis applicata Elizabeth: principem & omnes, qui tum aderant, pro tam iucundâ futurarum nuptiarum repręſentatione exhilarauit quamplurimum. Iamque triennium ibi exegerat, cùm ecce fœdo rumore percrebuit, reginam inſidioſâ procerum quorundam machinatione, fato conceſſiſſe.

Aſtrologi cuiuſdam de S. Elizabeth poeſtate & vitâ diuinatio.

* Nu 23.9. & c.24. 3.

* Gal. 3.27.

Deſpondetur Lantgrauij filio.

Cum multis diuitijs in Thuringiam ducta.

Multo pluribus augenda in tempore ex matris promiſſo.

Mater S. Elizabeth triennio pòſt occiſa.

CAPVT II.

Pietas in tenerâ pueritiâ maiori ſanctimoniæ eam præparabat.

S. Elizabeth pietas in templis.

HOc æui agens Elizabeth, argumenta quædam ſæpenumero, ac veluti progymnaſmata futuræ ſanctitatis edebat. Baſilicas namque ſanctorum ingreſſa, pro altari quolibet, nunc genua figere, nunc puellari decentiâ proſterni, nunc oculos manuſque attollere: &, ſi quando inter ludendum (vt habet ætas illa) proximè clauſi templi fores acceſſiſſet, humi procumbere, & ſacra limina crebriùs oſculari. Luctandi etiam ſtudio, occaſionem humilitatis quærebat, ſtaturam ſuam ſcitè admodum ad alicuius è ſodalibus menſa corpuſcu-

Humilitas in culpâ deprecandâ.

puſculum; quam vbi tenero arctatam complexu, artifici rotatu afflixiſſet: ſtatim & ipſa proſtrata, veniam petendo, offenſiunculam, ſi qua interceſſiſſet, deprecabatur. Decimam quamq; portiunculam lucelli, quod ipſi ex luſu proueniſſet, pauperibus erogabat puellis: debito illas obſtringens, Dominicam precationem & Angelicam ſalutationem fundendi. Iam nonum ingredi annum cœperat, cùm repente præter omnium opinionem Princeps ipſe, ſponſi pater, ex hac vitâ migrauit. Ætatis deinceps incrementum acceſſione profectuque virtutum accumulans; id inprimis faciendum ſibi deſtinauerat, vt omnibus in rebus Deum præ oculis haberet, illum inſpectorem cordis humani cogitaret, illum penitùs præſentem haud ſegniter obſeruaret; illius causâ veſtium decorem, carnis lenocinia, mundi vanitatem abijceret, proculcaret, contemneret. Votiuas quotidie preces Deo fundebat: quas interdiu, ſi quopiam impedita negotio intermiſiſſet, noctu perſoluebat. Diuum Ioannem Apoſtolum præter cæteros charum, ſibi patroni loco delegerat: imitata pietatem Chriſtianorum, quibus ſingulatim eligere aliquem è cœtu Apoſtolico, quem familiarius clientium more colant, conſuetudo eſt. Ne tamen electionis euentu (vt aſſolet) incerto, quia ſorte agebatur, alium quàm Ioannem nanciſceretur; præmiſsâ ad Deum prece effecit, vt quem ſummopere volebat, ſemel iterumque ac tertiò ſortiretur. Cuius voti compos effecta, adeo dilexit, coluitque adeptum: vt ob ipſius nomen meritumue rogantibus, nihil denegandum putaret. Feſtos dies pro ingenij modulo, religiosè admodum peragebat; ita vt (quod fuit eâ ætate mirum) ſemper aliquid ſibi de ornatu corpuſculi decerperet; ſciens Deo mentem magis quàm veſtem placere; acceptioremque animum eſſe, religionis ſtudio deditum, quàm corpus margaritis, purpurâ, lapillis, auroque & argento, præfulgidum. Proinde chirothecarum vſum tãtiſper intermittebat, dum res diuina compleretur: volens officio quantumuis paruo, conſuetudini ſuæ aliquid detrahere, & voluntati aliud ſuadenti, pro Deo contrarium ingerere. Puellari luſu præpeditæ, ſi quando fortuna lætior aſpirabat, ceſſandum ſibi ocyùs aiebat: quandoquidem proſperioris auræ demulceretur afflatu. In choreis, quas vitare non poterat, ſemel tantummodo circumiſſe contenta, ſatis eſſe dicebat: vno ſe gyro mundi amatoribus geſſiſſe morem, reliquos ob Chriſti amorem, intermiſſuram. Ita quotidiano fermè exercitio, & affectioni aliorſum propenſæ renitendo, & diſſolutioris vitæ laxamenta declinando, ad maiora Chriſtianæ pietatis officia, ſemet ſubrigebat.

Decimam ex lucro pauperibus dedit.

Orationes eius quotidianæ.

D. Ioannem Apoſtolum patronum coluit.

Choreas duxit moderatè.

CAPVT III.

Humilitas eius in templo, & conuerſatione ac moribus, ſpernitur eius ergò à ſuis, ſponſo tamen in eius amore creſcente.

EDVCABATVR vnà cum Elizabeth Agnes, ſoror ſponſi, virgo admodum pulchra. Quæ duæ, dum ad eccleſiam eundum eſſet, pari veſtium ornatu decoratæ, paricę coronarum, gemmis, auroque fulgentium inſtructæ geſtamine, Sophiam ſponſi matrem modico interuallo (vt nobilium mos eſt) antecedebãt. Ingreſſis templum, coronam Elizabeth confeſtim deponebat: atq; tamdiu inglorium verticem oſtendere perſeuerabat, quoad ritu ſacrorum completo, domum redire monebatur. Quod cùm Sophiæ, veluti temerè factum, vehementer diſpliceret, percontanti cauſam ita reſpondit Elizabeth; Abſit à me tanta procul impietas, vt ibi caput meum turrito faſtu micantis coronæ ſuperbiat, vbi caput Saluatoris mei ſpinis coronatum acerbè compungitur. Ita iam tunc, diuina charitas in caſta puellaris animi præcordia, animaduerſione Dominicæ paſſionis veluti mucrone quodam, vulnus agere cœpit, eaque ſibimet deinceps vendicare. Sed quia *virtutem ſequitur inuidia*, & innocentium vita reprobis ſemper eſſe deſpectui ſolet: cœpere nonnulli ex aulicis tenere virginis verecundiam iniurijs afficere, laceſſere contumelijs, mordere ſcommatibus, clanculò carpere, atque palàm cachinnis, nutu, cauillis inceſſere. His accedebant Sophiæ & Agnetis ſupradictarum mores, ab Elizabeth humilitate vehementer diſcrepantes; cùm hæc ſeipſam deſpiciens, mundi vanitatem, honorum excellentiam, veſtium gloriam pro ſordidis haberet:

Coronam capite depoſuit, aſpectu coronati Chriſti.

Iniurijs afficitur propter virtutes.

beret: illæ vero in contrarium prorſus affectæ, nihil minùs amare, colere, præferre, quàm quæ amaret, coleret, præferret Elizabeth, videbantur. Hæc præterquam Deo, placere nemini cuperet: illæ vt mundo placerent, parui referre iudicarent, ſi Deo diſplicerent. Ita mentium diuerſi affectus, morum quoque diſſimilitudinem (vt aſſolet) expreſſerant: vnde exortus liuor, ſic innocenti puellæ ad virtutem gradum fecit; vt illis ruinæ non paruam occaſionem præſtaret. Auxit quoque inuidiam, quotidianę conuerſationis humilitas, per quam ſacra virgo relictis nobilibus & purpuratis, pauperum magis & ancillarum gaudebat conſortio, fruebatur alloquijs, operibus occupabatur: intantum vt Sophia crebro diceret; Illam ſanctimonialium contubernio ſociandam eſſe: quòd vitam ipſis quàm ſimillimam præ ſe ferret, nihilque ageret genere ſuo dignum. Erant & procerum quidam, quorum effrenatam petulantiam, paulò antè commemorauimus; qui Elizabeth, quòd dotem (vt ipſi garriebant) deſtinatis Imparem nuptijs attuliſſet, aut Hungaris remittendam, aut alteri cuilibet ex nobilibus collocandam in matrimonium, contenderent. Inter hæc inuidentiū verba, veluti roſa ſpinarum aculeis compuncta, Elizabeth quàm latiſſimè diffuſo manſuetudinis odore, cum ſe contemtui haberi videret, ab ijs præcipuè, à quibus obſeruari debuerat; verita ne quouis detrahentium molimine ſuperata, viam deſereret humilitatis: poſt vberrimas lachrymas, totus ad Deum præcordijs confugiens, ſuam illi cauſam enixiſſime commendauit. Nec ſpes orantem fruſtrata eſt, ſponſo deinceps ad eius amorem argumenta non dubia demonſtrante, propenſumque animum, vbi ex itinere domum reuertiſſet, tum munuſculis, tum caſto amplexu, edente.

Humilitas eius deſpicabilem facit vanis.

Sponſus eam magis amat ac magis.

CAPVT IV.

Inuidorum petulantiâ à Principe contemtâ, ab eo in vxorem ducta eſt.

NEc tamen intereà temporis, iactare procerum quorundam ceſſabat improbitas; nihil prorſus nuptiarum inter Principem & Elizabeth fore, dotem ab Hungariâ eſſe perquā tenuem: puellam, nobiliſſimi Principis neque præſtantiæ congruere, neque animo ſedere: proinde remittendam ſuis quamprimum eſſe. Hanc falſam perſuaſionem paſſim in vulgus diſſipari, Gualterus quidam vir nobilis moleſtè ferens; Principem aliquando inter viam, quid de aſſciſcēdâ ſibi in matrimonium Elizabeth deſtinaſſet, familiariùs percontatur. Cui ille oſtenſo grandi monte, reſpōdit; ſe, ſi mons aureus totus eſſet, ſibique daretur optio, altero duntaxat, id eſt, aut monte, aut Elizabeth matrimonio potiendi: poſthabiturum ſacræ virginis coniugio ampliſſimam auri molem, ob id inuidorum blaterationes prorſus minimi facere ſcire. illos, quæ iactaſſent, probare non poſſe: perbreui declaraturum, quo erga virginem animo foret. Hoc reſponſum ad Elizabeth perferre Gualtero depoſceti, non modò à Principe facta eſt perferendi poteſtas; verùm etiam quo verbis maior fides haberetur, additum munus. Erat autem e ſpeculari lapide, in tenuiſſimas cruſtas fiſſo, geminâ facie ſpeculum ſic fabrefactum, vt pars vna vitri modò tranſlucida, colorumq; fucis nuda eſſet: altera Chriſtianæ crucifixionis picturam præferret. Quo munere donata virgo, dici non poteſt, quanto ſit affecta gaudio: cùm & ſponſum in admiſſo ſemel amore conſtare, & oblatrantium inuidiam nihil effeciſſe experimentis adnotaret. Tranſgreſſam deinde nubiles annos, vxorem Princeps duxit, celebrauitque apparatu magnifico nuptias: ſimul & blaterones mendacij conuincens, & quemadmodum ipſe in virgine non opes, nō pulchritudinem, non generis excellentiam; ſed honeſtiſſimorum integritatem præſtantiamque morum quæſierit, declarans.

Nota aulicorum iniquorum protervi...

S. Elizabeth ſponſo ſuo, aureo monte carior.

Ducitur in vxorem.

CAPVT V.

Nupta iam in aſſuetis durat virtutibus, ſæpè lectum deſerens, orationibus ſe noctu dabat, & caſtigationi ſui corporis.

INITO matrimonio Elizabeth nil de feruoris priſtini remiſit intentione: ſed inſuper auxit in dies, accumu-

Nihil de virtutum ſtudio intermiſit.

lauitque ſtudia bonarum actionum. Enimuero animum contemplatione cæleſtium rerum paſcebat, corpuſculum vigilijs, precibus, ieiunijs exercebat. Exhorrere etiamnum ſæpenumerò ſolebat plumei lecti male blandam mollitiem: verita ne carni plus iuſto indulgens, Chriſti amore fieret indigna. Ob id noctu, deſerto Principis accubitu, ipſo vel quieſcente, vel diſſimulante, vel etiam palàm conſentiente; maturiùs exſurgere, precibus operam dare, ac ſemet ſuaque omnia Deo commendare ſolita erat. Adeò quoque nocturnæ huic precationi Principem fauiſſe conſtat, vt perſæpe manu ſuâ genibus nitentem ſuſtentauerit, quoad preces illa finiret; ſubindè admonens deprecãtem, caueret, ne vigiliarum prolixitate macerato corpuſculo, capitis ac ſenſuum viuacitatem exhauriret. Porrò ne grauiori ſomno depreſſa, religioſum precandi morem negligeret: pediſequas mulier ſancta monuerat, dormientem ſe excitarent. Hoc vt quam cautiſſimè fieret, Principemq; productiores laterent excubiæ; iiſdem præceperat, pedum digitos leni tactu tamdiu attraherẽt, donec experrectam ſentirent. Quod dum vna illarum, Iſintrudis nomine, incautiùs per cæcæ noctis tenebras attentat, caſu pedem attraxit Principis. Qui expergefactus, & rem, vt erat, intelligens: pro cognitâ vxoris conſuetudine, haudquaquam moleſtè tulit expergificantis imprudentiam. Tanto autem feruore nocturnam hanc deprecandi aſſumſerat deuotionem; vt ſæpiuſculè ſit pro lecto ſuper ſtratos humi tapetes deprehenſa dormire: de quo ab ancillis reprehenſa, verẽtibus eam aſperitatem male aliquando ceſſuram, reſpondit duplex eâ caſtigatione lucrũ ſibi prouenire; quòd lecti mollitiem poſthaberet, quòd virili contactu abſtineret: ita enim vacuam carnalibus delicijs mentem, cæleſtibus faciliùs aptari. Querebatur interdum indigniorem ſeſe fuiſſe, quàm vt ſuam Chriſto virginitatem dedicaret: nec tamen ob hoc ſegniore maritum dilectione proſecuta eſt; à quo etiam aliquò proficiſcente, non facilè abeſſe patiebatur; quamuis tellus aut gelu inhorreſceret, aut niuibus tegeretur, aut immodicis calorib. fatiſceret, aut imbrium præcipiti lapſu maderet. Nimirum didicerat, illo præſente tam in vigilijs, quàm in precibus, nihil ſe damni facere. Arctiori deinde ſemet obſeruationi dedens, ſexto quoque hebdomadis die virgarum flagelllis in tenerum corpus animaduertebat. Itidem in Quadrageſimâ, ac interdum noctu, cùm ad precandum ſurrexiſſet, ancillarum agebatur miniſterio; cùm interea dolorem ipſa veluti non ſentiens, alacritate mirabili diſſimularet.

Noctu lecto ſpreto orat.

Ad preces nocturnas excitabatur ab ancillis.

Virginitas non defuit voluntate.

Corpus ſuũ caſtigat.

CAPVT VI.

Laudes Magiſtri Conradi à Marpurg, cui S. Elizabeth quà coniugio congruit, fidem dedit obedientiæ, cuius hic ſtupendum exemplum, ſicut & abſtinentiæ.

PEr idem tempus ſacerdos Chriſti Conradus Marpurgenſis, vita & eruditione præclarus fuit. Is factâ ſibi à Põtifice Maximo poteſtate, Verbum Dei per Alemaniam prædicandi; adeò dexteritate pariter & authoritate concionandi valuit, vt non minùs ſeueritate rebelles compeſceret, quàm bonos alliceret, animaretque comitate. Verbis vitâ ad amuſſim reſpõdebat. Erat enim diuitiarum & ambitionis contemtor, religionis Chriſtianæ ardens zelator, hæreticorum hoſtis ac impugnator acerrimus. Eccleſiaſtica bona neque per ſe ambire non habita, neque ſuſcipere oblata vnquam eſt adnotatus. Veſtis illi vulgarem non excedens, menſa frugalis, domeſticæ diſciplinæ fama incolumis. Huic Ludouicus clariſſimus Princeps, omnes templorum præfecturas ac ſacerdotia, quæ ipſe conferre habebat, conferendi in quos vellet, poteſtatem dedit: vtque ab Elizabeth obedientia matrimonio congruens præſtaretur, aſſenſus eſt: quàm illa & deuotiſſimè præſtitit, & ſtudioſiſſime ſeruauit, non ſolùm toto biennio, quo Princeps poſtea ſuperuixit, verumetiam poſteaquam è vitâ migrauit, & quidem multo promtiorem abſolutioremque. Habiturus aliquando concionem idem Magiſter, de rebus (vt ſolebat) diuinis, eidem Chriſti famulam intereſſe præceperat. Quod cùm illa, inopinato ſororis viri ſui aduentu præpedita, non impleſſet: ſtatim vt inobedienti remandat, (incertum, ſeriò an tentandi aſtu) nolle

Conradus concionator magnus, & bonus vir.

Cui Princeps multũ credidit.

Huic B. Elizabeth obedientiã promiſit, ſummamque.

ſe deinceps quicquam ipſi iubere, quæ datam obedientiæ fidem tam facilè rupiſſet; vteretur deinde libertate ſuâ: haud eum ſe virum eſſe, qui verba ſibi dari ęquo animo poſſet ferre. Hoc nuncio vehemẽter Elizabeth perculſa magiſtrum poſtridie maturiùs adit: deiectiſque in terram profundo pudore luminibus, veniam ſibi dari ſuppliciter poſcit. Quam cùm ille veluti indignabundus auerſaretur, ad pedes eius regia mulier, nullâ habitâ generis ſui ratione, aduoluitur: eâ demum humilitate veniam conſecuta, cæſis tamen priùs ancillis, quarum forſan negligẽtiâ cauſam huic offenſæ dederat. Solebat in conuiuio, præter morem nobilium fœminarum, Principi proxima reſidere: volens etiam hac in parte ſuam erga illum charitatem demonſtrare, licet hoc ipſi non parum afferret incommoditatis. Nam accepto Magiſtri mandato, ne quo victu per vim, aut per aliud compilationis genus parto, aleretur; magno prorſus cogitationum æſtu iactari cœpit, dum menſæ aſſidens, nũc hos, nunc illos cibos attingere veretur: dumque ad ſingula edulia conſcientiæ ſcrupulo permouetur; omnibus pariter abſtinere tam non potuit, quàm non debuit. Tres ancillarum, ſocias abſtinentiæ huius habuit: quarum tranquillitati, perinde atque ſuæ proſpectura, ex ijs, quæ in dotem acceperat, tam ſibi, quàm illis victum miniſtrari procurauit, Principis etiam eâ in re fauorem ac comitatem experta ſingularem: qui, ſi quippiam ſcrupulo futurum inferri menſis contigiſſet, eius rei certiorem vel nutu, vel inſinuatione maritali, faciebat vxorem. Deſtinabat & ipſe pari ſemet abſtinentiæ mancipare; propalàm etiam teſtatus, ægrè ſibi tam ſalubris propoſiti virtutem, quo minùs ad rem celeriter conferret, offenſione procerum quorundam intercipi, retardarique, qui continentiam eiuſmodi non religioni ac deuotioni, ſed ſuperſtitioni magis atque delirio aſcriberent. daturum tamen ſe operam, vt quamprimum (vellent nollent obtrectatores) quod perſanctè deſtinaſſet, in lucem ederetur, pergerent illæ, vt cœpiſſent, perbreui ſe comitẽ habituræ. Oeconomos edeatraſque nonnunquam Elizabeth, dum officinas circumiret, vtpotè domina domeſticæ particeps curæ, percontari ſolitæ; iuſténe partus an ſecus eſculentorum poculentorumq; prouentus ſuppeteret: vbi reſciuit vtraque iuſte proueniſſe, indeque victum diei præſentis ſuppeditatum iri, veluti gratulabunda hoc ipſum ancillis aperiens; Hodie, (inquit) Deo propitio, lautè accipiemur & humaniter. Neque verò continuò illam inter exquiſitas etiam ciborũ lautitias, temperantiæ ſubibat obliuio; aſtu quodam officioſo genium ſuum fraudare ſolitam: Enimuerò dum nunc Principem alloquitur, nunc his lautiores buccellas apponit, nunc illis poculum officij gratiâ porrigit, nunc ſtatoribus, ancilliſúe negotiũ aliquodiniungit; etiam ipſa à non curantibus eſitare putari poterat: cùm tamen alijs affatim expletis, ſæpiùs ipſa famelica triclinio exceſſerit, tortuliſque mellitis, aut arido pane ſuſtentari habuerit neceſſe. Cæterum ſi cui ademtam iniuſtè rem familiarem comperiſſet: confeſtim damnum omne ita reſarcire curauit, vt is, qui iacturam feciſſet, non tam perdidiſſe, quàm commutaſſe, res ſuas videretur.

Magnum humilitatis eius exemplum.

Abſtinet cibis ex obedientiâ.

Quod Principi marito propoſitum fuit imitandi.

Arte fraudat ſuum genium.

CAPVT VII.

Conſpectâ Chriſti crucifixi in templo imagine, cultum poſuit veſtium principalium, præſertim abſente marito, quem, ipſo redeunte, illius gratiâ reſumſit. Tres liberos genuit, quos ipſamet piè templo intulit, & obtulit altari.

ADVENERAT feſtus quidam dies, cùm Elizabeth pretioſis ornata veſtibus, aureamque capite geſtans coronam, ac familiâ frequenti ſtipata, de more Chriſtiano rebus diuinis interfutura, in ſubiectam arci Diuorum baſilicam ibat. Ingreſſam primo ſtatim contuitu Crux Dominica, atque ex eâ pendẽs imago Saluatoris, penitiſſimè compunxit, compunctæ lachrymas excuſſit, lachrymanti talia cogitanda ſuggeſſit; En creator & redemtor meus, nudo corpore, breui dumtaxat præcinctus tegmine, meâ cauſâ ignominioſam in cruce mortem oppetit: & ego miſera, gemmis, auro, byſſo, & purpurâ contecta, vitam cæleſtibus indignam

Imago Crucifixi Chriſti S. Elizabeth vehementer compunxit.

beneficijs, perdo magis, quàm ago. Illius caput intra Pilati ædes ſpinea corona diſpunxit: meum verò aurea venuſtat. Illum ab amicis & deſertum, Iudæorum vallârunt opprobria: me numeroſâ circundatam familiâ, cuncti mirantur, ſuſpiciunt, honorant. Hic meus eſt erga illum obſeruantiæ feruor, hæc animi gratitudo, hoc vicariæ dilectionis munus? Me miſeram, me infelicem! Sic illius obedio præceptis, beneficia reuoluo, veſtigia ſequor, qui me, cùm non eſſem, creauit, perditamque ſuo ſanguine redemit? Tantæ autem hi cogitatus intentionis erant, vt deſtituto viribus corpuſculo, ac facie totâ in pallorem verſâ, repentè regia mulier humi veluti exanimis prolaberetur, cunctis, qui eam ſtipabant, vehementi pauore perculſis: elatamque foras tantiſper ſacris vndis aſpergere perſeuerantibus, dum ſtupore ceſſante, compos mentis redderetur. Hac defectione veluti quodam oraculo perſuaſa, pretioſo deinceps amictu, quo ad eius perſonæ, quam gerebat, honeſtas pateretur, abſtinuit: ita vt ſæpenumerò ſub holoſericis veſtibus cilicium geſtarit. Principem ſi quando longiùs proficiſcentem ſequi non poſſet, domi remanens, omnem prorſus veſtium ſibi cultum interdicebat, amictu natiui coloris contenta: vt à plebeijs haud multùm differret. Tum etiam precationum aſſiduitate, verberum vſu, vigiliarum productione, carnem ſpiritui ſubiugans: blandientes pro ætate voluptates, haud ſecus, atque iam viduam agens, edomabat. Reuerſo Principe, etiamnum ipſa, quàm ad tempus virtutis gratiâ ſepoſuerat, veſtem comtiorem reſumebat: ſcitè admodum declarans, quid abſente marito caſtam vxorem, quid domi agente, præferre deceat. Tentauit & opulentas quaſdam mulieres, quibus familiariter deuincta erit, abſtrahere à luxu pretioſarum veſtium, exemplo ſimul & verbo. Nec eam fefellit euentus. Nam etſi difficili primùm aditu, pertinaci tamen inſtantiâ aliquando, quod volebat, perſuaſit: effecitque, vt quædam illarum, voto etiam perpetuæ caſtitatis ſemet obſtringerent. Tres prætereà liberos ex Elizabeth præſtantiſſimus Princeps ſuſtulit, filium vnum Hermannum nomine, paterni principatus hæredem, duaſque filias: quarum vna Duci Brabantiæ in matrimonium collocata eſt; altera ſanctimonialium aſcita collegio, atque in dominam electa, illis religiosè præfuit. Ceterùm Elizabeth partu edito, poſt expletum legitimi temporis ſpatium, quo ſe limine continere conſueuerunt puerperæ; ipſa per ſe geſtare ſobolem, atque nudis pedibus, amictu laneo, mediocri comitatu per decliue ſaxoſi montis iter, deportatam templo inferre, illatam vnà cum cereo funali ponere ſuper aram, ſolebat. Reuerſa dehinc domum, mox pauperculam mulierem obiter adnotatam, & tunicâ donabat, & pallio.

In deliquium incidit.

Poſito pretioſo ornatu, ſæpè induit cilicium.

Alias mulieres ad exemplum perduxit.

Tres ei liberi fuere.

Quem ipſamet ped. intulit templo.

CAPVT VIII.

Miſeratio & munificentia eius in pauperes & miſeros; quorum vni crines demſit, horridum caput lauit: pro pretioſo pallio dato pauperi, pallium ei diuinitus redditum.

MAXIMA ſanè commiſeratione erga pauperes, atque incommodis membrorum laborantes erat, vt ei concinnè admodum, ſancti Iob verba conuenirent, * *Ab infantiâ creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Huic virtuti, ne ſterilis eſſet, adiuncta erat munificentia: quam cum ſuâ ſponte incitaretur, vbi & Principis fauor acceſſit, properanti (vt dici ſolet) calcaria ſunt addita. Pauperi cuidam phthiriaſim patienti, atque ex capite non mediocriter laboranti, captato intra pomarium ſecreto, ne quis interueniret, capillum totonderat: deletiſque pediculis, caput infirmum humiliter lotum, aliquamdiu materno in gremio fouerat: cùm ecce caſu illuc accedentes ancillæ, vbi dominam quo nolebant occupatam miniſterio vident, haud ſe continere poſſunt, quo minùs illam acerbiuſculè obiurgent; quòd exorta regio ſanguine mulier, vſque ad tondendos crines, pediculoſque conficiendos ſeſe deijceret. Quam illa reprehenſionem, placido riſu vultum ſerenans, paruifecit: Chriſto enim, non hominibus, placere geſtiebat. Magnum hoc veræ pietatis exemplum: longè

* Iob 31. 18.

Pauperis horrido capiti demſit crines, lauit, fouit in gremio.

longè tamen maius, quod ſequitur. Venerant ad Principem Comites aliquot; procerumque non pauci. Iamque conuiuij tempus aduenerat, cùm reſidentibus cunctis, abierat Elizabeth. It, iuſſu Principis ſtatorum vnus, accitum illam. Cui cùm obuiam factæ nunciaſſet, cunctos ad ipſius aduentum pendere conuiuas: illa maturiùs incedens, vbi cœpit gradus, qui ad triclinium pertinebant, aſcendere; ſubitò mendicus quidam importunis clamoribus eleemoſynam depoſcere auditur. Quem illa deſuper videns, (neque enim anteà ſub gradibus iacentem animaduerterat,) pauliſper exſpectare monet; pollicita, quandoquidem impræſentiarum nihil ſibi erogandum ſuppeteret, miſſuram ſe breui quod petebat. Ille nihilo tranquillior factus, abeuntem pertinaciſſimis inclamat vocibus: & ne miſerum ſe ſine dono præteriret, inſtantiſſimè precatur. Figit gradum Elizabeth, eique pallium non contemnendi pretij, quo veſtita erat, tranſmittit. Quòd ille ſummâ cum alacritate ſuſcipiens, arce ſtatim exceſſit. Id cùm reuerſus ſtator non ſine indignatione propalàm retuliſſet, ſubriſit Princeps: deſertoque mox accubitu, progreſſus occurrenti ait; Quid, mea ſoror, tamdiu moraris? Ad quem illa; En, inquit, mi frater, appropero. talibus enim ſeſe nominibus viciſſim appellabant. Tum Princeps; Vbi loci, ait, pallium reliquiſti? Illa porrecto indice; En, inquit, pallium noſtrum de perticâ propendens. Videt ille, accedit, attrectat, euoluit: illudque ipſum eſſe, quod pauperi dudum eleemoſynæ loco donatum audierat, cognoſcit. Ilicò ſtupore vehementi perfuſus, non parum addubitat, tantæ ne rei miraculum, an egregiam vxoris fidem, priùs in cælum ferat.

Pauperi pretioſum ſuum dedit pallium.

CAPVT IX.

Otium euitans, lanificio ſuo veſtiuit egenos. Prægnantes & puerperas inuiſens, munuſculis ſolatur. Paupertati ſtudens, vilibus induitur veſtimentis, egeſtatis ſuæ præſcia futuræ. Mirabiliter veſte pretioſâ donata à Deo eſt.

OTIVM præterea Chriſtianæ pietati maximo eſſe detrimento ſciens Elizabeth, tempus omne, quod vel exercitijs ſpiritualibus, vel curationi corporis ſupererat, labore manuum terere curauit. Nec tamen ad conſuetudinem nobilium matronarum, bombycina ſericaùe penſa decerpere, aut leneſcẽtis auri bracteolas in fila torquere, immittendiſque ſubtegminibus adhibere: ſed magis inter ancillas lanæ dedita, modò nere, modò aliarum neta, in glomum colligere, collecta, ad texendum deferre, texta denique, cùm pauperibus, tum præcipuè Franciſci Aſſiſiatis inſtitutum profeſſis, elargiri ſolebat. Laceras egenorum veſtes, tam non grauabatur reſarcire, quã catechumenos pauperiores diſquirere, victu pariter & amictu iuuare, edoctoſque pleniùs Chriſtianæ religionis diſciplinam, de ſacro fonte leuare delectabatur. Non ei ſatis erat ad beneficia talibus impendenda, & propenſum animum, & largam manum habere: niſi etiam (quod abſolutiſſimæ eſt charitatis) benefaciendi ſtudio ſemet obligaret. Pauperculas mulieres, quas vel parturientes, vel partu ſolutas nouerat, mirum, quã humanitate inuiſebat conſolabaturque; ac comportatis ſecum rebus neceſſarijs refocillabat. Non illam à tantæ pietatis officio, aut viarum aſperitas, aut platearum ſordes, aut domicilia malè olentia vnquam retardârunt. Maluit illa ſui commodi rationem habere nullam, quàm vt miſellis matribus vel minimum defectu rei familiaris incommodum ſciens prudenſque pateretur afferri. Paupertatis eam deſiderio magnopere flagraſſe indicio eſt; quòd plerumque inter ancillas ſecretiùs conſtitutam, ita eiuſce virtutis ardor corripuit, tenuit, incendit: vt depoſitis pretioſarum

Veſtes fecit pauperibus.

Egenis veſtes reſarcinat.

Prægnantes & puerperas munuſculis inuiſit.

Paupertatis ipſa ſtudioſiſſima, etſi ditiſſima eſſet.

veſtium induuijs, rudis panni tunicam indueret, capitiq́ue vel calanticam, vel calyptram ſordidiuſculam innecteret: ac ſic demum pro deſiderio veſtita, humili gradu, contentis luminibus, demiſſo vultu, vltrò citroq́ue deambularet, dicens; Hoc more per plateas incedam, quum pro Deo meo iniurias pati habebo: vt iam tunc præſago ſpiritu, quod poſteà euênit, præuidiſſe videatur. Suppetebant illi magnæ opes, familia frequens, voluptatum diuerſarum ingens copia, denique peccandi licentia non parua: quibus tamen omnibus adeò cupide paupertatem præferebat; vt hanc non magis ſęculares animi præ iſtis contemnant ac fugiant, quantum ipſa magnifaceret atque expeteret; id quod non obſcure ſequenti declaratur exemplo. Magnates quidam ac purpurati, ex Hungariâ ab Rege patre Elizabeth miſſi, ad Principem venire nũtiabantur. Quo audito, Princeps vxori; Doleo, inquit, ſoror, ac moleſtè fero, te non habere dignas genere tuo veſtes, quibus decenter ornata, nobiliſſimi patris tui legatis & apparere, & placere (vt cupio) poſſes. Obſtant anguſtiæ temporis, quò minus artifici manu nouis paratis, pro dignitate res confici queat. Ad quem illa; Non eſt, ait, frater, quòd grauatim feras hanc indecẽtiam, quam ego minimi ſemper putaui. Nolo enim veſtibus placere humano conſpectui, ne moribus diſpliceam Deo. Paulò pòſt ſupradicti legati arcem ingrediuntur, honorificè ſuſcepti. Qui cùm iniunctæ legationis expoſuiſſent mandata, confeſtim ad ipſorum petitionem, Elizabeth venire eſt iuſſa. Ingreſſam totius pulchritudinis author tanto decore venuſtauit: vt hyacinthinâ veſte, & preciofiſſimis adornata margaritis, non ſine magnâ omnium admiratione appareret. Principi præter cæteros in ſtuporem verſo, ac ſecretiùs cauſam ſciſcitanti, ſubridens Elizabeth reſpondit; Huiuſmodi ſcit Dominus meus, cùm voluerit, ornamenta præparare?

Præſagit de ſuâ calamitate.

Ad aduentum legatorum patris, à Deo pretioſiſſimâ veſte donata.

CAPVT X.

Sacrificio Chriſtiano cũ intereſſet, ornamenta poſuit, magnâ ſubinde luce illuſtrata. Dies feſtos ſingulari pietate peregit. In Domini cœnâ duodecim pauperum pedes lauit, terſit, oſculata eſt: veſtibus donauit, panibus, pecuniâ. Nocte paraſceues templa nudis pedibus obiuit, quomodo etiam in Litanijs amicta laneis in vulgo proceſſit.

CELEBRATIONI ſalutaris hoſtiæ, cùm ab ineunte adoleſcentiâ libẽter, tum verò proceſſu ætatis, libentiſſimè intereſſe conſueuit: ita vt cùm audiendæ rei diuinæ tempus appeteret, ipſa ingreſſu ædis nõ ſemel ancillas anteuerterit. Quo tempore, cohibitâ, quatenùs valebat, mẽtis euagatione, ſi quid geſtabat ornamenti, quo citra vitiũ muliebris decentiæ carere poterat, id omne tantiſper vel deponebat, vel occultabat, dum cœptus magni illius ſacrificij ritus perageretur: maximè verò ſingularis aliquid reuerentiæ præferebat, cùm aut Euangelium recitaretur, aut Chriſti corpus tractaretur. Nimirum ad illud aures aduertẽs, ad hoc fauces animi præparans, magno vtriuſque flagrabat deſiderio: ſimul admirans in tam mirifico Sacramento exhiberi mortalibus Dei potentiam, ſapientiam in antidoti præparatione, benignitatẽ in gratuitâ ac liberali diſpenſatione. Succurrebat hæc expendenti è regione dignitas humanæ conditionis, quã tanti æſtimauit ille, qui fecit, vt perditam redemerit, redemtam ſalutari cibo ſuſtentauerit, ſuſtentatæ præſentiam ſui copiamq́ue conceſſerit. Hæc autem omnia, magnitudo diuinæ dignationis, & humanæ ingratitudo naturę, veluti moles quędam confertiſſima exaggerabat: cùm & hanc inexcuſabilem, & illam ineffabilem prorſus eſſe cõſtaret. Verùm quia nõ facilè tegi vehemens animi poteſt intentio, quin aliquando exeundet: contigit quandoq; taliter affectã, conſecratione ſalutaris hoſtię peractâ, luce nõ mediocri perfundi, adeoq; ſplendeſcere, vt in faciem eius ſacerdos quidã; ob

Miſſæ ſacrificio lubens interfuit.

In quo ſũmis meditatio.

Luce magnâ facies ſplendens.

vitæ

vitæ meritum tali dignus munere, ſine graui oculorum reuerberatione, minime poſſet, vt poſtea cõfeſſus eſt, intueri. Sanctiones Eccleſiaſticas, & Chriſtianas obſeruationes, cùm ſemper Elizabeth, tum Quadrageſimæ dieb. religioſè mancipabat effectui: non modò precibus, eleemoſynis, ieiunio dedita; verumetiam corpuſculum crebris virgarum verberibus caſtigans. Feſtos dies, cùm redemtionis noſtræ myſteria repræſentantur, tanto coluit ſtudio, tantaque animi deuotione proſecuta eſt: vt ipſius in Chriſtũ propenſiſſimus amor, vix vnquam clariùs emicaret. Quo die vltimam Chriſti cœnam recolere in vſu eſt Chriſtianis, interdicto ſibimet penitùs pretioſarum vſu veſtium, ad ſimilitudinem plebeiæ cuiuſlibet mulieris veſtita, in publicum procedebat, poſt meridianam baſilicarum viſitationem ita humili ſchemate peragens, vt non niſi vna e vulgo putari ab ignorantibus poſſet. Tum etiam accitos duodecim è pauperioribus, tanto dignata eſt honore, vt proſtrata pedes eorum lauerit, exterſerit, oſculo impertiuerit: ſingulis denique duodenos nummos, pannumque ad menſuram commodæ veſtis, atque triticeum panẽ donauerit. Leproſos eo die non paucos aliquandò ſuſceperat; quorum manus & pedes cùm abluiſſet, non eſt verita abominatiſſimorum tubera locorum oſculo contingere. Neque deinceps tales vnquam auerſata, ipſis perinde atque incolumi glabraque cute nitentibus, locuta eſt, ſeditque vicina. Tum ad patientiam affatim exhortatis, ſtipem liberaliter porrigebat. Nocte quæ Paraſceuen antecedit, in oratione ac Dominicæ paſſionis meditatione tranſactâ, mandabat ancillis, cauerent ſolicite, ne quem ſibi toto die exhiberent honorem. Exinde concinnatos manu ſua lini faſciculos, itemque acerram thuris plenam, atque elychnia ad inſtar minutiſſimarum candelarum cerata, numeroſiſſimos denique minutioris monetæ nummos ſumens, luſtrabat nudis pedibus vnà cum popularibus turbis fana omnia, araſque ſingulas ordine venerata, impoſuit ſingulis lini faſciculum, thuris granum, ardentemque cereolum. In plateis quaquauerſum ire:, perquàm liberaliter nummos pauperibus erogabat. Nec deerant, qui vilitatem nummorum tenacitati referrent acceptam, dicentes: Reginam munificentia regiâ vti debere, carioreſque nummos elargiri: popularem in Elizabeth vilitatem, nequaquam ſanctitatis & religionis, ſed auaritiæ magis indicem eſſe. Verùm illa, contemto leuiſſimorum hominum iudicio, quod ſapienter inceperat, perſeuerater ſectari quotannis non deſtitit; conſciens & animum Deo notum eſſe, & tam ſe in officio aſſumtæ ſubmiſſionis longe à tenacitate abeſſe, quam illi temerarij peruerſique interpretes longe aberant à iudicij veritate. Luſtrationem, more Chriſtiano, priuſquam Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitas agitur, fieri ſolitam, & ipſa laneis amicta, nudaq; pedibus obſeruabat: Chriſti crucem ac ſanctorum reliquias indifferenter cũ vulgo inſecuta; Dei quoq; verbum auditura, paupeiorib. ſe fœminis ſemper intermiſcuit: nõ ignorans, cœleſte ſemẽ in humili cordis glebâ vberius exurgere.

Deuotio eius in feſtis diebus.

In cœnâ Domini.

Pauperibus duodecim pedes abluit.

Nota.

Nudis pedibus in paraſceue viſitat templa.

Nota.

In proceſſionibus Litaniarum nudis pedibus incedebat in vulgo.

CAPVT XI.

Abſente marito, frumentis in fame publicâ diſtributis in pauperes, xenodochium miſerioribus ſuſtentandis extruxit, quos velut mater fouit, ſicut pueros, præſertim horribiliores. Inſigne miraculum.

EXORTA fame per vniuerſam Alemaniam, anno à natali Chriſtiano milleſimo, ducenteſimo, vigeſimoquinto, cum in Apuliam Princeps ad Imperatorem profectus eſſet; Elizabeth explendæ pietatis occaſionem nacta, frumentum omne ſuæ ditionis collectum, pauperibus erogare manu largiſſimâ cœpit, pluribus eorum etiam integri victus annonam quotidie præbens.: quorum nulli vnquam diuino munere cibus defuit, etiamſi minus, quàm quod in diem ſufficeret, accepiſſet. Sed cum aduerteret plurimos egenorum præ aduersâ valetudine, aut membrorum incommodis, eleemoſynæ communis manere expertes; quòd aſcenſu montis, in cuius vertice arx ſita erat, præpedirentur: inſigne xenodochium loco humillimo ſub arce quamprimum conſtruere aggreſſa eſt: cui per expenſas non mediocres, vt voluerat, perfecto, eos potiſſimùm pauperes intulit, quos vel morborum vexabat

Frumentum in publicâ fame pauperibus erogauit.

Hoſpitium miſerioribus extruxit.

inqui-

iniquitas, vel membrorum debilitas inſigni dehoneſtamento notabat. Quos ipſa, etſi ardui montis perdifficili deſcenſu non immeritò deterreri potuit; quotidiè tamen ſæpiùs inuiſebat. Tum illi mos erat ſciſcitari à ſingulis, quonam modo ſeſe haberent, cuiusve eſcæ deſiderio tenerentur: compertoque quod veſtigabat, ea, quæ ſecum attulerat, tantâ comitate partiri per ſingulos, vt matrem crederes miniſtrare filijs, non reginam pauperibus. Ipſa defectos viribus per ſe paſcere, è ſtratu tollere, geſtare brachijs, eorum lectos excutere, pediculos, puliceſque conficere; & inter hæc omnia fœtorem teterrimum, & virus ſingulorum, etiam ſub æſtiuo caumate, quo grauiter diſcruciabantur ancillæ, ſereno vultu perferre: quodque alijs viſu quoque abominabile fuit, defluentem ore ſaliuam, ac propendentes narium mucos calanticâ tergere ſuâ. Inter hos puſilli quoque pauperum liberi erant, quos materno ſemper affectu ita curauit educandos: vt & matrem ſinguli nominarent, & ingreſſam veluti quædam examina certatim omnes vallarent. Ex quorum numero eos ampliore humanitatis obſequio dignari adnotata eſt, quos vel ſqualor natiuus deformes, vel lãguor debiles, vel ſcabies abominationi obnoxios reddiderat; non dedignata ſanctis contingere manibus, atque in gremio declinare ſuo, quos pediſequæ præ horrore ne videre quidem æquo animo valebant. His aliquando xeniola quædam, ac ludicra fictilia hyalinaque, quibus illa ætas gaudet, ad ſolatium perlatura, de arce nonnihil iam deſcenderat equo ſedens; cùm fortè ſoluto gremio cuncta illa munuſcula repentino caſu, obuijs hinc inde rupibus illiſa, delabuntur in præceps. Inuenta mox & relata, (dictu mirabile) tantæ ſunt integritatis probata, vt teſtæ ferrum, & vitro chalybem infuiſſe credi poſſet. Selegit quoque ex omni turbâ pauperum aliquos, quibus pro arce iuſſis in tempore adeſſe, ciborum reliquias manu ſuâ diſtribuit: plurimum ſibi ſuiſque interdum ſubtrahẽs, ne quiſquam expectantium non abunde refectus diſcederet.

Singulos viſitans ipſamet diligenter curat.

Pueros etiā aliis maximè abominabiles.

Miraculum.

CAPVT XII.

Potus egenis non defuit miraculo. Nongentos quotidie mendicos coràm ſuſtentauit, præter alios totâ ſuâ ditione. Funera decedentium ſolicitè curans, iuſta ſoluit.

HVIC aliquando dedita operi, cùm fragmentis ciborum diſtributis, potus quoque reſiduum perquam modici ſingulis impartiuiſſet: nihilo ferme poſteà minus in poculo remanſiſſe cõperit. Duodetriginta pauperes ita in xenodochio diſpoſuerat, vt quopiam è viuis excedente, mox alius ſuggereretur, defuncti lecto potiturus: vbi etiam pro quodã debitis obligato pecuniam ipſa diſſoluit. Nongenti quotidie mendici ſub oculis eius alebantur, exceptis quos per latiſſimam ditionis ſuæ prouinciam paſcebat abſens: apud quos omnes tanta beneficia indefeſſę humanitatis poſuit; vt redditus frugeſque locupletiſſimi principatus vehementer exantlauerit; diſtractis nonnunquam & corporis ſui ornamentis, atque in pretia collectis, ne Chriſti membra fame tabeſcerent. Horum cauſâ, quæ mundus amplectitur, deteſtata eſt; quæ mundus deteſtatur, amplexa: vt etiam cuidam egeno lac expetenti, morem geſtura, intra præſepe olidum, non refugerit emulgendi lactis gratiâ, ſumto in manus mulctrali, ad pecudis vſque papillas regina curuari. Acceptos hoc modo pauperes vſque ad meſſem, à ſe tandem dimiſit: priùs tamen vegetis, atque ad laborem idoneis, ſubuculas, calceos & falciculas coëmit: languidis verò alia quædam indumenta, largitis inſuper nummis ſingulatim: quibus deficientibus, in pauperculas fœmellas pro xeniolis calanticas ac ſericos panniculos diſtribuit; præcipiens ne talibus vterentur, ſed venditis atque in nummos redactis, ita demum neceſſitati ſuæ conſulerent, manuumque labori, quæcunque ipſarum poſſent, conſueſcerent. Quarum vna pretium accepti muneris ſecum reputans, cùm præ gaudio exclamaſſet, ſe vnâ in vniuerſo orbe lætiorem eſſe neminem, veluti exanimis prolabitur; vt Elizabeth extinctam autumans, non

Singulis potus datur nec minuitur.

Etiam longè poſitos ſuſtentauit.

Lac ipſa mulſit pauperi.

Ornamenta ſua dedit pauperculis cùm pecunia deeſſent.

parum ſit verita, pretioſius iuſto munus accipienti mortis ſe cauſſam præſtitiſſe. Pauperibus, qui vitam poſuerant, non modò veſtes, quas manu ſuâ ad id operis parauerat, inuoluendi gratiâ dedit, lotis ac variè attrectatis ſine faſtidio cadaueribus: verumetiam exſequias fecit, ad ſepulchrum vſq; funus cuiuſlibet proſecuta. Adeoque ad hoc pietatis officium incumbebat, vt iuſtiſſimæ telæ pannum lineum tali diſpenſatione cõſumſerit, nolueritque, quantum in ipsâ fuit, diuitum mortuorum corpora, linteis nouis contegi, ſed magis veteribus ac laceris, quo pauperibus noua melioraque ſubſiderent.

Funera diligenter curat, ſepelit.

CAPVT XIII.

Aduerſus calumniatores ratam habuit coniugis profuſam in pauperes liberalitatem rediens ex itinere maritus, Princeps laudatiſſimus.

REVERSVM poſt aliquot menſes ex Apuliâ principem, edeatrarum œconomorumque excipiunt querelæ, profuſionis accuſantium Elizabeth, ob eleemoſynarum in pauperes exhibitam largitatem. Quibus ille reſpondit; Sinite ſororẽ meam, vt cœpit, benefacere, modò arces mihi incolumes ſuperſint. Non deerit (ſcio) victus, quamdiu illam permiſerimus egenis ſubuenire. Dignum profectò principe reſpõſum, cui plus cordi erat vxoris pietas, quàm omnes diuitiæ, quas & amplas, & exquiſitas habebat: malens has liberali manu diſſipari, quæ nec viuenti, nec morienti ſunt fidæ, quàm illam non exerceri, quę & viuentem locupletat, & morientem non derelinquit. Dignus planè & ipſe Sapientis eulogio, quo ait; * *Mulieris bona beatus vir.* Et paulò pòſt; * *Mulier bona in parte bonâ timẽtium Deum, dabitur viro pro factis bonis.* De quo (licet ingreſſio videatur fieri) pauca ſunt perſtringenda; quibus liquidò demonſtretur, eum & tali coniuge, & citato præconio dignum fuiſſe. Ex editiore loco ducentes choream deſpicienti, muliercula quædam cæteris & formâ & ornatu præſtantior, à nebulone, qui tum proximè ſpectabat, oſtenditur, cum hiſce verbis; Iſtius, ego, Princeps optime, vt amplexu fruaris, (ſi libet) procurabo. Tum ille toruis ſceleſtum ſuaſorem intuens luminibus; Tace, (inquit) perdite, & hac ſuggeſtione ſuperſede, ſi gaudere cupis noſtro fauore. Peregrè quoq; apud quendam conſanguineum ſibi Comitem conſtitutus, cùm noctu quieſcenti nuda ſe meretrix adieciſſet, Gualtero, qui à ſecretis erat, propiùs cubanti ſurgere iubet, & amotam lenam, nummis aliquot donare: teſtatus poſteà, ſe, etiamſi adulterium ob Dei timorem minimè abhorreret, nolle tamen ſuam Elizabeth tanto contriſtare dedecore. Militi etiam cuidam inhoneſtam vxoris copiam, quia ſterilis eſſet, offerenti; & ita, quo carebat, hæredem aſſequi volenti, tam prudenter, tamque conſtanter repugnauit: vt & ſe à criminoſo prolapſu, & illum à præſumtâ vendicaret inſaniâ. familiarium ac domeſticorum nullus erat, qui principe inpræſentiarum conſtituto, impudicum vel geſtum effingere, vel verbum expromere auderet: quòd neutrum ſcelus, ſi fortè commiſſum fuiſſet, impunè tranſiret. Rei diuinæ quotidie intereſſe voluit, quam & ſolemni & magnifico apparatu celebrari fecit. Sermo illius verax & conſtans, grati & honeſti mores, miſericordia in pauperes munifica; ad fœminas omnes verecundia ſingularis, & optimo digna principe. Exſequi iuſtitiam, facere iudicium, tueri pacem, ita erat illi familiare; vt principibus alijs non minùs viam demõſtraret pro famâ, quàm lumen proferret pro exemplo.

Accuſatur apud maritum Elizabeth rerum profuſionis.

*Ecel. 26. 1

*Ibid. 3.

Principis laudationes.

Scorta fugat.

Optimum domeſticis ipſe exemplum.

CAPVT XIV.

Lantgrauius acceptâ Cruce, in expeditione Terræ ſanctæ mortuus eſt, viduâ Elizabeth valdè lugente.

TERTIVS iam annus erat, ex quo in Apuliam princeps conceſſerat; cũ ecce decreto ſummi Pontificis Crux prædicari cœpit aduerſus hoſtes Eccleſiæ, qui Hieroſolymę & circũiacentium regionũ, ſacra tenebant loca. Quę fama cùm multos Chriſtiani nominis Principes, & templorum Antiſtites, tum hunc Thuringiæ nobiliſſimum Principem,

Acceptâ cruce ad recuperationem terræ ſanctæ Lãtgrauius ſe parat.

pem, ad transmarinam profectionem exciuit. Qui ſuſceptam ab Epiſcopo Hildeſemenſium Crucem non ſtatim veſti, vt moris eſt, aſſuit, ſed aliquandiu clam vxore ſeruauit: ne illam, priuſquam iter eſſet ingreſſurus, acerbitate præuij mœroris diutiùs afficeret. Nec tamen latere diu potuit Crux recondita, caſu ab Eliſabeth, dum pro cõſuetudine marſupium principis euoluit, reperta. Quam exindè (quia rem, vt erat, animaduerterat) animo conſternatam pius princeps, allegatâ periclitantis Eccleſię causâ, blandiſſimè conſolatus eſt.

Lugente Elizabeth.

Iter tandem ingreſſo, Eliſabeth ſociam ſe dies aliquot præbuit, haud dubium quin amore, quo principem vnicè diligebat, incitata. Sed cùm ad poſtremum vtrinq; diſcedendum eſſet, diuinæ charitatis inſtinctu, ad id etiam Rodolpho pincernâ, viro ſpectatæ fidei, abhortante; videre licuit, quanto lachrymarum imbre, quàm lugubri vultu ſynceritatem mutui amoris vterque coniugum palàm oſtenderet.

** Iud 8.5.*
Qua cultum poſuit Deo vacans.

Elizabeth domum reuerſa, velut * altera Iudith, depoſitis gloriæ veſtibus, ac viduitatis amictu reſumto, totam ſe Deo cõmendauit, eiuſque cultui addixit. Princeps verò poſt confectam proſpero ſucceſſu viam, ad Imperatorem Fredericum in Siciliam peruênit: à quo honorificè ſuſceptus, cùm aliquot vrbes cum eodem perluſtraſſet, febribus repentè laborare cœpit. Quibus in dies magis ac magis exardeſcentibus, ad extrema vitæ perductus, cùm ab Patriarchâ Hieroſolymitano Euchariſtiæ & Vnctionis Sacramenta, Chriſtiano more ſuſcepiſſet; ad tertium Idus Septembris deceſſit.

Pius Princeps Lantgrauius mortuus eſt.

Verè pius Princeps, & dignus qui non peregrè, ſed domi ſuæ diem ſupremum obire meruiſſet: niſi parui referret, vbi terrarum mortales naturæ concedant, qui mori ſemel habẽt. Nuncijs qui rem triſtem perferebant, Thuringiam ingreſſis, prudenti amicorum conſilio prouiſum eſt; ne ab aliquo mortalium, præterquam Sophiâ defuncti matre, Eliſabeth viri mortem audiret. Timebatur enim teneritudini muliebri; nè fortè ad præcipitem cuiuſpiam narrationem, animus eius grauiori vulnere ſauciaretur; vt ſunt omnia ſubita ad repẽtinam animorum mutationem efficacia.

Mors coniugis indicata Elizabeth.

Sophia nil morata, vbi agentem in arce inuenit Elizabeth, poſt familiaria ſalutationis verba, ſic eam conuênit; Ne grauatim accipias, ô filia, ſi quæ principi filio meo acciderint, declarauero tibi. Quibus Elizabeth auditis, captum eſſe ſuſpicata, reſpondit; Si captus atque in vincula cõiectus eſt frater meus, quamprimum per Dei gratiam & amicorum munificẽtiam liberabitur. Tum Sophia; Diem, inquit, ſuum obiuit. Perculſa mox graui mœſtitudine, ad tam infauſtæ rei nuncium Elizabeth, conſertis inuicem manibus, amariſſimè flere cœpit, dicens; Si mortem frater meus obijt, & mihi quoque poſthac mundo eiuſque vanitatibus defunctæ, morietur mundus ipſe. Videre tum erat, vt dolorem de morte principis conceptum, augeret deſolatio illuſtris viduæ, cunctiſque in præſentiarum conſiſtentibus lachrymas exciret vberrimas.

Quæ deinceps mundo mori decreuit.

CAPVT XV.

Exacta cum filijs ex arce, omnibus fortunis exuta, patiens, ac Deo gratias agens, vix locum reperit, quo diuerteret.

NON defuit in tempore deſolatæ mulieri diuina conſolatio, quæ deiectum mœrore animum ita refecit confirmauitque, vt & præſentibus malis minimè ſuccumberet, & multo grauioribus, quę illi poſteà ſuperuenerunt, ſuſtinendis par eſſet. Siquidem paruo pòſt tempore, magnates quidam, qui Henrico, defuncti Principis Fratri, per ætatem ad regẽdum principatum necdum idoneo, authores erant, poſthabito Dei timore, ac publicâ honeſtate contemptâ; afflictam Dei famulam grauiùs afflicturi, fortunis omnibus exutam, ceu ignobilem aliquam, arce coëgerũt excedere.

Arce ſuâ S. Vidua exacta eſt.

Amplexa eſt hanc pro Deo ignominiam Apoſtolorum imitatrix, & martyrum digna purpuris. Nulla in corde libido vindictæ, nullum in ore murmur, nulla in geſtibus indecentia. Lætabatur quidem tacitæ virtutis conſcientiâ, & fiducia in Deum ſubrectâ, etiã foris pro in dignitate ſæuiſſimæ eiectionis, verecunda lachrymis affatim ora rigantibus. Iam tunc multo præſtantior Prienenſi illo philoſopho ibat, nihil ſecum portans rerum caducarum; quòd nimirum longè meliora bona, non humeris, ſed animo geſtaret, quæ nec rapinæ eſſent, nec furto

pro-

proſtantia. Exacta igitur propriis ædibus, ad inferius oppidum profecta, in cauponulam, quæ miſellæ primùm offerebatur, vnà cum ancillis diuertit; manſitque ibi tantiſper, dum noctis medio ſignificari campanæ pulſu diuinas laudes in cœnobio fratrum Minorum audiret. Quò cùm veniſſet, rogauit obnixè fratres, vt hymnum quem, *Te Deum laudamus*, vocant, decantarent: quo ſemet, non modò patienti, ſed & læto animo præſentem calamitatem ferre declararet, Apoſtoli vocem pariter & exemplum ſecuta, * qui gloriari in tribulationibus, ac Deo gratias agere, & alios docuit, & ipſe imprimis non omiſit. Cùm autem propter ſæuitiam eorum, qui arci præſidebant, vix vnus aut alter eiectam recipere auderet hoſpitio; fanum ingreſſa deſolata mulier, magnam inibi partem diei cõſumpſit. Quò cùm & liberi eius nouo inhumanitatis genere ex arce fuiſſent allati, pari cum matre infortunio conſtringẽdi; credi poteſt dolori additum eſſe dolorem acceſſione grauiſſimâ; tum quòd hyems erat, tum quòd ipſa & domicilij & rerum omnium inops, ne tantillum quidem habebat, quo ſe ancillas, liberoſque vel vnum diem ſuſtentaret. Neceſsitate ergò, quæ legem non habet, coacta, Sacerdotis cuiuſdam hoſpitium precariò, aut mendicabulo potiùs conſequitur. Vbi cùm non tantum incommodè, ſed & miſerè degeret, in æmuli cuiuſdam ſui ædes, quæ pro ſpatio commodiores videbantur, iuſſa immigrauit. Sed nec ibi agenti potuit vlla vel commoditas vel quies cõtingere; quando & hanc domeſticorum petulans, ad inferendas iniurias, libido perturbaret, & illam denegatum iuſſæ mãſionis ſpatium interciperet. Indè ergo migrans, ac parietibus, qui ſe qualicunque ſepimento à pluuiâ frigoreque defenderant, valefaciens, ad prius hoſpitium (quandoquidem toto opido aliud adire minimè dabatur) remeauit, dicens; Parietibus quidem gratias ago, eaſdem hominibus etiam actura libenter, ſi cauſſa, cur id facerem, ſubeſſet. Sic filia regis ab altiſsimo diuitiarum culmine deiecta, eouſque paupertatis deuenit; vt ablatis vitæ neceſſariis, etiam anguſtias ergaſtuli magis, quàm diuerſorij, non ſine mendicitate adipiſceretur: & quæ pauperum liberos maternâ pietate tollere ſolebat, ſuos ipſa cogeretur alendi gratia ad alios tranſmittere. In hac tamen rerum difficultate poſita, nihilo erga pauperes minùs afficiebatur, ſubtrahens ſæpiùs genio ſuo, quod illis erogaret.

Id patienter ferens, gratias agit Deo.

Rom. 5. 3.

Etiam filij eius abacti.

Inops rerum omniũ non reperit quo diuerteret.

CAPVT XVI.

Ab ingratâ vetulâ quam aluerat, in lutum protruſa S. Elizabeth, læta ſubriſit, quam Chriſtus vehementer ſuo conſpectu & conſolatione confirmauit.

MIRANDIS plùs mira ſuccedunt, dum ex omni parte inſignis patientiæ clariſsima documenta ſe produnt. Anus quædam erat, cui Elizabeth languore pariter & inopiâ preſſæ, multa pietatis beneficia præſtiterat. Fortè ijs duabus, è diuerſo obuiàm ſibi medio itinere factis, qua tranſituris munita erat extantibus via ſalicibus, ob profundioris cœni volutabrum, anicula cedere benefactrici ſuæ dedignata, eam rigido proteruoque impactam occurſu, in cœnum deturbat, iacentemque riſu & conuiciis inceſſens, abit. Elizabeth perlitis plurimo luto veſtibus, adeò miti animo illatam tulit iniuriam; vt exundãte lætioris conſciẽtię gaudio, vultũ ſerenitate perfuſa ſubriſerit. Verùm is, qui iuxtà eſſe tribulatis conſueuit, famulam ſuam, ne grauiore aduerſitatis mole preſſa deficeret, hoc modo dignatus eſt conſolari. Quadrageſimæ dies aduenerant; & illa conſueto pietatis ſtudio rem diuinam audiens, genibus nitebatur. Vbi expendens diuini ſacrificij inæſtimabile pretium, incaleſcentibus paulatim præcordiis; adeò vehementi cogitatu ſupra mentis arcem euecta eſt, vt attonitæ ſimilis, inconniuẽtibus notabili morâ luminibus, aram intueri, ab Iſintrude pediſequarum vnâ ſit adnotata. Abs quâ, cùm pro fiduciâ familiaritatis Elizabeth, multis perurgeretur precibus, vt, quidnam cæleſtium rerũ ſub attoniti proſpectus horâ vidiſſet, candidè patefaceret; ad poſtremum ait; Non eſt mihi integrum, ô filia, quæ viderim, cuiquam reuelare mortalium. Id tamen ſcias velim, me ſummo refertam gaudio fuiſſe; vtpote mentis oculo arcana cæleſtia contemplantem. Paulo pòſt ad hoſpitiolum reuerſa, cibo perquàm modicè ſumto,

Protruditur in cœnum S. Elizabeth.

Sub rei diuinæ sacrificio ſupra ſe rapta eſt.

quòd languidiore corpuſculo eſſet; cæteris pauliſper exire iuſsis, cùm in ſudorem iret, veluti quieſcendi gratiâ, in gremium Iſintrudis reclinato capite, ad obiectum parietem oculos cogitabunda defigit. Exiguum temporis medium, cùm ecce ſerenato vultu feſtiuiter admodum cernitur ſubridere; rurſumque facto parui temporis interuallo, abactâ ſerenitate, clauſis genis, fletu madeſcere: iterumque non multo pòſt tempore riſu ſereniore perfundi, quo demum ceſſante, denuò lachrymis profuſioribus oppleri; eaque viciſsitudine diem in veſperum deducere; prolixiùs tamen ac ſæpiùs ſerenitati, quàm fletui dedita, denique hæc verba facere; Ita mi Domine, vt tu eſſe mecum digneris; ita & ego numquam abs te ſeparata, tecum manere perſeuerabo. Iſintrudi, quæ hæc omnia diligenter adnotauerat, inſtantiùs poſtulanti; vt, quid rei contemplata fuiſſet, aperiret; quamuis inuita, aliquādo tamen precibus deuicta, reſpondit; Vidi, inquiens, aperto cælo conſolatorem meum Chriſtum Ieſum ad me vſque inclinatum; qui animum meum graui tribulationum faſce degrauatum, benignâ conſolatione leuauit, refouit, confirmauit. Cuius vt præſentiâ ſerenitatem vultus placidumque riſum præ me ferebam; ita auerſione diſceſſuque ſoluebar in fletum. Quem ille protinùs miſeratus, cùm redire maturaſſet, dicens; Tibine mecum eſſe libet, vt ipſe tecum volo? reſpondi; Ita mi Domine, vt tu mecum eſſe digneris; ita & ego nunquam abs te ſeparata; tecum manere perſeuerabo.

Iterum in contemplatione defixa, nunc videt, nunc lachrymatur.

In quâ Chriſtum vidit ſe cōfirmantem.

CAPVT XVII.

Babenbergam Elizabeth accita ab Epiſcopo auunculo, humaniſſimè habita eſt: ſed is, quia neptem rurſus maritare cogitauerat, inde receſſit. E Siciliâ rediere qui mariti reuexerunt oſſa. Actum de dote reſtituendâ Elizabeth.

ERAT ſanctæ mulieri matertera, ſanctimonialiū præfecta cœnobio: quæ auditâ neptis ſuæ calamitate, miſeram ad ſe quamprimum acciri aduehique, aduectâ ad Babenbergēſis Eccleſiæ Epiſcopum auunculum ipſius, tranſmitti honorificè procurauit. A quo humaniſsimè ſuſcepta, cùm aliquamdiu ibidem egiſſet, cœpit vir prudens, iuxta * conſilium Apoſtoli, adoleſcentiorem adhuc viduam matrimonio velle deuincire; ſolicitoque animo expendere, cuinam potiſsimū ex principibus eam deſponderet: ob idque ipſam vnà cum pediſequis tantiſper ad aliam tranſmiſit arcem, dum maturiùs, quo rem meliùs conficeret ex ſententiâ, deliberaret. At verò pediſequæ, pari cum dominâ caſtitatis voto iampridem obſtrictæ, animaduerſâ præſulis voluntate, queri cum lachrymis cœperunt, magnopere timentes, ſe Antiſtitis decreto contraire non poſſe. Quas cōfeſtim Elizabeth, precibus ad Deum fuſis, totaq; fiduciâ in Chriſtum erectâ, his verbis confirmauit; Non vos, ô filiæ, timor iſte ſolicitas habeat, quem caſtitatis amore patimini. Confido ego diuinę protectioni, vt, quod viro ſuperſtite voui, defuncto non amittam; quātumuis etiam vel authoritas premat, vel potentia terreat, vel amicitia blandiatur. Non mihi patiar auferri ab homine, quod hominis gratiâ non aſſumpſi. Sed neq; vim mihi vllam inferri timeo: quandoquidem taliter adactæ ſemper liberum erit & voluntate diſſentire, & ad dehoneſtandam faciem, naſum præputare. Erectis per hæc verba pediſequarum animis; Epiſcopus quoq; diuino tactus inſtinctu eſt, perſuaſuſque vt propoſito ſuperſederet, miſſis actutū nūciis, qui aliò cōcedere iuſſas reducerēt. Interea temporis defuncti principis leuatur è ſepulchro cadauer, nudataque, elegantium ſtudio, putreſcētibus oſſa carnibus, ac ſcriniolo clauſa, in Thuringiā aduehūtur, amicis ac familiaribus adeò reuerenter inſecutis, vt vbicūq; nox illos inter viam ſubſiſtere coëgiſſet, oſſibus in templo collocatis, & vigilias agi, & diuinas laudes celebrari procurauerint; ſinguliſque fanis principalibus pretioſum periſtroma pro defuncti requie donauerint. Illatis tandem oſſibus Franconiæ, ac Babenbergæ appropinquantibus; Epiſcopus adiuncto ſibi Clero, obuiàm ſolemni pompâ prodiēs, nobilibus aliquot ad ſe vocatis, iubet Dei famulam pariter occurrentem vtrinque ſtipent, ac ne animis deficiat, conſolentur. Iamque ſub oculis collocato, patefactoque ſcriniolo: Elizabeth conſpectis mariti reliquiis, licet pro affectu dolori concedens, lachrymas tenere minimè potuerit; immortales tamen

Epiſcopus maritare cogitauit Elizabeth ſed fruſtra.

** Tim. 5. 14.*

Oſſa mariti reuecta in Thuringiam.

Nota.

Deo gratias egit, quòd quem ſuperſtitem pro voto diutiùs habere nequiuerit, ſaltem peregrè, & in Dei opere defuncti, valeat oſſa contueri, tangere, atque complecti. Mox deinde captato ſecretiore colloquio, nobilibus viris, qui à Siciliâ vnà cum oſſibus aduenerant; miſerãdam ſuæ calamitatis tragœdiam expoſuit, animoſque eorum pro indignitate tam inſignis iniuriæ ita incẽdit, vt poſt acceptam publicâ fide iniũctionem Antiſtitis de recuperãdâ dote, poſt humata Chriſtiano ritu Principis oſſa, & exſequias funebri pompâ celebratas, non diſtulerint, cõmendatam fidei ſuæ illuſtrem viduam, ab acceptis iniuriis in priſtinam dignitatem aſſerturi; Hẽricum adoleſcentiorem principem, qui tum rerum potiebatur, conuenire.

De reſtitutione dotis Elizabeth conſultum.

CAPVT XVIII.

Henricus leuir Elizabeth grauiter admonitus, illi reconciliatus eſt.

FVERE autem ex his viri præſtãtiores Rodolphus, Ludolphus, Hartungus, & Gualterus: quorum Rodolphus, vir multâ fide & conſtantiâ præditus, ita exorſus eſt dicere; Quænam eſt fama de te, Princeps inclyte, tam ſiniſtra, quæ triſti nũcio aures noſtras impleuit? Tene hanc fratri gratiam retuliſſe, vt defuncti & vxorem & liberos fortunis omnibus exui, ædibus propriis exigi, mẽdicitati denique publicæ exponi vel iuſſeris, vel permiſeris? O te miſerum, ac totius generis tui lachrymis deplorandum! qui vel furore proprio, vel inſtinctu alieno tãtum admiſeris facinus, quod tibi quoàd viues, ſcrupulo ſit futurum! Itane iam honoris, famæ, pietatis rationem adoleſcẽs habere incipis; vt ſenio tuo timendum magis, quàm confidendum eſſe videatur? Quid enim per immortalẽ Deum peccare in te potuit mulier, pacis & pietatis plena? cuius tibi preces multo quã Crœſi opes, plus ſunt collaturæ ſalutis; vt cõtra omnem æquitatem, contraque totius iura naturæ, immeritam domo pelleres, fortuniſque priuares. neque his contentus, etiam liberos eius pari miſerię exponeres: quorum etſi minùs ſanguinem, quo te attingũt, miſerabaris, vel ætatem teneram ac imparem ferẽdis iniuriis, debuiſti. Verùm ſcio ego tantum ſcelus non tam tibi, cuius clementiæ exploratam habeo indolem, quàm qui te circumſtãt, conſiliariis tuis aſſcribi debere: qui vt te adigerẽt à ſanguine tuo degenerare, ipſi humanitatẽ priùs exuerũt. Dabis veniam mihi, Princeps maxime, ſi vehemẽtior iuſto ſum in orando: qui vt Principibus aſſentari neſcio, ita eorum vitia pro tempore coarguere non reformido. Impoſitũ eſt tibi venenatis maleuolorũ perſuaſionibus: vtere nũc conſilio Rodolphi tui; Elizabeth deintegrò dignitati ſuæ reſtituta; me authore, tibi reconciliabitur, faceſſet inuidia, in obliuionem ibunt offenſæ; denique factâ pace, ea feriẽtur amicitiæ fœdera, quæ tam tibi, quàm tuis omnibus ſint & honori futura, & commodo. His à Rodulpho peroratis, ingens omnium, qui aderant, admiratio propter eximiam orandi libertatem eſt cõſecuta; & princeps ipſe totus in lachrymas reſolutus, nihil minus velle, tum verbis, tum vultu eſt adnotatus, quàm tanto viro morem non gerere; aſſerens ſe tam perperam geſtæ rei vehementer pœnitere, facturumque omnia, quæ ipſe facienda ſuaderet.

Pulchra oratio ad Henricum principem pro S. Elizabeth.

Verè liberèque dictum.

Princeps perſuaſus bona promittit.

CAPVT XIX.

Henricus cùm in arce fratriam principaliter habuiſſet; illa conſcientiâ ſtimulante reuertit ad aſſuetam paupertatem, inuidis id mordentibus. Cara fuit vt filia Gregorio Nono P. & ab eo magiſtro Conrado commendata.

QVIBVS Elizabeth acceptis, reſpondit nolle ſe arces & oppida poſſidere, curiſque terreni regiminis denuò immergi; petere ea ſibi non grauatè concedi, quæ ad ſe dotis iure pertinebant: iis ſe liberè vſuram eſſe, & ad ſuã, & ad Principis defuncti ſalutẽ. Quæ res cùm per Rodolphũ & cæteros amicos fuiſſet, vt effectui mancipanda, bonâ fide ſuſcepta; manſit Dei famula aliquantùm temporis in arce, humanitatem plurimam reconciliati Principis experta: qui eam & pro dignitate honorificè tractari, & pro cõmoditate ſplendidè ali veſtiriq; procurauit. At illa veritanè ad votum fluentibus vitæ neceſſariis, (quę nonnumquam vel de rapinâ viãtium, vel de oppreſſione pauperum

Henricus Elizabeth reductam in arcem benignè tractauit.

animaduertebat prouenire;) & conſcientiæ ſuę mordacem inquietudinem conſciſceret, & diuinâ ſe gratiâ indignam redderet; & dote, quam recuperare habebat, ſecuriùs victitatura, iterum populari ſe vitæ ac priſtinæ paupertati ſuâ ſpōte addicit. Quod vbi magnates illi viderunt, quos anteà Rodulphus inuectione meritâ notauerat, tantâ ſunt excandeſcentiâ permoti; vt ne videre quidē æquis illam animis deinceps poſſent: inſanam, fatuã, ac ſuperſtitioſam clamitantes, quòd poſt defunctum Principem alteras detrectãdo nuptias gauderet, quòd diuitias, honores, voluptates reiiceret, quòd religionem cæteris nobilibus inæqualem pręferret. At verò Chriſti ancilla teſtimonio bonæ conſcientiæ prædita, contumelias, conuicia, ſubſannationes, ſcommata, & cætera id genus alia, adeò conſtãter humiliterq; perpetiebatur: vt etiam gauderet dignam ſe eſſe talia pro Deo, & amore continentiæ frugalitatiſque ſuſtinere. Erat itaque impiis oſtentui, piis verò plurimę venerationi; intantum, vt & Pōtifex maximus Gregorius Nonus, auditâ famâ virtutum eius, tanquam filiã, ſub Apoſtolicæ ſedis protectionem aſſumſerit, aſſumtam Chriſti ſacerdoti Conrado Marpurgenſi commendauerit, commendatæ ſolatium pariter & adhortationem adhibuerit; docueritque eam propoſitis Sãctorum exemplis, patiētiam, caſtitatem, perſeuerantiã ſeruare; ac animo ſæpiùs agitare, non eſſe aliud ad beatitudinem conſequendam iter, quàm quod Chriſtus Sanctiq; omnes indefeſſo labore vigilantiq; ſtudio prætriuerunt: ſe non deſerturum eam, quoad viueret, ſed vt filiam cum omnibus, quæ poſsideret, ſuę defenſioni vendicatam habiturum; tantummodò pergeret ire, quò cœpiſſet.

Quæ deſerens aulam ad paupertatem ſuam ſe retulit.

Deſpecta illa ab inuidis, melioribus fuit admirationi.

Gregorio PP. IX. cara.

CAPVT XX.

A magiſtro Conrado in pietatis confirmata propoſito, nihili facit obtrectatorum inuidiam: ſed cunctis ſæculi rebus ex voto deſertis, ſecuta magiſtrum, Marpurgi ſummâ exercetur paupertate.

His Elizabeth ſcriptis mirum in modum cōfirmata, atque ad vberiorem virtutum frugem incenſa; magiſtrum adit, petitque legitimam ſacri profectus viam edoceri. Ille nihil moratus, contemtū ei ſęculi, caſtigationem carnis, & parſimoniã rerum caducarũ, ratione, ſcripturis, & geſtis ſanctorum rebus ita perſuaſit; vt confeſtim ad diuinum illa ſubſidium recurrens, quòd nonnullam in ſe difficultatem obeũdæ eiuſce perfectionis experiretur, ſupplici precatu impetrarit; vt quicquid mundus amat, amplectitur, magnipendit, ea deinceps omnia, quaſi ſtercora execraretur, reiiceret, ac omnino nihili putaret: voce etiam apud ancillas teſtata, nunquam ſibi antehac tantum cordi fuiſſe diuitias poſsidere, quantum modò liberet eaſdem omni cœno viliores iudicare; liberoſque ſuos iam pari ſe cum cæteris mortalibus affectione diligere, vt quos Deo planè commiſiſſet. Obtrectationes deniq; maleuolorum, & ſuperborum cōuitia, ſubſannationes, deſpectũ ita pro Deo libenter amplecti; vt iis etiam oblectari, gloriarique & velit, & ſciat. Totis igitur animis ad profectum animata virtutum, poſteaquam varia benè viuentium expẽdiſſet inſtituta: poſtremò vt verę perfectionis auida, cunctis præferre decreuit paupertatem, cui appendix publicæ mẽdicitatis cohæreret. Quam perſuaſionem cùm magiſtro, impetrandi conſenſus gratiâ, propoſuiſſet, renuit ille, vt vir prudens, quæ nobilem ac teneram mulierē minùs deceret, aſſentiri. Perſeuerantem deinde in propoſito, precibuſq; lachrymas iungentē, indignabundâ ſeueritate compeſcuit. At illa videns rem deſtinatam, quâ voluit viâ, minimè ſucceſſiſſe: aliam eſt non minùs difficilē aggreſſa. Aduenerat dies ſacratiſſimæ Paraſceues, cũ pro Chriſtiano ritu ſacris nudæ tegminibus viſuntur aræ; Elizabeth ſumptâ occaſione & temporis & loci (erat enim in cœnobio fratrum Minorum) ſacellum quoddam vnà cùm magiſtro ac nōnullis ex fratribus ingreſſa, poſitis ſuper altare manibus, ſollemni ac magnanimâ profeſſione renunciat parētibus, liberis, cōſanguineis, pompis ac vanitatibus mundi: deniq; voluntati propriæ, adnexura etiam eueſtigiò ceſſionem terrenæ poſſeſſionis, niſi magiſter ſagacis vir ingenij, interfatus profitentis verba, ne vlteriùs iretur, effeciſſet. Secuta eſt paulo pòſt magiſtrum ad Haſſiæ inſigne opidum, quod Marpurgum vocãt, proficiſcentem. Vbi cùm & æmulorũ adhuc recens vigeret inuidia,

Pergit illa captâ ſanctitatis ſemita.

Cũctis præfert mendicam paupertatem.

Cunctis mundi rebus voto renunciat.

Cum magiſtro Conrado Marpurgum venit.

& do-

& domiciliũ illi nouum exędificandum eſſet; rus pauliſper ſeceſſit; atriũ quoddam collapſi præ vetuſtate ædificij, ne cuiquam ruſticorũ oneri eſſet, ingreſſa: ibidem aliquot dies exegit, coacta ad reſtantis infumibuli parietes frõdibus in vmbraculi ſpeciem ſubrectis diſpoſitiſque, veluti quoddam tuguriũ parare. Vbi manenti fumus, æſtus, venti & imbres non mediocrem moleſtiam afferebant; quam illa placidè ſuſtinẽs, Deo nihilo ſegniùs gratias agebat.

CAPVT XXI.

Domunculâ conſtructâ, xenodochij ſui pauperum curam habet, quorum deſpicatiſſimos adhibebat menſæ ſuæ. Cõradus illius exercens patientiam, ex eius animo induit eam humillimâ veſte.

EXÆDIFICATO intereà temporis intra vrbem expedito magis, quàm ſumptuoſo domicilio; reuerſa ibidẽ famulari Deo in omni ſanctitate cœpit; conſtructumque à ſe quondam xenodochiũ crebrò inuiſere, ac Chriſti membra quibus poterat fouere ſolatiis. Quamquam autem in cõmune pauperibus, prout facultas ſuppetebat, eleemoſynas largiebatur; delectum tamen eorum, quos xenodochij domicilio donaret, perquam diligentem agebat; iis potiſſimùm aſſumptis, qui vel Chriſtianæ religionis ſtudio cæteris excellerẽt, vel magis valetudinarij eſſent; è quibus deſpicatiſſimos quoſque mẽſæ propriæ crebrò adhibentem, cùm magiſter ruſticitatis argueret, illa reſpondit; Orare plurimùm, id ęquo ferret animo. Se quidem reminiſci deliciarum, quas fuiſſet aliquamdiu ſectata: decere iam ſtrictiorem præferre vitam. Scire, cõtrariis ſolere curari contraria: & ſplẽdorem veterum conuiuiorũ, præſenti pauperum ſqualore emendari, ſuſtollique. Sibi talium conuiuarũ præſentiâ & faſtidium nullũ generari, & gratiã Numinis augeri. Cernens igitur prudẽs magiſter, toto illam niſu per pietatis opera ad celſitudinem ſanctæ perfectionis contendere: curandum magnoperè putauit, ne quid huic intentioni vel abeſſet vtile, vel adeſſet inutile. Proinde expẽdens, quanto ſit impedimento ſpirituali vitę, priuata erga familiares & amicos affectio; duas illi comites, Iſintrudẽ & Gutã, quarum præter cæteras ſingulari tenebatur amore, quãprimùm ademit. Teſtes ſunt lachrymæ vtrinq; profuſæ, quid & charitatis habuerint iunctæ, & doloris ſenſerint ſeparatæ. Exercebatur hoc tam lugubri diuortio virtus obedientiæ, quę illi ad ſublimitatem diuinæ contemplationis acquirendã, gradum eſſet factura certiſſimũ. Ergò geminæ familiaritatis deſtituta ſolatio, & quidem gratiſſimo; velut aggeris obiectu præpeditũ vndiq; flumẽ, altiùs excreſcit; diſcitq; ſupernè depoſcere, quicquid minùs infra cõſequi permittebatur. Conuictus illi poſthac cũ ancillis fuit in multâ humilitate & paupertate: cibus olera & legumina, ſæpenumerò ob egeſtatẽ aquâ dũtaxat, ſine alio gulæ irritamento, percocta; ac interdum, cùm ipſa coquinariã exerceret, per negligentiam ſemiuſtulata: ob quod ab ancillis etiam caſtigari verbis auſteriuſculis minimè grauabatur. Nacta verò lautius aliquod eduliũ, defraudato proprio genio, id pauperibus apud ſe domi detentis erogabat. Veſtem ab magiſtro accepit colore natiuo, textu ruſtico, valore admodum vili, abiectoq; Pallium, quia breuius quàm vt decẽter ab eâ deferretur erat; aſſuto alterius coloris panno productũ habebat. Laceras diruptaſq; veſtium partes reſarciri ferebat diſcoloribus vilium panniculorũ reciſamentis, quibus & ipſa frequenter parietũ vitia redintegrabat, aut potiùs oppilabat. Rupta manicarũ vel aliarum partium, per ſe ſi quãdò reficeret, quòd eiuſce artis foret imperita, nõ tam refeciſſe, quã obſtruxiſſe, dici rectè poterat.

Curam ſedulam agit pauperum ac miſerorum.

Quos ſuæ menſæ adhibuit.

Magiſter illi comites caras ademit duas.

Cibus olera, legumina negleƈtim coƈta.

Veſtis vilis & pretio & colore data.

CAPVT XXII.

Lanificio dat operam etiam ægra & decumbens. In patriam reuocata, paupertatem præfert aulæ, ancillis ſe ſuis in omnibus aſſimilans.

LANIFICIO filãdo, quia lino neſciebat, operam dabat: inde victũ quæſtuaria procurabat cunctis regũ deliciis longè gratiorẽ. cui operi adeò diligẽter incumbebat, vt etiam infirma lectoque decũbens, adhibitâ colo neret: quã per ancillarum aliquam è manibus raptâ, quo infirmiori corpuſculo parceret, ne penitus otiaretur, operi futuro proſpiciens, lanam vel carptim pectebat, vel

Lecto laborabat decumbens ægra.

floccis hinc indè collectus, ſcobem ſordidiuſculam euellebat eiectabatque, remiſſo interdum iis, quorum operi vacabat, pretio, quod vel necdum meruerat, vel mereri quamprimum poſſe diffidebat; ne quid plus iuſto poſſideret. Hac in paupertate degentem miſſus ex Hungariâ Comes quidam non ſine vehementi ſtupore inuenit, tentauitque reducere ad opes natalis ſoli; affirmans eo ſe nomine illinc miſſum à patre. illũ, audito, quàm infeliciter filia, mariti viduata ſolatio, ageret; nequiuiſſe diutiùs legationem differre. Flagitare proindè, paterna vota in pectus admittat, ſeque honorificè vndè ſit oriunda, reduci permittat. Non decere filiam regis lanificio deditam, amictu ſqualidam, facie deformem, intra argilloſos fumoſarum ædium parietes inueniri: aliam eſſe conditionem nobilium, aliam popularium: ſingula pro ſui dignitate locis ſuis conſtitui, decorum eſſe, ac minimè à virtute abhorrere. Cùm his verbis nihil omninò moueretur Elizabeth; diceretque ſe ita vt erat permanſuram, ac Deo famulaturam: Comes infecto negocio in Hungariam eſt reuerſus. Cæterum magna illi comitas, ac multa beneuolentia erat domi cum ancillis agenti; in tantum vt parem ſe ipſis, licet ignobilibus & egenis, faceret ac reputari vellet; depoſitaque dominæ appellatione, nollet niſi proprio nomine, ad inſtar popularis fœminæ, vocari: denique coquinariam cum iis factitaret, ciboſque vnâ ex paropſide ſumeret, iuſſis pariter accũbere. Quam dignationem vni earum plurimum admirãti, dicentique; Tu quidem, ô Dei famula, tuum in nobis meritum accumulãdo, periculũ noſtrum haudquaquam animaduertis; quibus, quòd tãtâ tui dignatione donamur, obrepere tumore aliquo peſtis ſuperbiæ poteſt: reſpondit; Quando granaris adhibita mẽſę noſtrę iuncto mihi latere diſcumbere; en gremiũ tibi meum expãditur, in quo iamiam te & accumbere & veſci oportebit. Statimq; vt ita fieret, effecit. Hanc morum comitatem mira decorabat ſermonis gratia, quam & in ancillis excolebat. Si quid eâ præſente diceretur, quod aut vanitatem redoleret, aut indignationem irámve repræſentaret: id properè ac benignè his verbis caſtigabat; Vbimodo Dominus, qui ſuam de ſe loquẽtibus exhibere præſentiam hauddubiè promiſit?

Legatus ex Hungariâ reducere voluit.

Sed illa non conſenſit.

Nota quod imiteris.

* Mat. 18. 20. Luc. 24. 14.

CAPVT XXIII.

Pauperes inuiſens recreat deſideratis edulijs, quorum vnius appetitu piſcem è puteo precibus impetrauit. Miſeros & horridos magnâ caritate curans, ſubinde ſanauit. Humilia opera exercuit. Matrẽ purgatorio eripuit.

PAVPERVM ædes cum ancillis inuiſenti (quod crebrò faciebat) ſemper aliqua comes ibat, varij generis edulia deferens: quibus illa inter egenos manu ſuâ diſtributis, mox eorũ veſtes, lectos, lodices diſpiciebat; & deficientia, ſi facultas eſſet, extemplò prębebat. Sin minùs, diſtractis celeriter aureis anulis, ac ſericis panniculis in nummos redactis, candidè ſupplebat; nihil eo in officio magis curans, quàm ne quid edulij, cuius quiſque deſiderio tenebatur, deeſſet: adeò vt piſcem flagitãti obſecutura, inuocato Chriſto, cũ è puteo piſcibus vacuo hauriret aquã, & piſcem pariter ceperit, quo pauperis deſiderium eſuriemque ſedauit. Creditur ſimilia ſæpenumerò feciſſe: quæ tamen humilitatis gratiâ tegere ſilentio, quàm prodere, maluit. Orphano cuidam puero, qui paralyſi & hæmorrhoide laborabat, ita ſedula domi detẽto miniſtrauit: vt ſexies illum noctu, & aliquando crebriùs ſuis ipſa manibus ad excernẽdum deferret, ſordeſque fœdato detergeret: quo demum in humanis eſſe deſinente, virginem leprâ contaminatam, latenter in demortui locum ſuffecit; cui tantâ cum humilitate inſeruiuit, vt non modò cibum ipſi præberet, lectum excuteret, aquam lauandę præpararet: verumetiam ad excalceandos pedes detrahẽdoſque ſocculos, pauimẽto tenus ſemet regina demitteret. Quod vbi magiſter reſciuit, ilicò leproſam amoueri præcepit. Neque ſic quidem infracta ſanctæ mulieris ſedulitas, officio pietatis abſtinuit. Puerũ quẽdam capite depilẽ, ſcabie & pſoris horridũ aſſumẽdo; cui per ſtudium lauandi vngẽdiq; adeò cõſtanter famulata eſt; vt, quod per artem, cuius ignara fuit, impẽdere nequibat, per fideiferuorem vt impenderet, ſit conſecuta. Paropſides, ollas, & cętera coquinaria vaſa, inſigni humilitate frequẽter abluebat; emiſſis interdum ancillis curandi cuiuſpiã negotij cauſsâ, quo libe-

Venditis ſuis reculis pretioſioribus pauperum proſpicit deſiderijs.

Puero miſero miniſtrat.

Item leproſę puellę.

Item horrido puero quem ſanauit.

riùs propriæ abiectioni vacaret; ita vt reuerſis vel diluere, vel diluiſſe deprehenderetur. Extinctę matris vmbra noctu dormienti viſa eſt obuerſari, lugubrique vultu ac flexis poplitibus orare, ſui quamprimùm miſereretur; ob vitam enim negligentiùs actam, igne ſe pœnas ſoluere: moxq; hoc viſo expergefactæ, ac poſt effuſas ad Deum preces lachrymaſq; denuò in ſoporē depreſſæ iterum apparere, ac immortales gratias agere pro maturâ liberatione; dicereq; tanti apud Deum preces eius reputari; vt tam vitâ functis, quàm iis, qui adhuc ſupereſſent, ſubuenire auxilio poſſint.

Matris animam è purgatorio precibus liberauit.

CAPVT XXIIII.

Iuuenem elegantē, mundo deditū & vanitati, calidis precibus inflammans, ad Ord. S. Frāc. pertraxit.

SATIS iam quidem, quantam defunctę opem precando tulerit, declaratum eſt: quàm vero viuēti quoque ſimili officio profuerit, ſupereſt vt probetur. Venerat matrona quædā nobilis ad illam inuiſēdi gratiâ, adducto ſecum adoleſcente; quem veſtis comta & incomti mores, ſæculari prorſus eſſe animo haud obſcurè prodebant. Ad quem Elizabeth; Quid tu, inquit, ô adoleſcēs! tam inſigniter & veſte & moribus ſæcularem præfers animum, quem magis Deo tuo pronâ ſeruitute iam olim dedicatum oportuit? Eſt, (ait adoleſcens) hei mihi, ita vt dicis, ô domina; ſed oro te plurimùm, pro me Deum precari digneris; quo mihi bonū, quod proponis, & incipiendi & perficiēdi donetur gratia. Mox illa; Itáne, inquit, ſeriò petis, vt pro te Deum rogem? Peto, ait ille, ſeriò intimeque. Statim illa; Oportet, inquit, te itidem facere, preceſq; meas tuis iuuare. quo perſuaſo itum eſt, ac vtrinque oratum loco ſatis congruenti. Iamque nonnihil moræ interceſſerat, cùm ecce adoleſcens clamare occœpit; Iamiam, ô domina, precari deſiſte. Incēdor enim ita tuarum feruore precū, vt ferre vix queam. Tum illa vehementiùs orationi inſtare, acriore mentis anniſu Deo propinquare. At ille ſemet intētiùs inflammari ſētiēs, viribuſq; paulatim deſtitui, toto iam corpore in ſudorem eūte, atq; crebri vaporis nebulā paſſim exhalāte, clamat altiore voce; diſiectis præ laſſitudine brachiis, genibuſque ad ruinā ſubſidentibus; Ceſſa, ô domina, ceſſa! quia vaſtiſſimo ſupplicationis tuæ incendio præcordia mea, & ipſæ medullæ depaſcuntur. Defectū ita iuuenem duæ confeſtim ex pedeſequis, ſimulq; matrona pauloante memorata, mediū corripiūt, & ne caſu repentino elideretur, ſuſtentant; feruorem eius intētiſſimum, & calidiſſimo perfuſa membra ſudore, vix tactu manuū pati valentes. Tandem nihilo ſegniùs orare perſeuerantē, anhelus iuuenis quâ potuit altiſſimâ voce ſępiùs inclamat, dicēs; Oro te per Ieſum, vt cœpto munere iamiam ſuperſedeas: ne me precibus infauſtè mori cogas, quem vitæ meliori feliciter deſtinaſti. Confeſtim igitur vt Elizabeth precādi ſtudiū remiſit, remiſſo pariter calore, iuuenis eſt velociſſimè refrigeratus; aſſumturū ſeſe maturiùs Franciſci Aſſiſiatis inſtitutum pollicitus: quod & non multo pòſt tēpore aſſumſit, aſſumtum coluit, cultū viriliter cōſummauit. Hac precandi conſuetudine Dei famulam multis hominibus ſaluti fuiſſe, celebri memoriæ proditum eſt.

Monitum eius ad iuuenem ſalubre.

Pro quo orans eum vehementer inflammauit.

Qui viribus deſtitutus eſt.

In D. Franciſci religionem ſe aſſeruit.

CAPVT XXV.

Amplam dotem cùm recepiſſet, conuocatis vndique numeroſis pauperibus largiter ipſa diſtribuit. Iuuenculā crinibus, quibus gloriabatur, detonſis, meliori vitæ parauit.

CÆTERVM magiſtri & amicorū induſtriâ ac ſolicitudine, receptam à principe dotis nomine pecuniam, neq; terræ infodit, vt timida, neque arcis incluſit, vt auara: ſed magis apud Chriſtū diuini ſpe fœnoris collocatura, miſſis circumquaque nunciis, iubet pauperes quoſcunq; ad diem conſtitutum adeſſe, aſſignato pariter loco, ne quis eius ignoratione comparere non poſſit. Congregata igitur ad diem eſt incredibilis multitudo vtriuſq; ſexus, vt numquam maiore numero per Haſſiā & Thuringiā conuētus inopū viſus eſſe credatur. Videre tum erat varia genera pauperū & incommodorū: ac veluti quendā deuictis hoſtibus exercitū, accipiēdi ſtipēdij gratiâ ad Imperatorē cōueniſſe. Præfecerat autem Elizabeth vniuerſo cœtui viros quoſdam ac mulieres, qui ſingulis ordine deſidere iuſsis, tumultuantes & quietis impatiētes compeſcerēt; adiectâ publicę cōfuſionis pœnâ, id eſt, dehoneſtamēto detōdendi capilli, ſi quiſpiā (vt eſt auiditas incōditę plebis) deſerto, quē

Vndiq; pauperes aduocauit ad eleemoſynā.

occupandum accepiſſet, loco, vel aliis negotium exhibere, vel ſecūdò ſtipem percipere adnotaretur. Aderat etiamnum huic ſpectaculo aliorū hominum ingēs turba, quos rei nouitas ad videndum exciuerat. Ibat ergo pientiſsima pauperum conſolatrix, in medio tantæ multitudinis, læto placidoq; vultu, per ſingulos pecuniam diſtribuens: vt* eius iuſtitia, tam inſigni diſsipata præconio, in memoriam duraret ſempiternā. Ita paucis horis erogauit circiter quingentas argenti minas. Quo tempore puella quædā capillamento pulcherrimo paſſoque, vt præuaricatrix ſupradictæ legis, præſentatur, accuſaturque: cui vt quamprimum detonderetur capillus, Elizabeth præcepit. Quo ſtatim effecto cùm in lacrymas puella prorumperet vberrimas, aderant qui docerent, nihil præuaricatam eſſe iuuenculam; proindè immeritò affectam iniuriâ: veniſſe illam ſororis inuiſendæ, non ſtipis accipiendæ, gratiâ. Ad quos Dei famula; Bene habet, inquit; nihil damni puella fecit: at magis detrimento capillorū lucrum animæ factura deinceps nequaquam choreis ſe immiſcebit. Moxque accitam interrogauit, an vnquam ſanctioris vitæ, Deoque ſeruiendi habuerit volūtatem. Cui puella; Olim, ait, votum ſuſcepiſſem ad emendatioris formam inſtituti, ſi me capillamenti venuſtas non retraxiſſet. Et ego (inquit Elizabeth) hoc magis gratulor tuorum detonſioni capillorum, quo liquidiùs peruideo me tibi magnū ſalutis ademiſſe diſpendiū, nō plus gratulatura filio meo, ſi illū ad Romani faſces imperij prouehi contigiſſet. Statimque aſſumtam puellam, dato meliori habitu, intulit xenodochio, illatæque miniſtrandi munus, quoad viueret, exſequendum cōmiſit. Ceterum remeantibus vndè venerāt pauperibus, Deumq; magnificè collaudātibus; contigit non paucos languoribus & defectu virium præpeditos, remanere noctem vnam, paſsimque per xenodochij angulos iacere. Quos miſerata Dei famula, præcepit actutum, calis & titionibus lōgo ordine concinnatis focum ſuccendi; pauperibuſq; cōmodè adhibitis, panes ſingulatim & ſenos nūmos diſtribui, quorūdam etiā pedes lauari, vngique. Tum repletis ingenti lætitiâ pectoribus, omnis ille cœtus ſublimi cātu perſonare cœpit: cui ſancta mulier & animi & vultus hilaritate nō minimū eſt gratulata.

Pecuniam dotis ſuæ largiter diſperſit.
* Pſal. 111. 9.

Puellam vanam ad frugem meliorem duxit.

Magna eius benignitas in miſeros.

CAPVT XXVI.

Magiſter pecuniā reliquam ex dote, cum aliis eleemoſynis profusè vetat in pauperes ſpargere: ceterà, quà licuit liberaliter diſtribuit. Baptiſmum proliū, monuit puerperas, non differendū, non negligendū. Suadet moribundus, Eccleſiaſticis muniri Sacramentis, & ad mortē parari.

CVM autem reſiduū pecuniæ vndè ſemet ſuſtentare habebat, ſimili pauperibus largitate diſtribuere pergeret, quòd cor ipſius vehemēter ad inopes dilatatū eſſet; Magiſt. futuræ neceſſitati proſpiciens inhibuit, aſſociatis ei fœminis ſeueriuſculis, quę & facta illius moroſiùs obſeruarent, & dictis non audientē, hoc eſt, egenis vltrà, quàm licebat, aliquid erogaſſe compertam, deferrent. Delata verò, cōfeſtim comparere iubebatur, & verbis & plagis caſtigāda: ita vt etiā alapis eam vapulare aliquoties cōtigerit, quas illa ob recordationē Dominicæ paſſionis perpeti admodum gaudebat. Iuſſa dehinc ſingulos dumtaxat nūmos ſingulis dare pauperibus; ita paruit magiſtro, vt nihilo remiſſiùs miſericordi obſequeretur animo; dū inter plurimos ſingulatim erogabat, quod non licebat in pauciores. Quo cōperto, magiſter ad votum minùs parēti, nummorum erogationē prorſus interdicit, panū verò permittit: quos & ipſos profuſiùs diſtribui cœptos, ad minutiora fruſta reſtrinxit, cū priùs integri largirentur. Ita mirâ viciſſitudine & exercebatur obedietiâ, & miſericordiâ prouocabatur. Si quādo eleemoſynis erogādis penitus ſuperſedere, lepraq; contactos, aut alio morbo fœdatos vel non recipere, vel receptos miſſos facere iubebatur: videre mirū fuit, vt ſingulari miſerationis affectu diſcruciata, etiam foris languidiorē corporis habitū pręferret. Timebat nimirum prudēs magiſter teneritudini fœmineæ, ne fortè attactu & deoſculatione putidiſſimorū vlcerum (ad quod opus miro ac ſtupendo deſiderio ferebatur) in morbū aliquē incideret. Quibus verò miſericordię operibus interdictū ei nihil eſſet; ita iis diligētiſſimam nauabat operā, vt cùm in xenodochio, adiuuantibus ancillis, infirmiores lauaret, mundatis lectos excuteret, atq; in iis reclinatos, lodicibus ac ſtratis

Nihil ſuæ neceſſitati ſeruare voluit.

Non licuit ei pro voto eleemoſynas erogare.

* Mat. 25. 35.

Quod pauperi facit Chriſto factum putauit.

operiret; frequētiſsimè diceret; Quàm bene feliciterq; nobiſcum agitur,* quibus Dominum lauare, detergere, reclinare atque contegere permiſſum eſt! Cui aliquando ex pediſequis vna; Tibi, ait cum huiuſcemodi ſqualoribus bene eſt: at nobis & aliis non ita. Hortabatur matres crebrò, ne poſt enixos liberos, baptiſma ſacrum aut negligerent, aut differrent: illud eſſe dicens ſtolidi, hoc imprudentis animi, vtrumque periculi plenum. Infirmis quoque, cùm morti propinquarent, adeo ſolicitè ſuadebat, & expiandę conſciētiæ vacare, Euchariſtiæque & Vnctionis vltimæ Sacramēta percipere; vt mulierculam quandam, delicta confiteri diutiùs detrectantem, etiam virgis caſtigauerit, excuſſoque verberibus negligentiæ ſomno, conſiliis audientem effecerit.

CAPVT XXVII.

Parentes quos aluerat, filiâ deſertâ fugientes, precibus redire coëgit. Nimiis ſumtibus ad imaginū ſacrarū ornatū, præfert eleemoſynas in pauperes. A labore & curis, orationi & cōtemplationi vacās Chriſtū ſæpe vidit cum Angelis, facie eius aliquando reſplendente.

ALTERI prætereà, quæ vicina partui erat, hoſpitium ac inibi ad victum neceſſaria commodè contulerat, natamq; prolem Elizabeth vocari & ſacro fōte initiari procurauerat, quotidieque puerperā comportatis ſecum lautioribus eduliis, inuiſerat; cùm ecce tandem mulier, eiuſque maritus, vt ingratiſſimi, relictâ filiâ, ſublatis pariter aliquot donariis, aufugerūt. Quâ re Dei famula per ancillā, quam illò cum lautitiarū xeniolis miſerat, compertâ: ilicò iubet ad ſe adferri infantulam, allatāq; vxori militis cuiuſdam, vt educaretur, commendari. Accito dehinc vrbis Præfecto, mādat extemplo miſsis per compita ſingula ſtatoribus, perfugas inſequi, veſtigariq;: quibus minimè peruestigatis, ad preces conuerſa effecit, vt paulo pòſt redirent, proſtratique veniam poſtularent ingratitudinis ac perfidiæ: ſeſe pœnarum ſatis ſoluiſſe fatentes, cùm manifeſtâ numinis vltione

Nota ingratitudinē iſtorum parentum.

progredi nequaquam valētes, ad regrediēdum, vellent nollēt, cogerentur. Remiſsâ facilè culpâ, dimittuntur abire cum filiâ: priùs tamen detracto mulieri pallio, quod à Dei famula collatum illi fuerat, dicēte; Ita remittendā iniuriam eſſe, ne denuò poſsit irrogari. Porrò palliū ipſum virgini cuidā pauperculæ datum eſt: quę mox donātis merito per Dei gratiam illuſtrata, perpetuæ ſemet virginitati dicauit. Quamquam autem Elizabeth Sanctorū reliquias pro Chriſtiano more cæreis & thure ſtudioſiſsimè venerabatur, nummis etiam, quos manuum labore cōquiſiſſet, ad arās reuerēter oblatis: viſa tamen eſt ſumtuoſiora ſimulacra nō admodū probare; vt etiā cœnobitis quibuſdā paupertatem profeſsis, in fanum ipſorū ingreſſa, obiecerit anaglyptica opera, ac ſumtuoſas imagines; dicens, pretium curandis pauperum corporibus adhibendū eſſe, & Sanctorū memoriam religioſiùs animo, quàm exteriore cultu habendā. Itidem cuidam præſens ſimulacrū, quod arte ſimul & pretio excellere videretur, laudibus proſequenti; Ego, inquit, veritatem rei huius animo teneo, cuius tu iconem foris tātopere miraris. Talibus ac tantis virtutum inſignibus decorata Dei famula,* Marthæ quidem officium eſt fideliter executa: Marię tamen otio nō omiſſo. Ceſſanti à pietatis operibus & rei familiaris curâ, mos erat ſolitudinē petere, oculos, manus, animum ad cæleſtia ſuſtollere, & quantâ poſſet maximâ intentione preces effundere, neque id quidē ſine lachrymis: quâ in re ſingularē præ ſe ferebat gratiā. Non enim, vt aliis euenire videmus, lachrymans deformiore triſtitiæ nubilo vultū obfuſcabat: ſerenâ facie, atq; hilaritatē dulcedine quadā conditam præferēte, rigabat lachrymis genas, vt gaudio illā flere, non mœrore, cenſeres. Neque id mirum; quandoquidem etiam aduerſis vexata caſibus, non cōtractum triſtitiâ vultū, ſed magis iucūdâ porrectū lętitiâ gerebat. Diuinę quoque contemplationis ignara non fuit, frequenter aliquot horis in ecſtaſim rapta, ac mirabili ſuauitate perfuſa. Quo tempore non ſolum Angelorum colloquiis interfuit; ſed ipſum etiamnum conſolatorē ſuum Chriſtum Ieſum, innumerabili Sanctorum agmine vallatum, non ſemel vidit, audiuitque. Quid tum hauſerit conſolationis, quid gaudij perſenſerit, quid fuerit adepta virtutis, recepto animo

Illi precibus D. Elizabeth ex fugâ retracti.

Sancti animo magis colendi, quàm cultu exteriore.

* Luc. 10. 38.

A curis & operibus vacua, vacat precibus & contēplationi.

In contemplãdo rapta in ecſtaſim.

decla-

* Exod 34. 29.

Facies exinde aliquando reſplenduit.

declarabat. Erat enim, * vt de Moyſe quoque legitur, ſplendida facies illius: profectò quia diuinæ lucis directus in eam radius, ita præcordia penitiſſimè luſtrauerat; vt, quoniam exuberans fulgor limine ſuo cõtineri non potuit, per vultum, quaſi per quandam animi feneſtram transluceret. Vnde factũ eſt, vt ſpiritualibus refecta deliciis, pòſt corporis cibo, vel ad multas horas omnino abſtinuerit, vel quàm parciſſimè ſit vſa.

CAPVT XXVIII.

Morituram Chriſtus apparens ad cælum euocauit, cùm ſub mortem inſtar cygni dulciter cecinißet. Adparans ſe morti, Chriſtum in pauperibus hæredem ſcripſit. De Chriſti lachrymis mira cum dixiſſet, canentibus accinit Angelis.

Chriſtus apparuit B. Elizabeth & ad calũ vocauit.

TANDEM verò, cùm poſt deductam annis multis religioſiſſimè vitam, tempus aduenisset; quo ſanctiſſima Dei famula ex hac luce migraret; Chriſtus Ieſus illi iucundiſſimè apparuit, dicens; Veni electa mea; & cæleſti thalamo, quem tibi ab æterno deſtinaui, potire. Hoc viſu mirificè lætata, magiſtrum graui tunc temporis infirmitate laborantem inuiſit; interrogantique quonam modo vitam deducere proponeret, ſi mori ſibi cõtingeret, cõfeſtim quid diuinitus didiciſſet, reuelat. Quarto pòſt die aduersâ valetudine corripi cœpit, paulatimque inualeſcẽte virium defectione, lecto decubuit; animo tamẽ ſemper cæleſtibus bonis intento, atque in amore Chriſti ardente. Aſſidebat aliquando iacenti ancilla vna, cùm eccè præter infirmantium morem, audit illam dulciſſimo cantu perſonare, atque ad numeros muſicos veluti cygneam vocem artifici modulatione inflectere; tum poſt aliquantulum moræ, auerſam dicere; Vbi es, dilecta filia? Et ancilla, En, inquit, ego adſum. ſubiunxitque; O quã dulci concentu aures meas demulſiſti, domina piẽtiſſima. Mox Elizabeth; Tunè, ait, cantũ meũ audiſti? ſtatim ancilla; Etiã, inquit, audiui, & quidẽ lætiſſima. Cui Dei famula; Auicula, ait, cælitus demiſſa, inter me & parietẽ deſederat, tantâ mihi ſuauitate per varia cantilenarum diſcrimina diuinum præcinens melos; vt quamuis infirmo corpuſculo, non potuerim me cõtinere, quin & ipſa cõcinerem pro viribus. Ante diem tertium obitus, vendicatura ſibimet ſecretum, iubet omnes cubiculo excedere, qui ad ipſam viſendi gratiâ conuenerant, arcerique foribus quoſcunque admitti petentes. Interrogata cur id faceret; Volo, inquit, tumultus externi vacua, meminiſſe iudicis mei, terribiliſq; cenſuræ, quam perbreui habeo ſubire. Pridie, quàm decederet, magiſtro qui paulo antè cõualuerat, culpas integerrimè cõfeſſa, Chriſtũ in pauperibus teſtamẽto reliquit heredem, vilem dumtaxat tunicam excipiens, in quâ ſepeliri poſtulauit: vt iam tunc nihil minùs, quàm de funeris curâ & exſequiarũ põpâ cogitaſſe credatur. Paucis pòſt horis Euchariſtiæ ſacramẽto refecta, oleoque ſacro peruncta, reliquum diei ac noctis mediũ, tanto feruore ſpiritus exegit: vt indubiis argumẽtis proderet Chriſtum hoſpitem & pro deſiderio excepiſſe, & pro amore exceptũ tenere. Colloquebatur cum aſſidentibus de ſanctiſſimis rebus, quas vel in cõcionibus audierat, vel inſtinctu diuino didicerat: ad poſtremum ſubtexens, vt Chriſtus Mariam & Martham ſuper obitu fratris mœrẽtes inuiſeret; vt fuerit benignè conſolatus, vt iis animũ firmâ pollicitatione fecerit, vt pariter ad ſepulchrũ ierit, vt deniq; lachrymas intimæ veriſſimæq; cõpaſſionis indices profuderit. Hoc loco veluti profundã rei pulcherrimæ diſputationẽ ingreſſa, cũ ſtupore & admiratione præſentiũ, de iis Chriſti lachrymis tam viua, tam aculeata, tam flãmea, tamque ad imum ſpiritum penetrantia verba fecit: vt omnibus penitiſſimè cõpũctis, lachrymas exciuerit, vtpote dolentes diſparari ſe ab eâ, quã intimo diligebãt affectu. Ad quos Elizabeth conuerſa; Nolite, ait, ô Chriſtigenæ ſuper me flere; magis autẽ ſuper voſmet fletu madeſcite. Nec aliud locuta, melos ſuauiſſimũ ſine labiorum motu aliquo proferre auditur: ſciſcitantibuſque qui aderant, quid ea cantilena ſibi vellet: reſpondit; Præcinentibus mihi, quâ potui facultate, concinẽdi vicarium munus adiunxi, quos mirũ ſi non audiſtis. Quibus verbis creditum fuit Angelos, qui paulò mox egreſſuram carnis ergaſtulo animã opperiebantur, cæleſti perſonuiſſe harmoniã, eaque infirmam, vt concineret, excitaſſe.

Dulciſſimè accinuit auicula cantillanti.

Ad mortem ſe parat.

Chriſtum in pauperibus ſcripſit heredem.

Ioan. 11. 20.

Pij ſermones & colloquia ſub mortem habenda.

Angelis præcinentibus ſuccinuit.

CAPVT XXIX.

Dæmonem abegit accedentem. De Chriſto diſſerens moritur, lugentibus pauperibus. Corpus viuentis habitu mobile, gratiſſimũ adſpirauit odorẽ, à quo pij decerpũt reliquias. Magno honore ſepulta fuit.

APPETENTE iam noctis medio circumſedentes intuita; Quid, inquit, facturi eſſemus, ſi ſemet nobis humani generis inimicus repræſentaret? Nec mora; fidentiſſimâ voce veluti abigendo cõſpectum horribili ſimulacro diabolum, exclamat; Fuge miſer, fuge infælix! Imminente morte; Hæc eſt, ait, hora virginei & immaculati partus; admonens nos commentari debere aliquid de Ieſu puello cãdidiſſimo, quemadmodum hyeme, noctu, atque alienis in ædibus ſit natus, pannis inuolutus, collocatus in præſepio, à paſtoribus inuentus, ſtellâ proditus, denique à Chaldæis adoratus. Hæc enim ſunt noſtræ ſalutis veneranda myſteria, locupletiſſima beneficia, ornamẽta pulcherrima. In his tota ſpei noſtræ ratio viget, fides proficit, charitas ardet. De his (rogo) diſputemus, ac dulciter conferamus. Inter hæc verba, veluti quiete placidâ obdormiret, ſanctiſſima Dei famula, capite paululum labante, deceſsit. Diſsipato in vulgus obitu, mirum eſt, quanta ad exſequias eius monachorum, clericorum, ac pauperum multitudo confluxerit: è quibus inopes adeò lugubri ſqualore, clamoſoque eiulatu præſentium oculos & aures impleuerunt, vt omnibus fere lachrymas excuſſerint; teſtati matrem ſe pientiſsimam, vnicumque ac ſingulare paupertatis ſuæ in terris perfugium amiſiſſe; nihil iam ſibi reſiduum ſpei eſſe, neſcientibus ad quem eant, ſolatium egeſtatis inuenturi. Porro ad quartum vſque diem ſacratiſsimi corpuſculi prorogata humatio eſt, id exigente frequentiſsimo deuotæ plebis concurſu. Nec erant horrori viſentibus caput, ora, manus omninò retecta: cũ in iis pręter pallorẽ, nihil prorſus, neq; triſte, neq; ſqualidũ appareret. Priſtina carnis teneritudo, & ad leniſsimum quemque contactum facilè cedens perſeuerabat. Videre tum erat, vt certatim aduolantes pro ſe quiſque reliquiarum aliquid, vel de capillamento nudi verticis, vel de vnguiũ præſegminibus, vel de mamillarũ capillis, vel de auricularum ſummitatibus, vel de laciniis abiectæ viliſque tunicæ decerpere, & (quod audaciùs erat) præſecare feſtinarent; adeptaſque portiunculas maximi putarent, ſæpiuſque deoſculatas reuerenter aſſeruarent. Præterea gratiſsimus odor nares omnium imbuebat, nihilque omnino vel minimi fœtoris ſub tanti temporis ſpatio à quoquam percipiebatur: veluti ſi pro hominis cadauere (cuius eſt proprium mephitim exhalare) omnium theſaurus aromatum ac ſuauiſsimè ſpirantia adeſſent myrothecia. Quarto demum die, peractâ, ſollemniſsimo ritu, celebratione rei diuinæ, præſentibus cœnobitarum præſtantiſſimis, clerique ac populi ingenti catervâ; in ſacello xenodochij vicino, pretioſum corpuſculum perquam honorificè ſepultum eſt. Deceſsit anno religionis noſtræ milleſimo ducenteſimo, triceſimoprimo, tertio decimo Calendas Decembris.

Conſpectum profligat diabolum.

De Chriſto commẽtans moritur, pauperibus lugentibus.

Corporis priſtina fuit facies.

Reliquias ab eo pij decerpunt.

Funeris eius fragrantia.

CAPVT XXX.

Propter miraculorum frequentiam, quarto poſt obitũ anno relata eſt inter Diuos à Gregorio IX. Aureâ coronâ donata eſt à Frederico Imperatore in ſacri corporis trãſlatione: in quâ viſum eius oſſa oleum manaſſe morbidis ſalutare. Sepulchri quoque illius attactu à mentis morbis liberati nonnulli.

COEPIT autem mox theſaurus ille quàmplurimis coruſcare miraculis, & rebus ipſis declarare, quàm mirabilis ſit Deus in Sanctis ſuis: adeò vt ſedecim mortuos ad vitam excitaſſe, leproſis munditiem, ſurdis auditum, mutis loquendi facultatem, claudis greſſum, cæcis viſum, miſeris & calamitoſis ſolatium contuliſſe, famatiſsimè prædicetur. Quæ omnia Suffridus Mogũtinus Antiſtes, probatiſsimis documẽtis confirmata, Pontifici Max. Gregorio nono tranſmiſit. Qui communicato cum patribus cõſilio, poſt diligentiſsimã tantæ rei diſcuſſionẽ, pręſẽtibus Hieroſolymę & Antiochiæ Patriarchis, multiſq; Epiſcoporũ, Peruſię in cœnobio fratrũ Prędicatorũ, ſexto Calẽdas Iunias, qui dies

Mortuos ſedecim reſuſcitauit.

reueren-

reuerendiſſimæ Pentecoſtes erat, poſt luſtrationem ſolemni more apparatuque magnifico peractâ, inter cæremonias ſacrorum, beatiſſimam Elizabeth quarto, poſtquàm deceſſerat, anno in Diuarum retulit numerum: exædificatamque ibidem aram, eius honori dedicauit, dedicatam ornauit, ornatā Pontificio more dotauit. Quibus honorificè tractatis, ac famâ rei per Alemaniam celeberrimè diuulgatâ; Siffridus Antiſtes, cum ingenti populorum gaudio, leuandis è ſepulchro ſanctiſſimis oſſibus diem cōſtituit, citatis ſimul aliarum Eccleſiarum prǽfectis. Quo die incredibile dictu eſt, quanta Marpurgum multitudo conuenerit vtriuſque ſexus, ordinum & ſtatuum diuerſiſſimorum. Præſentibus igitur Imperatore Frederico, auream coronam ſanctis reliquiis dicante, cum honorificentiſſimo inferiorum principum cœtu, Moguntino, Colonienſi, ac Bremēſi Epiſcopis; necnon aliis plurimis templorum cœnobiorumque præſidibus, effoſſo tumulo, ſanctiſſima leuantur oſſa. Neque verò continuò, cæterorum cadauerum more, horrendi fœtoris exhalatio; ſed tanquam recluſa pretioſiſſimorum aromatū theca, gratiſſimus odor egreſſus, omnium qui aderant, & nares imbuit, & animos ingenti gaudio perfudit. Impoſita mox capſæ plumbeǽ, ſigillis Epiſcoporū obſignatæ, per mediū populi, inenarrabili deſiderio prǽſtolantis, magnificētiſſimâ pompâ circunferuntur. Poſtridiè patefactâ iuſſu Antiſtitum capsâ, comperiuntur (viſu mirabile) benigniſſimæ miſeratricis oſſa præter naturam, non parum olei exſudaſſe, guttatimque ſub oculis omni ex parte eiectare: quo perlitis quorumuis infirmorum artubus, optata pro voto ſanitas tam velociter, quàm feliciter conferebatur. Ceterùm conſtat monachum quendam Ciſtertienſem, contacto diuæ Elizabeth ſepulchro, priuſquam oſſa eximerentur, abacto turbidiſſimi cordis morbo, quo per quadraginta annos miſerè diſcruciatus fuerat, pleno munere conualuiſſe; & quidem ſuo ipſius teſtimonio, quod etiam iureiurando confirmauit. Liquet etiamnum alterum, tam genere quàm Eccleſiaſticâ dignitate ſublimem, ſub idem tempus ſimili acceſſu tactuque libidinoſiſſimas affectiones atque nequitias, quibus non paruo tempore ſubiacuit, multis cum lachrymis excuſſiſſe: vt idem ipſe, magiſtro ſupradicto dum peccata confiteretur, reuelauit.

Peruſię inter Sanctos conſcripta eſt.

Reliquiæ corporis eius tranſlata.

Cuius oſſa oleum ſtillârunt.

Tactu ſepulchri eius animi morbi ſanati.

CAPVT XXXI.

Miracula nonnulla apud eius ſepulchrum conſtante veritate probata.

De multis verò miraculis, quæ pòſt per famulam ſuam Deus operari dignatus eſt, hæc ad nos conſtanti veritate peruenerunt. Inprimis memoriæ proditum eſt, Henrico Ciſtertienſi monacho, dies noctéſque grauiſsimis doloribus vexato; ita vt eiulatu clamoribuſque fratres omnes ad compaſsionem moueret, noctu fœminam candidâ veſte apparentem ſuaſiſſe, votum diuæ nuncuparet Elizabeth, ſi conſequi ſanitatem deſideraret; omittenti inſecutâ nocte itidem apparuiſſe idemque dixiſſe. Illum, quando Abbas Priorque cœnobio abeſſent, conſulto ſeniore, votum nuncupaſſe, atque ſequenti nocte, comparente iterum prædictâ fœminâ, ſignumque crucis edente, conualuiſſe protinus. Reuerſis deinde patribus rem, quæ acciderat, miraculo quidem fuiſſe: voti verò nuncupationem non admodum probatam, quòd dicerent, ſolere ſæpè monachos cacodæmonum illuſione ad malum ſub ſpecie boni permoueri; maximè, cùm nulli monachorum ſuâ ſponte vouere ſit integrum: proinde melius ac ſecurius videri, ſi peccatorum confeſsione factâ, animam Deo, corpus cœnobio concrederet. Quartò dehinc fœminam eandem ceſſatori viſam dixiſſe, quando implere, quod ſuſcepiſſet, votum intermitteret, in priſtinam eſſe recaſurum infirmitatem; atque, vt antea, tantiſper exagitandum, quoad in animum ſoluere debitum induceret. Quas minas effectu miſero eueſtigiò ſequente, monachum, factâ ſibi poteſtate, ad iter accinctum, extemplo ita conualuiſſe; vt perſoluto gnauiter voto, nihil tale vnquam poſtea ſit expertus. Cōſtat etiam, puellæ cuidam è Moguntino territorio poculum petenti, cùm à porrigente, diceretur, Accipe vt diabolū imbibas: protinus immiſſum eſſe cacodæmonem. Illam, intumeſcente vehementer vtero, exclamaſſe, flammigerantem ſibi per fauces trāſmiſſum titionem, miſeriſque ac inconditis geſtibus viſentes

Ex voto Ciſtertienſis monachus à grauibus doloribus ſanatus.

Nota de votis Monachorum.

Et hoc nota de malâ imprecatione, quam caueto.

partim perterrefacere, partim ad lachrymas permouere: atq; ita per biennium vexatione durante, demum ſarcophago diuæ Elizabeth præſentatam, cùm paululum ibidem panis ac vndæ ſacræ inſumſiſſet, confeſtim receptâ mente, exactoque nequam ſpiritu, cunctis qui aderant ſtupentibus, ad ſanitatem rediuiſſe. Notum etiam apprimè eſt, Theodorico Traiectenſis diœceſis incolæ, contractam ac prorſus inutilem, ad humanos vſus manum habenti, qui bis diuam Elizabeth inuiſerat, minimè tamen voti compos effectus, cùm tertio plenâ fide iter eſſet ingreſſus, occurriſſe virum ætate ſenili, reuerendo vultu, facundiâ promtâ, ac quò tenderet interrogaſſe. Cumque ille, Marpurgum ad celeberrimam diuę Elizabeth tumbam, reſpódiſſet, datâ mox benedictione, ſubieciſſe, vt conſequendæ ſalutis certus pergeret, manumque foueæ ſepulchrali penitùs inferret, atque deinceps diuum quoque Nicolaum honore proſequeretur. præterea imprudentes nominaſſe eos qui perquiſitis Sanctorum reliquijs, votiſq; pro more Chriſtiano ſolutis, ſtatim diſcederẽt: cùm perſeuerans in precibus ardor, fideſq; Deo & Sanctis maximè placeret; atque his dictis euanuiſſe. illum eiuſcemodi verbis auditis, immiſsâ tumbæ manu, perquam celeriter curatum fuiſſe.

Puella à malo dæmone apud eius ſepulchrum liberata.

Manus cuidã ad vſum reſtituta.

CAPVT XXXII.

Alia miracula in mortuis, in viuis.

CELEBRE quoque admodum eſt, Hermannum ex Colonienſi territorio, clauſum carcere, neruoque conſtrictum, poſt inuocatam integrâ fide Elizabeth, noctu eandem conſpexiſſe, conſolantemque non ſine ingenti lætitiâ audiuiſſe: in patibulo deinde appenſum, permiſſuque iudicis, cùm ſatis ad mortem penſilis fuiſſet, depoſitum, præſentibus patre ac patruo, mirabiliter reuixiſſe. Inſigniter etiamnum liquet, Bucardum Moguntinæ diœceſis Scholarem, profluentibus aquæ vorticibus, dum incautiùs piſcatur, abſorptum mortuumque; poſt inuocatam per eos, qui aderant, ſupplici voto diuæ Elizabeth opem, vitæ redditum eſſe. Itidem Berelinum, eiuſdem territorij puerum quadrimum, poſt indubiæ mortis ſigna diutiùs adnotata, imploratis per matrem meritis famatiſſimæ Elizabeth, viuum ſanumque ſurrexiſſe. Quin & alterum pari fermè ætate puerum, miſerabili in puteum euentu prolapſum: factâ ad diuam Elizabeth deuotione per eum, qui tum fortuitu ſuperuenerat, mortuumque difficulter admodum extraxerat, protinus rediuiuum in pedes conſtituiſſe. Famatum præltereà non mediocriter eſt, Fredericum è Moguntino territorio natandi peritiſſimum, cùm in amnem ſe lauandi gratiâ merſiſſet, & pauperi cuidam olim cæco, tunc meritis diuæ Elizabeth videnti, vndas per contemtum inſpergeret; qui exaſperatus cœpit viciſſim precari, ne vnquam viuus, cui innatabat, flumen egrederetur, vindice Elizabeth, à quâ lumen ipſe adeptus eſſet: confeſtim obſtupeſcentibus neruis ac viribus ſubtractis, ad ima lapidis inſtar ruiſſe, extractumq; hauddubiè pro mortuo, poſt votum diuæ Elizabeth per propinquos nuncupatũ, extemplo priſtinum viuendi munus recepiſſe. Clarum item eſt, Ioannem è Moguntinâ diœceſi innocẽtem vnâ cum fure quodam deprehenſum, mortique pariter adiudicatum, rogaſſe præſentes, pro ſe Deum ac diuam Elizabeth precarentur; ne aliter quàm meruiſſet ſupplicium lueret. Nec mora, è duobus in patibulo ſuſpenſis, ſtrangulato noxio, inſontem miſſam cælitus accepiſſe vocem, confideret ſanctiſſimæ Elizabeth, cuius eſſet quamprimum patrocinio liberandus: ſtatimque rupto funiculo, illæſum decidiſſe, exclamaſſeque; Tu me pientiſſima Elizabeth liberaſti. Quibuſdam autem delapſum appendi de integro debere dicentibus, reſpondiſſe iudicem; nolle ſe denuò ſuſpendi permittere, quem Deus liberaſſet. Ferunt etiam Volcmaro, cœnobitæ ſanctitatis eximiæ in territorio Moguntino, qui contritâ molari lapide manu alterâ, intenſiſſimis diu noctuque doloribus angebatur; poſt inuocatum diuæ Elizabeth ſubſidium, ſub nocturnis tenebris Sanctam apparuiſſe; tactuque placido adeo celerem tuliſſe opem, vt cùm manè confratribus reſtitutam in priſtinum decus manum oſtendiſſet, cunctos verterit in ſtuporem.

Suſpenſus de patibulo, reuixit.

Similiter aquis præfocatus.

Item mortuus puer reſuſcitatus, & alius in puteo ſubmerſus.

Nota nota.

Voto nuncupato item aquis immerſus vita reſtitutus.

Innocens quidam addictus ſuſpendio liberatur.

Manus attrita molâ cuidam ſanata.

CAPVT XXXIII.

Alia miracula ad eius ſepulchrum.

PALAM quoque eſt, puerum ex eodem territorio, clauſis genis ita natum, vt à glabro ſuperciliorum vertice deducta pellicula, totos oculorum operiret orbes; iam quinquennem ſacro diuæ Elizabeth buſto præſentatum: poſteaquam mater imploratis ſupplici deuotione ſanctæ illius meritis, ſumtam è ſepulchro terram deſtinatæ luminum arcæ alleuiſſet; cum ingenti omnium, qui aderant admiratione, diruptâ membranâ, viſum recepiſſe. Nec minoris eſt miraculi res geſta, quæ ſequitur. Beatrix, Moguntini territorij puella, poſt varias infirmitates, quibus diu miſereque vexata fuit, ad poſtremum, antè quadam ſtrumâ, pòſt verò gibbo enormiter excreſcentibus, duplici preſſa pondere, prono in terram capite, iunctiſque ad genua manibus, reptare cœpit, omniumque oculos miſerabili ſpectaculo ſauciare. Hanc cùm mater ad tumbam diuæ Elizabeth corbi impoſitam deportaſſet, nec vllam per decem dies opem fuiſſet experta; impatienter admodum tuliſſe fertur, dixiſſeque; Quid tu, ô domina Elizabeth, omnibus pietatis tuæ beneficia confers, & me ſolam miſerrimo infortunij genere deiectam ſine ſolatio derelinquis? Cumque ſic queſta, quâ venerat, rediret, minitans ab eius ſe inuocatione, quoſcunque poſſet, auerſuram; & iam milliare ampliuſque confeciſſet; pulcherrima quædam matrona noctu quieſcenti puellæ apparens, poſt contactum blandiſſimâ lenitate iugulum dorſumque, mandat vt ſurgat, ambuletque. Quæ mox pleniſſime ſanitati reddita, cùm poſtridie, quid per quietem vidiſſet, matri enarraſſet, effecit vt ambæ denuò ad ſepulchrum liberatricis ſuæ redirent, gratias immortales eidem agentes: ac ſic Deo collaudato, ac dimiſſo ibidem corbe, pro teſtimonio tantæ rei, domum quàm lætiſſimæ reuerterentur. Tradunt prætereà, Gertrudem ex eodem territorio, ob crus vtrumque contractum, incuruato corpore miſeram, in ſomnis admonitam, ad diuum Nicolaum vt proficiſceretur; eò deportatam, vnius quidem cruris incómodo liberatam fuiſſe: alterius verò incolumitatem, nonniſi contacto ſepulchro diuç Elizabeth, recepiſſe, cùm prius ad amentiam vſque fuiſſet excruciata doloribus. Aliam quoque Gertrudem eius diœceſis, cùm per annum & amplius, moleſtiſſimam fuiſſet experta cæcitatem, ac alienis ſemper manibus deducta: ad inuocationem diuæ Elizabeth, clariſſimè illuſtratam eſſe conſtat.

Puer cæcus natus viſum recepit.

Incurua & ſtrumoſa reſtituta.

Contractum crus erectum.

Cæca viſui reddita.

CAPVT XXXIV.

Miracula alia generis diuerſi.

PER QVAM celebre etiamnum eſt, Henrico ex Moguntinâ ſimiliter diœceſi: cæco penitus, poſteaquam diuæ ſepulchrum Elizabeth inuiſiſſet, ita mirificum optatæ lucis impenſum fuiſſe beneficium: vt pòſt eidem hæmorrhoide ac vitæ deſperatione laboranti, cùm puluerem memorati buſti aquæ permiſtum inſumſiſſet, deſideratum prouenit auxilium. Mechtildi quoque Treuirenſis territorij puellæ, quæ cæca, ſurda, muta & clauda erat; ſuſcepto à parentibus ipſius ad diuam Elizabeth voto, opem ſaluberrimam, omnimodâ ſanitate conſequutâ, impenſam eſſe, tam veraciter quàm conſtanter litteris mandatum eſt. Sed & Heluuigi, ex eodem territorio fœminæ, oculis iam per annum captæ: cùm inuocatis diuæ meritis Elizabeth, ad eius ſe tumulum duci procuraſſet, lucem quidem vnius oculi impræſentiarum eſſe reſtitutam accepimus: alterius verò, non niſi domum reuerſæ, cùm ei Sancta per noctem adſtitiſſet, monens, vt aræ adhibita, ventulum ſibi panniculo byſſino, ſuper quem corpus Chriſti poni ſolitum eſt, fieri poſtularet. hocque facto, pleniſſimam geminatæ lucis gratiam protinus collatam eſſe. Quid denique Theodorico, Moguntinæ diœceſis incolæ contigerit, ſilentio præterire non oportet. Is vtroque crure debiliſſimus, nuncupato ad diuam Elizabeth voto, cùm eius ſe tumbæ, partim reptando, partim aliorum auxilijs viam conficiendo repræſentaſſet; nec per decurſum integri menſis quicquam opis aſſecutus fuiſſet: quâ venerat, ſolitâ domum tarditate reuertitur. Cui in itinere adhuc conſtituto, iuxtaque alium ægrotum noctu quieſcenti, viſum eſt

Cæcus morbidus curatus.

Item cæca, muta, clauda ex voto.

Item alia cæca.

Nota.

perfundi

perfundi ſe plurimâ aquâ, totumque madeſcere. Quapropter ſomno experrectus, in adiacentem ſtomachari cœpit, quærens, ab eo ſe vndis eſſe perfuſum. Qui rem, vt erat, conijciens, negat ſe quicquam liquoris lecto intuliſſe: ſubiungitque, credere ſe perfuſionem eiuſcemodi ſalutarem ipſi & eſſe & fore: tantummodo ſurgeret, greſſumque moliretur. Mira & glorioſa res. Qui cubitum debiliſſimus ierat, ſaniſſimus è lecto ſurrexit: ita vt impoſitos humero ſcipiones, quibus inter reptandum vti ſolebat, ad ſepulchrum diuæ matronæ, tam viuaciter quàm feliciter tulerit: actiſque pro adepto munere gratijs, lætus domum remeauerit.

Debilis vtroque crure reſtitutus.

COMMENTARIVS
AD VITAM
S. ELIZABETH VIDVÆ.

DE quâ plerique memorârunt. Vincent. Bellouacenſis libr. 31. ſpecul. hiſtor. cap. 136, Bartholom. Piſanus libr. Conformitatum, Conformitat. fruct. 8. ſanctus Antoninus hiſtor. part. 3. titulo 19. cap. 11. Petrus Rodulph. lib. 1. Seraphicæ Religionis, vbi ſcribit Gerardum Monachum ſancti Quintini vitam eius edidiſſe. Extat in noſtrâ Bibliothecâ Louanienſi membraneus liber M.S. auctore Fratre Minore, anonymo: qui ſe vidiſſe teſtatur quæ de eâ ſcripſit, & ab alijs certâ fide accepit: ſæpè cito hunc auctorem, producens quæ non narrauit noſter auctor. Iacobus Montanus Spirenſis, cuius hiſtoriam & ſcriptionem exſcripſi, quam eruditi mecum cunctis præferendam cenſebunt. Laurentius Surius habet tom. 6. ad diem 19. Nouem. Pelbart. à TemesVVar Pomerio ſuo de Sanctis tres ſermones de eâ habet, Iudoc. Clichtou. vnum, & alij nonnulli: nec omittendus Reuerend. Pater Fr. Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuanus, qui Originem Tertij Ordinis ſancti Franciſci, in quâ B. Elizabeth floruit, pulchrè proſequitur initio lib. de Origine Seraphicæ Religionis. Sectis capitibus ſummaria præſcripſi, & ad margines notas adieci.

Qui de S. Elizabeth ſcripſerunt.

De tertio Ordine S. Franciſci.

HVNC B. *Franciſcus fundauit deſiderio lucrifaciendi animas Chriſto, de quo S. Bonauentura cap. vitæ S. Franciſci quarto, §. 5. ſic ſcribit;* Prædicationis B. Franciſci feruore ſuccenſi quamplurimi vtriuſque ſexus, in coniugali pudicitiâ Domino famulantes, ſecundùm formam à Dei viro acceptam, nouis ſe pœnitentiæ legibus vinciebant: quorum viuendi modum idem Chriſti famulus Ordinem Fratrum de pœnitentiâ nominari decreuit. Nimirum, ſicut in cælum tendentibus, pœnitentiæ viam omnibus conſtat eſſe communem: ſic & hic ſtatus, Clericos & laicos, Virgines & coniugatos in vtroque ſexu admittens; quanti ſit apud Deum meriti, ex plurimis per aliquos ipſorum patratis miraculis, innoteſcit. *Inſtituit hunc Ordinem anno circiter quarto decimo à ſuâ conuerſione, vt Barthol. Piſanus Conform fruct. 8. loco ſuprà citato; aut certè præcedente, qui fuit annus ſalutis 1221. quod ſanctus Antoninus ſcribit hiſtor. part. 3. titul 24. cap. 7. §. 3. Reuerendiſſimus Pater Franciſcus Gonzaga prædicto loco refert, Regulam Ordinis Tertio præformatam à diuo Franciſco non haberi, ſed à Nicolao Papa Tertio collectam eſſe, quæ primum ſine votis tribus Religioſorum, ſeruabatur; poſtea multiplicato piorum numero, vota præſtabantur ad regulam, ab his qui vnà in congregatione, Religioſorum more viuebant, quibus Leo Papa Decimus Regulam præſcripſit & cunctis illius inſtituti profeſſoribus obſeruandam auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmauit. Porrò S. Elizabetham viuente B. Patre Franciſco prius illud inſtitutum Tertij Ordinis obſeruaſſe, teſtatur Bernardinus de Buſtis Roſarij parte 2. Serm. 27. literâ E. Pelbart. à Temeſwar Serm. 1. & 2. de S. Elizabeth.*

Ordo pœnitentiæ.

De S. Elizabeth imagine.

Tribus coronis decorata pingitur; cuius cauſam in Elogio meo dedi: ſicut & Ioannes Molanus libro 3. de Imaginibus cap. 48. pingitur cum tribus coronis: vt ſignificetur vitam ſanctiſſimè tranſegiſſe in ſtatu virginali, maritali & viduali; quomodo hanc picturam explicat Iudocus Clichtouæus integro ſermone, quem vnicum edidit de Natali huius ſanctiſſimæ viduæ. *Alia fuit Elizabeth, virgo Sancta, ex Ordine S. Benedicti, Abbatiſſa Monaſterij Schonaugiæ, de quâ Martyrolog. Rom. die 18. Iunij, & Ioannes Molanus in additionibus ad Vſuardum, ſed alia ab hac noſtrâ illa eſt. Iuxta eam pauper, nudus adpingitur, quòd in miſeros & egenos liberaliſſima fuerit, in vnum maximè, de quo c. 8. Quâ formâ veſtis & habitus pingi debeat, condiſces ex notis meis in cap. 21.*

Tres ei cur adpingantur coronæ.

IN CAPVT I.

Nobiliſſimis in Hungariâ parentibus.] *Scripſi de his in vitâ S. Ludouici Epiſc. Toloſani in notis ad cap. 1.* Andreas Secundus Vngariæ Rex ex vxore Gertrude Sueuâ genuit Belam, Colomanum, Andream, & præterea quaſdam filias, in quibus D. Elizabethã. *Sic Paulus Æmilius Philippo IV. Bela maior natu patri ſucceſſit in regno, poſt quem eius filius Stephanus regnauit. Vide Anton. Bonfinium Rer. Vngar. Dec. 2. lib. 8. Breuiter memorandum fuit, quòd horum fiat mentio in notis ſequentibus. Vinea S. Franc. cap. 1. natam ſcribit anno Chriſti ſeptimo ſupra milleſimum ducenteſimum.*

Quando nata S. Elizabeth.

Deſponderi procurauit.] *Nempe quadriennis cùm eſſet, & adducta in Thuringiam. Sponſalia contracta anno Chriſti milleſimo, ducenteſimo, vndecimo: nuptiæ celebratæ an. ſuprà milleſimum ducenteſimum vigeſimo primo. hæc hiſtoria de Lantgrauijs Thuringiæ cap. 35. & 37. tom. 1. Hiſtoriarum Germanicarum.*

Quando coniugata.

IN CAPVT II.

Diuum Ioannem Apoſtolum] *Patronum habuit. De quo liber M. S.* In nomine B. Ioannis Apoſtoli, quem ſorte candelarum electum, præ cæteris Apoſtolis, ob inſigne virginitatis & amoris præcipui Virgo virginem diligebat; offenſas omnium relaxabat.

Et affectioni aliorſum propenſæ renitendo.] *Pulchrè D. Hieronymus;* Grandis virtutis eſt, & ſolicitæ diligentiæ, ſuperare quòd nata ſis, in carne non carnaliter viuere: tecum pugnare quotidiè, & incluſum hoſtem, Argi, vt fabulæ ferunt, centum oculis obſeruare. *Epiſt. 10. quæ ad Furiam cap. 3.*

Nota.

IN CAPVT III.

Coronam Elizabeth confeſtim deponebat.] *Pectori forſitan eius inſederat illud B. Hieronymi, vbi ſuprà cap. 2.* Ornatus iſte non Domini eſt, velamen iſtud Antichriſti eſt. Quâ fiduciâ erigit ad cælum vultus, quos conditor non agnoſcit.

IN CAPVT IV.

Tranſgreſſam nubiles annos, vxorem Princeps duxit.] *In cap. I. notaui nuptias celebratas anno* 1221.

IN CAPVT V.

Inuita nupſit.

Querebatur interdum indigniorem ſeſe fuiſſe, quàm vt ſuam Chriſto virginitatem dedicaret.] *Huius gratiâ D. Ioannem Euangeliſtam ſibi Patronum delegit. Virginitatis ſeruandæ fuit ei propoſitum, ſed inuita deſponſata, etiam coniugata fuit parentum ſuorum ſuaſu & voluntate. liber M. S. Pelbartus à Temeſwar Serm. 1. & 3. de S. Elizabeth.*

IN CAPVT VI.

Magiſter Conradus ab hæreticis occiſus.

Conradus Marpurgenſis.] *Fuit hæreticæ prauitatis Inquiſitor, qui ſuo munere ſtrenuè functus ab hæreticis occiſus eſt, poſt mortẽ S. Elizabeth nimirum an.* 1232. *Teſtantur additiones ad hiſtor. Lamberti Schaffneburg. Porrò noſter M. S. occiſum tradit anno Dom.* 1240. *vnà cum Fr. Gerardo, qui ex inſtituto Teuthonicorum militum, factus Minorita, Magiſtro Conrado datus fuit ſacri muneris Inquiſitionis ſocius, à Gregorio Papâ Nono. Vterque ſepultus eſt iuxta corpus S. Elizabeth.*

Cæſis tamen priùs ancillis.] *Conradi iuſſu cæſam ipſam Elizabeth per famulas ſcribit Pelbartus à Temeſwar, Serm. 1. de S. Elizabeth.*

IN CAPVT VII.

Tres proles S. Elizabeth.

Tres liberos ex Elizabeth...Princeps ſuſtulit.] *Disertè habet Chron. Citizenſe Pauli Langi;* Hæc Sancta tres liberos reliquit, quos Ludouico Lantgrauio pepererat: Hermannum qui patri ſucceſſit, Sophiam, quæ nupſit Duci Brabantiæ, & aliam filiam, quę Chriſto oblata, ſanctimonialis facta eſt in Aldenburg. *Item Siffridus Epitom. lib. 2. Mirum vt ſit, quod Aeneas Siluius ſcribit ex 7. lib. Decadis Blondi, S. Elizabeth intactam à viro virginem obiiſſe. Vide notas in cap. 5. Blondus li. 7. Decadis 2. errori dedit cauſam, cũ ſcribit etſi deſpõſatam Lantgrauio, tamen virginem obiiſſe. Errantem ſecutus eſt Aeneas Sil. lib. 17. Abbreuiationum Decadum Blondi. Verùm à morte coniugis, caſtitatem vouit & ſeruauit, vt Pelbart. à Temeſwar. Serm. 3. de S. Elizabeth. Lubet adſcribere quæ noſter M. S. memorat:* Felix Elizabeth tanquam lignum fructiferum ſecus decurſus aquarũ plantatum, de radice humilitatis fructũ miſericordiæ amplians, duas filias ſecundum carnem, & vnum maſculum viro ſuo feliciter peperit: in quorum purificationibus, vt ſiſteret eos Domino, ad tẽplum deferens, inſtar beatiſſimę Virginis Dei genitricis Mariæ, nudis pedibus, & proprijs geſtans in vlnis, cum myſticis luminibus, & agni muneribus offerebat.

IN CAPVT VIII.

Fruſta ciborum in roſas conuerſa.

Ab infantiâ creuit mecũ miſeratio.] *Non eſt prætereundum, quod item ſcribit noſter liber M. S. paulò poſt principiũ;* Cùm ab infantiâ ſecum creſceret miſeratio, regij palatij coquinas frequentare cõſueuerat, nõ vt ſibi, ſed Chriſti pauperibus, in delicatis prouideret: ſuper quo miniſtri & coquinarij cõtra eam clamabant in tantum, vt clamor eorum importunus ad aures regis peruenerit. Quadam verò die coquinâ exeunti, gremiumq; ſuum cibarijs repletum, feſtinãti pauperibus ante fores palatij langueſcentibus aperire, obuiauit dominus rex pater eius, inquirens diligenter ab eadẽ, quid portaret in ſuo gremio ſic repleto: quę Spiritus ſancti docta conſilio, indubitanter reſpondit; Roſas, inquiens, domine mi rex, in gremio meo defero. Tunc rex verbis eius, tanquam nimis iuuenculæ filiæ ſuæ factus quaſi incredulus, ait ei; Aperi mihi, filia mea, gremium tuum ſic repletum: vt probare poſſim, quibus roſis eum, nunc temporis, ſic replere potuiſti. Statim illâ gremium aperiente, apparuerunt roſæ pulcherrimæ, *&c. Pater rem tacitus admirans, filiæ deinceps copiam fecit, quodlibet pauperibus elargiendi. Sic B. Didacus pro fruſtis panum, quos pauperibus collegerat, inquirenti Guardiano ſuo, flores veros monſtrauit. Vita eius cap.* 10.

IN CAPVT IX.

Aureâ coronâ & veſte pretioſâ à Deo donata S. Elizabeth.

Hyacinthinâ veſte, & pretioſiſſimis adornatâ margaritis.] *Liber M. S. non modò veſtem pretioſam, ſed etiam coronam auream ab Angelo delatam teſtatur. Princeps cùm quæſiſſet, vndenam illa hæc accepiſſet:* Propter pacem eius ſibi à Deo miſſa, cum tremore confeſſa eſt: ne in aduentu illius domini deveſte ſuâ ſcandalizaretur. Quo audito, valdè gauiſus, & exultãs in Domino vir eius; Verè, inquit, bonus eſt hic Dominus; & ego volo ſeruus eius fieri: & ſtatim Crucem tranſmarinam accepit, & profectus vltra mare, in crucifixi ſeruitio vitam mortalem laudabiliter terminauit. *Eadem hæc ſcribit Pelbart. à Temeſwar Serm. 1. de S. Elizabeth ſub finem. rectè vt Eccleſiaſticus edixerit c.* 11. 23. Facilè eſt in oculis Dei, ſubitò honeſtare pauperem.

IN CAPVT X.

Chriſtus crucifixus pro leproſo videtur.

Leproſos eo die non paucos ſuſceperat.] *Immortali dignum memoriâ, quod Pelbartus à Temeſwar ſcribit abſente marito factum à S. Elizabeth. Quâ miſeratione horridos morbidos fouebat, recreabatque; leproſum aliquando balneo ablutum, in abſentia fortè mariti lecto, vt quieſceret, repoſuit. Ille verò cùm præter exſpectationem ſubitò reuertiſſet, vbi factum id ab eius æmulis, omnia in peius interpretantibus, intellexiſſet: iratus prorupit, enſe nudato confoſſurus miſerum. cuius gratiâ retectis ſtragulis (mirum certè) ſibi vidiſſe viſus eſt Chriſtum in lecto crucifixum; cuius aſpectu attonitus, mitigato animo, culpam deprecatus, cariſſimæ coniugi poteſtatem dedit, quod vellet deinceps faciendi. Serm.1. de S.Elizabeth.*

IN CAPVT XI.

Xenodochium S.Franciſci.

Inſigne xenodochium.] *M. S. noſter; Illud pauperum hoſpitium ſancti Franciſci nomini dedicauit, quod ei à Gregorio Nono Pont. mandatum fuerat: beatum Franciſcum ei velut filiæ cariſſimæ patronum deſignauit & protectorem: & vt ſtrictiùs confœderaret amicitiam, cultum & ſtudium; Pontifex iam factâ tranſlatione corporis beati Franciſci, miſit ei nonnihil de ſanguine, qui de latere eius profluxerat, cùm ſacris ſtigmatibus inſigniretur. In illo D. Franciſci hoſpitali quotidiè octingentos pauperes ſuſtentauit, vt ſcribit hiſtoria de Lantgrauijs Thuringiæ, cap.42. Vide cap. ſeq. quod de pluribus loquitur, ſed extra xenodochium.*

In quo pauperes octingentos aluit S. Elizabeth.

IN CAPVT XIV.

Hunc Thuringiæ nobiliſſimum Principem ad tranſmarinam profectionem exciuit.] *Vrbano Secundo Pontifice ad Hieroſolyma recuperanda, Chriſtianis principib. in Claromontenſi Concilio perſuadente, qui ſacræ militiæ nomen dediſſent, crucem ſumtam humeris affigebant ſuis; quâ teſſerâ noſcebantur velut Chriſto militantes contra Saracenos, quod deinceps vſurpatum, quoties erat bellum ſumendum, non ſolùm contra Saracenos & Turcos, ſed etiam hæreticos, Chriſtiani nominis hoſtes. hac cauſâ Lantgrauius, ſumtâ cruce, ſic militia ſacra accenſus fuit. Nam Frederico Secundo Imperatore bellum tale proclamatum, eius ſimulatione non confectum fuit. At paulò aliter cauſam rei, noſter M. S. exponit, vt adnotaui ſuprà, in caput nonum, quò te mitto.*

Ritus ad ſacram militiâ ſignum capiendæ Crucis.

Deceſſit verè pius Princeps.] *Hiſtoria de Lantgrauijs Thuringiæ, quæ inter Germanicas eſt Francofurti procuſas, ſcribit morientem albas vidiſſe columbas, & claruiſſe miraculis. Platina Gregorio Nono fraudes Imperatoris Frederici Secundi detegens, ſcribit eius impietatem in ſupradictum Lantgrauium, his verbis.* Gregorius Fredericum ſtatim monuit ſub anathematis pœnâ, vt primo quoque tempore in Aſiam cum exercitu proficiſceretur, recuperandæ Hieroſolymæ causâ. Promiſit quidem Fredericus ſe id facturum; atque omnibus cruce ſignatis mandauit, vt Brunduſij ad certam diem cum armis adeſſent. Venerat eò magna multitudo, præcipuè verò è Germaniâ Lantgrauius Haſſiæ, qui Brunduſij vnà cum magnâ parte militum moritur, dum Fredericus ægritudinem ſimulans, in Siliciâ ſe continet. Hæc autem fraus ita apertè deprehenſa eſt, vt conſtet ipſum Fredericum cognitâ Lantgrauij morte, eò celerrimè adnauigaſſe, omnemque eius ſupellectilem diripuiſſe: non deſtitit tamen fingere, ſibi in animo eſſe, in Aſiam traijcere: eò enim poſt rapinam, nauigationem direxit, omnibus qui tum aderant ſubſequi iuſſis: licet non ita multò pòſt (vt ipſe dicebat) procellis agitatus, Brunduſium redierit. *Item Albert. Krantz. lib.7. Saxoniæ cap.40.*

Frederici Imper. II. impietas in Lantgrauium mortuum.

IN CAPVT XV.

Prienenſi illo Philoſopho.] *Biantem philoſophum dicit, qui numeratur inter Sapientes ſeptem;* cuius cùm patriam Prienem cepiſſet hoſtis; cæterique ita fugerent, vt multa de ſuis rebus aſportarent; cùm eſſet admonitus à quodam vt idem ipſe faceret; Ego, verò, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Ille hæc ludibria fortunæ ne ſua quidem putauit, quæ nos appellamus etiam bona. *Cicero Paradoxo,* Quòd ſolum bonum, honeſtum. *D. Auguſt.18 de Ciuitate Dei, capite vigeſimoquarto. Idem ſcribit de Stilpone Senecâ, epiſtola 9.* Hic enim captâ patriâ, amiſſis liberis, amiſsâ vxore, cùm ex incendio publico ſolus, & tamen beatus exiret; interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio vrbium Poliorcetes fuit; Num quid perdidiſſet? Omnia, inquit, bona mea mecum ſunt ..... Omnia mea mecum ſunt. Iuſtitia, virtus, temperantia, prudentia, hoc ipſum, nihil bonum putare quod eripi poſſit. Miramur animalia quædam, quæ per medios ignes ſine noxâ corporum tranſeunt: quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum & rui-

Omnia mea mecū ſunt.

Poliorcetes quid.

nas

nas & ignes, illæſus & indemnis euaſit? *Quanto mirabilior Elizabeth, poſt tot calamitates & iniurias & miſerias, animi ſubnixa veris bonis, patiens & conſtans, Deoque grates exſoluens, lætitiam præferens, mente plenâ gaudio fruebatur; cùm iſthæc aduerſa, nubecularum inſtar haberet, citò auolantium.*

Profecta in cauponulam.] *Noſter liber M. S. ſic habet:* Cùm ancillis & liberis violenter eiecta, in ciuitatem ſub eodem caſtro ſitam veniens, hoſpitium regis filia mendicabat, & neminem qui ſui miſereretur inueniens, in quandam domunculam cuiuſdam tabernarij, vbi fuerat hara porcorum, pauper & abiecta diuertit. *Magnum exemplum niſi malæ fortunæ non inuenit.*

In haram porcorum S. Elizabeth diuertit.

IN CAPVT XVI.

Inconniuentibus notabili morâ luminibus.] *M. S. refert beatam Viduam teſte Magiſtro Conrado, non ſolùm pijs actionibus deditam, verùm etiam mirabiliter contemplationi cæleſtium rerum; in quâ ſupra ſe rapta ſæpiùs inſenſilis conſpecta eſt. Quinetiam pluries ab oratione eius plerique viderunt* faciem eius mirabiliter fulgentem, & quaſi radios ſolis, ex eius oculis procedentes.

Nota.

IN CAPVT XXI.

Veſtem à Magiſtro accepit.] *Aliter M. S. & quidem ab illis qui viderunt: hæc eius verba;* Elizabeth ne poſt mortem viri ſui fructum centeſimum perderet, qui perfectionem Euangelicam ſeruantibus datur, qui de ſiniſtrâ miſeriæ ad dextram gloriæ transferuntur; religioſum habitum cum tribus vel quatuor ancillis induit: veſtes ſcilicet griſeas, humiles & abiectas, continentiam perfectam, & voluntariam paupertatem amplectens. fuit autem eius habitus tam deſpectus, vt deferret mantellum griſeum, pãno alterius coloris prolongatum: manicas tunicæ etiam alterius coloris panno habuit emendatas. *Paulò pòſt hæc ſubiicit:* Super his requiſitus fidelis eius amicus, Frater Gerardus, dictus Vltramontanus, de Ordine Fratrum Minorum, B. Elizabeth contemporaneus, ſecundâ & vltimâ requiſitione de geſtis eiuſdem Dei famulæ, per magnas perſonas diligentiſſime factâ tunc interrogatus, tanquam ille qui ad locum illum humilis Elizabeth perrexerat, & illud hoſpitale pauperum, quod in nomine beati Franciſci fecerat ædificari, tunc viſitauerat; in multorum magnorumq; præſentiâ, in nullo varians, pluries reſpondit; Quòd ipſa tam profundæ humilitatis extitit, quòd mox poſt mortem viri, in vili tunicâ & repetiatâ, maximè in manicis, ſuccincta chordulâ ſatis rudi, mantello multipliciter repetiato, & panno alterius coloris prolongato cooperta, velut altera ſororum recluſarum Abbatiſſa Clara, communiter incedebat.

Forma viliſſimarum veſtiũ eius & color.

Tunc quòque præcincta fuit.

Verùm quiſnam Elizabeth his veſtibus induerit, idem M. S. diſertè teſtatur, cùm ſcribit; In quibuſdam etiam atteſtationibus tunc reperimus & legimus, quòd ipſa Beata poſt mortem viri ſui mundo penitus abrenuntians, in domo Fratrum Minorum humiliter ſe tonderi fecit nudatis pedibus, pro cingulo chordulâ ſe præcinxit. Mox etiam habitaculum iuxta fratrum Eccleſiam fieri poſtulauit, in quo Fratrum Minorum ſalubri conſilio regebatur, quorum diſciplinæ & doctrinæ penitus ſubiacebat; cum quibus vſq; in finem in domo Dei ambulauit cum conſenſu. Dicebatur tunc, quòd hæc facta eſſent iuxta quoddam caſtrum, quod Warberch dicitur, in cœnobio ſanctæ Catharinæ, Ordinis Ciſterſienſium dominarum. Teſtabantur etiam tunc quidam, quòd Frater Bourchardus Ordinis Fratrum Minorum Cuſtos Huſſiæ, præſente Fr. Henrico, dicto Placido, eiuſdem Ordinis, ipſam B. Elizabeth, tanquã filiam ſuam cariſſimam, & amicam ſpiritualem feliciter totondit, & eam induit poſt obitum viri ſui, Magiſtro Conrado Miſſam celebrante eâdem horâ. *Non poſſunt conſtare, Elizabeth indutam veſte Religioſâ à Conrado, quod auctor ſcribit, & Antoninus tertiâ parte, hiſtor. titul. 19. cap. 11. item Hartmannus Scheydel in Elogijs; non concordant cum his, inquam, quæ ex M. S. produximus: à Fratribus Minoribus attonſam, & Ordinis veſte donatam teſtimonijs probat illorum qui coràm fuere; ſed tamen Magiſtro Conrado præſente, & Miſſam celebrante. Quatenus igitur Ordo Tertius beati Franciſci, accedentibus tribus eſſentialibus votis, inter Religiones Eccleſiæ recenſetur, vt iure cenſendus eſt: B. Elizabeth religioſa fuit; vt certè de eâ Antonius Bonfinius lib. 7. Rerum Vngaricarum decadis 2. ſcripſerit in hæc verba;* Elizabeth poſt exceſſum viri in D. Franciſci ſe religionem aſſeruit: quum contemptum humilemq; habitum veneto panno conſutum ſubiuiſſet, miram in eâ religione humilitatem prætulit..... In ſanctimonialium cœnobio, non modò

S. Elizabeth attonſa & veſtita à Fratribus Minoribus.

S. Elizabeth Religioſa fuit.

nendo lanam & texendo, vitam humilem traxit: verumetiam fœdiſſima quæque miniſteria, in humilitatis obſeruantiam exercuit. Quinetiam id ſæpè dicere ſolitam ferunt; Deſpectiorem ſi inuenire poſſet, ſe vitam optare, vt Deo placeret. *In Sanctimonialium cœnobio dicit Bonſinius. Non prodit hiſtoria, B.Elizabeth in monaſterio vitam duxiſſe, niſi in itinere apud materteram Abbatiſſam, quæ accitam ad ſe quàm primùm ad auunculum Epiſcopum Bambergenſem deſtinauit, vt habes capite decimoſeptimo, Marpurgi vixit in à ſe domunculâ extructâ, perpetuum xenodochij ſui pauperibus deſeruiens cum ancillis, quarum tres aut quatuor idem cùm illâ ceperant Ordinis inſtitutum. id collegium ſi licebit cœnobium vocare, licebit etiam dicere in cœnobio vixiſſe. Teſtatur Iodocus Clichtoueus, illam in hoſpitali ſuo ad finem vſque vitæ pauperes recepiſſe, & omnia neceſſaria ſuffeciſſe, Serm. de S. Elizabeth.*

Sed non in monaſterio vixit.

Vt verò confirmetur, quod de veſtium eius ſchemate ſcriptum eſt: accipe etiam hæc ex noſtro M. S. Cùm ſereniſſimus Rex Hungariæ dominus Stephanus, apud quamdam ciuitatem nomine Strigonium pro quibuſdam arduis negotijs deſcendiſſet, ibidem aliquantulum moram trahens, quorundam religioſorum clauſtrum humiliter viſitauit, & cùm in Capitulo cum Fratribus loci aliquantulum reſediſſet, vidiſſetque in eodem loco, cum diuerſis imaginibus Sanctorum, B. Elizabeth imaginem depictam cum calceamentis ſine chordâ: præcepit loci prælato, vt ipſam imaginem B. Elizabeth, ſic calceatam, & ſine chordâ depictam, ſine morâ deleri faceret, & eam depingi cum chordâ & habitu Fratrum Minorum: quâ chordam portauit dum viueret, in quo habitu ſanctitatis titulum meruit adipiſci. *Prorſus eadem verba depromo: ne quid omiſiſſe, vel adſcripſiſſe videri queam.*

Nudipes fuit & chordâ cincta.

Pallium quia breuius.] *Iſtud à beato Franciſco ſcribitur B. Elizabeth miſſum auctore Gregorio Nono Pontifice, id enim refert noſter M. S. his verbis;* Elizabeth de iſto mantello reſpondit cuidam ſociæ ſuæ, petenti in morte aliquid ab eâ. Mantellum meum, inquit, tibi relinquo: nec aduertas materię paupertatem, ſed paupertatis pretioſitatem diligenter attende. Nam tibi, teſte conſcientiâ, fateor, quòd dilectus meus Chriſtus votis meis dulciter condeſcendere conſueuit, quoties ipſo mantello cooperta dulciſſimam faciem Ieſu conquirebam. Ille, inquam, mantellus eſſe creditur, quem dominus PP. Gregorius Nonus, dum adhuc eſſet in minori officio conſtitutus, proprijs manibus de ſcapulis beati Franciſci rapuiſſe dicitur, volens, & præcipiens eidem, vt ipſum humillimæ filiæ ſuæ Teutonicæ Elizabeth, tanquam ſuæ voluntariæ paupertati & humilitati proprium, aptum, & debitum tranſmittere non tardaret. Intellexerat enim idem Antiſtes, quòd ipſa Sancta cuiuſdam ſinceriſſimæ dilectionis continuâ teneritudine trahebatur ad ipſum pauperem patrem Franciſcum. Quamobrem dictus Pontifex cum prædicto Sancto ſuper auditis aliquando de ipſius famulæ Dei Elizabeth ſanctitate tam famoſâ, paupertate tam ſtrictâ, & humilitate tam profundâ familiariter conferebat. Erant enim ambo, Antiſtes ſcilicet & Sanctus, ſecretâ familiaritate, & intimo amore à multis diebus coniuncti. Progreſſu temporis, fratres quidam de hoſpitali Teuthonicorum, prædictum mantellum ſollicitè procurantes, diligenti cuſtodiæ mancipârunt. *Poſt pauca memorat de celeberrimo concionatore* F. Bartholdo, qui propter gratiam labiorum ſuorum, non ſolùm regem & Imperatorem Alemaniæ habebat amicum: verumetiam coram multis mundi Principibus, & Eccleſiæ Prælatis maioribus duplici honore communiter habebatur. Inter cetera, quæ de dictâ Dei famulâ Elizabeth reſpondit, aſſerebat præcipuè, ipſum mantellum, velut feliciſſimum paupertatis vexillum, in quâdam domo hoſpitaliorum Teuthonicorum, apud Album caſtrum Spirenſis diœceſis repoſitum vidiſſe, & pro libito deuotionis ipſum tunc tenuiſſe & palpaſſe.

Mantellum S. Elizabeth à S. Franciſco datum.

Quod diligēter à Theutonicis fratrib. aſſeruatum.

IN CAPVT XXVII.

Sumtuoſiora ſimulacra non admodum probare.] *Ita prorſus etiam ad mentem ſancti Bernardi;* De ſumtibus egenorum ſeruitur oculis diuitum. Inueniunt curioſi quo delectentur, & non inueniunt miſeri quo ſuſtententur. *Vide Apologiam diui Bernardi ad Gulielmum Abbatem. Hæc verè, ſed non ad ſenſum hæreticorum, qui cultum Imaginum Sanctorum per omnia reprobant, ipſi reprobati à Synodo Nicenâ Secundâ, Act. 7.*

Habuit D. Elizabeth tres imagines beatæ

Tres imagines S. Elizabeth.

Maria, quam piè colens, etiam illas in honore habuit: de quibus ex tabulis eccleſiæ Hallenſis Hannoniæ hæc legimus. Sophia Ludouici Lantgrauij Thuringiæ, & D. Elizabeth filia nupſit Henrico Secundo Brabantiæ & Lotharingiæ Ducis filio, cui ſoror fuit Mechtildis Hollandiæ Comitiſſa. Hæc poſt obitum mariti prioris Comitis Palatini Rheni, iuncta fuit matrimonio Floro Quarto Hollandiæ Comiti. Quo, Claremonte per fraudem occiſo, vidua Mechtildis, quod reliquum erat vitæ, magnâ pietate peregit in Hollandia Loſduneuſi cœnobio virginum inſtituti Ciſtertienſis, propè à Granezandâ, quod exſtruxit, vbi etiam eſt ſepulta, anno Chriſti 1267. Mechtildis Deiparæ matri deuota, petijt à B. Elizabeth tres illas beatæ Mariæ Virginis imagines, quas ei B. Elizabeth teſtamento legauit: quas Mechtildis ſub mortem tribus locis diſtribuit; vnam Granezandæ, alteram Harlemi apud Patres Carmelitas, tertiam Hallæ Hannoniæ; apud quam ſtupenda facta miracula, ſcripſit Iuſtus Lipſius in ſuâ Diuâ Virgine Hallenſi.

Quarum vna Hallæ Hannoniæ.

IN CAPVT XXIX.

Capite paululùm labante diſceſſit.] *Anno Chriſti ſuprà milleſimum ducenteſimum triceſimo primo. Noſter M. S. Louanienſis, inquit, anno triceſimo; Iudocus Clichtoueus, anno 1226. ſed facilè repit error in numeris. Cum noſtro Iacobo facit hiſtoria de Lantgrauijs Thuringiæ cap. 42. quæ anno 1231. mortuam refert, anno ætatis vigeſimo quarto. Itaque ſubductis calculis, nata colligitur anno circiter ſexto vel ſeptimo ſuprà milleſimum ducenteſimum, quando beatus Franciſcus Ordinem ſuum cœperat auſpicari, cuius amicitiam imitatione virtutum, maximè verò paupertatis, meritò conſecuta eſt.*

Quo anno obierit.

Peractâ celebratione rei diuinæ.] *M. S. noſter commemorat auiculas ſuper Eccleſias cantillaſſe, dum exſequiarum iuſta fierent; & refert ex alio, qui vitam B. Elizabeth etiam ſcripſit hæc verba;* Legitur de beato Franciſco, quòd in vitâ ſuâ prædicauit auiculis; vt quaſi volucres cæli & volatilia pennata per contemplationem fierent ſui Ordinis prædicatores. Legitur & de iſtâ ſanctâ viduâ, multùm ei conſimili, tam paupertatis habitu, quàm humilitatis actu; quòd aues poſt mortem eius, pari modo, quaſi mortis exſequias celebrârunt: vt quibus prædicando, volando ſimilis extiterat, de morte eius contriſtari deberent, ſicut de morte Patris ſui Franciſci. Ille Pater Fratrum Minorum erat: iſta mater eorum. Ille cuſtodiebat eos vt pater: iſta nutriebat eos vt mater, *&c.*

Auiculæ cãtillabant in eius exſequijs.

Illa mater Fratrum Minorum.

IN CAPVT XXX.

Quarto poſtquam exceſſerat anno in Diuarum retulit numerum.] *Nempe anno ſupra milleſimum ducenteſimum trigeſimo quinto, aut quarto, vt M. S. qui de ſepulchro leuatum tranſlatumque corpus eius memorat anno 1236.*

Oſſa, præter naturam non parum olei exſudaſſe.] *Atteſtantur, hiſtoria de Lantgrauijs Thuringiæ, & Additiones ad Lambertum Schaffnaburgum ad annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum, trigeſimum ſextum.*

IN CAPVT XXXIV.

Nec committo, quin adſcribam, quod noſter M. S. Louanienſis factum commemorat, D. Elizabeth tot tantiſque miraculis coruſcante; hæc ſcribit. Videns illa felix Hungarorum progenies in cunctis terrarum partibus ſeipſam, margaritæ ſuæ tam fulgidæ ſplendoribus illuſtrari: mox concepit & incepit Fratrum Minorum Ordinem, per ſingula regni ſui loca, totius pietatis & familiaritatis viſcera frequentiùs & cumulatiùs aperire. Venerabilis namque Frater eius, dominus Bela Hungarorum Rex, quàm citò ſucceſſit in regno, ordinauit & præcepit, magna & ardua negotia Fratrum Minorum fidelitati committi, ac etiam per eorum conſilia finaliter terminari. Nec de perſonâ ipſius regis aliud dicere poſſumus, niſi quòd ex tunc, per totum vitæ ſuæ quaſi continuum curſum, Fratribus Minoribus verus obediens confrater fuit; inter quorum brachia, proximante mortis horâ, requieſcens, non obſtante multorum contradictione & allegatione variâ, apud Strigonium in eccleſiâ Fratrum Minorum nomini S. ſororis ſuæ Elizabeth conſecratâ, ſe præcepit finaliter ſepeliri.

Fratrũ Minorum in Hungariâ multiplicata cœnobia.

Pietas Stephani regis Hungariæ.

Colomannus item B. Elizabeth frater, à ſorore, velut ab vnguentariâ tabernâ ſuauiſſimum virtutum odorem trahens, nuptâ ſibi Salomeâ Cracouiæ Ducis filiâ, Princeps Ruſciæ potentiſſimus, aliam vitæ rationem iniuit, quàm plerique ſolent: de quo hæc etiam noſter M. S. Hos Rex gloriæ Dominus, Virtutum, caſti ſeminator conſilij, in totaliter illibatæ caſtitatis benedictionibus præuenire taliter dignatus eſt, quòd primâ nocte ſui caſtiſſimi coniugij conuenientes, pari voto parique conſenſu, glorioſo Virginis filio

A regalibus coniugibus promiſſa caſtitas ſeruata fuit.

regi Virginum obtulerunt ſuæ puriſſimæ caſtitatis lilia; promittentes firmiter ea perpetuò immarceſcibiliter inuiolata conſeruare: quod veraciter complendo; per duodecim annorum ſpatium & ampliùs ſimul manentes, agnum ſine maculâ ſponſum virginum progreſſu mundiſſimo ſunt ſecuti. *Colomano in prælio cum Tartaris cæſo, Salomea, Monaſterijs Fratribus Minoribus, item Sororib. Sanctæ Claræ exſtructis, mundi vanitatis pertæſa, ſanctæ Claræ inſtituto ſe addixit facta monialis, multis exemplis ſanctæ vitæ atque miraculis illuſtrata.*

APPROBATIO.

Hiſtoriam iſtam, vitæ omnino mirabilis, S. Elizabethæ viduæ, tertij Ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci, à Iacobo Spirenſi accuratè conſcriptam, & Scholijs ſeu Commentarijs admodum Reuerend. Patris Fr. Henrici Sedulij Minoritæ eruditè decoratam, & quaſi deauratam; dignam valdè prælo & lectione cenſeo: nihilque inuenio in eâ quod pius lector inoffenſo non valeat percurrere pede, quinimò quicquid in eâ reperiet, fidem ædificat, mores componit, torporem excitat, virtutum trophæa erigit, & ad adipiſcendam nobis gloriam viam demonſtrat. Singulariter verò virginibus, coniugatis, & viduis, vti in lucidiſſimo ſpeculo, quid cuique ſtatui conueniat, proponitur & oſtenditur: quâ cauſâ ſanctæ Elizabethæ imago triplici contuetur coronâ depingi. in prædictorumque fidem has dedi, & ſubſignaui, Bruxellæ 14. Nouembris, anno 1611.

Frater Andreas à Soto Sereniſſimæ Infantiæ à Confeſſionibus.

SAN-

SANCTI
LVDOVICI NONI
REGIS FRANCORVM,
Tertij Ordinis B. Franciſci,
VITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

D*IVVS Ludouicus Rex nonus Francorum, Ludouici Regis Octaui filius, iam inde à pueritiâ ſanctus, regno ſuo præſtitit, vt in fide & pietate perſeuerans, felix eſſet atque beatum. Enimuero pietas eſt immobile regni fundamentum: cùm etiam pronior Deus ſit in eos à quibus ipſe colitur. porrò coluit is ſcriptis, legibus, armis, vigor ipſe iuſtitiæ & lex animata. fuit certè, in quo corona virtutum ſe per omnes numeros demonſtrauit: excellens humilitas Chriſtiana, modeſtia, conſtantia, patientia, in pauperes, in pios amor & liberalitas, iuſtitia nihil ad gratiam agẽs, ſed æquâ lance quæ ſontes punit, vindicat innocentes. Senſit regnum Galliarum, verè dictum à Platone:* Tum demũ beatum terrarum orbem futurum, cùm aut ſapientes regnare, aut ſapere cœpiſſent. *Magnus illi fuit ardor aduerſus hæreticos tuendæ Catholicæ religionis, fidei Chriſtianæ producendæ, profligandi Chriſtiani nominis hoſtes Saracenos: cuius gratiâ cùm bellum ſecundum ſumſiſſet, exordiente victoriâ, Diuino iudicio peſtilentiâ ſublatus, feliciſſimè regnum terrenum cum cæleſti commutauit. Hiſtoriam vitæ propono poſt hæc*

S. Ludouici Sanctitas.

ELOGIA.

Ioannes Gerzon,

S. Ludouicus regum Franciæ Lucifer.

1. Cùm apud omnes Franciæ reges, intemeratus ſemper fidei amor ſteterit: inter eos tamen, vt Lucifer, emicuit glorioſiſſimus Rex noſter Ludouicus. *Serm. de S. Ludouico.*

Hartmannus Schedel.

An. decimo tertio ætatis coronatus rex.

2. Ludouicus B. Rex Frãciæ, defuncto eius genitore Ludouico, an. decimo tertio ætatis ſuæ coronatus & inunctus, Francis regnare cœpit, & regnauit annis quadraginta vno. Hic cùm Chriſtianæ religionis ardentiſſimus zelator eſſet, à Blanchâ reginâ deuotâ muliere, ab annis puerilibus in omni virtute enutritus eſt: qui nil cogitabat, ſapiebat vel loquebatur, aut operabatur, niſi quæ Dei ſunt. Ideo vigeſimo regni ſui anno copioſiſſimum excercitum congregauit, cùm anteà Ludouicus Rex Francorum, permittente, vel, vt videtur, curante Balduino Imperatore Cõſtantinopolitano, pignora reliquit pretioſiſſima Venetis ab ipſo Imperatore conceſſa, lanceam ſpongiamque, & partem ligni Crucis Dominicæ paſſionis. Copiis igitur Chriſtianorum in Ægypti litus, ad Nili oſtia expoſitis, Saraceni Damiatam incolẽtes, vrbe populariter migrare cõſtituerunt. Inerat exercitui Apoſtolicæ ſedis Legatus. Patriarcha Hieroſolymitanus; inerant & ex Gallijs Epiſcopi & Abbates. Ad Idus deinde Octobris, Robertus Comes Pictauienſis regis germanus frater, nouas ex Galliis Damiatam copias trãsportauit, quam Ludouicus difficillimo prælio obtinuit: eaq; captâ cum Saracenis varia prælia geſſit. tandem ab eis ſuperatus & captus; Damiatam pro redemtione reddi opus fuit .... quem poſtmodum Bonifacius Octauus, auditis eius frequentiſſimis miraculis, meritò inter Sanctos Cõfeſſores retulit, poſtquam corpus ſuum relatum fuit Pariſios. *Sextâ mundi ætate.*

P. Æmilius.

3. Ferunt Blancham matrem à puero filiũ ita inſtituiſſe, eaque religione imbuiſſe, vt in animum induceret, malle emori, quàm ſcelus concipere. Patrem quoque Regẽ opinio eſt eâ continentiâ

S. Ludouici educatio

in ſummâ omnium rerum licentiâ, temporibuſque corruptiſſimis, extitiſſe, vt vſum voluptatum intra ſepta matrimonij cohibuerit: vt mirum non ſit, vtrinque indole, domeſticiſque inſtitutionibus, ac exemplis ſobolem ſanctam fuiſſe. *Lib.7. de Geſtis Francor. D. Ludou. IX.*

Idem.

Qui omnibus carus fuit

4. In omnibus vitæ partibus ſanctus, cuncta dignitateque moderabatur. plebes parentem, nobilitas principem, leges cuſtodem, Francia verum regem, Religio vindicem ſentire. In alienos maximè pius, in ſuos etiam liberaliſſimus. *Indidem.*

M. Antonius Coccius Sabellicus.

5. Ludouicus Galliarum Rex libentiùs cilicinâ vſus tunicâ quàm aureâ & purpureâ; hoc quod terreni erat regni inſigne aſpernatus, illud cupidè complexus, quod auguſtioris imperij, perpetuóque mãſuri. *Lib.2. Exemplor. cap.10.*

Marcus Marulus.

6. Ludouicus Galliarum rex cum ingentibus copijs ad recuperandam Hieroſolymã profectus, parteq; iam regionis illius occupatâ, febris morbo interceptus, nequiuit pręſtare quid promiſerat. Dum autẽ ægrotaret, non in ſericis, ſed in cinere iacere voluit: & extenſis ad inſtar crucifixi manibus, animam efflauit: Sic humiliatus regnum deſeruit terrenum, & cum Chriſto regnare cœpit in cælo. Sic deuotus, dum infimam Ieruſalem capere nititur, poſſedit ſupernam: ſic denique magnanimus caduca contemnens, ad illa quæ æterna ſunt perpetuò fruenda conſcendit. *Lib.5. dictorum factorumq. memorab. cap. 20.*

Mors eius ſancta

ORDO CAPITVM.

I. DIVVS *Ludouicus patri Ludouico in regno ſucceſſit Francorum, Rex coronatus duodecennis.*

II. *Puer Ludouicus, curâ Blanchæ matris ſanctis moribus imbutus, ab omni ſcelere purus fuit.*

III. *Duxit vxorem. Præſeruatur ab Aſſaſinorum cæde.*

IV. *Ludouicus bellum indixit Hugoni Marchiæ Comiti, qui victus, ſupplex factus cum Rege in gratiam rediit.*

V. *Filiis auctus Ludouicus, illos erudiuit ipſemet ad pietatem. A graui morbo reualeſcens Cruce ſignatur. Corpus affligit cilicio, crebris ieiuniis.*

VI. *Humilis ipſe pauperum abluit pedes, terſit, oſculatus eſt, ſubinde reliquias ciborum pauperum ſumens. Veſtes pretioſas non vſurpauit, blaſphemos & periuros grauiter puniuit.*

VII. *Septemnio loca ſacra habitu peregrinantis inuiſens, cùm B. Ægidium adiiſſet, alter alterum ſine verbis cognouit.*

VIII *Dum Cruciata prædicatur, variæ Cruces locis diuerſis in cælo ſunt viſæ.*

IX. *Dominicæ Crucis magnam partem S. Ludouicus accepit miſſam Conſtantinopoli.*

X. *Cum magno exercitu Hieroſolyma recuperaturus in Cyprum adpulit.*

XI. Mul-

XI. *Multis in expeditione mortuis, Legatio venit à Tartaris ad Ludouicum, ad quos cum muneribus ſuos Legatos remiſit.*

XII. *Sulthanus Ægypti ſe parat bello cum Ludouico, licet pacem deſideraſſe ſimulauerit.*

XIII. *Regis Armeniæ Legatio ad B. Ludouicum: qui à veneficis ſeruatus, auctus magnâ claſſe, ſoluens à Cypro, Crucem cum ipſe præferret apud Damiatam, in oram nauigijs exercitum duxit.*

XIV. *Saracenis fugientibus Damiatâ captâ, actæ gratiæ Deo.*

XV. *Ludouicus militum copijs auctus, mouit in hoſtes. In eius exercitu magna mortalitas & penuria. Captus rex ipſe cum fratribus aliisque multis à Saracenis.*

XVI. *Pactæ induciæ cum Saracenis, impiè datam fidem temerantibus: quando, contrà quàm conuenerat, captiuos non omnes liberant, & nonnullos ad Mahumetiſmum cogunt.*

XVII. *Ludouicus non ſuo, ſed Chriſtianorum, bono in Syriâ manſit, præclara geſſit toto quinquennio. Mortuâ matre Galliam repetijt, in mari ſeruatus à naufragio.*

XVIII. *Ludouicus in pietate progrediens, amorem in pauperes & religioſos multis argumentis monſtrauit: miſeris & infirmis flexis genibus cibos adminiſtrauit.*

XIX *Reliquias ſacras, præſertim Dominicæ paſſionis inſtrumenta magno comparata, eximiè veneratus eſt. Sub officio diuino ſæpe dulces fudit guſtauitque lachrymas.*

XX. *S. Crucis ſignum maximè veneratus, humo noluit inſcribi, ſcriptum iuſſit deleri. Illud in paraſceue Domini flexis genibus, nudis pedibus adorauit. Impium iuramentum à Saracenis exactum deteſtatus, alienum à fide baltheo donare noluit.*

XXI. *In ferendis æquis ſententijs, pauperum cauſas cognoſcens, querelasque exaudiens, ipſemet definiuit. Duella & vſuras grauiter vetans exerceri, regnum eius pace & tranquillitate beatum fuit.*

XXII. *Diſcidia compoſuit. eius ſubſannator grauiter à Deo punitus fuit. Secundo bello aduerſum Saracenos ſumto, ſalutariter inſtruit primogenitum filium.*

XXIII. *Ludouicus Maſſiliâ ſoluens, cùm portum Carthaginis obtinuiſſet, cum Ioanne filio ſanctè ac ſalutariter abijt ex hac vitâ.*

XXIV. *Carolus Siciliæ rex cum milite copioſo ſuperueniens, exercitum Chriſtianorũ confirmauit: Saracenis pacẽ petẽtibus leges dedit.*

XXV. *B. Ludouicus miraculis illuſtris inter Diuos relatus eſt.*

Commentarius ad Vitam S. Ludouici Regis Francorum.

Digitized by Google

SANCTI LVDOVICI NONI REGIS FRANCORVM Tertij Ordinis B. Franciſci, VITA.

CAPVT I.

D. Ludouicus patri Ludouico in regno ſucceßit Francorum, rex coronatus duodecennis.

BEATVS Ludouicus Francorum pijſſimus rex, patrem habuit Ludouicum Chriſtianiſſimum regem, qui in Albigeſio & Comitatu Toloſano hæreticos oppugnauit. In reditu autem lethali correptus morbo, die decimo ad Montem Penſerium exceſſit è viuis, menſe Octobri, anno ab orbe redempto milleſimò ducenteſimo vigeſimo ſeptimo; vir vtique bene Catholicus & ſanctus. Nunquam corporis ſui vllam admiſit pollutionem, vnicâ vxore legitimâ contentus. Corpus eius exanime ad beati Dionyſij eccleſiam apportatum, iuxta patrem honorificè conditum eſt. In eius locum ſucceſſit filius primogenitus Ludouicus, Rhemis ab Epiſcopo Sueſſionenſi, quòd Eccleſia Rhemenſis tum paſtore orbata eſſet, regiâ coronâ inſignitus & conſecratus, annos natus duodecim, aut circiter. Eius coronationi complures è præcipuis nobilibus, licet vocati eſſent, intereſſe noluerunt: quòd propter dolorem defuncti Regis, & regni deſolati, lachrymis & luctui illic potiùs, quàm lætitiæ & iucunditati, ſe darent.

Ludouicus VIII. D. Ludouici pater.

Coronatus D. Ludouicus duodecēnis.

CAPVT II.

Puer Ludouicus, curâ Blanchæ matris ſanctis moribus imbutus, ab omni ſcelere purus fuit.

AT puer ſanctæ indolis, ſtrenuiſſimo patre orbatus, ſub tutelâ & moderatione matris Blanchæ regis Caſtellæ filiæ, permanſit: quæ illum tenerrimè diligens, ex conſilio religioſorum hominum, præſertim Dominicanorum & Franciſcanorum, ſingulari cuidam magiſtro tradidit moribus ac litteris inſtituendum. Ille verò pius puer & velut alter Salomon, *ingenioſus & bonâ ſortitus animam*, pre ſuis coætaneis mirè profecit in vtriſque. A primis enim ætatis initijs, deditus fuit pietatis & ſanctitatis ſtudijs; ferturque vitam omnem abſque mortiferi peccati perpetratione exegiſſe. Eius verò ſanctitati gratulans Blancha mater; Mallem, inquit, fili, te mortuum cernere, quàm creatorem tuum mortali crimine offendentem. Quæ verba vſque adeo illius animo hæſere, vt diuinâ ipſum gratia protegente nunquam in ſe eiuſmodi crimen admiſerit.

Blancha mater erudiendum curauit.

Sap 8. 19.

Quem ipſa mori potius voluit quàm Deum ſemel offendere.

CAPVT III.

Duxit vxorem. Præſeruatur ab Aſſaßinorum cæde.

AGENTE autem matre & proceribus regni, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto, duxit vxorem Margaretam, Comitis Prouinciæ filiā quæ Lutetiam venit, intra octauas Aſcenſionis Chriſti, cùm prius eſſet coronata apud Senones. Anno proximo dira fames afflixit Gallias, præſertim in Aquitaniâ, ita vt homines inſtar iumentorum, herbis agreſtibus veſcerentur. Nam frumenti ſextarius apud Pictauos centum ſolidis vænibat. Sequenti anno Arſacidas ſenior Aſſaſſinorum miſit nūcios in Franciam, quibus id mādati

Duxit vxorem.

dederat, vt regem Ludouicum interficerent: ſed Deo animum eius ad pacem & humanitatem inclinante, crudelis mandati pœnitentiâ ductus, miſit alios celeres nuncios, qui Ludouicum regem admonerent, vt à primis legatis ſibi caueat. Cùm autem priores nuntij diligenter inquirerentur, inuenti, ad regem Ludouicum adducti ſunt. Iis conſpectis Rex lætatur, vtroſque nuncios muneribus afficit, regi Arſacidæ non pauca magni pretij munera, quibus pacis & amicitiæ ſtudioſum ſe declaret, per illos tranſmittit. Sed ab eo tempore plures ſuo corpori tuendo cuſtodes adhibuit, qui perpetuò clauas æreas ferrent.

Dei gratiâ ab Aſſaſſinorum cæde ſeruatus.

CAPVT IV.

Ludouicus bellum indixit Hugoni Marchiæ Comiti, qui victus ſupplex factus cum Rege rediјt in gratiam.

ANNO milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, Ludouicus Rex duxit exercitum in Hugonem Marchiæ Comitem, quòd is aduerſus regem rebellaſſet, Hērici regis Angliæ & Richardi fratris eius auxilijs fultus: qui ambo habebant vxores filias Comitis Prouinciæ, ſorores reginæ Franciæ; cùm Hugo Comes vxorem haberet ipſius Angliæ regis matrem. Anno quidem ſuperiori Ludouicus multam regni ſui militiam ad Saliminum conuocans, Alphōſum fratrem ilic * militem creauerat, cui antea Ioannam filiam Toloſani Comitis vxorem dederat, cum Aruerniæ, Pictauorum & Albigenſium terris quibuſdam. Voluit autem Rex, vt Hugo Marchiæ Comes Alphōſo ſe Sacramento deuinciret: quod cū ille detrectaret, ab vxore perſuaſus, Regis in ſe animos concitauit; adeò vt is anno altero cum numeroſiſſimo exercitu in eius ditionem ingreſſus aliquot * caſtra expugnaret, & nobiles amplius quadraginta captos, cum multis alijs partim Pariſios, partim aliò mitteret, in cuſtodiâ aſſeruandos. Interea vero Comitis Marchiæ vxor quoſdam è ſuis, muneribus & promiſſis illectos, ad regis Ludouici aulam miſit, qui regem & fratres eius veneno tollerent e medio. Sed illi à Rege comprehenſi, in carcerem abducti ſunt. Cōmiſſum tandem eſt prælium non ſine multâ ſtrage Anglorum, qui Hugoni Cōmiti ſuppetias ferebant. Nocte autem Angliæ rex cum Hugone Comite, relictis Santonibus, quò ex fugâ ſe receperant, aufugere, ciueſque eius vrbis mane claues Ludouico Regi obtulerunt. Eodem die Hugo filius Comitis Marchiæ primogenitus ad Ludouicum regem venit, cum eo de pace tractaturus. Poſterâ luce Comes Marchiæ cum vxore áduenit; cum lachrymis & ſuſpirijs à Rege veniam petit & impetrat.

Mouit exercitum in Hugonem.

* Al. Pictonum Ducē. ſic Aemilius.

* Al. opida

A veneno fuit præſeruatus.

Redit in gratiam Re & Comes

CAPVT V.

Filijs auctus Ludouicus, illos erudiuit ipſemet ad pietatem. A graui morbo reualeſcens Cruce ſignatur. Corpus affligit cilicio, crebris ieiunijs.

ANNO Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio, natus eſt Ludouicus primogenitus Ludouici regis: atque altero indè anno in lucem editus eſt Philippus ſecundus filius. Inde circa Idus Decembris Ludouicus rex apud Pontiſaram ex morbo decumbens, adeò extra ſe raptus eſt, vt multi putarent eum iam planè obijſſe: ſed ad ſe reuerſus, mox tranſmarinæ militiæ Crucem petijt & accepit. Operam ſanè dedit Rex ille piiſſimus, vt proles ſuas & verbis & exemplis ad amorem Dei, ad mundi contemtum, ad ſui cognitionem inſtitueret. Cùm enim per otium liceret vacare ſibi, inuiſebat liberos ſuos, & inſtar Tobiæ monita ſalutis dabat eis: docebat ante omnia timere Deum & ab omni ſemper peccato abſtinere. Serta è roſis aut floribus confecta, aut alia id genus, non ſinebat eos ſextâ feriâ in capitibus ferre: quòd eo die Saluator noſter in ſuo capite tulerit è ſpinis contextam coronam. Cumque non ignoraret, à delicijs caſtitati, à diuitijs pietati, ab honoribus humilitati magna impendere pericula; ſobrietati, humilitati, miſericordiæ dedit animum, à mundi, carnis & ſatanæ inſidijs ſolicitè ſibi cauens: atque cum Apoſtolo corpus ſuum

Rex ægrotat grauiter.

Tob. 1.15.

Liberos piè inſtituit.

1. Cor. 9. 27

Cilicio carnem caſtigauit.

caſtigans, & in ſeruitutem redigens, multo tempore, intimâ veſte cilicinâ vtebatur; quâ ſi non eſſet vſus, dehortante eum confeſſario, propter nimiam imbecillitatem, volebat vt idem confeſſarius pro quadam compenſatione diebus ſingulis quadraginta ſolidos Pariſienſes, clanculum in pauperes erogaret. Semper ieiunauit ſextis ferijs, nec ijs diebus, præſertim in Aduentu & Quadrageſimâ, piſcibus aut fructibus veſci voluit; vigilijs, orationibus & clandeſtinis abſtinentijs perpetim ſe affligens.

Item multis ieiunijs.

CAPVT VI.

Humilis ipſe pauperum abluit pedes, terſit, oſculatus, eſt, ſubinde reliquias ciborũ pauperum ſumens. Veſtes pretioſas non vſurpauit, blaſphemos & periuros grauiter puniuit.

1 Reg 6. 22

Pauperibus pedes abluit quoque Sabbatho.

QVANTO autem maior erat, tanto humiliùs & ſubmiſſiùs, inſtar Dauidis regis ſe gerebat, & coram Deo propriâ exiſtimatione vilior ſibi videbatur. Quolibet Sabbatho in loco ſecretiſſimo aliquot pauperum ſuis manibus abluebat pedes, lotos tergebat, terſos exoſculabatur. Deinde lauabat etiam illorum manus, & ſingulis certam pecuniæ portionem largiebatur. Crebrò etiam centum viginti pauperibus, qui in eius aulâ quotidie abundè reficiebantur, atque certis quibuſdam diebus & ſollemnibus vigilijs, ducentis pauperibus, priuſquam ipſe cibum ſumeret, ſuis manibus cibos apponebat. Semper & in prandio & in cœnâ prope ſe tres habebat ſenes inopes, ijſque de appoſitis ſibi ferculis humaniſſimè tranſmittebat. Interdum ſcutellas & cibos, quos illi Chriſti pauperes manibus contrectauerunt, offas præſertim, quibus libenter veſcebatur, vt inde aliquid ederet, ad ſe reportari iubebat; Chriſtum pauperem in eius pauperibus venerans, dum non abhorret à cibis qui ipſis ſuperfuerant. Vidit quandoque vnum ex tribus illis pauperrimis non bene edentem: iuſſit igitur pius & humilis Rex ſcutellam ſibi propoſitam, cum cibo ad illum ſenem deferri, eamque cùm ſatis ille inde comediſſet, ad ſe referri. Ita nimirum, vt interior animi eius humilitas in ſolius Dei cedebat honorem: ita exterior morũ & habitus modeſtia & humilitas, cunctis mortalibus poterat eſſe virtutis incitamentum. Purpureâ, aut viridi, aut alioqui pretioſâ veſte, vel pellibus varijs & magni pretij nolebat vti; maximè poſtea quam primùm è locis tranſmarinis rediijt. Fidei propagationem ſummopere ſitiebat. Itaque ſi quid ab Inquiſitoribus, quod ad fidem pertineret, eſſet ad eum relatum, id alijs negotiis omnibus poſthabitis, audiebat, & inſtar Phinees magno zelo in Chriſtianæ fidei violatores animaduertebat. Cuius quidam Pariſienſis blaſphemiæ reus, illo iubente, cauterio in labijs inuſtus fuit. Ea enim pœna decreta erat ab ipſo in eos, qui ſcelerate iurarent & blaſphemarent. Eâm rem cùm plerique carperent, & Regem tyrannidis inſimularent, ille ait; Equidem in meis labijs libens eiuſmodi inuſtionem perpetuo ferã: tantum vt impia iuramẽta è regno meo profligentur.

Eis cibos adminiſtrauit.

Quorum reliquias ipſe ſumpſit. Mat. 25. 40

Veſte pretioſa non vſurpauit.

Nu 25. 7

blaſphemos & periuros puniuit.

CAPVT VII.

Septennio, loca ſacra habitu peregrinantis inuiſens, cùm B. Ægidium adiiſſet, alter alterum ſine verbis cognouit.

DECREVIT quandoque pius Rex ſeptennio peregrinari, & loca ſancta inuiſere. Venit igitur Peruſium ad ſanctum Ægidium Franciſcanum, inſtar pauperis peregrini & ignoti, vnà cum ſociis ſuis. Oſtiario autem monaſterij indicante Aegidio, peregrinum quendam ipſius expetere colloquium, ille ſpiritu docente agnoſcens quis eſſet, properè accurrit, pariterque flexis genibus, in mutuos ruunt amplexus & oſcula; ſed nihil loquuntur, cum vtrique alterius cor patêret.

B. Ægidium inuiſit.

CAPVT VIII.

Dum Cruciata prædicatur, variæ Cruces locis diuerſis in cælo ſunt viſæ.

ANNO ſalutis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octauo,

Cruces in cælo viſæ prope à Colonià, dum Crux prædicatur.

Crux præ dicabatur in diœceſis Colonienſis pago, quem vulgo Bedonfriſium vocant. Ibi tum menſe Maio, feriâ ſextâ ante Pentecoſten, tres Cruces viſebantur in aëre: vna candida verſus Aquilonem; altera eiuſdem coloris ad Auſtrum; tertia colore medio, in quâ cernebantur ſuſpenſi hominis effigies extenſis brachijs, & capite inclinato, atque in manus & pedes eius adacti claui; eaque medium tenebat inter alias locum, in quibus nulla cernebatur hominis figura. Alio tempore in Enchuſen Phriſiæ opido, cùm illic prædicaretur Crux, alia Crucis forma iuxta ſolem apparuit colore cæruleo, quam multi viderunt. In Traiectenſi quoque diœceſi in Dockum, vbi ſanctus Bonifacius martyr trucidatus fuit, Crux viſa eſt in eiuſdem martyris feſto die, ingens ſanè & albi coloris, perinde ac ſi trabi altera trabs tranſuerſim artificioſe impacta eſſet. Creduntur autem bis apparuiſſe Cruces, ne quis ambigeret de primâ apparitione: atque ita factum eſt, vt Colonienſis prouincia ad trecentas fere naues appararet.

Item Enchuſiæ.

In Dockum etiam

CAPVT IX.

Dominicæ Crucis magnam partem S. Ludouicus accepit miſſam Conſtantinopoli.

S. Crucis pars Ludouico donata

ANNO Chriſti milleſimo ducenteſimo, quadrageſimo ſeptimo, petente Ludouico Chriſtianiſſimo rege, magna Dominicæ Crucis portio Conſtantinopoli Pariſios tranſlata eſt. Proximo inde anno Rex Ludouicus ſexta feriâ à Pentecoſte, iter tranſmarinum ſuſcepit, multis eum è Lutetiâ cum Proceſſionibus vſque ad ſanctum Antonium deducentibus.

CAPVT X.

Cum magno exercitu Hieroſolyma recuperaturus in Cyprum adpulit.

Multis comitatus principibus Hieroſolymam petijt.

IVERVNT cum eo Odo Tuſculanus Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, & duo fratres Regis, Robertus Comes Atrebatenſis, & Carolus Andegauenſis Comes, cum vxoribus ſuis, & multis Franciæ Epiſcopis & nobilibus. Erat quidem etiam Alphonſus Comes Pictauenſis, Regis frater, Cruce ſignatus: ſed eo anno, cum Blanchâ reginâ matre, ob regni tuitionem manſit domi. Die quintâ & vigeſimâ Auguſti Rex cum ſuis in nauim ingreſſus, biduo ſuſtinuit ventos ſecūdos. Viceſimo octauo Auguſti die, à portu ſoluens, Chriſto duce proſperè nauigans, paulo ante beati Matthæi ferias, nocte ad Cyprum appulit. Comitis Atrebatenſis coniux, quòd eſſet prægnans, ab aquis Mortuis in Franciam reuerſa fuit. Rex vero cōſilio nobilium ſuorum & regni Cypri, quòd naues & triremes cum baliſtis necdum aduenîſſent, tū etiam propter impendentē hyemem & quaſdam alias res vſque in Paſchales ferias diſtulit profectionem ſuam. Interim rex Cypri & omnes ferè regni eius nobiles, & Eccleſiarum præfecti ſiue prælati, Crucis ſignum accipiunt, & ſe cum Franciæ Rege, quocumque ipſos ducere velit, aduerſum Saracenos profecturos iureiurando confirmant.

In Cyprum venit.

CAPVT XI.

Multis in expeditione mortuis, Legatio venit à Tartaris ad Ludouicum, ad quos cum muneribus ſuos legatos remiſit.

PER id tempus Sulthanus Ægypti, qui per ditiōnes Chriſtianorum, Damaſcum petere decreuerat, regis Francorum cognito aduentu, conſilium illud mutauit: interceſſerant enim illi inimicitiæ cum Damaſci & Alapiæ Sulthanis. Iiſdem temporibus obijt Robertus Bellouacenſis Epiſcopus, & Comes Montisfortis, cum multis alijs eius expeditionis ſocijs. Porrò extremo fere Decembri menſe, venerunt ad Ludouicum Regem nuncij, à quodam Tartarorum principe, qui ipſius nomine multâ eum ſalute impertirent. Ii ipſo die Natiuitatis Chriſti fuere cum rege Ludouico ſub ſacrificio in eccleſiâ, & ad prandium in aulâ eius itidemque in feſto Epiphaniæ: nec poterat in eis animaduerti, quod

Multi in expeditione defuncti.

Legatio à Tartaris ad Ludouicum

à Chriſtianorum more diſcreparet. Litteræ autem iuſſu Regis in ſermonem latinum conuerſæ ſunt. Cumque Rex diligenter de ipſorum principe, & rebus Tartarorum, ex ijs percontatus eſſet, tandem dimiſit eos, adiunctis nuntijs cum litteris & muneribus, quæ ad Tartarorum regem & ipſorum principem perferrentur. Miſit etiam per eoſdem nuntios ſuos regi Tartarorum, quem Cham vocant, tentorium è purpurâ elegantiſſimè confectum: in quo res geſtæ Saluatoris noſtri graphicè expreſſæ viſebantur. Addidit etiam particulas Crucis Dominicæ; litteris humaniſſimè & regem & principem adhortans, vt qui per gratiam ſuã eos vocaſſet ad cognitionem nominis ſui, illum accuratè colerent & in eius amore ſemper permanerent. Miſit vnà litteras ſuas Odo Legatus Pontificis ad regem Tartarorum & principem ſupradictum, eorumque prælatos; oſtendens eis, ſacroſanctam Romanam Eccleſiã cupidiſſimè eos, ceu filios chariſſimos complexuram: modò fidem orthodoxam conſtanter retinere & Chriſti Vicario morigeros ſe præbere velint. Eius legationis primarij à Rege Francorum miſſi fuere, frater Andreas Dominicanus cum duobus alijs eiuſdem inſtituti fratribus, itemque duo Clerici, & totidem miniſtri regis, profectique ſunt octauo Calendas Februarij cum ijs, quos diximus, nuntijs Tartarorum. Porro frater Andreas, quem Rex illis præfecerat, non multo pòſt ad Regem litteras miſit, quarum exemplum vnà cum principis Tartarorum litteris, Rex matri ſuæ Blanchæ in Gallias perferendas curauit.

Litteræ & munera miſſa ad regem Tartarorũ.

Dominicani legati ad Tartarorum Regem.

CAPVT XVI.

Sulthanus Ægypti ſe parat bello cum Ludouico, licet pacem deſideraſſe ſimulauerit.

INTEREA Ægypti Sulthanus, quem Babyloniæ vocant; vbi comperit regem Ludouicum in Cypro hibernaturum, rurſus Damaſcum ire contendit, per Hieroſolymam proficiſcens, in eam curam intentus, vt poſſet Alapiæ Sulthanum, & ei fœderatos, ad ſe adiungere: ſed ille Ægyptij Sulthani malitiam non ignorans, non fuit auſus ei fidem adhibere. Scripſerunt autem Magiſter militum Templi, & Mareſcallus hoſpitalis Ludouico regi, Sulthanum Babylonicum cum magno exercitu veniſſe in loca Gazæ propinqua, eo animo, vt ſibi conciliaret Damaſci & Alapiæ Sulthanos: metumque eſſe, ne Ioppen vel Cæſareã obſidione premat. Scripſit poſtea iterum Magiſter ille Regi, quendam Sulthani Babylonici Admiraldũ ad ſe veniſſe percontatum de voluntate regis Francorum, quòd dominus ipſius cuperet cum eo pacem cõponere. Ea verò res & Regi & nobilibus eius valde moleſta fuit; maximè quòd Magiſter diceretur à Sulthano petijſſe, vt Admiraldum ad ipſum mitteret. Mandauit ergo Rex per litteras Magiſtro, ne deinceps eiuſmodi nuncios iniuſſu ſuo admitteret, vel cum eis colloqui auſus eſſet. Affirmabant enim omnes eo ingenio Syros eſſe, vt quantumcumque oppreſſi, nunquam primi velint induciarum mentionem facere: ſed eouſque id differre, donec multâ inſtantiâ, vt eas faciant, inuitentur.

Sulthanus Ægypti bellum parat.

Pacem inire cum rege ſimulauit.

CAPVT XIII

Regis Armeniæ legatio ad B. Ludouicum: qui à veneficis ſeruatus, auctus magnâ claſſe, ſoluens à Cypro, Crucem cùm ipſe præferret apud Damiatã, in oram nauigijs exercitu duxit.

EODEM tempore, quo Rex cum reginâ Margaretâ coniuge ſuâ in Cypro morabatur, Armeniæ rex eius aduentu comperto, ad eum ſpectabiles nuntios miſit, Archiepiſcopum Armenorum & alios aulicos, per litteras eius ſe offerens voluntati; quos ille honorificè excepit. Cùm autem didiciſſet, inter eum & Antiochiæ Principem diſcordiam extitiſſe; miſit ad vtrumque legatos ſuos. Illis verò ſuos quoque ad eum legatos mittentibus, duorum annorum pactæ ſunt induciæ. Per id fere tempus, capti ſunt quidam, qui ſe dicerent à Sulthano Babylonico miſſos eſſe, vt regẽ Ludouicũ & primarios eius exercitus viros veneno necarẽt. Tãdem permultæ venere naues, cum magnâ

Armeniæ regis ad B. Ludouicum legatio.

A veneficis rex Ludou. præſeruatus.

multum manu, qui in inſulis hyemauerant. Inde Sabbato poſt Domini Aſcentionem mandatum eſt vt omnes ad Damiatam contenderent. Eodem die Rex ſoluit à Cypro, ſed vi tempeſtatis bis in Cyprum reiectus eſt: vbi tum ſe iunxit illi princeps Achaiæ cum magnis ſubſidijs, itemque Burgundiæ Dux. Tum verò dant vela ventis, & ſexto die veniunt in Ægypti conſpectum, ac paulo pòſt etiam Damiatæ; in cuius portu naues anchoris fixere. Sed cùm viderent in eo portu magna eſſe Turcarum præſidia; rex communicato cũ proceribus conſilio, iuſſit vt die altero ſummo manè exirent in terram, eamque eo loco occuparent, vbi inter ipſos & vrbem fluuius intereſſet. Eo ergo die omnibus, in triremes & alias naues ſeſe recipientibus, Rex cum legato Pontificis, ſacroſanctam geſtans Crucem nudam & apertam, in cymbâ vehebatur, iuxtà eum præcedente in aliâ cymbâ B. Dionyſij vexillo, fratribus quoque illius, & alijs nobilibus & ſagittariis comitantibus: atque ita in terram egreſſi ſunt multis in hoſtes contortis telis, qui eos arcere magnâ vi nitebantur. In eâ concertatione pene nulli ex Chriſtianis vulnerati ſunt: permulti autem Saraceni, & eorum equi interfecti, & in ijs tres proceres.

Ægyptum petit, in portu Damiatæ claſſis ſiſtit.

Rex Crucis vexillum præferens duxit in littus.

CAPVT XIV.

Saracenis fugientibus Damiatâ captâ, actæ gratiæ Deo.

EODEM die profligatis Saracenorum trieribus, Chriſtianorum triremes fluuij oſtia occuparunt. Hiſce tam proſperis initiis feliciores etiam ſucceſſus Dominus adiecit. Perterritis enim qui intra vrbem erant, Saracenis, virtute Diuinâ, omnes in fugam verſi, ex vrbe exceſſerunt, inſtructis prius ignibus, quibus vrbs conflagraret. Multi itaque è caſtris Regis per pontem naualem, quem ſatis integrum reliquerant Saraceni, in opidum ingrediuntur. Rèx quoque certior factus, nonnullos è ſuis intromittit, fixis tentoriis ſuis ad pontem, vt ſi ita res poſceret, ſuis ſuppetias ferret. Multus ibi commeatus repertus eſt; ita vt multi affirmarent eam ciuitatem vi capi minimè potuiſſe. Proſpexerant enim ſibi in longum tempus Saraceni, ita vt diuino potiùs miraculo ea victoria tribuenda ſit. Deinde vero eâ ciuitate à mortuorum cadaueribus repurgatâ, igneque extincto, Legatus Pontificis cum Patriarchâ Hieroſolymitano, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & magnâ parte eorum conuenerant; itẽque Ludouicus rex cũ permultis alijs, nudis pedibus, præſente rege Cypri, cũ nõ paucis nobilibus, in vrbem ingreſſi ſunt: cumque legatus ædem quandam prophanatam reconciliaſſet, & gratias egiſſent Deo, in honorem ſanctiſſimæ matris Dei ab eodem Legato ſacrificium oblatum eſt. Rex autem conſtituit, Deo bene volente illic Canonicorum inſtituere collegium, qui Domino ſeruirent. Capta eſt Damiata, quam alij Eliopolim vocant, anno ab orbe redẽmto milleſimo ducenteſimo, quadrageſimo nono, manſitque illic Rex totâ æſtate cum exercitu Chriſtiano, donec fluuius detumeſceret, qui exercitui periculum allaturus videbatur.

Damiatâ potiti Chriſtiani.

Rex cum reliquis nudis pedibus Damiatam ingreſſus, gratias egit Deo.

CAPVT XV.

Ludouicus militum copijs auctus, mouit in hoſtes, in eius exercitu magna mortalitas & penuria. Captus rex ipſe cum fratribus aliiſque multis à Saracenis.

EODEM anno ſub finem menſis Iunij, Alphonſus Pictauorum Comes & regis Ludouici frater, matre Blanchâ ad regni defenſionẽ relictâ, iter ingreſſus eſt cum copioſo milite, & ſub finem Octobris ad Damiatam applicuit. Inde die Nouembris vigeſimò, rex Ludouicus tam nauali quam terreſtri exercitu inſtructo, relictâ Damiatâ contra Saracenos mouit, qui tum apud Maſſeram, quam quidam Pharamiam vocant, frequentes conuenerant. In eo itinere nõ parũ detrimenti illatũ eſt Saracenis. Deinde cum vẽtum eſt ad pugnã, paulo ante Chriſti natalem multi ex eis cæſi ſunt, cõplures Nili aquis extincti. Poſtea tranſmiſſo flumine, nõ ſine ingenti

Ludouicus copijs auctus in Saracenos.

periculo, rurſus cũ eis Chriſtiani confligentes, multos trucidàrunt, neque ſexui, neque ætati parcentes. At vbi Saraceni didicerunt noſtros temere progredi, reſumunt animos, & in Chriſtianos impetu facto, magnam etiam nobilium edunt ſtragem, in quibus fuit Robertus Atrebatenſis Comes, frater Ludouici regis: tandem tamen noſtris eo die victoria ceſſit. Proximâ luce iubente Rege, plures è Chriſtianis flumẽ tranſgreſſi, Saracenorum euerterunt

Caduntur Saraceni.

machinas, & põtes nauales inſtituerũt, vt poſſent noſtri facile fluuium tranſire. Non diu pòſt Saraceni, collectis viribus, omni ex parte in Chriſtianos ſummâ vi & contentione irruunt, ſed magno numero proſternuntur. Poſt dies aliquot, in caſtra eorum venit Sulthani Ægyptij filius, (iam enim pater eius obierat) quæ res auxit animos Saracenorum. At Chriſtianorum res occulto Dei omnipotentis iudicio, deteriores reddebantur, multis eorum morbo abſumtis; ita vt ex triginta duobus millibus, vix millia ſex ſupereſſent. Magnâ enim commeatus penuriâ laborabant, nec pauci fame & inediâ periere, Saracenis itinera obſidẽtibus, ne poſſet a Damiatâ commeatus aduehi in caſtra Regis. Ea res coegit eos Damiatam repetere.

Magna in caſtris Ludouici mortalitas, & penuria.

Die quinto Aprilis, illis iam proficiſcentibus, Saraceni cũ maximis copijs in eos incurrunt, ipſum Ludouicum ſanctiſſimum regem, & duos fratres eius Alphonſum & Carolum capiunt, cum multis alijs, eoſque in carcerem conijciunt, multo fuſo Chriſtianorum ſanguine: Deo id fortaſſis propter quorundam peccata permittente, vel etiam vt pijſſimi Regis virtus & patientia illuſtrior appareret.

Ludouicus rex cum fratribus alijsq́; multis captus à Saracenis

CAPVT XVI.

Pactæ induciæ cum Saracenis, impiè datam fidem temerantibus: quando, contrà quàm couenerat, captiuos non omnes liberant, & nonnullos ad Mahumetiſmum cogunt.

PORRO autem ſceleratiſſimi illi & impuri Saraceni, præter contumelias in Saluatorem noſtrum iactatas, Chriſtianis inſpectantibus, Crucifixi effigiem flagellis verberarunt; & per ſummam ignominiam impie eam conſpuentes, in Chriſtianæ religionis dedecus, pedibus conculcarunt.

Saraceni in Chriſtum & Crucem impij.

Poterat ſane facile elabi ſanctus Rex, cùm illi ad manum eſſet nauis; ſed ſpontè illis ſe capiendum obtulit: vt poſſet captiuos Chriſtianos, quorum erat ingens numerus, redimere. Egit poſtea apud regem Sulthanus minacibus verbis de paciſcendis inducijs, de reſtituendâ Damiatâ, de præſtandis damnis, ſarciendiſque ſumtibus quos feciſſet ipſe à captâ Damiatâ. Tãdem initæ ſunt induciæ decennales, his conditionibus; vt Sulthanus regem Ludouicum & captiuos Chriſtianos omnes e ſuis ditionibus liberos à ſe dimittat, Vt Chriſtiani retineant loca aliquot Terræ ſanctæ; porrò rex Ludouicus reſtituat Damiatam, & pro factis in illud bellum impenſis, octo millia byzantiorum, reddatque captiuos Saracenos omnes.

Pactæ decennales induciæ certis conditionibus.

His confectis inducijs, Sulthanus, dum cum exercitu Damiatam proficiſcitur, à quibuſdam è ſuis fruſtatim gladijs conciditur: moxque grandi numero properant Saraceni ad regis Ludouici tentorium, illum & Chriſtianos omnes iugulaturi. Sed immenſa Saluatoris virtus eorum animos fregit, mutataque ſceleratâ voluntate, poſtulant à Rege, vt ſtet pactis cõuentis, Rex, cùm nulla eſſet ſeruandæ Damiatæ ſpes, maluit paciſci cum illis inducias, quàm & ſe & Chriſtianos omnes perdere. Itaque ad certum diem Damiata illis redditur, Rex & fratres eius & nobiles Franciæ, ditionis Hieroſolymitanæ & Cypri, è carcere dimittũtur.

Damiata redditur captiui liberantur, non omnes.

Sperabat iam pius rex fore vt etiam reliqui captiui, vti conuẽtum erat, à Saracenis dimitterentur, ſed cùm diu expectaſſet, ex duodecim millibus, ægrè quadringentos recepit, impijs illis Saracenis fidem iureiurando firmatam violantibus: qui etiam de cæteris rebus nihil voluere remittere, & quod eſt longè immanius, egregios quoſdam iuuenes Chriſtianos e captiuis illis, coegerunt impuriſſimi Mahometis profiteri ſectam, Chriſtianâ religione abiuratâ. Impoſuerant enim nudos enſes ceruicibus eorum; & ſi qui nollent eis cõſentire, illos iugulabant. Ex ijs quidam imbecilliores, à Chriſto ad Mahometẽ defecerunt: alij coronas martyrij, contemtâ morte, reportarũt.

Perfidi Saraceni cogunt fidem in Chriſtum abiurare nonnullos

CAPVT

CAPVT XVII.

Ludouicus non ſuo ſed Chriſtianorum bono in Syriâ manſit, præclara geſſit toto quinquennio. Mortuâ matre Galliam repetijt, in mari ſeruatus à naufragio.

CERNENS autem Ludouicus rex, Saracenos venire contra induciarum fidem; conſuluit nobiles ſuos, & milites religioſos, quid agendum ſibi ipſis videretur. Illis magnâ ex parte aſſerentibus; ſi quidem nunc recedant, terras illas & captiuos in ſummũ diſcrimen venturos; ſin autem maneant ad tẽpus aliquod, poſſe inde vtilitatis nõnihil accidere Chriſtianis; præſertim quòd inter Ægyptium & Alapianum Sulthanos acerba extaret ſimultas; rex pius maluit hærere in Syriâ, quàm res Chriſtianorum, & ipſius Chriſti, in eâ deſperatione tantoque diſcrimine relinquere. Alphonſum verò & Carolum fratres ſuos ad reginam matrem conſolandam remiſit in Gallias. Acta ſunt hæc anno Chriſti milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo. Quis vero hic non agnoſcat ſtupendum præpotentis Dei miraculum, gentem illam ferociſſimam parêre tanto Regi? gentẽ cupidiſſimam, Regem opulentiſſimum ſoluere captiuitate pro longè minori pretio, quàm obtinere potuiſſent? Rex autem quinque deinceps annis manſit in Syriâ, nec otioſus ſanè, ſed multos Saracenos ad Chriſti religionem traducens, multos captiuos redimens, & vrbes aliquot & caſtra egregiè communiens. Offendit tum apud Sidonem permulta cæſorum Chriſtianorum corpora iam putentia, non pauca à feris belluis lacerata: ea proprijs manibus ſepeliuit, humiliter & deuotè, vſus operâ quorundam è ſuis, qui illorum fœtorem vix fere potuerunt. Quotidie autem mane flexis genibus Dauidicum pſalterium recitabat. Poſtquam autem reſciuit de obitu matris Blanchæ, nobilibus ipſius id conſulentibus in Gallias reuerſus eſt. Cùm ergo nauigarent, tertiâ noctе nauis, quæ regem habebat, bis tantâ vi appulſa eſt ad rupem vel terræ lingulam, vt nautæ & alij illicò ſubmerſum iri putarent. Eâ concuſſione excitati ſacerdotes, clerici & cæteri ſanctum Regem inuenerunt coram ſacroſancto Chriſti corpore deuotè orãtem: omneſque in eâ fuere ſententiâ, mortis tam præſens diſcrimen, eius meritis & precibus ſe euaſiſſe.

Rex in Syriâ manet, non ſuo ſed Chriſtianorum bono.

Ibi quinque [illegible]git, multa benefaciens.

Matris nuntiatâ morte, repetijt Gallias.

CAPVT XVIII.

Ludouicus in pietate progrediens, amorem in pauperes & religioſos multis argumentis monſtrauit, miſeris & infirmis flexis genibus cibos adminiſtrauit.

INDE in Franciam reuerſus Rex ſummâ omnium gratulatione excipitur; atque ab eo tempore magis magiſque de virtute in virtutem proficiens, ad omnimodam vitæ perfectionẽ peruenit. Et ſi verò ab infantiâ cum illo creuerat miſeratio: deinceps tamen euidentiùs eam declarauit in afflictos & inopes, quibus omnibus pro viribus opitulabatur. Iuſſit enim extrui domos hoſpitales, monaſteria religioſorum: & in diuerſis regni ſui locis, multas quotannis diſtribui pecunias ijs qui maiori preſſi inopiâ videbãtur. Multa Dominicanorum & Franciſcanorum condidit cœnobia à fundamentis: multiſque alijs pauperibus religioſis eccleſias & ædificia oportuna conſtruxit, largis additis eleemoſynis. Cæcis in qualibet fere ciuitate & caſtello regni ſui domos ipſis congruas & oportunas benigniſſimè attribuit, certos illis prouẽtus aſſignans. Non pauca diuerſorum Ordinum monaſticorum cœnobia ex integro exſtruxit, & magnis ea redditibus inſtruxit: in quibus etiam non rarò miræ humilitatis & charitatis officia exhibuit, ſuis manibus humiliter ac deuotè ſeruiens ægrotis. Cùm veniret Pariſios aut ad alias vrbes, domos hoſpitales, in quibus magna erat malè habentium copia, humaniſſimè inuiſens, nulliuſque morbidi deformitatem aut ſordes refugiens, infirmis omnibus flexis genibus fercula offerebat. In Abbatiâ Regij Mõtis, Ciſtertienſis Ordinis, quã ille

Pauperibus hoſpitia, religioſis extruxit monaſteria.

Pauperes inuiſit, fercula miniſtrauit.

magni-

magnificè imprimis & condidit & ditauit, vt res ipſa teſtatur; crebrò id genus officia præſtitiſſe fertur. Erat ibi monachus quidam leproſus, quem fœdus ille morbus horridum & abominabilem reddiderat, naſo eius & oculis planè corroſis & exeſis. Ei ſanctiſſimus Rex prandenti in os cibum & potũ inferebat abſque vllâ abominatione, officioſiſſimè illi inſeruiens genibus flexis: ita vt Abbas qui tum aderat, & vix id intueri ſuſtinebat, in gemitus & lachrymas prorumperet. Quamuis autem nulli indigenti ſuâ benignitate nõ ferret opem; at illis tamen qui diuino cultui & ſaluti animarum vacarent, liberaliùs & crebriùs eleemoſynas præſtabat: ſolebatque dicere nonnunquã familiaribus ſuis de magnis illis eleemoſynis, quas cõferebat quotannis Pariſios in fratres Dominicanos & Franciſcanos; O Deus quàm bene collocatæ ſunt hæ eleemoſynæ in tot tantoſque fratres ex toto orbe terrarũ Lutetiam aduentantes? vt quod hîc ex diuinis Scripturis hauriunt, in totum mundũ effundant, in honorem Dei & ſalutem animarum. Alias eius tum annuas, tum quotidianas eleemoſynas quis vel enumerare queat?

Nota nota.

CAPVT XIX.

Reliquias ſacras, præſertim Dominicæ paſſionis inſtrumenta magno cõparata, eximiè veneratus eſt, ſub officio diuino ſæpe dulces fudit guſtauitque lachrymas.

PRÆCIPVA verò deuotione ſanctas venerabatur Reliquias; cultumque Dei & honorem Sãctorum ſemper amplificare nitebatur. Pariſijs in palatio Regali ſacellum elegantiſſimũ extruxit: in quo ſacroſanctam Domini Ieſu coronam ſpineam, magnã ſanctæ Crucis portionem, ferrumque lanceæ, quod Saluatoris latus fodit, admodùm reuerẽter repoſuit, cùm multis aliis reliquiis, quas à Conſtãtinopolitano Imperatore immẽſo labore & magnis impendijs acceperat. Cũ in Eccleſiâ diuina officia perſoluerẽtur, nullius admittebat colloquiũ, niſi aut neceſſitas cogeret, aut euidens vtilitas id poſcere videretur: ſed neque ſic tamen niſi breuiter & ſuccinctè, ne ipſius lachrymæ & pietas ſiue deuotio interturbarẽtur. Nam inſtar Hieremiæ in precibus ſuis, & exercitiis pietatis, lachrymarũ fontem ſitiens, ſuo confeſſario quandoque in familiari colloquio fatebatur, nonnũquam ſibi oranti diuinitus datas fuiſſe lachrymas, quæ per genas in os influentes, non ſolùm cor, ſed etiam os ipſius guſtu ſuauiſſimo affeciſſent.

Reliquias ſacras maximè veneratus eſt

Ierem. 9. 1. Dulces illi lachrymæ ſub re diuina.

CAPVT XX.

S. Crucis ſignum maximè veneratus, humo noluit inſcribi, ſcriptum iuſſit deleri. Illud in Paraſceue Domini flexis genibus, nudis pedibus adorauit. impium iuramentum à Saracenis exactum deteſtatus, alienum à fide baltheo donare noluit.

TANTA reuerentiâ ſanctæ Crucis ſignum proſequebatur, vt ſi illud humi expreſſum vidiſſet, calcare pedibus auſus non eſſet: exegitque à multis cœnobitis ne deinceps in ſuis monaſteriis permitterent illud in pauimento effingi; & ſicubi iam humi effictum eſſet, id penitus abolerent. Quàm verò reuerenter annis ſingulis in Paraſceue ad adorandum ſanctæ Crucis lignũ, ſolutis capillis, flexis atque etiam nudis genibus acceſſerit, teſtantur eorum oculi, qui tunc eum ſine lachrymis conſpicere non potuerunt. Illum diem, in quo, vt paulò antè diximus, ſacras Reliquias à Conſtãtinopolitano Imperatore acceptas, in palatij ſacello collocauit; annuâ ſollemnitate voluit celebrari, idque triduo: ita vt primo diė diuina officia peragerent Dominicani ſecundo Minores, tertio alij monachi: atq; ad eam rem magnas à Sede Apoſtolica condonationes ſiue Indulgẽtias impetrarat. Cũ Saraceni ab eo exigerent, vt quæ cũ ipſis pactus erat de numerãdâ pecunia pro ſui & Chriſtianorũ liberatione, eâ cõditione firmaret, vt teſtaretur ſe velle Chriſti fidẽ abiuraſſe videri, ſi non ſtaret promiſſis; prorſus abhorruit dicens, Etiamſi corpus occidatis, animam occidere nõ poteſtis. Sed cum quidam è ſuis dicerent, ſine peccato ita eum iurare poſſe: placidè reſpondit, Ego vero vſq; adeò hęc verba de negandâ fide exhorreo, vt ea ore expri-

Crucis ſignum in terra pingi vetat, pictũ iubet deleri.

Illud nudis pedib. flexis genibus adorauit.

Cap præc. 19.

Iuramentum verbis conceptum impius deteſtatus eſt.

exprimere non poſſim. Orabant eum quidam cùm eſſet in locis transmarinis, vt nobilem quendam Saracenum, qui recens Sulthanum interfecerat, militem crearet; ille reſpondit; Abſit à me, vt vel pro ſeruandâ vitâ, vel morte declinandâ, quemcunque à Chriſtianâ religione alienum, baltheo militari donare velim.

Saraceno baltheum negat.

CAPVT XXI.

In ferendis æquus ſententijs, pauperum cauſſas cognoſcẽs querelaſque exaudiens ipſemet definiuit; duella & vſuras grauiter vetans exerceri, regnum eius pace & tranquillitate beatum fuit.

Æquus fuit in ferendis ſententijs.

IN regni adminiſtratione eam prudentiam & authoritatem adhibebat, vt ſine acceptatione perſonarum, controuerſijs quorumcumque diligenter excuſſis, iuſtam ferret ſententiam. Conſiliarij eius & regni proceres, cernentes eum ſapientiâ Dei præditum, & ſyncerè atque ex animo diligebant illum, & non mediocriter verebãtur. Cùm autem formidaret pius Rex, cauſſas pauperum non magnæ illic curæ eſſe, vt minimùm, bis hebdomadibus ſingulis in loco publico reſidens, audiebat eorum querelas: & tum iuſtitiâ, tum miſericordiâ eas expendens, celeriter illos expediebat. Duella, vt quæ iure eſſent vetita, ad nullius preces admittere voluit: ſed aliâ ratione, quæ, iuri conſentanea eſſet, etiã magnatum maleficia caſtigabat. Et vt vſurarum immanis vorago obſtrueretur; ſtatuit, vt eos, qui per litteras Iudæis aut alijs publicè vſuras exercentibus ſe obligaſſent, non cogerent ad ſolutionem iudices. Et quia veriſſimè dixit * Eſaias, *Erit opus iuſtitia, pax*: Deus iuſto & pio Regi pacem, & regno tranquillitatem præſtitit.

Pauperum cauſſas ipſe cognouit.

Duella cum vſuris prohibuit.

Iſai. 32. 17.

CAPVT XXII.

Diſcidia compoſuit. Eius ſubſannator grauiter à Deo punitus fuit. Secundo bello aduerſum Saracenos ſumto, ſalutariter inſtruit primogenitum filium.

HABEBAT hoc peculiare à Deo munus, vt qui inter ſe diſcordiâ laborarent, eos vt plurimùm conciliaret. Quam fuerit autem Deo grata tanti Regis ſumma humilitas, Rex regum omnium Chriſtus Deus, euidenti miraculo declarauit. Comes Gelriæ nuntium litteris cum miſerat Pariſios, ilico rediturum. Ex eo reuerſo ſciſcitabatur Comes, nũ regem Franciæ Ludouicum vidiſſet: ille ſubſannans, collumque contorquens; Vidi, inquit, vidi illum miſerum papilardum Regem, ad ſcapulas capitium geſtantem. Vix verba finierat, & facies eius retrorſum acta, ita contorta permanſit. Tandem poſt multorum annorum curricula, quibus ſe in omni virtute exercuit ſanctus rex, certâ ad eum famâ allatâ de vaſtatione & periculis terræ ſanctæ; inſtar * Matathiæ cum filijs ſuis, mala gentis Chriſtianæ & Sanctorum ferre non ſuſtinens, Deo ipſum permouente, alteram ſuſcepit nauigationem cum tribus filijs ſuis Comitibus, itemque cum regni Proceribus & Nobilibus, multaque populi frequentiâ. Cumque iam naues conſcenſuri erant, filios ſuos blando vultu adſpiciens, & primogenitũ ſpeciatim appellans ait; Vide, fili, vt ego iam grandæuus ſecundò hoc iter capeſſam; quando iam etiam regina mater tua prouectâ ætate eſt, & nos regnum noſtrum, fauente Deo, abſque vllâ perturbatione obtinemus, diuitijs, delicijs & honoribus, quantũ fas eſt, affluentes. Vide, inquã, vt Chriſti & Eccleſiæ eius cauſsâ, non parcam ſenectuti meæ, nec me flectat deſolatio matris tuæ, delicias & honores contemnam, opeſque meas pro Chriſto impendam. Vide, vt te & fratres tuos, & ſororem primogenitam mecum ducam, ſimul etiam quartum filium ducturus, ſi aliquantò maturiori eſſet ætate. Hæc verò idcircò te audire volui, vt cùm poſt obitum meũ ad regnum pertigeris, pro Chriſto & Eccleſiâ, atque fide Catholicâ tuendâ, nulli

Diſcordes conſociat.

Regem ſanctum ſubſannans horribiliter à Deo punitus.

1. Mach. 2. 7.

Iterũ ſuſcepit expeditionem in Saracenos.

Monitum ſalubre ad filium.

rei parcas, non vxori, non liberis, non regno. Volui enim & tibi & fratribus tuis de meipſo præbere exemplum, vt, ſi res poſtulet, vos ſimiliter faciatis.

CAPVT XXIII.

Ludouicus Maßiliâ ſoluens, cùm portum Carthaginis obtinuiſſet, cum Ioanne filio ſanctè ac ſalutariter abijt ex hac vitâ.

ITAQVE an. Domini milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo, Cal. Martiis, Ludouicus Rex Chriſtianiſſimus, nihil fractus ſuperiorum temporum laboribus & expenſis, quas in priori expeditione fecerat; cùm tribus liberis, Philippo, Ioanne, Petro, è Maſſiliæ portu ſoluit, adiuncto etiam ſibi Nauarræ rege, & permultis eccleſiarum præfectis, & nobilibus. Vt autem faciliùs Terram Sanctam recuperare poſſent, conſultiſſimum eis viſum eſt, vt regnum Tunetanum, quod magnâ in in Syriam nauigantibus obiiceret impedimenta, ante omnia in ſuam redigerent poteſtatem. Iam ceperant portum Carthaginis, qui Tuneto haud procul abeſt: & ecce morbus, qui illo anno iis in locis mirè graſſabatur, in Chriſtianorum exercitum inuadit, ex Regis filiis tollit Ioannem, tollit ipſum quoque ſanctiſſimum Regem, cum multis è nobilitate & plebe.* Quam ſanctè autẽ & piè è vitâ migrarit Chriſtianiſſimus Rex, gener eius Nauarræ Rex, Tuſculano Epiſcopo perſcripſit. Nam correptus morbo, non ceſſauit laudare Deum, ſæpe illam orationem interſerens; *Fac nos Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare.* & pro illis quos ſecum adduxerat, ita orans; *Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos.* Morti propinquus, voluit ſe corporis Chriſti Sacramento muniri. Cumque ſacerdos id ei oſtenderet, perquireretque num crederet ibi eſſe Filium Dei; reſpondit, Minus id apud ſe habere dubij, quàm ſi videret Chriſtum in eâ formâ, quâ aſcendit in cælos. Iam ſupremum trahens ſpiritum, ſuſpiciens in cælum, ait; *Introibo in domum tuam Domine; adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Quibus dictis, feliciſſimè obdormiuit in Domino.

A Maſsilia ſoluens, portum occupauit Carthaginis.

Mors abſtulit Ioannem filium, ipſumq; Regem patrem.

Magna fides eius in S. Euchariſtiam.

Pſal 5. 8.

CAPVT XXIV.

Carolus Siciliæ Rex cum milite copioſo ſuperueniens, exercitum Chriſtianorum confirmauit: Saracenis pacem petentibus leges dedit.

EIVS morte non mediocriter conſternato Chriſtianorum exercitu, & Saracenis lætantibus; Carolus Siciliæ Rex, in bellis ſtrenuus, cum multo milite aduenit, animoſq; Chriſtianorum confirmauit. Et ſi autem longè plures eſſent Barbarorum quàm Chriſtianorum copiæ, non tamen auſi fuere cum noſtris inſtructâ vtrinque acie cõmittere; ſed leuibus prælis & crebris excurſionibus non mediocriter vexârũt Chriſtianos. Tandem obſidione preſſi à noſtris, coacti ſunt petere pacẽ, quæ his potiſsimùm conditionibus confecta eſt; Vt omnes Chriſtiani, qui in eo regno captiui tenebantur, abirent liberi: & vt Dominicanis & Franciſcanis, atque aliis libera eſſet facultas, toto regno illo Chriſtum prædicandi, credenteſque baptizandi; vtque Rex Tunetanus Regi Siciliæ annuum tributum quadraginta millium aureorum perſolueret.

Carolus Siciliæ Rex Frater S. Ludouici Saracenos pacem petere coëgit.

Nota.

CAPVT XXV.

B. Ludouicus miraculis illuſtris inter Diuos relatus eſt.

OBIIT autem piiſsimus Rex Ludouicus viceſimâ quintâ Auguſti, & tum in vitâ, tum poſt obitum multis claruit miraculis. A Bonifacio Pontifice, eius nominis octauo, in Sanctos relatus eſt.

COM-

COMMENTARIVS

Ad Vitam S. Ludouici Regis.

IOANNE *Molano teſte*, Ludouici regis vitam perſtringit Bonifacius Octauus. ſcripſit eandem Iudocus Clichtouæus an. 1516. potiſſimùm, vt ait, ex opuſculo Godefridi de Bello loco, Ordinis Prædicatorum, qui viginti annis confeſſionum S. Ludouici auditor fuit. *hæc Molanus in notis ad Vſuardi martyrologium ad diem 25. Auguſti, De geſtis eius nonnulla Vincentius Bellouacen. lib. 31. Spec. Hiſt. cap. 130. & ſeq. Item lib. eiuſdem Speculi 32. cap. 89. & ſeq. Habet Ioannes Gerzon tom. 4. operum ſuorum Serm. 1. Vitæ pene totius acta tradit etiam S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus tert. part. Hiſtor. tit. 19. cap. 9. Gullermus Pepin duas de eo ſcripſit copioſas conciones, quibus propemodum totam eius prædicat ſanctam vitam. Paul. Æmilius lib. 7. de Geſtis Francorum, eius vitam pulchrè memoriæ tradidit, Vilanæus, Pap. Maſſonus, aliiq. qui de rebus geſtiſque ſcripſere Francorum. Surius, quam habet ad diem 25. Auguſti, opinatur ſupradicti Godefridi eſſe, quam exſcripſi, Summariis & notulis ad marginem auxi.*

Qui de Vita S. Ludouici ſcripſerint.

S. Ludouicum Regem IX. Francorum, fuiſſe Tertij Ordinis S. Franciſci.

SANCTVS Franciſcus de Tertio Ordine produxit multos flores, ſcilicet Sanctum Ludouicum Regem Franciæ, S. Elzearium Comitem Ariani, qui cum Beatâ Delphinâ vxore ſuâ, in matrimonio ſeruauit perpetuam virginitatem. Item S. Iuonem I.V. Doctorem, presbyterum & Confeſſor. de Britanniâ minori.... *Hæc Bernardinus à Buſtis part. 2. Roſarij Serm. 27. part. 2. lit. E. Idem aſſerit Firmamentum Trium Ordinum par. 1. vbi de illuſtrioribus viris & fœminis trium Ordinum agitur. Hiſtoria, quamuis apertè non ſcribat, illum Tertij fuiſſe Ordinis, ſubindicat tamen, cùm teſtetur cap. 22. vſque adeò humili veſte indutum, colore & pretio, pro Tertii Ordinis inſtituto: vt legato Comitis Gelriæ ludibrio fuerit, etſi non impunè. In Elogiis ex Sabellico notaui, magis vſum veſte ciliciná quàm regiâ. Hoc ipſum in parte comprobare videtur, quod Iudocus Clichtoueus Concione 2. de ipſo memorat:* Ad id perfectionis faſtigium conſcendit rex noſter, vt contemptu mundi concepto decreuerit filio ſuo primogẽito iam adulto regni moderamen committere, & religionem monaſticam mundi conculcatricem profiteri, modò coniunx huic voto aſſentiretur: cui tamen ipſa ſemper refragata eſt, contendens id plurimùm regno incommodare poſſe. *Quod itaque minimè cùm licuiſſet, credi poteſt ſe in religionem aſſeruiſſe Diui Franciſci, coniugatos etiam admittentem, vt dictum principio Commentarii ad Vitam Sanctæ Elizabethæ.*

S. Ludouicus Ordinem aliquem ingredi cogitauit.

De imagine S. Ludouici.

Paullus Aemilius lib. 7. de Geſtis Francorum, hiſtoriæ Sancti Ludouici eiuſmodi appoſuit imaginem. Rex dextrâ tenet ſceptrum in ſummo habens manum ad formam iurantis compoſitam. Cuius eſſe cauſſam opinor, quòd ſceleratè iurantes, vnà etiam blaſphemantes deteſtans & abominans, iniuſtis labris, vt habet cap. Vitæ 6. & fronti, puniret ſtigmatibus, quod ſcribit P. Æmilius. vide meum Comment. in cap. 20. Orbem ſiniſtrâ fert: quia reges ſcribuntur Iob 9. 13. Portare

orbem. *Fune etiam cingitur, quem geſtare ſolent more fratrum Minorum quotquot Ordini Tertio Sancti Franciſci nomen dediſſent. quomodo notaui S. Elizabeth geſtaſſe in Commentario meo ad eius Vitam in cap. 21.*

IN CAPVT I.

S. Ludouicus non Quintus Francorum rex ſed Nonus.

Beatus Ludouicus Francorum pijſſimus rex.] *Turpiter errant qui ſcribunt Quintum regem Francorum illius nominis, cùm teſte Paullo Æmilio lib. 7. de Geſtis Francorum, Nonus fuerit, eius pater Octauus. Grauiter monet etiam Baronius in notis ad Romanum martyrologium ad diem 25. Auguſti, his verbis;* Ludouicus eius nominis numeratur Nonus, & non quintus, vt alicubi typographi errore poſitus reperitur. Regum verò Francorum quadrageſimus tertius ponitur.

Pater eius Ludouicus Octauus.

Patrem habuit Ludouicum.] *Is hæreticos Albigenſes deuicit, rex bonus, etiam Vincen. Bellouac. l. 31. Spec. Hiſtor. c. 129. Ceterùm* Paucorũ annorum rex, nullo ſuo cognomine nobilitatus: filij ſanctitas illum illuſtrauit. Ludouicus Diui regis pater nuncupabatur *lib. 7. de Geſtis Francor. Ludouico VIII. hæc tradit P. Æmil.*

IN CAPVT III.

Senior Aſſaſinorum.] *Gens iſta quæ ſit, docet Iacobus à Vitriaco Hiſt. Orientalis cap. 14. Iubentur iſti à ſuo principe, vel etiam emercantur, cunctis periculis, etiam morte, contemtis, quoſlibet trucidare.*

IN CAPVT V.

Militia Cruceſignatorum primordia.

Transmarinæ militiæ Crucem.] *Quod auctor præterijt, Platina ſcribit; Sacram militiam* Ludouicus dum graui valetudine cruciaretur, pollicitus eſt & vouit. *Innocent. IV. Pont. Ioan. Molanus Militia ſacra cap. 50. initium Cruce ſignandi cœpiſſe ſcribit Vrbano II. Pont. in Synodo Claromonti, cùm eius hortatu Godefridus Bullonius cum alijs ſacrum bellum ſumerent ad recuperanda Hieroſolyma; milites cruce ſe ſignabant:* ex quo expeditio quoque ipſa Cruciata eſt nuncupata.

IN CAPVT VII.

Ad S. Ægidium.] *Speculum Vitæ S. Franciſci commemorat quoque hanc hiſtoriam multò copioſiùs. fuit B. Ægidius tertius Diui Franciſci ſocius, vt S. Bonauentura cap. 3. §. 3. vitæ Sancti Franciſci.*

IN CAPVT VIII.

Crux prædicabatur.] *Thomas Cantipratanus lib. 2. Miraculor. & exemplorum cap. 3. §. 9. recenſet Cruciatæ prædicationes his verbis:* Prima Crux noſtri temporis contra terram Albigenſium prædicata eſt. Secunda in Terram ſanctam contra Saracenos. Tertiâ iterum contra Albigenſes. Quarta contra Stadingos, quos in Theutoniâ Henricus Dux Brabantiæ cum ſuis ſtrauit. Quinta iterum in terram Sanctam. Sexta contra Aquenſes. Septima cõtra Hezelinũ nobilẽ Italiæ, &c. *Opinor auctorem noſtrum loqui de quartâ prædicatione contra Stadingos, quos Henricus Secundus Brabantiæ Dux bello vicit: de quo adi Albert. Krantz. Metrop. lib. 7. cap. 47. Henrico II. Brabantiæ Duci fuit vxor ſecunda Sophia filia Ludouici Thuringiæ Landgrauij & S. Elizabeth vxoris eius. vide Commentar. meum ad vitam S. Elizabeth in cap. 27.*

Cruciatæ prædicationes in Franciâ.

Crux admirandâ formâ viſa in cælo.

Cruces viſebantur in aëre.] *Thomas Cantipratanus loco citato hæc etiam ſcribit:* Crux à multis populis cùm in diuerſis partibus prædicaretur, viſa fuit manifeſtè. Nec non & ego fidelium nouiſſimus, antequam pijſſimus Ludouicus rex Francorum anno ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto crucem transmarinam ſuſciperet, crucem in cælo ex clariſſimo & ſidereo lumine vidi. nec recolo me decentiùs & operoſiùs formatam crucem vmquam ſub aliquâ materiâ vel figurâ vidiſſe. Octenos habere cubitos crucem ipſam in longitudine mihi planiſſimè viſum eſt. Serenum cælum erat valde, & ſine aliquâ nube in aliquâ parte ſui: ſub noſtro horizonte cælum erat coloris vnius.

IN CAPVT IX.

Crux Chriſti à S. Ludouico comparata.

Magna Dominicæ Crucis portio tranſlata eſt.] *Genebrard. l. 3. Chronographiæ ad annum ſalutis 638. memorat,* Imperatorem Heraclium veritum, ne S. Crucem Mahumetani raperent, eam de Hieroſolymis Cõſtantinopolim tranſtuliſſe; quam poſt aliquot ſæcula à Balduino Venetis pignoratam D. Ludouicus redemit, & Lutetiam tamquam regni Palladium importauit. *Idem ad an. Chriſti 1243. non modo Crucem Domini, ſed & Spongiam quâ Chriſtus in cruce fuit aceto potatus, cum ferro lanceæ, quâ vulneratus in latere fuit, vnà accepiſſe, poteſtate redimendi ac-*

ceptâ, in Sacello ſuo Pariſijs ſtatuiſſe. P. Æmilius etiam adfuiſſe teſtatur Coronam ſpineam, inquiens;

Item ſpongia ſacra, cuſpis & corona ſpinea.

Balduinus ſacroſancta paſſi Domini monumenta, in quibus ſertum ſpineum, vt ſocerum re numariâ, bellumque Græcũ iuuaret, Venetis grandi pecuniâ acceptâ velut oppignerauit. Illud nomen luit Rex Francus, ſanctiſſimumque pignus an depoſitum in Franciam allatum officij cauſſâ occurrens reuerentiſſimè excepit. magnâ nunc quoque religione Lutetiæ viſuntur. *Vide cap. 19. huius hiſtoriæ.*

IN CAPVT X.

Iuerunt cum eo.] *Vincentius Bellouacen. Spec. Hiſtor. lib. 32. ca. 89. percenſet qui cum Rege in expeditione fuerunt.*

Nota.

Die quintâ & vigeſimâ Auguſti.] *Notandum Æmilius ſcribit:* Nauem conſcendit octauo Calendas Septembris, qui dies eius memoriæ in numerum Diuorum relati poſteà conſecratus eſt.

IN CAPVT XI.

Erkenbaldi hiſtoria.

Obijt Robertus Bellouacen. Epiſcopus.... cum multis alijs.] *E quibus fuit Erkenbaldus de Borbone, quod Vincent. Bellouac. Spec. Hiſtor. lib. 32. cap. 89. memoriæ tradidit. Eius iuſtitiæ rigorem in ſororis filium, quem quòd virginẽ conſtuprare tentauerit, manu ſuâ iugulauit, ſcribit Cæſar. Heiſterbachius Illuſtrium Exemplorum lib. 9. cap. 38.*

Bruxellæ (quæ Ducum Brabantiæ ciuitas principalis) cum admiratione, Rogeri VVeldeni pictura ſpectatur, factum inauditæ repræſentans iuſtitiæ & ſeueritatis, in Curiâ ciuitatis, ad ianuam conclauis, in quo Brabantiæ ſolent Ordines conuenire. Quod cùm iniquè tribuatur alijs, etiam vulgò Brabantiæ alicui Duci: viſum eſt paucis exponere, quo loco & tempore Erkenbaldus proprijs manibus iugulando ſuum ex ſorore nepotem iuſtitiæ conſecrauerit, propter tentatum in virgine ſtuprum.

Erkenbaldus è gente fuit Borboniâ.

Erkenbaldus Francus è Galliâ fuit, ex vetuſtiſſima nobiliſſimaque Borbonia gente ducens originem. hunc Principem fuiſſe virum, principalis ſanguinis ſtemma, familiæ ſplendor & amplitudo conuincit: tum etiam, non alicuius Sacerdotis, ſed aduentus Epiſcopi, ex more Chriſtiano, Dominici corporis Viaticum decumbenti ſub exceſſum adminiſtraturi.

Quando floruit.

Floruit anno ſalutis noſtræ, ſupra milleſimum ducenteſimum quadrageſimo, cùm Francis regnaret Sanctus Ludouicus IX. Rex Galliarum, iuſtitiæ vigor, & exemplar omnium virtutum: Innocentio Quarto Pont. Frederico Secundo Imperatore. Qui cùm admodum eſſet hoſtilis Sanctæ Rom. Eccleſiæ, diſſimulaŕetque bellum ſumere contra, quos nimis amabat, Saracenos, Terræ Sanctæ ciuitates continuò expugnantes: S. Ludouicus Rex Francorum, perſuaſu Pontificis, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octauo, aduerſus Saracenos priorem ſuſcepit expeditionem; in quâ cum Odone S. R. E. Cardinale Legato Apoſtolico, nonnulli fuerunt Epiſcopi: duo quoque Regis fratres, multi Principes & Barones copioſum exercitum expleuerunt, inter

Mortuus in Cypro in expeditione contra Saracenos.

inter quos Erkenbaldus fuit. Menſis Auguſti die vigeſimâ octauâ Rex iniens expeditionem cum exercitu, ſub diem S. Matthiæ ſacrum, adpulit in Cyprum; vbi hibernante exercitu multi mortui ſunt principalium virorum, vna quoque Erkenbaldus, de quo loquimur: quem ſub mortem in Cypro feciſſe quod Rogerus pinxit, res ipſa teſtatur. Hæc ita ſe habere, mi lector, videbis, ſi libuerit adire cap. 10. & ſeq. vitæ S. Ludouici IX. Regis Galliarum, & conferre cum Vincentio Bellouac. lib. 32. Speculi Hiſtor. cap. 89. Cæſarium Heiſterbachium lib. 9. illuſtrium miraculorum & hiſtoriarum cap. 38. ſcribit religioſæ ſeueritatis Erkenbaldi monumentum: ſimilem huic Comitis cuiuſdam in proprium filium animaduerſionem, Thomas Cantipratanus Apiarij, ſiue Miraculorum & exemplorum, lib. 2. c. 35. Itaque vixit Erkenbaldus an. 1248. aut ineunte ſequente.

An. 1248. aut ſequentis initio.

Nuntij à quodam Tartarorum Principe] *Vincent. Bellouac. hæc quoque tradit lib. 32. Spec. Hiſtor. cap. 90. & cap. ſeq. Habet exemplar illius principis epiſtolæ ad Regem Ludouicum: qui viciſſim principi illi, ſicut & regi Tartarorum Cham, legatos remiſit cum muneribus, vt cap. 94.*

IN CAPVT XIII.

Ægypti Sulthanus, quem Babyloniæ vocant.] *Conſonant hæc cum meo Commentario ad Vitam S. Franciſci in cap. 9. §. 6. vbi dictum, quamobrem Sulthanus Ægypti Babyloniæ vocatus ſit.*

IN CAPVT XII.

Armeniæ Rex.] *De eius legatione ad B. Ludouicum Vincentius Bellouac. Spec. Hiſtor. lib. 32. cap. 96. & ſeq.*

IN CAPVT XIV.

Damiata Æliopolis.

Capta eſt Damiata, quam alij Eliopolim vocant.] *Paul. Iouius.* Damiata olim Peluſium, Æliopoliſque demum inſtaurante Hadriano Cæſare vocata eſt. *Hiſtor. lib. 18. Adi Vincent. Bellou. cap. 98. lib. 32.*

IN CAPVT XV.

Ludouicum regem, & duos fratres eius capiunt.] *Vincent. Bellouacen. lib. 32. Spec. Hiſtor. paullò copioſiùs rem geſtã enarrat.*

IN CAPVT XVI.

Octo millia Bizantiorum.] *Paul. Æmil.* Octo millia pondo auri pretium regis ſalutiſque communis factum, *Ludouico* IX.

IN CAPVT XVIII.

Fratrum Minorum & Dominicanor. cœnobia rex pius Pariſijs extruxit.

Multa Dominicanorum & Franciſcanorum condidit monaſteria.] *Paul. Aemilius*: Minoribus & Prædicatoribus, nondum ad culmen perductas ſacras ædes, planè abſoluit. *nimirum Lutetia. Item Firmam. trium Ordinum part. 1. in Memoriali Ordinis Minorum, Generali Quintodecimo*; S. Ludouicus conuentum noſtrum Pariſienſem fundauit, & Ordinem multum dilexit. *Sic Guillerm. Pepin Conc. 2. de S. Ludouico. Quod igitur ſcribit liber Conformitat. fruc. 11. vbi de prouinciâ Francia*: Locum de Pariſijs ædificauit F. Agnellus de Piſis, qui fuit primus Cuſtos Pariſienſis, & deinde Angliæ Miniſter; *accipio regijs ſumtibus exaudiendum eſſe.*

IN CAPVT XX.

Coma Frãcis olim vſitata.

Solutis capillis] *Veteribus in more fuit comam nutrire, & illigare vittis: at ſoluere, lugentis pœnitentiſq; habitus eſt. Memorat etiam P. Æmil. Clodoueum 1. Francorum regem*, inter candidatos candidatum ad baptiſterium ampliſſimè apparatum proceſſiſſe ſublimi vertice, cæſarie promiſſâ, diſcriminataque, ſimul & vnguentatâ, eâdem calamiſtro comentiumque arte per gradus in ſuggeſtum verticis concinnè decoreque formatâ. Etenim apud Francos, tantùm reges, regiaque ſtirps crine intonſo ornatoque agebant: cùm Alani, Burgundiones, Sicambri incultiorem promitterent.

IN CAPVT XXI.

Grauiter punit ſceleratos & blaſphemos.

Duella..... vſurarum voraginem.] *Addit etiam P. Æmil.* Qui Numinis Diuorumque nomen nefariè, aut iureiurando, aut execrando vſurpabant; eorum fronti candente laminâ notam inurebat. Deprecantibus magnis viris, pro quodam eius noxæ conuicto; reſpondit ſe cupidè id monumentum in fronte geſturum, ſi eâ ratione, purgari Francia eo in Deum Opt. Max. ſcelere poſſet.

IN CAPVT XXI.

Primogenitum ſpeciatim appellãs.] *Formulam hanc bene viuendi habet Ioannes Hiſtoricus, Nangiacus, item Surius, ad diem 25. Auguſti ad finem Vitæ S. Ludouici hæc ſcribit;* Robertus Gaguinus lib. 7. de Geſtis Francorum teſtis eſt, in archiuis Caroli V. regis Gallorum repertam eſſe chartulam præceptorum, quæ hic ſanctus Rex Filio ſuo primogenito, dum Tunetum obſideret, dictauit ac ſcripſit: eamque ex Caroli theſauro receptam Girardum de Montaguto, regium ſcribam Carolo exhibuiſſe, an. ſalutis milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quarto. Ea præcepta & inſtitutiones habentur etiam in MS. codicibus, vnde nos ea ſtylo mutato deſcripſimus.

Deus diligendus.

1. Fili mi; Ante omnia diligenter in eam curam incũbe, vt diligas Deum. Nemo enim poteſt eſſe ſaluus, niſi Deum amet.

2. Caue, ne vnquam admittas peccatum mortiferum; ſed omnia potiùs ferre velis genera tormentorũ, quam aliquam talem perpetrare culpam.

3. Cùm aduerſa accidunt; feras æquo animo, & cogites te commeruiſſe: atque ita lucrum tibi inde accedet.

4. Cùm rebus proſperis frueris; humiliter agas gratias Deo: nè inde animo elatus, efficiaris deterior, vnde te oportuit fieri meliorem.

Crebrò cõfeſſione expianda peccata.

5. Crebrò cõfitearis peccata tua, deligaſque tibi ſapientes confeſſarios, qui te poſſint inſtituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, vt audeant ſyncerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

6. Officium diuinum deuotè auſcultes. faceſſant ibi fabulæ & nugæ, nec oculi huc atque illuc circunferantur: ſed ores Deum ore, & etiam meditando cordo, idque præcipuè ſub ſacrificio poſt peractam conſecrationem.

7. Animo ſis pio & humano erga pauperes & calamitoſos homines, illiſque pro viribus opituleris.

8. Si quid angat animum, id mox explices confeſſario tuo, aut alicui viro bono: ita fiet vt faciliùs id feras.

Proborum habenda conſuetudo.

9. Da operam, vt quorum vteris conſuetudine & familiaritate, ij ſint homines probi & integri, ſiue religioſi illi ſint, ſiue ſæculares, & cum illis libenter miſce colloquia: porrò nequam & improborum virorum commercia deuita.

10. Sermones qui fiunt de Deo, pu-

Nota de Indulgentijs expetendis. publicè & priuatim lubens audias: preces quoque & condonationes ſiue Indulgentias ſtudioſè expetas.

11. Amato bonũ, odito omne malũ.

12. Vbicumque fueris, nemo auſus ſit quicquam eiuſmodi te præſente eloqui, quod alliciat ad mortiferũ peccatum, aut alterius famæ deroget: nec tu vnquam de vllo malè loquaris obtrectandi animo.

13. Non patiaris quemquam, te audiente, peruersè de Deo, aut Sanctis eius loqui; nec id ſinas impunè abire.

14. Crebrò agas gratias Deo pro bonis omnibus ab illo tibi collatis: vt dignus fias potioribus eius beneficiis affici & augeri.

15. *Iuſtitia conſeſtãda.* In adminiſtrandâ iuſtitiâ ſis rectus & ſeuerus, & ita vt leges præſcribunt, eam exerceas erga ſubditos; neque ad dexteram, neque ad ſiniſtrã deflectens, pauperumq́; querimonias non reiicias, donec veritas innoteſcat.

16. *Nota nota.* Si quis habeat aduerſum te querelam aut controuerſiam; ſemper ab illo ſtes contra teipſum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet vt conſiliarij tui fidentiùs iuſtam ferant ſententiam.

17. Si quid poſſideas rei alienæ, etiamſi acceperis id à maioribus tuis; incunctãter reſtituas iuſto poſſeſſori, vbi certò id tibi conſtiterit. Sin autem dubia res eſt, cura vt viri ſapientes accuratè, & ſine morâ inquirant. Id enim vel maximè ſtudere debes, vt qui ſunt in ditione tuâ, pace & iuſtitiâ fruantur, inprimis homines religioſi, & qui in Clero ſunt.

18. Parentibus tuis debes amorem, reuerentiam & obedientiam. Beneficia Eccleſiaſtica non conferas niſi bene dignis, & qui nulla eiuſmodi beneficia habeant, idq́ue ex conſilio bonorum virorum.

19. *Bellum nõ facile ſumendum.* Bellum, præſertim aduerſus quemlibet Chriſtianum, ſine multo conſilio vide ne ſuſcipias. Si neceſſitas cogat ſuſcipere: eccleſias & inſontes nullo patiaris damno affici.

20. Si qua exiſtat vel tibi vel ſubditis tuis contentio, vel bellum: quoad poteris cõponere vel ſedare, coneris.

21. Vide vt bonos habeas prætores & magiſtratus: & de illis ſolerter inquiras vt ſe gerant.

22. Semper ſis addictus & deuotus Romanæ Eccleſiæ: & eius Pontifici, haud ſecus atque ſpirituali patri te morigerum præbeas.

23. Da operam vt impenſæ tuæ moderatæ ſint, & rationi conſentaneæ. *Nota.*

24. Sub finem hortor & adiuro te, fili mi, ſi me contigerit ante te migrare ex hac vitâ, vt toto regno Franciæ pro animâ meâ cures offerri Deo preces & Miſſæ ſacrificia.

25. Ad extremum, fili chariſſime, quicquid boni poteſt bonus & pius parẽs precari filio ſuo, id ego precor tibi. *Bona precatur filio.* Sacroſancta Trinitas, & Sancti omnes ſeruent te ab omni malo; præſtetq́ue tibi Deus gratiam rectè ſemper agendi, & ipſius faciendi voluntatem: ita vt ille per te honoretur, & nos poſſimus poſt hanc vitam pariter eſſe cum illo, eumq́ue contemplari, & laudare per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

IN CAPVT XXII.

Vidi illum miſerum papillardum.] *Thom. Cantiprat. l. 2. Apiarij cap. 25. §. 63. ſcribit hac eadem de iſto ſannatore;* Vidi illum miſerũ papellardum regem, caputium habentem capitis ſuper ſcapulare, ex aduerſo ſuſpenſum. *Comitem illum Gelria Othonem vocat.*

IN CAPVT XXIII.

Ex regis filiis tollit Ioannem.] *Nempe graſſans peſtilentia. Paul. Æmil.* Filios hos procreârat; *Filij regis.* Philippum in regnum ſucceſſurum, Petrũ Alanconij, Robertum Claromontenſium in Bellouacis, Comites, ac Ioannem infelici cognomine Triſtennem: quòd cũ mater Ægyptiæ cladis anno pepererat. *ac recenſitis ceteris filiis, paullo pòſt ſubiicit.* Diſceſſit infauſto nomine filius regis Ioannes Triſtennis, natus patre à barbaris circumuento, moriens patre protinus morituro. Ad octauum Calendas Sept. Sanctus rex profluuio deceſſit.

Tollit ipſum quoque ſanctiſſimum regem.] *Mors regis ſancta.* *Sanctè obiiſſe in Elogijs dictum: quomodo Guiller. Pepin conc. de S. Ludouico:* Vir Dei ad extremum veniens, ſuper ſtratum cinereum ad modũ Crucis brachia extendens ſtetit aliquãdiu immobilis, ita vt à pleriſque iudicaretur mortuus. Poſt hæc tandem aperiens oculos, & ad cælum eleuans, vultu ſereno animam ſuam Deo recõmendans, atque B. Virgini, SS. Dionyſio & Iacobo, protulit hæc verba valefaciens mundo; Introibo in domum tuam, adorabo ad tem-

plum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. *Iudocus Clichtou. Conc. 1. de S. Ludou. morientem decubuiſſe ſcribit* in cilicio terræ ſuperſtrato & cinere, *& quod Conc. 2.* in modum crucis expanſum.

IN CAPVT XXIV.

Vt Rex Tunetanus regi Siciliæ annuum tributum 40. milliū aureorum.] *P. Æmil. addit*, Quantam ſummam Siculus Romano Pontifici ex formulâ debebat: *quæ hodieque ſoluitur.*

IN CAPVT XXV.

Multis claruit miraculis.] *Quorum multa perſcribit Guiller. Pepin Cōc. 2. de S. Ludouico ad finem. Miraculorum habendum loco, mihi quidem videtur, quod Thomas Bozius ſcribit de nummis B. Helenæ Imperatricis, & S. Ludouici regis, efficacibus aduerſus morbos. ait:* Monetæ adhuc aliquot extant, quæ in honorem Helenæ Auguſtæ & inuentæ Crucis, cum huiuſmodi imaginibus excuſæ antiquitus fuere: illis eſt pręſens remediū aduerſus morbū comitialem: & qui hodie viuit Turcarum rex Amurathes, quamuis à nobis alienus, vim illarum expertus, ſolet eas geſtare: morbo namque huiuſmodi interdum laborat. Nummi quoq; S. Ludouici Frācorum regis mirificè valent aduerſus nonnullos morbos. *lib. 15. de Signis Eccleſiæ, Signo 68. cap. 12.*

Nūmi Helenæ medētur morbo comitiali.

Item nummi S. Ludo. aliis variis morbis.

Inter miracula quoque cenſenda eſt curatio Strumarum quæ dicuntur & ſcrophulæ: de quâ quod amicus meus Aubertus Miræus ſcribit in chronico ad an. Chriſti 1270. viſum aſcribere. Nangiacus in vitâ S. Ludouici narrat, cùm prædeceſſores Reges in tangendis ſtrumoſis ſigno crucis vſi non eſſent, illum primò vti cœpiſſe. ſtrumę autem Græcis Cherades, ſunt glandulæ induratæ. Hanc vim Regibus Galliæ à Deo datam, vt tactu ſtrumas curent, longo vſu compertum eſt; ad eoſque ex vltimis Hiſpaniæ, Italiæ, Germanię, Belgijque finibus ſtrumoſi hodieque adcurrunt. S. Marculſi Abbatis precibus ac meritis tantum eos poſſe, conſtans eſt opinio. Itaque ad eius templum in agro Laudunenſi ſitum, Reges quàm primùm vncti ſunt, proficiſci ſolent. Vixit autem S. Marculfus apud Barocaſſes in Normanniâ, Clotarij Secundi & Sigeberti temporibus, vt ex eius vitâ Gallicè editâ mihi conſtat. Maſſonus *li. 3. Annaliū D. Ludouico in fine* & Mariana.

Reges Franciæ ſtrumas ſanant.

Sic tradunt reges Angliæ olim annulos quoſdam benedixiſſe, vtiles neruorum contractioni & ſpaſmo, ac morbo comitiali: eoſdem quoque contactu ſtrumoſos curare ſolitos: quod vtrumque à Deo eis conceſſum, S. Eduardi regis Angliæ meritis ſcribit polydor. Vergilius Hiſt. Anglicanæ lib. 8. De his plura qui volet, Martinum Delrium, Diſquiſitionum Magicarum lib. 1. cap. 3. quæſt. 4. legat.

Item ſolent Anglorum Reges, & annulis curare neruorum contractiones.

A Bonifacio Pont. eius nominis octauo, inter Sanctos relatus.] *Firmam. trium Ordinum:* Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, tertio Idus Auguſti, Dominicâ die, in Vrbe veteri, Dom. Bonifacius Pontificatus ſui anno tertio canonizauit Sanctum Ludouicum, quondam Regem Franciæ, & Sanctorum Confeſſorum catalogo annumerauit. *Errat igitur Bapt. Platina, dū Bonifacio Octauo ſcribit, illum* dum in Vrbe veteri eſſet, B. Ludouicum ex regiâ Francorū ſtirpe ortum, vtpote ex Carolo Secundo, Ordinis S. Franciſci profeſſum, vt quidam volunt, in Sanctos retuliſſe. D. *Ludouicus Rex Francorum, patruus magnus fuit D. Ludouico, Caroli II. Siciliæ Regis Filio. hic ex F. Minore factus eſt Epiſcopus Toloſanus, non à Bonifacio Octauo, ſed à Ioanne XXII. tabulis Diuorum inſcriptus. Adi vitam eius & ad eam Commentarium meum. Errat Blondus cum lib. 9 Decadis 2. à Bonifacio VIII. ſcribat idem quod Platina: quem etiam errorem ſequutus eſt Æneas Siluius lib. 19. Abbreuiationum hiſtoriarum Blondi.*

Nota notæ errorem.

APPROBATIO.

Vitam B. Ludouici Regis Francorum, tertii Ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci, commentariis valde eruditis, admodum Reuerendi & Religioſi Patris, Fratris Henrici Sedulij Minoritæ locupletatam, & auctam, cùm ſatis attentè legiſſem: vtilem iudicaui vt omnium teratur manibus, & typis mandetur quoniam præterquam quòd nihil in eâ à fide catholicâ, Orthodoxorumque Patrum ſententiis, ſacrorumve Conciliorum decretis, alienum cōtineatur aut bonis moribus noxium: Reges in iuſtitiâ & æquitate commiſſa ſibi docet regere regna, pro fideque catholicâ etiam cum diſcrimine vitæ, cum opus fuerit, decertare, fideleſque omnes, temporalia bona contemnere, mundi huius oblectamenta deſpicere, & ob Dei gloriam nulla eius aduerſa formidare hortatur & admonet, viamque pœnitentiæ & crucis mortificationem, amplecti, & toto diligere corde. In quorum omnium atteſtationem has dedi & ſubſignaui, Bruxellæ 14. Nouembris, anno 1611.

Frater Andreas à Soto Sereniſſimæ Infantis à confeſſionibus.

SANCTI
IVONIS PRESBYTERI
I. V. DOCTORIS,
Tertij Ordinis B. Franciſci,
VITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENIVOLO LECTORI.

Sanctvs Iuo I. V. Doctor, ne diuinorum myſtarum ſublimis dignitas, huic ſacro cœtui deeſſet; etiã in iſto Tertio D. Franciſci Ordine, Sacerdotum gemmula radiauit, Aduocatus pauperum, Concionator excellens, cuius lingua manuſque, opera cũ doctrinâ, quam præpotens Deus multis ſignis, multuſque fructus audiẽtium comprobauit; per omnia reſpondebant ſibi, velut vnâ formâ percuſſa. Neque enim eſt huiuſmodi animus in recto, cuius acta diſcordant Et verò, nullos arbitror peius de cunctis mortalibus mereri, quàm qui aliter viuunt quàm viuendum eſſe præcipiunt: exempla enim ſeipſos inutilis diſciplinæ circumferunt, nulli non vitio quod inſequuntur obnoxij. Non magis mihi poteſt præceptor talis prodeſſe, quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Huic tali, cùm in Eccleſiâ docet, tacitus quilibet iure reſpondeat; Cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiunijs diſputat. accuſare auaritiam & latro poteſt. Perdit auctoritatem docendi, cuius opere ſermo deſtruitur. & ipſa muteſcit facundia, cùm ſit ægra conſcientia. Horum talium, proh dolor! nunc ingens manus eſt, quibus non in pectore, ſed in labris eſt tantùm tinniens ſapientia. At beatus vir ſatagebat, ne deformarent iniquitatis opera magiſterium diſciplinæ. Vita viri, virtutes, merita, miracula de ſanctitate eius abundè conteſtantur, & quæ de illo ab alijs dicta ſunt

Concionator improbandus.

E L O G I A.

Hartmannus Schedel hiſtoricus Noriburgenſis.

IV o natione Brito, eruditiſsimus Iuriſcõſultus, præter doctrinam & ſingularem eloquentiam, quibus egregiè inſignitus erat, mirâ etiam pietate, ac miſericordiâ in pauperes vſus, celeberrimus habitus. Angelicâ enim floruit continentiâ, & vitam ſuam à vino & carniũ eſu penitus alienam reddidit, corpus cilicio operuit; ieiunijs & orationibus diſciplinas vigiliaſque admiſcebat; nudam pro cubili terram luteã, rigidum ſaxũ pro ceruicali, aut ſacrum Bibliæ volumen, quod ſibi comitem elegerat, adaptabat; ſuamque omnem cum pauperibus, quos procurãdo protegebat, conuerſationem duxit humillimam. Patrimonium amplũ cùm haberet, ſpem in Deo collocans, pauperũ & orphanorum ac viduarum cauſam pro virili ſemper tueri voluit. Hic igitur almificus Iuo, Aduocatorum omnium lucerna, condignam laboris ſui mercedẽ à Domino percepit: qui mortuus cùm crebris fulgeret miraculis, inter Sanctos aggregari meruit; vnde eius feſtum ſexto Kal. Septembris celebrari iuſſum fuit. & de eo ſcribitur,

S. Iuonis ſanctimonia.

Is aduocatorũ lucerna.

Iuo pater Legum, cuſtos, protector, & amplum
Egregiumque decus, cui ſe debere fatentur
Iura, tuo toties ſunt debellata fauore;
Aptus eras iuſtas miſerorum ſumere cauſas.

Sextâ mundi ætate. Philippus Bergom. lib. 13. Supplem. Chron. ad annum Chriſti 1311.

Ioannes Mayerus.

D. Iuo vir ſanctiſsimus, natione Britannus inter cælites relatus eſt. Non inuenitur (inquit Mater illa hiſtoriarũ) inter omnes aduocatos & Iureconſultos, qui ſit ſanctus, niſi ſolus iſte Iuo. Erat enim magnus Iureconſultus, Aduocatus & pater pauperum. *Lib. 12. Annalium rerum Flandricar. ad annum Domini M. CCC. XLII. ſub finem.*

Nota notan.

Aduocatus pauperum.

ORDO CAPITVM.

I. BEATVS Iuo nouum in Eccleſiâ ſidus, miraculis micans, nobilibus eſt ortus parentibus, prope ab vrbe Trecorenſi.

II. Pariſijs imbutus artibus liberalibus, Aureliæ Sacris litteris & Canonibus operam dans, ſe penitus caſtitati conſecrauit. Munere Iudicis Eccleſiaſtici ſanctè perfunctus, in pietate & virtutibus promovens, factus paſtor, humilem veſtem ſumſit, creber in orationibus, rigidus in ieiunijs.

III. Diebus ſeptem abſtinens cibo, corporis eadem fuit habitudine. Cùm pene quotidie ſacrificaret, viſus eſt aliquando globus igneus ſacram ab illo hoſtiam eleuatam ambiuiſſe. Veſtitus durè dormiuit, pauperes miſeroſque benignè fouit, etiam ſuæ menſæ adhibuit.

IV. Neceſſaria ſibi ſuæque familiæ largiter cùm in pauperes diſpergeret, Deus abundè compenſauit.

V. Oratione ſanauit infirmos, afflictis opem attulit, pacem inter diſcordes conciliauit.

VI. Immunitatem propugnauit Eccleſiaſticam ipſe patronus pupillorum & orphanorum, veruſque pauperum Aduocatus.

VII. Pleriſque locis concionatus eſt Verbum Dei, magno audientium fructu. ſigno Crucis aquas diſparauit.

VIII. Contemplationi deditus, angelum Domini pauperis excepit ſpecie; qui etiam columbæ formâ, & alius auiculæ viſus illi fuit.

IX. Praeſcius ſuæ mortis, ad eam ſe parauit. Oculis in crucem defixis mortuus, multis miraculis coruſcauit. Inter Sanctos adlectus à Clem. Pont. VI. eius nepotem deſperatum à medicis ſanauit.

Commentarius breuis ad eius vitam.

SANCTI IVONIS PRESBYTERI I. V. DOCTORIS, Tertij Ordinis B. Franciſci, VITA.

CAPVT I.

B. Iuo nouum in Eccleſiâ ſidus, miraculis micans, nobilibus eſt ortus parentibus, prope ab vrbe Trecorenſi.

* 1. Cor. 10. 11.
S. Iuo ſtella noua in firmamento Eccleſia.

TEMPORIBVS noſtris, * *in quos fines ſeculorũ deuenerunt*, nouam quãdam ſtellam creauit Deus in firmamẽto cæli, cuius ſplendore ornarentur cæleſtia, illuſtrarentur humana; nempe ſanctiſſimum Iuonem Presbyterum & Confeſſorem, è Britanniâ minori ortum: cuius præclaris meritis cęleſtis gratulatur Hieruſalẽ, Eccleſia militans triumphat, ſathanæ poteſtas proteritur, humanum genus ſubleuatur; dum vbique terrarum eius egregia coruſcant miracula. Et quidem cùm adhuc inter mortales in terris degeret, illius meritis cœperunt ſalutis exempla exiſtere: quemadmodum & literis Pontificis maximi, & multorũ Eccleſię Prælatorũ, ac Principum, cõpluriumq; aliorũ Chriſtianorum fide dignis eſt teſtimoniis cõprobatum. Fuere autẽ illi parentes nobiles, è quibus eſt legitimo matrimonio procreatus: pater Ahelorus dicebatur, filius Cancieti militis: matri, Azonis nomen fuit. Editus autem in hanc lucem eſt beatus Iuo in pago quẽ vulgò Martini appellant, non longè ab vrbe Trecorenſi. Quàm verò Deo charus futurus eſſet, eius genitrici dormienti diuinitus eſt reuelatũ. A primis ætatis annis vſque ad ſupremum vitæ diem, conuenienter doctrinæ * Apoſtolicæ, *ſobriè & iuſtè & piè vixit in hoc ſæculo.*

Parẽtes eius nobiles.

Patria Trecorenſis.

* Tit. 2. 12.

CAPVT II.

Pariſijs imbutus artibus liberalibus, Aureliæ Sacris litteris & Canonibus operam dans, ſe penitus caſtitati conſecrauit. Munere Iudicis Eccleſiaſtici ſanctè perfunctus, in pietate & virtutibus promouẽs, factus paſtor humilem veſtem ſumſit, creber in orationibus, rigidus in ieiuniis.

VBI ad quartumdecimum, plus minùs, ætatis peruenit annum, diuinis litteris cupiebat inſtitui: vt quemadmodum propheta ait, * *In lege Domini poſſet meditari die ac nocte*. Itaque Pariſios profectus eſt, cauſsâ amoris Chriſti, libenter carẽs parentũ amicorumq; ſolatiis; & apud ignotos & exteros degẽs. Neque verò bonis litteris oſcitãter incubuit: ſed cùm diligentem illis nauaſſet operam, neque contemnendos in iis feciſſet progreſſus; vt ſacræ Theologiæ & Iuris Pontificij grauioribus ſtudiis ſeſe traderet, Lutetiâ Aureliam ſe contulit. Vbi ſanè vino & lautioribus ferculis, vitæque huius oblectamentis & deliciis, quantum potuit, ſibi interdixit, corpuſque ſuum variis modis macerauit. Corporis & animi pudicitiam accuratè in ſe tueri nitebatur: ſecum penſitans illud Sapientis; * *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Cùm autem in his ſtudiis iam diu verſatus eſſet; à quodam Redonenſi Archidiacono accitus eſt, vt Iudicis Eccleſiaſtici officio apud illum fungeretur. Ille verò memor illius Propheticæ ſententiæ; * *Beati qui*

* Pſal. 1. 2.
S. Theologiæ ſe ſtudiis applicuit.

Pariſiis Aureliam venit.

Corpus macerans pudicitiam ſeruat.

* Sap. 1. 4.

* Pſal. 105. 3.

cuſtodiunt iudicium & faciunt iuſtitiam in omni tempore: eam functionem gratis in ſe recepit, & quæ facienda erant benignè, amanter, & abſque dilatione exſequi conatus eſt. nec tamen committere voluit quin ſacræ Theologiæ prælectioni quotidie intereſſet, & corpus ſuum multiplici abſtinentiâ afficeret. Orphani, afflicti, calamitoſi homines eius fouebantur humanitate & patrociniis: inter diſcordes conciliabat pacem & amicitiam; eos qui carceribus tenebantur, hortabatur ad patientiam: & cùm proferenda ab ipſo eſſet in iudicio ſententia; ſine lacrymis id non faciebat. Eccleſiaſticam libertatem & immunitatem pro viribus tuebatur. in miſericordię opera totum ſe impendebat: iamque toto pectore cœpit ea quæ ſunt huius mundi deſpicere, & ardenti deſiderio cæleſtibus ſemperque manſuris bonis inhiare. Interim autem famâ eius ad Trecorenſis Epiſcopi aures perlatâ; ab eodem Epiſcopo generalis eſt Iudex ſiue Officialis, vt vocant, inſtitutus. Sed neque ſic immemor fuit eorũ, quæ antè diximus: imò verò ad ſublimiora pietatis ſtudia ſe accingẽs, ibat de virtute in virtutem, & ſemper ſeipſo melior euadere nitebatur. Cùm autẽ id officij aliquamdiu ſtrenuè & fideliter eſſet exſecutus, cuperetque totũ ſe dare contemplationi rerum diuinarum, & viuendi perfectiorem ſectari modum: eo officio ſe abdicauit, atque ad eccleſiam de Lohaneto, cuius erat moderator, ſe contulit, totumq; ſe diuinis mancipauit rebus; beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ illectus exemplo, quæ *partem optimam elegit*, & Dominum habuit ſui inſtituti approbatorem. Ibi tum veſtes molles & delicatas, quibus pro ratione ſui ſtatus anteà fuerat vſus, ilico abiecit: pannoq; colorio ſiue albo, eoq; rudi & exigui pretij contentus, inſtar pauperum monachorũ, ſculponeis vtebatur. Carnem verò edomabat cilicio, quod induſio craſſiſſimo tegebat: ne ſub cuiuſquam conſpectum veniret. Porrò ieiunia omnia ab Eccleſiâ inſtituta & indicta, ita obſeruabat: vt pane & aquâ cõtẽtus eſſet. Eſcis delicatis ſemper abſtinebat, rudi cibario pane & pulmẽto viliſſimo veſcebatur. Quando erat domi, nunquam non orationi & contemplationi clàm vacabat: neque tum alimenti alicuius corporei percipiendi vlla ei cura inerat, quemadmodum ſequentia docebunt.

Iudex Eccleſiaſticus benignus & æquus.

Abſque lachrymis ſententiam non dixit.

Iudex factus Generalis Epiſcopi Trecorenſis.

Renuntians officio contemplationi ſe dedit.

Luc. 10. 42.

Veſtes ſumpſit viles & ciliceum.

In ieiuniis rigidus.

CAPVT III.

Diebus ſeptem abſtinens cibo, corporis eâdem fuit habitudine. Cum pæne quotidie ſacrificaret, viſus eſt aliquãdo globus igneus ſacram ab illo hoſtiam eleuatã ambiuiſſe. Veſtitus durè dormiuit. Pauperes miſeroſque benignè fouit, etiam ſuæ menſæ adhibuit.

ACCIDIT enim quodam tempore, vt in cubiculo ſuo ſeptem dies ſolus maneret, perpetuò in precibus perſeuerans; neque vllum expetens neque ſumens cibum corporeum: ac nihilominus bonâ corporis habitudine, ac facie iucundâ poſteà inde exiuit, perinde ac ſi diebus illis opiparè victitaſſet. Non patiebatur vllum ſibi præterire diem, quo non ſummo cum deſiderio & animi deuotione ſacrificaret: niſi legitimè eſſet impeditus. Quodam die, illo ſacrificium offerente, cùm ex more ſacram hoſtiam eleuaret: globus igneus magni ſplendoris ipſam ambiebat hoſtiam; caliceque eleuato ac rurſus depoſito, repente diſparuit. Preces horarias, quas horas Canonicas vocant, ſtudioſè perſoluebat. Mediâ nocte cum Prophetâ ſemper ſurgebat: preces nocturnas, quæ matutinæ dicũtur, Deo offerens; neq; à ceteris diurnis Canonicis precibus abeſſe volebat. Sõni erat parciſſimi, rarò vel numquam illi indulgens; niſi vel lectione, vel itinere fatigatus: tunc enim neceſſitate adactus detractis calceis, dabat mẽbra quieti, ceteris veſtibus indutus. Cubabat autem vel in nudâ humo, vel glebis craſſis, nodoſiſq; virgis vel ſtipitibus cõſtratis, molliſſimũ capiti ceruical ſupponẽs, nẽpe, aut Biblia ſacra, aut ſaxũ prædurũ. Hoſpitalitatis erat pręcipuè ſtudioſus: ita vt rarò vel nunquam à mẽsâ ſuâ pauperes & hoſpites abeſſe voluerit. Hominem quendam inopem cum vxore & quatuor liberis eius, plùs minùs, nouem annis habuit domi ſuæ: iiſque ea quæ ad victum cultumque corporis pertinent, benignè ſuppeditauit. Erat ſanè cum primis miſericors & liberalis, & ad præſtandas eleemoſynas valde attentus: ex quo benignitatis fonte manauit, quòd etiam alienigenas pauperes, item ege-

Diebus ſeptem ieiunus aquâ viſus vegetus.

Quotidie ſacrificabat.

Nota ſacrã hoſtiam miraculo mõſtratam.

Pſal. 118. *Preces horarias attentè legebat, etiam noctu.*

Veſtitus dormiebat, humi duro lectulo.

Hoſpites pauperes menſæ adhibuit, in pauperes liberalis.

nos

nos malâ affectos valetudine, deformes, haud ſecus atque fratres ſuos humaniter excepit, affabilem, comem, familiarem ſe illis exhibuit; ad menſam ſuam ſibi aſsidere voluit, de cibis ſuis illis appoſuit, lectos apparauit propriis manibus, illorum pedes abluit: eiuſmodi autem pietatis officiis certas aſsignârat ædes, in quibus iis ſemper vacare poſſet.

CAPVT IIII.

Neceſſaria ſibi ſuæq́; familiæ largiter cùm in pauperes diſpergeret, Deus abundè compenſauit.

ET vt charitati, quâ feruebat, abundè ſatisfaceret; ipſe ſibi vltro ſubtrahebat vitæ degendæ res neceſſarias: & vt pauperibus benignè faceret; veſtes & alimenta ſua illis impertiebatur. Accidit quandoque illis in locis magna frumenti caritas: nec erat beato viro plus quàm vnus panis. Quem cùm vellet pauperibus elargiri, Vicarius eius rogauit eos, quos vir ſanctus inuitârat, nè id permitterent: quòd nullum alium panem domi haberent. Vt ergo ſenſit vir Dei murmur vicarij ſui; mox dimidium panem dedit illi, reliquam partem pauperibus diſtribuit. Cùm iam ad menſam eundum eſſet, & vicarius dimidium panem apponere vellet: quæſitum diligẽter eo loco quo eum repoſuerat, reperire nõ potuit. Ecce autem, nutu diuino, muliercula quędã ilico adeſt; tres magnos apportat panes, offert eos ſeruo Dei, & eius mẽſę imponit; nec vltrà à quoquam videri poteſt. Alio die complures inopes ab eo ſtipem petiere: ſed cùm non haberet niſi paucos panes, diuino implorato auxilio, omnibus abundè ſatisfecit. Alio rurſus tempore, cùm viro Dei non niſi vnus eſſet panis exigui pretij; & multi ad eum confluxiſſent pauperes: illo vno pane diuinâ fauente gratiâ, omnibus fecit ſatis. Viſitabat quandoque parœciam ſuam, occurritque illi homo egentiſſimus, petens ab eo ſtipem. Sed cùm nihil haberet quod illi largiretur; capitium ſibi detraxit, & pauperi dedit. Vix dimidij milliaris confecto itinere, capitium illud ſuo ſenſit capiti reſtitutum. Iniunxit quandoque duobus familiaribus ſuis, vt quandam ciſtam frumentariam in ſuos, & pauperum Chriſti vſus ſeruarent. Poſtea autem illi apertam eam viderunt, & ſeram prorſus amotam, parumq́ue in eâ frumenti relictum. Mox igitur ad beatum virum id referunt, qui ſic eis reſpondit; Faceſſat timor: Deo benignè nobis opitulante, ſatis habebimus. Redeunt inde ad ciſtam, & eam conſpiciunt frumento plenam.

Sibi neceſſaria pauperibus largitus eſt.

Quod Deus miro modo compenſauit.

Vno pane multos refecit pauperes.

Capitium ſuum dedit egenti, quod diuinitus mox recepit.

Mirum.

CAPVT V.

Oratione ſanauit infirmos, afflictis opem attulit, pacem inter diſcordes conciliauit.

MVLTVM compatiebatur vir pius ægrotis, præſertim pauperibus; eoſque libenter viſitabat, & pro illis Deum fideliter deprecabatur. Matrona quædam nobilis malè valebat, nec potuit medicorum arte reſtitui. Itaque non parum ſibi pollicens de precum & meritorum beati Iuonis efficaciâ; illum inuitat ad conuiuium. Cernens autem vir ſanctus eam cibum capere non poſſe, panem miſit in calicem aquę, vnde ipſe potabat: cumq́ue ad Deum fudiſſet preces, panem illum obtulit matronæ. Comedit illa; & vſqueadeo repentè conualuit, vt poſtea annis viginti ſuperuixerit. Alius quidam triennio grauiter laborauit, & à dæmone per illum loquente mirè vexabatur. Eum igitur beatus Iuo ad ſe curauit adduci, & nocte illâ apud ſe manere iuſſit: manè ſurgens dæmoniacus ſe liberatum ſentit, Deoq́ue & beato Iuoni gratias agit. Conſolabatur vir Dei afflictos omnes pro viribus, eiſq́ue quantùm licuit ſubueniebat. Volebãt quidam põtem facere in flumine magno, quòd multi illud non ſine præſenti periculo quotidie tranſirent. Iam trabes multæ, & varia materia ex artificum conſilio comportata & præparata erat: ſed prorſus inutiliter. Vbi hoc reſciuit beatus Iuo; illorum damnis afflictus, preces fudit ad dominum: & ecce ligna quæ nullum viſa erant vſum habitura ad pontem efficiendum, mox apta & oportuna cernebantur. Domum quandam vaſta-

Ægrotam precibus ſanauit.

Infirmum item demoniacum.

Ligna precibus aptat ſtruendo ponti.

bat flamma vorax: accurrebant vicini & propinqui, vt adferrent remedium: ſed nihil efficere potuêre. Indicatur periculum viro Dei: & ille precibus furentes extinguit flammas. Pacis conciliandæ, Eccleſiaſticæque libertatis aſſerendæ, fuit perquam ſtudioſus: adeò vt eius cauſâ non dubitarit mortis adire diſcrimen. Maligno concitante dæmone inter mulierem quandam & eius filium, atrox emerſit diſcordia: nec vllis amicorum precibus potuit inter eos concordia ſarciri. Audiuit hoc vir ſanctus; mox ſacrificium offert pro pace inter eos reformandâ: & ecce ambo ſe permittunt eius arbitrio & voluntati, ipſiuſque operâ pax redintegrata eſt.

Incendium extinxit oratione.

Sacrificio pacem reparauit.

CAPVT VI.

Immunitatem propugnauit Eccleſiaſticam ipſe patronus pupillorum & orphanorum, veruſque pauperum Aduocatus.

VENERVNT quandoque miſſi à rege Franciæ ad vrbem Trecorenſem, qui ab Epiſcopo & eius collegio ſubſidij nomine quippiam extorquerent. Formidante autem Epiſcopo & Canonicis, ne eccleſiæ theſauros illi abſportarent: ſanctus Iuo ad ſacrarium ſe contulit, illos theſauros defenſurus. Cùm autem miniſtri regis ex Epiſcopi domo equum abſtuliſſent, eumque vellent abducere: beatus Iuo illos adiit, equumque ex illorum manibus ereptum, ad Antiſtitis ædes reduxit, cùm priùs acriter illos obiurgaſſet: quòd ea facerent quæ ipſos minimè deceret. Abierunt autem illi, nec quicquam ex iis quæ diximus tulere ſecum. Pupillos & orphanos egregiè tuebatur; & eorum cauſâ diuerſis in locis adibat iudicia, patronum ſe illis exhibens: neque id tamen ſpe alicuius muneris aut præmij, ſed pietate & iuſtitiâ permotus. imò verò ſuis impendiis illorum cauſſas defendebat apud Iudices, vt poſſet à Domino audire; *Quod vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti*. Inde adeò factum eſt, vt in illâ regione meritò appellatus ſit *Aduocatus pauperum*.

Eccleſiæ defendit immunitatem.

Pupillorum orphanorumque patrocinabatur cauſis.

Mat. 25. 40.

Aduocatus pauperum.

CAPVT VII.

Pleruſque locis concionatus eſt verbum Dei, magno audientium fructu. Signo Crucis aquas diſparauit.

FVIT verò etiam inſignis concionator, & verbi Dei zeloſus imprimis ſeminator: neque in vnâ parœciâ ipſius curæ commiſſâ ſparſit verbum Dei; ſed in totâ illâ regione. Ibat autem non ſublimis equo, ſed pedibus ſuis, Chriſti exemplo inductus, de quo ſcriptura dicit; *Quam pulchri pedes annunciantis & prædicantis pacem!* Ibat quandoque cum famulo ſuo per diuerſa loca diſſeminans verbum Dei. Venit autem ad quoddam magnum flumen, per cuius pontem tranſire ſolebat, ſed eum iam aquæ planè operuerant. Edit igitur ſignum crucis: & aquæ ſe diuidunt, liberumque præbent iter tranſeunti cum famulo; rurſuſque ad priſtinum redeunt locum, poſtquam illi à ponte abierant. Gentes autem eius regionis, cùm eius conciones audiuiſſent, conuerſæ ſunt.

Concionabatur multis.

Iſa. 52. 7. Rom. 10. 15.

Signo crucis viam per aquas aperuit.

CAPVT VIII.

Contemplationi deditus, angelum Domini pauperis excepit ſpecie; qui etiam columbæ formâ, & alius auiculæ viſus illi fuit.

ERAT præterea contemplator egregius. Non rarò accidit, vt cùm eum putarent alij rebus terrenis occupatū, animo totus eſſet ad cæleſtia ſuſpenſus. Sæpe etiam à beatis ſpiritibus viſitabatur. Sedebat quodam die ad menſam; ſuperuenit autem quidam, vt videbatur, pauper miſerabilis, vili habitu indutus: quem ille comiter & cum multâ humanitate excepit, ſibique in menſâ aſſidere, atque è ſuâ ſcutellâ cibum capere voluit. Sed cùm pauper ille parum ſumſiſſet cibi, mox ſurrexit à menſâ, & dixit; Dominus vobiſcum. & ecce qui viſus fuerat abiecto

Contemplationi deditus fuit.

Pauperis habitu Angelum ad menſam excepit.

habitu & deformis, iam pulcherrimus, & multa luce conſpicuus, candidáque veſte amictus conſpicitur: ita vt eius lumine tota illa ſplenderet domus; ſeque eorum aſpectibus ſubduxit. Alio die ſedente beato viro in ſacrario Trecorenſis eccleſiæ, columba quædam aduolauit mirè illuſtris: cuius ſplendore tota eccleſia vnà cum ſacrario mirificè illuſtrabatur. Sedebat quandoque ad menſam cum multis pauperibus: & ecce inſidet eius capitis aui quędã exigua, ad pectus colore niueo, ad tergum viridi. Apprehendit autem eam vir ſanctus & manibus blanditer demulcens, paulò pòſt dimittit dicens; Abi in nomine domini: & illa confeſtim diſparuit.

Columba ad eum aduolauit.

Item auicula dum pauperes menſa excepit ſua.

CAPVT IX.

Præſcius ſuæ mortis ad eam ſe parauit. Oculis in Crucem defixis mortuus, multis miraculis coruſcauit. Inter Sanctos adlectus à Clemēte Pont. VI. eius nepotem deſperatum à medicis ſanauit.

IAM multis ieiuniis, & laboribus intolerandis, cruciatuque multiplici vir beatus corpus ſuum valde extenuârat; cupiebatque cum Apoſtolo *diſſolui & eſſe cum Chriſto*. Itaque diuinitus præſtitum illi eſt, vt obitus ſui tempus antè pręſciret. Quæ cauſſa fuit, vt etiam tum cùm ſe ſentiret plùs ſolito viribus debilitari, nullum vellet remedium admittere: ſed perinde acſi rectè valeret, humi cubaret, non multis ſubſtratis paleis: verſuſque ad Crucis imaginem, quam perpetuò in ſuo aſſeruabat cubiculo, cum multis lacrymis & ſuſpiriis Dominum precaretur. Cùm autem extremæ Vnctionis ſacramentum percepiſſet, Crucis ſigno ſe muniuit: ſpiritumq; ſuum præpotenti Creatori humiliter commendans, deinceps nihil locutus eſt. Totâ autem nocte ſabbathi, vſque ad diem ſequentem, oculis apertis, & in Crucis imaginem defixis, tacitus iacuit. Illuceſcēte Dominicâ die, qui tūc fuit proximus ab Aſcenſione Chriſti, & incidit in decimum & nonum Maij diem, ſpiritum reddidit, eiuſque ſacrum corpus in Trecorenſi eccleſiâ humatum eſt. Infinita autem poſt eius obitum facta ſunt miracula, Deo eius meritis eximia reddente teſtimonia: viſitaturque ſepulcrum eius quotidie cum multâ deuotione, etiam ab illis qui aliunde ex diuerſis orbis regionibus ad illud confluunt, propter multa beneficia quæ ſancti viri meritis & precibus illic diuinitus conferuntur. Surdi enim audiunt, cæci vident, claudi ambulant, muti loquuntur leproſi mundantur, ad vitam mortui reuocantur, profligantur ex hominum corporibus nequam ſpiritus, ad pœnitentiam permouentur peccatores, res amiſſæ recuperantur, bella ſopiuntur, captiui ex infideliū manibus eripiūtur; in cuſtodias & carceres coniecti ſubitò expediuntur, inter diſcordes ſarcitur pax, malignæ cōſpirationes diſſipantur, qui nauigant mare ad portum incolumes pertingunt. Nimiùm prolixi erimus, ſi particulatim omnia perſcribere velimus. Clemens eius nominis Sextus Romanus Pontifex, eo tempore quo Clemens Quintus & Benedictus Duodecimus Romanæ Eccleſiæ præerant, ſæpe diligentem nauauit operam, vt beatus Iuo in Sanctorum numerum referretur. Et iter agenti apparuit vir ſanctus, ſcipionem manu tenens; iuſſitque vt ſuſceptum illud negotium accuraret, & ad effectū perduceret. Itaque admodū ſolemni ritu poſteà acceſſit ad adſcribendum illius nomen catalogo Sanctorum; eumque pro Sancto habendum pronunciās, ſolemniter, vt vocāt, canonizauit, anno Saluatoris Chriſti milleſimo, treceteſimo quadrageſimo ſeptimo, die decimo nono menſis Maij. Graui tum morbo affectus erat nepos eius Pontificis, idemque Archiepiſcopus Narbonenſis; ſpemque vitæ eius medici & periti homines abiecerant. Sed cùm illius amici, Dei & beati Iuonis opem imploraſſent, certumque votum beato Iuoni nuncupaſſent: ſtatim illi inſtaurata ſalus eſt. Permulta alia miracula ſtudio breuitatis prætermittimus.

Philip. 1. 23.

Mortem ſuam præſciuit, ad quam ſe parauit.

In ſignum Crucis oculis defixis fuit.

Mortuus infinitis inclaruit miraculis.

Clemens Sextus catalogo Diuorum aſcripſit.

Pontificis cognatum à morbo S. Iuo ſanauit.

COMMENTARIVS AD VITAM S. IVONIS PRESBYTERI.

LAVRENTIVS *Surius ad diem Maij decimum nonum, D. Iuonis Britanni vitã habet ex auctore anonymo, quam exſcripſi. Eam in capita ſecui, ſummarijs, & ad margines notulis, denique breui hoc Commentario nonnihil illuſtraui. hunc ſanctum virum fuiſſe Tertij ordinis D. Franciſci, ſuprà probaui, initio Commẽtarij mei ad vitam S. Ludouici IX. Regis Francorũ; & hoc ex Conc. 17. Roſarij Bernardini de Buſtis, part. 2. §. E. atteſtatur Ioannes Molanus in notis ad Martyrologium Vſuardi die 27. Octob. cuius hac verba;* In Britanniâ, tranſlatio S. Iuonis Confeſſoris, in vtroque Iure Doctoris, de Ordine pœnitentium B. Franciſci.

IN CAPVT II.

Veſtium color S. Iuonis.

PANNO colorio.] *Qui non tinctus eſt, ſed natiui coloris; qualis eſt noſtris ſodalibus ex Tertio ordine D. Franciſci in vſu in Italiâ & Hiſpaniis. Manifeſtè indicat Petrus de Natalibus l. 5. c. 21. inquiens; officio Iudicis relicto,* Eccleſiæ parochialis de Ioheuech, cuius erat rector, ſeruitio ſe penitus mancipauit. Pannos delicatos, quos primò iuxta ſtatum ſuum veſtierat, omnino dimiſit, & veſtes rudes albas, & modici pretij induit, indeque habitum, acſi religioſum portauit. *Item cap. 18. in additis hiſtoriis;* Indutus veſtibus, quæ pauperes decent religioſos.

IN CAPVT IX.

Spiritum reddidit.] *Exceſſit ex hac vitâ die decimâ nonâ Maij Chriſtianæ ſalutis anno milleſimo tercenteſimo & tertio. Clemens Pont. eius nominis Sextus, inter Diuos retulit eâdem menſis die anno Domini milleſimo tercenteſimo quadrageſimo ſeptimo; quod Baronius ſcribit in Notis ad Roman. Martyrologium ad diem 19. Maij. Apud alias nationes dies eius anniuerſaria colitur 19. Maij, apud nos 27. Octob. pridie SS. Simonis & Iudæ: quâ die tranſlatio ſacri corporis eius celebrata fuit, quod ex Vineâ S. Franciſci Teuthonicâ adnotare volui.* *Quando ſit mortuus.*

APPROBATIO.

Vita ſancti Iuonis presbyteri, vtriuſque Iuris Doctoris, tertij ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci, notis admodum Reuerendi ac Religioſi Patris fratris Henrici Sedulij Minoritæ aliquantulum elucidata; digniſsima eſt vt in lucem prodeat: inueniet enim in eâ (vt imitari quærat & apperat) bonæ indolis lector ſummam in egenos ac pauperes liberalitatis munificentiam, in iudicando rectiſsimam æquitatem, carniſque (quam nemo vnquam odio habuit) odium permaximum (rigidiſsimè namque eam vt ſpiritu ſubiiceretur, ieiuniis ac cilicio caſtigabat) humilitatiſque (quæ omnium virtutum fundamentum dicitur) ac aliarum multarum præterea, perfectiſsimum omnibuſque (vt aiunt) numeris abſolutum exemplar. Datum Bruxellæ 16. Nouembris anno 1611.

F. Andreas à Soto Sereniſsimæ Infantis à Confeſsionibus.

SANCTI
ELZEARII
COMITIS ARIANI
Tertij Ordinis S. Franciſci,
VITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI MEO.

CLAVDIT *agmen Sanctorum, qui ex tribus Ordinibus Diui Franciſci relati ſunt inter Diuos, ſanctus Elzearius Comes (vt vocant) Ariani, verè princeps nobilis, non vt inertiſſimi plerique, in quibus, ſicut in ſtatus, præter nomen & veterem ſanguinem nihil eſt: qui maiorum imagines in atrio ponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris, in parte primâ ædiū collocāt, noti magis quàm nobiles. Animus facit nobilē imbutus virtute, non longa fumoſarū imaginū ſeries ſignorumque. Vir ſanctus nobilitatem à maioribus acceptam minimè corrupit, imò rebus à ſe ſanctiſſimè geſtis multò fecit illuſtriorem. Virtute, pietate, propriis florere maluit, quàm auorum gloriâ niti. Quod ante nos, quod aliorum fuit, non eſt noſtrum. Equum emturus non aureas ſellas, non gemmatos frænos inſpicis, ſed ingenium & generoſitatem, proprium eius bonum: ſic in iſtis quoque, non antiquum ſanguinem, diuitias, ſigna, ceteráque fortunæ bona, an ludibria, quæ externa fluunt refluunt, æſtima: ſed virtutem veræ nobilitatis parentem. Altero nemo nobilior, niſi virtutibus clarior. Totus erat in cogitationibus rerum diuinarum: & vt Solis radij contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt vnde mittuntur: ſic ille conuerſabatur quidem in mundo, iugiter tamen inhærebat origini ſuæ Deo, mente ſæpiùs ſupra ſenſus arrectâ. Inclaruit pariter in eo pietas admiranda, liberalitas in pauperes, modeſtia, caſtitas; & verò talis (neſcio an audita aliàs) vt lectiſſimam coniugem Delphinam, nec ſecubans, aduſque mortem, virginem puram & intactam reliquerit; dignis multis laudationibus, licet ego hic ſubſcripſero pauca*

Virtus verò nobilitas.

Encomia S. Elzearij.

ELOGIA.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus.

S. Elzearius nec ſecubans cum vxore caſtè vixit.

DOMINVS Eleazarus, Comes Ariani deuotiſſimus, qui ſexdecim annos cum vxore ſuâ religioſâ muliere Delphinâ nomine, in virginitate, abſque lecti ſeparatione vixerat, Pariſiis in manibus F. Franciſci de Maronis, ex hac luce migrauit. Qui poſitus in extremis, dixit; Gratias ago Deo, quia ſponſam meam Delphinam, mente & carne virginē derelinquo. cuius mors eâdem horâ ipſi vxori ſuæ in prouinciâ Prouinciâ exiſtenti, fuit diuinitus reuelata. Hic cum habitu Minorum, Pariſijs in conuētu eorum fuit tumulatus, multis miraculis clarus. *Hiſtor. part. 3. tit. 24. cap. 9. §. 15.*

Bartholomæus Piſanus.

Fratris Philippi de Aquariis doctrina S. Elzearium, nunc Sanctorum catalogo aſcriptum, tunc verò Comitem Ariani, & S. Thalphinam eius coniugem ad Chriſtum conuertit; & virgines permanſerunt. *Conform. fruct. 8.*

CAPITVM INDEX.

I. ELZEARII nobili ſtirpe nati patria, parentes optimi.

II. Mater Elzeario concepto, velut vncta Spiritus ſancti gratiâ mutata in melius ardebat ad pietatem.

III. Mater genitum Elzearium ſtatim Deo conſecrauit, qui adhuc infans aſpectu pauperum & eleemoſynis delectabatur.

IV. Puerilis eius pietas aduerſus pueros pauperes. Virtutes eius & educatio, ac deſiderium ad martyrium.

V. Ductâ Delphinâ vxore, Elzearius ad perennem inductus eſt cum eâ continentiam.

VI. A laſciuiâ ſe continens mori maluit quàm offendere Deum, ieiuniis & afflictione corpus ſuum caſtigans.

VII. Gratiæ Dei cùm vigilanter adlaboraſſet, illam accepit, vt cuncta præ Deo contemnẽs, illibatam decreuerit ſeruare caſtitatẽ.

VIII. Elzearius quærens, quâ ratione Deo placere poſſet, docetur ſtatum ſuum non demutare.

IX. Gratiâ Dei mirifice roboratus, cum vxore, nec ſecubans, admirandam ſeruauit continentiam.

X. Nocturnis orationibus deditus, videns ſuam vilitatem, infinitam agnoſcit Dei miſericordiam. Ex viſo de Miſſæ ſacrificio, & Dom. paſſione, ſemper illam ſibi propoſuit ad imitationẽ.

XI. Inter contemplationem diuinitus illuſtratus, & luce refulgens viſibili, vidit diuinæ benignitatis æterna bona diligentibus Deum præparata, eiuſque gratiam paratam omnibus.

XII. Cùm Deo vacaret, SS. Trinitatis arcana, cauſſam & originem creaturarum, lapſus noſtri reparationem per Chriſti œconomiam, Sacramentorum inſtitutionem ſuauiſſimè contemplatus, intellexit; quorum guſtu quæ mũdi ſunt penitus deſpexit.

XIII. Inter cognatæ nuptias, delitiis & laſciuiis abſtinens, Dei conſolatione non deſtituebatur.

XIV. Indicatum diuinitus, S. Elzearium curæ fuiſſe Deiparæ Matri, cuius ipſe cultor eius ſe commiſit patrocinio.

XV. S. Elzearij caſta virginitas à fulgido lucenteq; lapide demõſtrata.

XVI. Per viſum alteri puritas oſtenſa S. Elzearij, multis imitanda.

XVII. Chriſtus aliquando viſus adſtitiſſe & adſediſſe dormientibus vnà Elzeario, & Delphinæ in argumentum gratæ Deo caſtitatis eorum.

XVIII. S. Elzearius ab auo migrans ſecum habitaturus, familiæ ſuæ leges optimas præformauit.

XIX. Igneus in ſalutaribus monitis, mirum in modum in piis fructificauit domeſticis.

XX.	*Multi ſunt imitati pietatem ſancti viri, & rationem eius vitæ, quæ mirandis virtutum inſignibus radiauit.*
XXI.	*Pauperum leproſorumque pedes lauit, leproſos oſculando, ſæpe ſanauit. Cùm liberaliter in annonâ cariore daret egenis ſibi neceſſaria frumenta: à Deo multiplicata recepit. morbidam puellam tactu curauit.*
XXII.	*Rebelles patientiâ fregit. calumnias conſtanter, vt non ſentire videretur, diſsimulauit.*
XXIII.	*Illatis iniuriis conſtantiam tenuit admirabilem, perenni recordatione Chriſti patientis.*
XXIV.	*Obærata ſua dominia debitis liberauit, miſericordiæ & iuſtitiæ ſtudioſus. Afficiendos ſupplicio hortabatur ad ſalutarem mortem. Damnatis multæ, clàm pecuniam reſtituit.*
XXV.	*Neapoli in aulâ regiâ pompam equeſtrem non aduertens, iugiter inhæſit Deo, ſtatuens cum vxore virgine votum perennis virginitatis Chriſto nuncupare.*
XXVI.	*Poſt ſacroſãcti Corporis Domin. ſumtionẽ Elzearius & Delphina coniux, magnâ pietate, voto diu cõcepto caſtitatis, hactenus illibatæ, obſtrinxerũt ſe Deo, auctore Garzẽdâ piâ matronâ præſẽte, quæ poſt exceſſũ illuſtri gloriâ illis apparuit.*
XXVII.	*Salutaribus monitis laſciuum regis filium, curæ ſuæ concreditum ad meliorem frugem perduxit, incorruptum ſeruans ſe ab vniuerſis munuſculis.*
XXVIII.	*Patrocinium pauperum ſuſcipiens, exulantibus etiam & egenis neceſſaria vitæ ſubminiſtrauit.*
XXIX.	*In fide Catholicâ fuit adeo confirmatus, vt ab eâ nullo modo potuerit ſeduci.*
XXX.	*Habitans in lateris vulnere Chriſti, conſcientiam ſeruauit impollutam, mortem nihil timens in naufragij periculo.*
XXXI.	*A nullo ſui pretio ſe maximum peccatorem exiſtimabat, cùm tamen eſſet puriſsimâ conſciẽtiâ. Correptus etiam fuit à Chriſto & morbo & flagellatione.*
XXXII.	*S. Elzearius præſcius ſuæ mortis in Galliam ablegatur à rege Siciliæ. Pariſiis decumbens ſe parat ad mortem, aſſerens Delphinam coniugem ſe puram relinquere virginem.*
XXXIII.	*Decumbens, Deo ſpiritu coniunctus fuit, volens pia & diuina ſibi prælegi. Sub mortem horribiliter à dæmonibus vexatus, vicit eos: cuius aſpectu petulans quidam meliorem vitam auſpicatus eſt. Mortuus Pariſiis, in habitu & templo fratrum Minorum ſepultus, atque inde Aptam tranſlatus, multis coruſcauit miraculis.*
	Commentarius ad eius vitam.

SANCTI ELZEARII COMITIS ARIANI

Tertij Ordinis S. Franciſci.

VITA.

CAPVT I.

Elzearij nobili ſtirpe nati patria, parentes optimi.

NOVISSIMIS hiſce temporibus, quibus tenebræ vitiorum occupârũt terram, mortalium vitam multis modis deformantes; miſſus eſt à Deo vir admirandæ virtutis & gratiæ, Elzearius Comes Ariani, è Narbonenſi Galliâ, ſiue Prouinciâ oriundus; illuſtris & nobilis genere, ſed illuſtrior & nobilior ſanctitate: cuius vita ſilentio tegi non debet, quemadmodum à diuinâ benignitate & clementiâ tam largiter præuentus ſit: vt etiam intrà ipſa matris viſcera ſancti Spiritus gratiâ imbutus videretur. Patrem habuit Hermongaum à Sabrano, virum inſignem & potentem; qui longâ nobilis ſtirpis ſerie, multarumque terrarum dominio famoſus, ab omnibus colebatur. Mater ei fuit Lauduna Albana vel Albæ, quæ tum ob ſanguinis claritatem, tum ob vitæ integritatem, accepta ab Elzeario & Cæciliâ parentibus mariti ſui, Bona Comitiſſa vocabatur, eratque bene catholica, & Deo deuota. Cumque ex viro ſuo ſanctum Elzearium concepiſſet, magnam præter morem ſenſit animi mutationem; ita vt ſanctis arderet deſiriis, & ad pietatis opera inflammaretur.

S. Elzearius gratiâ Dei præuentus.

Parentes eius.

CAPVT II.

Mater Elzeario concepto, velut vncta Spiritus ſancti gratiâ, mutata in melius, ardebat ad pietatem.

CVM enim aliquando pro aliquâ animi recreatione, extra caſtrum Auſoiſium cum aliis iret deambulatũ; cæteris è familiâ mũdanis ſolatiis & ſermonibus ſeſe oblectantibus; illa cum Garſendâ Alphanti, nobili ac raræ cuiuſdam pietatis & deuotionis, diuiniſque reuelationibus celebri dominâ ſeorſum ſua habebat colloquia, deuitanſque ſermones friuolos & otioſos, ab illâ ſanctæ inſtitutionis verba hauriebat. Interim verò ſuum illi animum pandens, dicebat mundum hunc, & ea, quæ mundi ſunt, adeò ſibi inſipida eſſe; vt ſi viri lege ſoluta eſſet, totum mundum relinquere, diuinoque ſeruitio ſe mancipare ſtatueret; maximè ſpiritu interiori ſæpiſſimè & quaſi perpetuò, ad id ipſam extimulante. Quod quidem Garſenda non parum admirabatur, & lætabatur plurimùm; quòd eam cerneret repentè in melius mutatam, dicens, id non ſine ſancti Spiritus vnctione ei eueniſſe. Eius quoque confeſſarius, frater Ioannes Iuliani Franciſcanus, vir magnæ puritatis & perfectionis, diuinâ illuſtratus ſapientiâ; de eâ quandoque referebat, ſe recèns in eâ comperiſſe præter morem ſuperioris eius vitæ, ſanctum atque conſtans eius animi propoſitum ad quæuis virtutum ſtudia, bona opera, mundi contemtum, Deique timorem conſectandum; nec ſine ingenti admiratione, tãquam propheticâ voce dicebat; Si vixerit diu hęc fœmina, magna per eam efficiet Altiſſimus, aut certè inſignis erit proles eius.

Mater Elzearij ab eius conceptione arſit ad pietatē.

De B. Elzeario diuinatio.

CAPVT III.

Mater genitum Elzearium ſtatim Deo conſecrauit, qui adhuc infans aſpectu pauperum & eleemoſynis delectabatur.

POSTQVAM autem partus tempus aduenit, felix mater feliciorem edi-

Editus Elzearius Deo mox à matre deuotus.

dit filium, eumque primogenitum; atque eâdem horâ cum feruenti deuotione & gratiarũ actione obtulit eum Deo, ita dicens; Domine Deus, ad cuius imperium exiſtunt creaturæ omnes; gratias tibi ago pro hoc filio, tuâ benignitate mihi donato: teque humiliter oro, vt eum tibi ſeruum accipias, & tuæ benedictionis gratiam ei largiaris. Quòd ſi tu illum noſti fore diuinæ voluntati tuæ rebellem; vbi ſacro baptiſmate erit candidatus, illum ſine morâ tollas è medio. Satius enim eſt eum innocentem & nullis proprijs auctum meritis tecum viuere, & mundo emori, quàm in hac mortali vitâ tuam offendere maieſtatem. Vt autem Deus oſtenderet ſe hoc ſacrificium accepiſſe in odorẽ ſuauitatis: tantam pietatem infantis illius animo in ipſis incunabulis inſtillauit, vt cùm necdum triennij ætatem compleuiſſet, erga Chriſti pauperes mirabili commiſeratione afficeretur. Nam cùm baiularum brachijs portaretur, in caſtri Auſoiſij portâ ſæpè pauperes humaniſſimè intuens, nullo pacto progredi volebat: imò verò etiam ſine intermiſſione acerbè plorabat, niſi illis præſtita eſſet eleemoſyna. Atque eâ cauſâ nutrices eius vel ob afferendum panem redibant in caſtrum, vel ſecum ferebant, vt illi infanti ſatisfacerent. Cumque pauperes accepiſſent eleemoſynam, lætus & alacer tranſibat.

Ille adhuc infans eleemoſynis pauperum oblectabatur.

CAPVT IV.

Puerilis eius pietas aduerſus pueros pauperes. Virtutes eius, & educatio, ac deſiderium ad martyrium.

POSTQVAM autem ætatis quintum exceſſit annum, quicquid ex ludis puerilibus, vel aliundè acquirere potuit, in pauperes erogabat: infanteſque & pueros, cum quibus interdum captabat ſua ſolatia, præcipuè verò inopes, ad prãdium ſuum curabat inuitari. Sic ille adhuc infans & puer, pius & benignus erat erga pauperes, humilis & comis erga omnes, placidus, religioſus & obediens erga ſuum præceptorem, verbis parcus; ſed tamẽ affabilis, maturus moribus & ſedatus, vultu iucundus & hilaris, inſigniter honeſtus, formoſus corpore, habitudine ſiue conſtitutione corporis ſanguineâ, liberalis & manſuetus, & quantum illa ſinebat ætas, prouidus & moderatus. Denique ita cæleſtibus præuentus chariſmatis atque donis, vt certis poſſet indicijs animaduerti, quàm eximiæ eſſet & excellentis quandoque ſanctitatis futurus. Interim nutriebatur ſub curâ & moderatione domini Wilhelmi de Sabrano patrui ſui, Abbatis Maſſilienſis: & vt creſcebat ætate, ita & ſapientiâ diuinâ & gratiâ apud Deum & homines proficiebat. Adeò verò in illâ tenerâ ætate zelo fidei incenſus erat, vt diceret cuidam monacho religioſo Abbatis iam dicti; magno ſe teneri deſiderio proficiſcendi ad regiones infidelium, atque illic in confeſſione Chriſti per martyrium excedendi è vitâ. Quæ verba & admiratione monachum illum affecerunt, & ſingularem quandam in intimis animi eius penetralibus deuotionem excitârunt.

Puer ipſe pauperes ad menſam inuitauit.

Educatur apud Monachos.

CAPVT V.

Ductâ Delphinâ vxore Elzearius ad perennem inductus eſt cum eâ continentiam.

ACTVM eſt autem diuinâ prouidentiâ, vt puer iſte Angelicæ puritatis & columbinæ ſimplicitatis & innocentiæ, cùm decennis eſſet, mandato ſereniſſimi Principis Caroli Secundi, Hieruſalem & Siciliæ regis, eo ipſo præſente virginem Delphinam, non ſine magno myſterio in vrbe Maſſilienſi ſibi ſponſam acciperet, puellam annorum duodecim, moribus ipſi non imparem, nec mediocriter in Chriſti timore firmatam, diuino amore egregiè accenſam: vt poſt tres annos in caſtro Poderij Michaëlis, ferijs ſanctæ Agathæ coniugium illud more ſolemni coram Eccleſiâ publicè celebraretur. Eâ ſolemni cæremoniâ peractâ, quarto die virgo Delphina adducta eſt cum multâ celebritate ad ſponſum ſuũ in caſtrum Auſoiſij, ibidem habitatura cum illo. In ipsâ autem nocte in cubiculum eius admiſſa, aperuit illi arcana pectoris ſui conſilia, inter alia ſic dicens; Ego ad matrimonium accedo inuita, à parentibus eò pertracta. Virginitatis enim theſaurum incomparabilem conſeruare & propo-

Elzeario decenni Delphina deſponſatur.

Delphina ſponſum ad virginitatem ſeruandam induxit.

propoſui, & propono, diuino me, vt id faciam, inſtinctu adhortante. Audiens id iuuenis Elzearius, cùm ille, diuini adhuc conſilij ignarus, necdum conſtituiſſet virgo permanere, vt erat totus comis & placidus, libenter ſuſtinuit virginem ſponſam iſta dicentem: diuinoque timore correptus, totâ illâ nocte eam non attigit, nec vllum verbum inhoneſtum locutus eſt. Illa verò totam eam noctem duxit inſomnem, cum lachrymis & ſuſpirijs orans Deum flexis genibus, eique ſuam virginitatem commendans. Noctibus inde conſecutis, ſimul atque in cubiculum pariter conueniſſent, prudens puella, caſtis, honeſtis & religioſis ſermonibus ſponſum anteuertebat: effecitque vt vterque corporis integritatem ſeruaret.

CAPVT VI.

A laſciuiâ ſe continens mori maluit quàm offendere Deum, ieiunijs & afflictione corpus ſuum caſtigans.

CVM autem felix ille puer etiamnum apud Abbatem ſupradictum moraretur, & à petulante familiâ ad fœdas carnis libidines incitaretur: fortiſſimo animi propoſito apud ſe deliberauit, potiùs in mortis diſcrimen conijci, quàm Deum mortifero peccato offendere; atq; interim ſuam ſponſæque ſuæ continentiam celans, ita reſpondit; Eſt mihi, vt noſtis, coniunx elegâti formâ, & ea ſufficit mihi. Eodem anno totâ Quadrageſimâ, Eccleſiæ ieiunia ſeruauit; & nodoſâ chordulâ fortiter ſtringebat nudum corpus; adeò vt è fauciâ carne ſanguinem exprimeret, & totam faciem pallor obtineret.

Nota quod imitetis.

CAPVT VII.

Gratiæ Dei cùm vigilanter adlaboraſſet, illam accepit: vt cuncta præ Deo contemnens, illibatam decreuerit ſeruare caſtitatem.

ANNO ætatis decimoquinto Sanctus hic iuuenis in ferijs Aſſumtionis beatiſſimæ Matris Dei, cum eodem Abbate erat in loco, quem de Saltu vocant: ibi enim primitias ſeu primum ſacrificiũ quidam faciebat, & nobilis quidam equeſtri ordine & dignitate donabatur: eius ſacratiſſimæ ſolemnitatis nocte erat in precibus, quæ Matutinæ dicuntur; & manè factâ confeſſione, piè ſumſit ſacroſanctam Euchariſtiam, vt cum Matre gratiæ nocte ac die animo in cælos aſcenderet, & viſitationi diuinę propediem affuturæ ſuam animam præpararet. Sub prandij horam ſanus & incolumis, cùm ſuo patruo ad menſam ſeruire deberet, vt erat bonis moribus ciuiliter admodum inſtructus, nihil quamuis admonitus, cibi ſumere voluit. A prandio verò ſedens ad menſam, cùm cibum deguſtaſſet, ſubitò venit in eum Spiritus gratiæ, cor eius vehementer inflammans, idq; cum multâ ſuauitate diuini amoris. Eius autem flammæ, & ardoris interioris tanta vis fuit, vt abſcondi nõ poſſet. Totus enim extrinſecus mutatus fuit, & toto corpore calefactus, atq; in vultu rubore perfuſus. Quod vt eius ſodales aduerterũt, de eius ſalute ſoliciti, quòd eum putarent febri correptum, à menſâ in cubiculum eum abduxerunt, vt illic quieti ſe daret. At illis abeuntibus, humi proſtratus, in preces incubuit, quales ſpiritus ſuggerebat. Atque illic tantas diuini amoris perſenſit flammas, vt totus eius colliqueſceret animus, atque in Deum transformaretur. Tum verò oſtendit ei Deus vitæ huius breuitatem, & vt totus hic mundus, bonorum cæleſtium contemplatione & comparatione, meritò ſit contemnendus: tantuſque inde natus in illo eſt rerum omnium mundi huius, bonorumque labentium contemtus; vt, ſi totus orbis terrarum, & quicquid in illo eſt rerũ pretioſarum, ei oblatus eſſet, planè fuerit recuſaturus, nec alio quam vilis luti loco habiturus; quippe qui tum ſolum Deum ardentiſſimè ſitiret. Videbat tunc apertiſſimè quantâ Dei miſericordiâ in illum vſque diem ſeruatus eſſet: ne in multa facinora prolaberetur, & vt peculiariter corporis eius integritatem ſiue virginitatem Dominus conſeruaſſet. Eâ causâ planè tum apud ſe ſtatuit, nunquam de herede aut hereditate curam cogitationemque ſuſcipere, ſed perpetuò ab omni abſtinere concubitu, ſicuti eum multum hortata erat ſponſa illius.

Adparauit ſe Dei gratiæ.

Quam ilico ſenſit.

Mundum totum deſpectus.

CAPVT VIII.

Elzearius quærens quâ ratione Deo placere poſſet, docetur ſtatum ſuum non demutare.

MVLTVM etiam cogitare cœpit, quemadmodum ſoli poſſet placere Deo: atque in eiuſmodi meditatione, & amoris incendio, toto animi affectu Deum rogauit, vt rationem indicare ipſi dignaretur, quâ vellet eum vitam inſtituere ſuam. Omnia enim temporaria relinquere, & in deſerta ſecedere loca, vbi omnibus ignotus, ſub ſolâ diuinæ protectionis ſpe & fiduciâ totum ſe diuino cultui manciparet, ſummoperè tum appetebat. Sed poſt illas preces audiuit tanquam alicuius in ipſo loquentis vocem, ne ſtatum ſuum deſereret, nec aliquò ſecederet, neque res facultateſque ſuas abijceret. Illo autem reſpondente, ſe propter fragilitatem ſuam, non poſſe hac ratione in illo diuini amoris feruore viuere, ac perſeuerare; rurſus dictum eſt ei; Scio equidem, quantum poſſis: quodque tu non poteris, ego faciam & ſupplebo. Simulque fortiter admonitus eſt, vt virgo permaneret.

Deo ſoli placere ſtuduit.

CAPVT IX.

Gratiâ Dei mirificè roboratus, cum vxore, nec ſecubans, admirandam ſeruauit continentiam.

POST hunc raptum admirabilem diuinamque viſitationem, adeò fuit in animo, diuino munere conſecratus, vt ab eo tempore nullam ſentiret appetentiam rerum temporalium, nec alicuius caduci honoris, nec quicquam de herede cogitaret: ſed voluntate prorſus ijs omnibus mortuus eſſet ac ſepultus; nec quicquam mortem reformidaret: imò quandocunque & vbicunque Deo viſum eſſet, libenter eam excepturus. Valdè etiam confirmatum ſe ſenſit ad tuẽdam & corporis integritatem, abſque tamen vllâ voti nuncupatione: & quod mirandum in illo potius eſt & venerandum, quàm imitandum, quandocunq; cum ſuâ ſponsâ cubabat, quanto ei propinquior erat, tanto virginitati & puritati ſuæ minùs metuebat. Atque ita illi ſimul habitãtes, nec domum, nec cubiculum, neque lectum ſeparatim habebant: nec Delphinam exiſtimabat ſuam eſſe coniugem, quantum ad vllum carnale commercium attinet, idque etiam Delphina de ſe teſtabatur. Atque eâ causâ vocabat eum nutritorem eorum bonorũ, quæ ipſi Deus contuliſſet, patremq; animæ ſuæ, & virginitatis cuſtodem. Et ſunt hæc ſanè magna, & aliàs penè inaudita. Sed fuit ille poſt eum, quem diximus, mentis exceſſum, intantum aduerſus carnis tentationes diuinâ gratiâ munitus, vt ijs quaſi mortuus videretur, nec quiſquam vnquam vllum carnalis tentationis indicium in eo animaduerteret. Quodque his maius eſt, ſi dormienti aliqua illuſio eiuſmodi tentationum occurreret, fortiter etiam in ſomnis reſiſtebat: & nobilis ſpiritus eius ſemper in acie ſtabat peruigil, virginitatis theſaurum gnauiter defendens, accurateque cuſtodiens. Hæc verò ille de ſeipſo poſteà reuelauit quibuſdam confeſſarijs ſuis.

Confirmatus Dei gratiâ mundo mortuus mortem non timuit.

Mirum caſtitatis exemplum.

In eo nullum vmquam tentationis indicium.

CAPVT X.

Nocturnis orationibus deditus, videns ſuam vilitatem, infinitam agnoſcit Dei miſericordiam. Ex viſo de Miſſæ ſacrificio, & Dominicâ paſsione, ſemper illam ſibi propoſuit ad imitationem.

POST eundem mentis exceſſum, ſanctus & felix iuuenis, ſemper noctibus, antequam dormitum iret, prolixè orare ſolebat: atque interdum in ſanctis meditationibus & contemplationibus magnâ noctis parte verſabatur, plerúmque etiam, donec illuceſceret. Atq; id tum liberiùs faciebat, quando erat cum ſponsâ ſuâ, à qua non perinde ſibi cauebat, ſicut à cæteris. Interdum medijs ſurgebat noctibus precandi causâ. Annos natus ſeptemdecim, nonnunquam morabatur apud filios Caroli regis: cumque eſſet in vrbe Aquenſi in eius regis palatio, quâdam nocte, cæteris dormientibus, ſolus ſurexit, & ingreſſus in aulam, vbi nullus erat, ad feneſtram flexis genibus orauit.

Noctes ſæpè in orationibus continuauit.

Subitò autem diuinitus inflammatus, totus lachrymis perfundebatur; venitque tum in quandam mirabilem cognitionem miſeriarum atq; culparum ſuarum, vt quædam abyſſus earum ſibi propoſita videretur; planeque perſuaſum haberet, totius vitæ ſuæ ſpatia non ſufficere agnoſcendæ illi ineffabili miſericordiæ & bonitati diuinæ, quâ & hactenus eſſet præſeruatus, & deinceps præſeruandus. Itaque ex tanti beneficij agnitione ſe profundiſſimè coram Deo humiliabat; ſentiebatque ſe Dei miſericordiâ indignum, ſed dignum potiùs millies damnari in tartarum: & ex ſe quidam pronum ſe eſſe ad omnia mundi crimina perpetranda, & ea quoque ſe re ipsâ perpetraturum fuiſſe, niſi diuinâ benignitate eſſet præſeruatus. Sub huiuſmodi meditatione, Dei miſericordiam corde contrito & humiliato deprecans, vocem audiuit intus ità dicentem; Noli conſiderandis peccatis tuis vſqueadeò te affligere; maior eſt enim miſericordia mea, quàm errata & delicta tua: ſed bonâ ſpe fretus, planè tibi perſuadeas, non me permiſſurum vnquam, vt perdas gratiam meam. Tum verò ille amore languebat, optabatque vt omnes ſentirent, quod ipſe tunc ſentiebat, Deumque toto corde diligerent, nec eum offenderent vnquam. Deinde ſpiritu tranſlatus eſt in in quâdam planitiem latam & amœnam, in quâ erat eccleſia, atque in eâ multitudo magna Miſſæ ſacrificium auſcultare volentium; quod quidam ſacerdotalibus indutus veſtimentis, facturus erat. Inchoârunt autem Cantores ſacrificium admodum ſuauiter & piè ab his verbis; *Nos autem gloriari oportet in Cruce*, &c. Cumque ſacrificium de ſanctâ Cruce fieret, & omnis populus ſingulari quâdã pietate auſcultaret; videre ſibi viſus eſt Chriſti paſſionem in totius populi mentibus renouari, ſuum quoque animum erga eam paſſionem feruentiſſimè inflammari. ita totum illud audiuit ſacrificium: adeoque cum Crucifixo Domino ſuo fuit confixus, vt non ſolùm eius paſſionem & mortem perpetuò in ſuo pectore circumferret, ſed etiam pro Chriſto mortem oppetere ardentiſſimè deſideraret. Atque deinceps iniurias, afflictiones, pericula, & damna non modò ferebat patienter, ſed etiam rebus aduerſis lætabatur; ſuoſque perſecutores & aduerſarios plus ſolito diligebat, & pro illis Dominum ſpecialiter deprecabatur. In hoc mentis mirando exceſſu vſque ad ſolis ortum immotus atque inſenſilis perdurauit. Tum verò medicus liberorum regis, in illam aulam ingreſſus, & eum ad feneſtrã ſtantem, nihilque ſe mouentem cernens, acceſſit propiùs, & bis nomen eius appellans, nihil ab eo tulit reſponſi. Tandem tertiò appellatus, ad ſe rediit, & oculos, quos perpetuò interim apertos tenuerat, difficulter & cum dolore clauſit. Videbatur enim illi plenos eos eſſe minutâ arenâ. veſtem autem ſuam ante pectus totam comperit lachrymis madefactam.

Miſeriam ſuam cognoſcens, imparem ſe videt diuinæ miſericordiæ.

Maior Dei miſericordia noſtrâ miſeriâ.

Viſum eius de ſacrificio Miſſæ.

Ex quo perpetuò fuit in Dominicæ paſſionis cogitatione.

CAPVT XI.

Inter contemplandum diuinitus illuſtratus, & luce refulgens viſibili, vidit diuinæ benignitatis æterna bona diligentibus Deum præparata, eiuſque gratiam paratam omnibus.

ALIO tempore cùm eſſet Auſoiſij, & virgo Delphina ſponſa eius caput illius lauaret, ait ad eam; Ocyus me expedito: ſentiebat enim ſe à Domino viſitari. Surgens autem, in cubiculo ſe orationi dedit, manſitq; illic totâ nocte in precibus & contemplatione diuinâ. Sub aurorâ vocauit ſponſam; eaq; mox cum lumine accedens, inuenit eum totum inflammatum, cernebatq; ab eius vultu quandam proficiſci claritatem, candelę luce ſplendidiorem atque pulchriorem. Ea claritas & faciem eius, & locum illum ſpecioſum & luculentum reddebat. Opportuno inde tẽpore expoſuit ille ſponſæ ſuæ, ſe totâ illâ nocte vidiſſe & perſenſiſſe ineffabilem illam Dei benignitatem, & præmia vitæ æternæ, quæ Deus præparauit diligentibus ſe; atque idcircò ab omni alio amore ſe prorſus abhorrere. Perſpicuè tum videbat, & cõtinuè ſentiebat Deum ſemper paratum eſſe ad impertiendum nobis dona & chariſmata ſua, ſi inueniret homines, qui tam vellent ea accipere, quàm ipſe cuperet largiri. Crebrò autem eiuſmodi viſiones & diuini influxus offerebantur ei, quibus totus ſpiritualiter nutriebatur.

In contemplatione diuinâ luce colluſtratus fuit.

Deus ſemper promtus largiri gratiam.

CAPVT XII.

Cùm Deo vacaret, SS. Trinitatis arcana, cauſam & originem creaturarum, lapſus noſtri reparationem per Chriſti Oeconomiam, Sacramentorum inſtitutionem ſuauiſſimè contemplatus, intellexit; quorum guſtu, quæ mundi ſunt, penitus deſpexit.

ANNO ætatis ſuæ decimo octauo aut circiter, in eodem Auſoiſij caſtro ad veſperam Sabbati in cubiculum intrans, inuenit ſponſam ſuam Delphinam illic orãtem. Igitur more ſuo precibus vacans, totâ nocte illâ vſque ad orientem Dominico die ſolem, in oratione & contemplatione permanſit: multaque præclara & admiranda ſibi tum diuinitus oſtenſa fuiſſe, poſtea indicauit ſponſæ & confeſſario ſuo fratri Ioanni Iuliani. erant autem eiuſmodi, qualia ille nunquam auſus fuiſſet petere à Deo. Vidit enim cum inæſtimabili gaudio, quemadmodum Pater gignit Filium, & vt Spiritus ſanctus ab vtroque procedat, qui eſt Amor in diuinis perſonis, & vt tres perſonæ non niſi vnus ſint Deus. nec tamen potuit huius generationis & ſpirationis modum vllis explicare verbis: ſed quoties aliquid pro viribus dicere tentabat; O quam malè, inquit, & imperfectè loquor; non poſſum explicare quod vidi, nec efferre linguâ, quod experimento didici: fatebaturque non ſine magno cruciatu ſe inde dicere, cùm ſint inexplicabilia, ſeſque in toto mundo nihil quicquam vel auditu vel cogitatione percepiſſe, quo ſecundùm aliquam vel ſimilitudinem, vel proprietatem, aut cõgruentiam declarare poſſet ea, quæ tum viderat. Oſtenſum quoque illi eſt in eâ viſione, quemadmodum illi infinitæ bonitati, quæ Deus eſt, placuit condere creaturas, quibus ſeſe communicaret; eaque cauſâ Angelos & homines eſſe creatos. Vidit etiam Deum tanto cum amore creaſſe hominem, vt propter eum cæteras condiderit creaturas: & ſi innocentiam conſeruaret, nec ad iniquitatem deflecteret, nunquam eum aliquid extra Deum amaturum, neque appetiturum. Oſtenſa quoque illi fuit ruina primi parentis, quę nobis ſempiternam peperiſſet mortem, niſi diuina charitas nobis ſubueniſſet: & quo pacto Deus ſuâ gratiâ præueniat peccatores: atque adeò, vt etiam impiorum damnatione, quantum ad Deum attinet, occaſio prębeatur, hominibus pertingendi ad ſalutem; & vt ſola malitia noſtra ad mortem nos adducat ſempiternam, quòd gratiã Dei recipere nolimus. tum prætereà, quomodo *iudicia Dei ſint iuſtificata in ſemetipſa*. Vidit quoque, vt charitate ineffabili Filius Dei, noſtræ ſalutis reparandæ causâ, ſeſe humiliauerit, & carnem humanam aſſumſerit: quam quidem charitatem fœlix iuuenis exprimere oratione nequiuit. Prætereà de ſanctiſſimâ Chriſti Matre, myſteria & opera vidit incomprehenſibilia; quibus Deus eam ſibi matrem efficere voluit, nec ea quoq; vllis potuit indicare verbis. Itemque cur adeò pauper & humilis Chriſtus naſci voluerit, totumq; vitæ ſuæ curſum in anguſtijs exigere, ex amore incredibili exemplum ſe nobis præbendo. Cur prædicationis ſuæ miniſterium nõ per alium aliquem, ſed per ſeipſum voluerit exſequi. Tum quoque, vt ex amore, modum omnem excedente, ſe nobis dederit in venerabili Sacramento altaris; volens ſine intermiſſione ſuam bonitatem, & ſeipſum totum nobis communicare, atque vſque ad finem mundi nobiſcum tam familiariter pro noſtrâ vtilitate & ſalute permanere. Sentiebat etiam diuinum illum amorem, quo impellente, accedere nõ dubitauit ad tam diram & acerbam paſſionem & mortem: omnia faciens & perferẽs ex immenſâ erga nos charitate. Huius verò contemplatione angelicus ille iuuenis flebat amarè; dolens Chriſtianos omnes iſtud toto animo minimè ſentire; nec parum admirans Chriſtianos ſuis peccatis & ſceleribus impedire, quo minùs tantam ſentiant charitatem & miſericordiam. Simul etiã intellexit, vti per Chriſti paſſionis & mortis meritum, Sanctis vita ſit æterna reſtituta: vtq; ab inferis redemti ſint illi, & nobis vitæ ianua patefacta. Oſtendit quoque illi Dominus gloriam reſurrectionis ſuæ, triumphum cũ quo in cælos aſcendit, charitatemq; ex quâ miſit Spiritum ſanctum: ſimulque ſentiebat charitatem Dei diffuſam in cordibus Apoſtolorum, cuius impulſu loquebantur & prędicabant, vt totum orbem ad Chriſtum conuerterent. Sen-

SS. Trinitatis vidit myſteria ineffabilia.

Vidit etiam cauſam & originẽ creaturarum.

Lapſum item protoplaſtorum, & reſtitutionẽ.

Pſal. 18 10.

Cauſam quoque incarnationis & Oeconomiæ Chriſti.

Cur item Chriſtus in Euchariſtiâ ſe communicauerit nobis.

Cur etiam tam acerbam pro nobis obierit mortem vita noſtra cauſa.

Reſurrectionis quoq; & Spiritus ſancti miſſionis myſteria intellexit.

tiebat etiam cum quantâ amoris firmitate fides recepta fuerit; & quemadmodum propter eam ſancti Martyres hilariter ad mortem properârint; ſummeque deſiderabat ſe in illud poſſe tempus incidere, vt cum illis omnibus pro fide, ſibi occumbere liceret. Sentiebat enim, quæ præmia illos maneant, qui pro Dei reuerētiâ perſecutiones & moleſtias perpetiuntur; aiebatque ex hoc animaduertere ſeſe, curam, quâ Deus tueretur Eccleſiam ſuam; immenſam quoq; charitatem, quâ Sacramenta inſtituerit noſtræ ſalutis causâ, in quibus inexplicabilem eius dilectionem & miſericordiam percipiebat. Hæc autem omnia referens, dicebat ſe nullo ſermone poſſe ea ita expromere, vti viderat, & in ſuo animo ſentiebat. Ex eâ verò viſione felix iuuenis intantum fuit mutatus in melius, & velut alius homo effectus; vt proximo die Dominico ad menſam ſedens, edere non poſſet, nec ſine magno cruciatu inter homines verſaretur. Cernens id auus eius dominus Elzearius à Sabrano, eius miſertus, ait; Quid habes fili, & cur non Comedis? fortaſſis malè vales. At ille ea mira, quę diuinitus oſtenſa ei erant illâ nocte, tacitus ſecū reuoluebat: & quia guſtato ſpiritu deſipit omnis caro; quoties externis rebus vacare, & cum hominibus ſecularibus verſari cogebatur, non abſque magno labore & dolore id faciebat. Sed tamen ex voluntate Dei, vt ſuprà doctum eſt, nonnunquam oportebat eum occupari rebus externis, & agere inter homines. Facilè autem aduerti poteſt, non parum illi accreuiſſe meriti ex eiuſmodi dolore & patientiâ.

Et Sacramentorum cauſas.

Quorum ſuauitate refectus, cetera cuncta deſpiciebant.

CAPVT XIII.

Inter cognatæ nuptias delicijs & laſciuijs abſtinens, Dei conſolatione non deſtituebatur.

PER id tempus quædam eius cognata, viro primario Prouinciæ deſponſata fuit. Eius nuptijs, quæ ad quinque durârunt dies, ipſe interfuit, ſed ſanè inuitus. Aderant tum, vt moris eſt, nobiles & alij, diebus ac noctibus cantionibus, choreis, & id genus humanis ſolatijs dediti. Inter eas pudiciſſimus iuuenis tantâ ſermonis honeſtate & caſtitate vtebatur, vt ne vnum quidem verbum laſciuum ex eius ore proficiſceretur; cùm interim alij multa iactarent obſcœna & turpia verba, quibus eius caſtum & pudicum pectus non mediocri moleſtiâ afficiebant, vtpote cui ea ſummè diſplicerent: ita vt quaſi telis quibuſdam animum eius confoderent, maximè quòd non poſſet more ſuo orationi & contemplationi vacare. In quibus cùm ſoleret diuina guſtare, iam ſpiritus eius languebat præ deſiderio æternorum. Attamen clemens & benignus Dominus, illis quinque diebus, eiuſmodi conſolatione eum affecit, vt ſingulis noctibus expergefactus, ſentiret oculos, faciem & pannos faciei propinquos, lachrymis infuſos. Quod enim vigilanti non licuit, inflammatum pectus eius & animus in ſomnis ſarciebat. Quamobrem ille gratias agens Deo, magnam ſpiritus conſolationem inde hauriebat.

In nuptijs cognatæ ſibi ſimilis manſit.

Dormiens lachrymabatur.

CAPVT XIV.

Indicatum diuinitus, S. Elzearium curæ fuiſſe Deiparæ Matri, cuius ipſe cultor eius ſe commiſit patrocinio.

NOBILIS verò domina Garſenda Alphanti, ex Auſoiſij caſtro orta, quæ viuente eius marito, nobili milite, cum illo votum caſtitatis fecerat; & ob vitæ ſanctitatem adeò diuino erat illuſtrata lumine, vt non rarò ea, quæ procul aberant, quæque adhuc futura erant, tanquam præſentia cognoſceret, diuiniſque reuelationibus & conſolationibus crebrò frueretur; Ea, inquam, Garſenda duas habuit de ſancto Elzeario viſiones admirabiles, ſilentio minimè premēdas. Cùm enim illa eum partim nutriuiſſet, ſæpè & feruenter pro illo Dominum deprecabatur. Quâdam autem nocte, in eccleſiâ pro eo orans, audiuit corporeis auribus Chriſtum ſibi dicentem; Iuueni huic, pro quo tam multū oras, noueris me matrem meam dediſſe magiſtram: nihil igitur de illo dubites. Ad quas voces illa nimiùm obſtupefacta, vbi ad ſe redijt, rogauit Dominum, vt ſi illuſio eſſet, abſcederet: ſin autem res vera, ſe certiorem

D. Elzearij magiſtra B. Maria fuit.

inde redderet. Alterâ die cùm Miſſæ ſacrificio piè ac deuotè intereſſet, poſt conſecrationem, corporeis auribus vocem eiuſmodi ad ſe dirigi ſenſit; Quæ ſuperiori nocte de iuuene Elzeario tibi dixi, ea non ambigas vera & certa eſſe. Illa verò confeſſario ſuo, viro valdè religioſo, fratri Ioanni Iuliani, cuius iam antè meminimus, ea indicauit. Is porrò ſecretò ex Elzeario percontatus eſt, quem in precib. ſuis modum formamque ſibi præfigeret, & quem è ſanctis ſibi præcipue patronum delegiſſet. Reſpondit ille; Equidem Virginem ſanctiſſimam mihi patronam & aduocatam elegi; cumq; ad orandum me præparare volo, indignitatem & vilitatem meam priùs conſidero: atque ita matri gratiæ me commendans, eam precor humiliter, vt ea, quæ ipſi & eius benedicto filio grata ſint, ponat in corde & ore meo: ſimulque quantâ poſſum animi pietate, ſemel ei offero Angelicam ſalutationem: eâ dictâ, nunquam mihi deeſt noua rerum diuinarum materia. His dictis, abundè comperit confeſſarius ille veriſſima eſſe, quæ à Garſendâ acceperat. Huc facit etiam illud, quod ſanctus iuuenis vt plurimum ſabbatho, & nocte ſequenti diuinitus viſitabatur: & in ipsâ Aſſumtionis ſanctiſſimæ Virginis ſolemnitate, prima ei obtigit diuina viſitatio.

Modus orãdi S. Elzeario conſuetus.

CAPVT XV.

Sancti Elzearij caſta virginitas à fulgido lucenteque lapide demonſtrata.

ALIO quoque tempore Garſenda noctu in ſacello ſanctæ Catharinæ apud Auſoilium orans, manum vidit lapidem pretioſum tenentem; ex quo tantus radiabat ſplendor, vt totum illud ſacellum illuſtraret. Admirans autem lapidis ſplendorem atque elegantiam, ſecum cogitabat, quidnam rei eſſet. Audiuit itaque corporeis auribus vocem dicentem; Lapis hic ſplendidus, eſt virginitas Elzearij, pro quo tu rogas, quæ ſic in mundo fulgebit. Sed reſpice accuratiùs, & vide quantus eius coram Deo ſplendor ſit. Verſo igitur lapide, tanta inde claritas, tamque feruens proceſſit lux, vt oculi eius ferre non poſſent. Cumque clauderet oculos, viſio ablata eſt, & multam reliquit in eius animo conſolationem.

CAPVT XVI.

Per viſum alteri puritas oſtenſa ſancti Elzearij, multis imitanda.

DOMINA Mablina à Simanâ, illuſtris & valde potens ac opulenta, nec minùs Deo deuota & chara matrona, anno ætatis ſuæ decimoſexto orbata viro ſuo eſt, cum quo non niſi trimeſtri ſpatio vixerat. Noluit autem ad ſecundas accedere nuptias, tametſi parentes & propinqui vrgerent, multiſque eam vexarent modis: ſed caſtè, honeſtè & ſanctè permanſit in viduitate vſque ad ſenectutem. Poſt multos autem labores & opera pietatis, ad tantam peruenit mentis ſerenitatem, vt rebus diuinis crebrò adeò intenta eſſet, vt quę circa eam fierent, minimè ſentiret. Vnum è multis referam. Quandoque à Cœnâ Domini, cùm ſacrificium fieret, vſque in Sabbathum ſanctum, in eodem loco permanſit immota, nihilque ſentiens. Hæc ergo matrona de beato Elzeario adhuc iuuene talem habuit viſionem, cùm penitus nihil de eius virgineâ puritate comperti haberet. Vidit in ſpiritu ſanctum iuuenem habitu ſplendido indutum, per amplam & magnam planitiem manibus ferentem vexillum candidum & illuſtre; cuius elegantia & ſplendor totum aërem & planitiem illam illuminaret. Sequebatur autem eum multitudo innumera hominum vtriuſque ſexus, diuerſarum ætatum, conditionum & ordinum: cuius conſpectu plurimùm ipſa lætabatur; rogauitque Deum, vt viſionis ſignificationem ipſi aperiret. Dictum eſt ergo illi; Hæc eſt virginitas & ſanctitas Elzearij, quem totus orbis venerabitur, & multi imitabuntur.

Agmen ducit caſtorum hominum S. Elzearius.

CAPVT XVII.

Chriſtus aliquando viſus adſtitiſſe & aſſediſſe dormientibus vnà Elzeario & Delphinæ, in argumentum gratæ Deo caſtitatis eorum.

FRATER Philippus à Rhegio, Franciſcanus, nobilis genere, & cognatus Delphinæ virginis, vir erat miræ ſanctitatis & columbinæ ſimplicitatis: adeò vt ad primam innocentiam reductus videretur; cui etiam propter excellentem puritatem crebrò apparuit ſanctiſſima virgo Maria. Is aliquando precibus & diuinæ contemplationi feruenter inſiſtens, vidit in ſpiritu ſanctum Elzearium & eius ſponſam Delphinam, in præclaro quodam & amplo toro pariter quieſcentes, & ad lecti caput in medio eorum ſtantem Chriſtum, vultuque placido illos inſpicientem; vnde animaduertit illorum continentiam Chriſto gratiſſimam eſſe. Bertranda Carmara Carpentoractenſis, mulier ſanctæ vitæ & diuinarum rerum valdè perita fuit. Ea cùm in quadam ſolemnitate ad perceptionem Dominici corporis ſe deuotè præparaſſet, & ſacerdos per incuriam vel obliuionem hoſtiam pro illâ conſecrare neglexiſſet: diuina benignitas eam miro quodam modo conſolata eſt. Cùm enim Miſſæ illius ſacrificio admodum piè intereſſet, & Chriſti corpus ſpiritualiter ederet; Angelus Domini partem hoſtiæ conſecratæ accipiens ab altari, ei ſumendam præbuit. Presbyter verò Chriſti corpus percipere volens, cùm illam hoſtiæ partem non reperiret, licet multo ſtudio hinc indè eam perquireret, magno animi dolore affectus eſt, donec à Bertrandâ didicit, quod ipſi Dominus præſtitiſſet. Hæc ipſa Bertranda planè conſimilem vidit viſionem, qualem diximus fratri Philippo oblatam fuiſſe: niſi quòd ipſa Dominum ad lecti caput inter illos ſedentem conſpexit.

Chriſto gratiſſima fuit S. Elzearij caſtitas.

Nota, nota.

CAPVT XVIII.

S. Elzearius ab auo migrans ſecum habitaturus, familiæ ſuæ leges optimas præformauit.

QVANTVM autem ſanctus iuuenis Elzearius creſcebat ætate, tantùm etiam in eo augebatur gratia, & vitæ perfectio, deſideriumque ſemper rectiùs agendi. Itaq; cùm iam viceſimum ætatis annum ageret, nec animus eius in caſtro Auſoiſij optatâ poſſet trãquillitate potiri, propter immodicam & ſuperuacaneam curam aui eius, ac totius familiæ, quâ illum cupiebant educare in ijs quæ ſunt mundi huius: poſt multam precum inſtantiam, copiam obtinuit migrandi in caſtrũ Podij Michaëlis, quod erat virginis Delphinæ proprium, ex paternâ hereditate & voluntate ad ipſum deuolutum. In eo caſtro triennium permãſere; & cum loci mutatione etiam morum illis acceſſit in melius præclara mutatio. Ibi enim nouus paterfamilias nouo quodam modo cœpit ſuæ familiæ præſidere, nouaſque morum plantulas inſerere; & tranſgreſſoribus pœnas proponere. Primò conſtituit, vt omnes è ſuâ domo tam mares quàm fœminæ quotidiè, vt minimùm Miſſam vnam integrè audiant. Secundò, vt viuant caſtè & purè: qui ſecùs facerent, eos ſuâ domo expellebat. Nolebat enim, vt quiſquam pane ſuo veſceretur, quem ſciret peccato mortifero implicatum: ne alios inficeret, & ne peccatum illius fouere ipſe videretur. Tertiò, vt nobiles & milites, itemque virgines & matronæ qualibet hebdomadâ ſemel cõfiteantur peccata ſua, & ſingulis menſibus deuotè percipiant Euchariſtiæ ſacramentum. Quartò, vt eædem virgines & matronæ, manè vſque ad prandium precibus & pijs exercitijs vacent: à prandio manuarijs operibus ſeſe occupent. Quintò, vt nemo auſus ſit blaſphemare Deum, ſacroſanctam Virginem, vel aliquẽ Sanctorum: nec quiſquam falsò iuret, aut vitiosè & leuiter abſque cauſa; nec impudica vel inhoneſta verba proferat. Sciebat enim ex * Sapiente, *Mortem & vitam eſſe in manibus linguæ*: & ex * Apoſtolo, *Corrumpere mores bonos colloquia praua.* Huius conſtitutionis violatores hac ratione puniri voluit; vt vel toto prandio coram

Ab auo ſeceſſus ſecum habitaturus.

Præſcribit mores optimos domeſticis, vt Miſſam quotidiè audiant. Vt caſtè viuant omnes.

Qualibet hebdomada peccata confeſſione repurgent, menſtruatim communicent. Ante prandium precib. à prandio manuarijs operibus vacent. Nemo blaſphemet aut iuret.

* Prou. 18. 21.
* 1. Cor. 15. 33.

aliis ſederent in terrâ, ſolo pane & aquâ contenti; vel toto die in cubiculo manerent incluſi, communi cibo veſcentes. Sextò, vt nulli fas ſit ludere teſſeris, aut alio vti luſu illicito, turpi, ac inhoneſto. Si quis contrà feciſſet, grauis eum pœna manebat. Septimò, vt omnes è ſuâ familiâ, pace, amicitiâ & concordiâ inter ſe fruantur: alius alium non offendat, neque verbo, neque facto: ſi quid à quoquam aliter ſit attentatum, mox cùm offenſo redeat in gratiam. Atque vt id fieret, non mediocriter ipſe dabat operam: reos autem pro ratione culpæ puniebat. Octauò, vt quotidiè à prandio, vel aliâ horâ veſpertinâ, niſi legitimum impedimentum inciderit, fiat aliqua collatio inter illos, ipſo præſente, de verbis Domini pro animarum informatione. In eo autem colloquio, dum vnus aliquis loquitur, cæteri orent pro illo in cordibus ſuis, vt Deus illi ſubminiſtret ſermonem, ex quo omnes proficiant: nec quiſquam audeat ſic loquentis verba interrumpere, aut aliter impedire. Id ſi quis non obſeruaſſet, à tam pio colloquio excludebatur, donec emendatus ab aliis reuocaretur.

Teſſeris omnes abſtineant.

Paci ſeruent & concordiam, offenſam mox reparent.

Quotidie de diuinis collationem habeant.

CAPVT XIX.

Igneus in ſalutaribus monitis, mirum in modum in piis fructificauit domeſticis.

IN eiuſmodi verò colloquiis, & in ſermonibus ſuis ipſe Elzearius animo & facie iucundus ac hilaris, nec mediocriter diuinâ gratiâ cumulatus, ignea edebat verba, à fonte diuinæ ſapientiæ prodeuntia: ita vt audientes eum, magnam intra ſe ſentirent animi mutationem, boniſque ac ſanctis ardentrent deſideriis, & humiles ac religioſi efficerentur. Docebat enim familiam ſuam, vt * alter Tobias, *Timere Deum, & abſtinere à peccatis, atque diuina ſeruare præcepta.* Hortabatur eos, vt diuino ſtuderent amori, ſeſe inuicem diligerent: & corpora ſua munda ac pura conſeruarent. Aiebat, à vitiorum ſuorum conſideratione debere Chriſtianum exordiri preces ſuas, atque inde ſeſe humiliare: * *Oratio enim humiliantis ſe nubes penetrat.* Hæc aliaque iis ſimilia dicebat, quæ omnia ſcripto comprehendi difficulter queant. Etſi autem quotquot apud eum degebant, in bonâ voluntate, ſtudioque bonorum operum proficere ſe ſentirent: ſingulariter tamen ex eius propinquitate & familiaritate, carnis incendia & libidinis flammas conſopiri experiebantur. Atque eâ causâ milites & nobiles, aliique permulti non ſolùm promiſerunt, ſed etiam ſeruauerunt perpetuò caſtitatem; plerique etiam virgineam puritatem & integritatem. Erat in eius domo, tanta omnium charitas, tanta morum maturitas & honeſtas, tanta pax, pietas, benignitas, puritas; vt, demto habitu, potiùs ibi bene inſtitutum monaſterium, quàm aula Comitis videretur. Quamobrem etiam Alaſia virgo Deo ſacrata, ſoror Delphinæ, quæ aſſiduè cum his Sanctis coniugibus morabatur; ſæpiùs affirmabat, ſe multo religioſiùs & honeſtiùs degere apud illos, quàm in ſuo monaſterio: immò ex eorum conuictu, magnos in ſe virtutis progreſſus ſentiebat. Accidit quandoque, vt per aliquot dies graues carnis tentationes pateretur. Itaque in eorum cubiculum clam ingreſſa, atque illic ſe includens, thorum immaculatum, in quo dormire illi ſolebant, flexis genibus circuiuit, & toto pectore Dominum orans; Domine Ieſu Chriſte, inquit, rex virginum, & caſtitatis amator, rogo te; vt per eam ſanctam puritatem & virgineam integritatem, quæ in hoc lecto ſeruatur, liberes me ab hac tentatione. Confeſtim omnis illa tentatio adeò extincta eſt, vt poſteà etiamſi voluiſſet, vix poſſet impuram cogitationem, aut delectationem admittere. Aſſerebat illa, ſe manendo apud eos, multùm profeciſſe in ſpiritu, & à magnis tentationibus fuiſſe liberatam. Et reuera, quotquot apud eum morabantur, vitam in melius commutarunt: atque ex iis complures ad magnam vitæ ſanctimoniam eius meritis pertigerunt.

Verba eius & monita ignea.

* Tobiæ 4. 6.

* Eccli. 35. 21.

Vt familiares plurimi in bono proficerent.

Nota.

Soror Delphinæ Alaſia liberatur à carnis tentatione.

CAPVT XX.

Multi ſunt imitati pietatem ſancti viri, & rationem eius vitæ, quæ mirandis virtutum inſignibus radiauit.

CVMQVE fama ſanctitatis eius, & quâ ratione ſuã regeret familiam, longè lateque ſe diffunderet; plerique ad eius imitationem ſeſe compoſuere, & eodẽ modo gubernârunt domos ſuas. Per idem tempus quidam venerabilis Epiſcopus eius leges, quas familiæ ſuæ præfixerat, habere voluit: eaſdemque ſuis quoq; domeſticis ſeruandas tradidit. Sciens autem ſanctus Elzearius duplicis eſſe meriti, per viam veritatis cõſtanter ingredi, eamque alijs indicare: eas ipſas leges, quoad vixit, ſemper obſeruauit, & à ſuis obſeruari voluit. Quotidiè verò etiam preces Canonicas pro Romanæ Eccleſiæ ritu & conſuetudine perſoluit: idque tam piè & attentè, vt audientes non mediocriter ad pietatem incitarentur. Nec contentus erat ieiunijs ab Eccleſiâ inſtitutis: ſed ſuâ ſpontè ſextis ferijs, totoque Dominici Aduentus tempore, & multis alijs diebus, qui feſtos dies proximè antecedunt, ieiunauit. Cilicium ad nudum corpus habuit ſub veſtib. pretioſis, & in eo etiam ſæpè dormiuit. Ab eâ diuinâ viſitatione, quæ ei obtigit in loco, qui de Saltu dicitur; nunquam cùm ſanus eſſet, nudus cubare voluit. Sæpè cathenulis ferreis ſe flagellauit, dicenſque Pſalmum quinquageſimum, memor vulnerum Chriſti, ad quemlibet Pſalmi verſum ter dorſum fortiter verberauit. Omnibus diebus Dominicis Quadrageſimæ & Aduentus; itemque magnis ferijs totius anni, permultorumq; aliorum Sanctorum, præſertim virginum, pijſſimè ſumebat Euchariſtię ſacramentum. Retulit ipſe quandoque virgineæ coniugi ſuæ, cùm Chriſti corpus acciperet, videri ſibi optimum ſaccarum ſe in ore habere ac deglutire. Illâ autem interrogante, quid id ſibi vellet; reſpondit exiſtimare ſeſe velle Deum, vt crebrò ſacroſanctã Euchariſtiam percipiat. Tantam habuit diuinitus orandi, meditandi, contemplandi gratiam: vt ab eâ viſitatione, quam diximus, in loco de Saltu ei contigiſſe, ſemper & vbique promtè, & expeditè, citra laborem aut moleſtiam, vel orationi, vel meditationi, vel contemplationi dare ſe poſſet. Illius enim nobilis animus, Deo vnitus & coniunctus, ei etiam ſingulari quâdam familiaritate iugiter adhærebat. Ad menſam ſedens & comedens, cæleſtia interno guſtu percipiebat: nec rarò tum animo illius nouæ quædam & admodum piæ res ab inſperato occurrebant, vti ipſe ſuæ ſponſæ in conclaui aliquando indicauit. Cum hominibus diuerſis illo colloquente, Spiritus eius haudquaquam à Deo diſtrahebatur: atque quod plus eſt, cùm choreis adeſſet, cantiones & inſtrumenta muſica nihil ei impedimento erant: immò verò ex eiuſmodi melodijs miro quodam & excellenti exceſſu eius animus in Deum rapiebatur: ita vt eius præclara ſponſa, cùm præſens intereſſet, non mediocriter formidaret, ne, ſi muſici concentus adhibiti eſſent, ille collaberetur, ſpiritu in Deum abſorpto. Vbi autem ab huiuſmodi rebus domum reuerſus erat, in cubiculum ſe recipiens, diuinaque ſuauitate confeſtim affici ſe ſentiens; orationi & contemplationi ſeſe applicabat, perfectamque inde conſolationem hauriebat. Pernoctabat interdum in precibus, largiſſimos ab oculis lachrymarum imbres fundens. Id genus pijs ſtudijs & exercitijs maiori libertate vacabat, quando erat cum ſponsâ virgine: cui non ita, vt alijs, ſicut iam antè diximus, ſeſe abſcondebat. Immò cùm ſoli eſſent in ſecreto cubiculo, inter ſe de rebus diuinis colloquebantur, & ad ſtudia pietatis mutuò ſe cohortabantur; ſimul dicebant attente & piè preces, quas Matutinas vocant; iiſque abſolutis, in eodem cubiculo ſeparatim orationi aut ſanctæ meditationi vacabant: ita vt cubiculum eis verſum eſſet in oratorium, & vtriuſque anima verum eſſet Dei templum. Denique conatus & ſtudium omne beati viri, tam publicum, quàm priuatum, in tria præcipuè intentum erat. Primò, vt peccatum omne, & quicquid Deum offenderet, haud ſecus atq; ipſas gehennæ flammas vitaret. Secundò, vt animum ſuum ardenti amore, ac pietate Deo offerret: quo fiebat, vt non ſine magno animi dolore mũdi negotijs, quæ eum hinc auocabãt, occuparetur: nec tamen auſus erat ea à ſe reijcere, quod, ſicut ſuprà dictũ eſt, à Domino iuſſus eſſet in ſuo ſtatu permanere. Tertiò, vt bona quæ ageret in occulto, diui-

Plerique pietatem eius imitantur.

Canonicas preces orabat.

Ieiunijs multis, cilicio, flagris carnem macerauit.

Sæpè communicauit S. Euchariſtia.

Animus eius ſemper Deo inhærebat.

Coniuges ſeſe ad pietatem mutuò hortabantur.

Tria cordi & curæ erant ei, Deũ non offendere, animum à Deo nõ ſeparare, Dei gratiam celare.

diuinaſque viſitationes, & illuminationes, quas crebrò percipiebat, celaret, pręſertim homines mundo & carni addictos.

CAPVT XXI.

Pauperum leproſorumque pedes lauit, leproſos oſculando ſæpè ſanauit. Cùm liberaliter in annonâ cariore daret egenis ſibi neceſſaria frumenta; à Deo multiplicata recepit. morbidam puellam tactu curauit.

VT verò ab ipsâ naturâ fuit liberalis, ita etiam ex dono gratiæ humanus & miſericors erat erga Chriſti pauperes & leproſos. Quotidiè enim habuit duodecim pauperes & leproſos, quorum ipſe lauabat pedes, & ora oſculabatur: iiſq; cibo ac potu refectis, largas præſtabat eleemoſynas; atque ita à ſe illos dimittebat. Abijt quandoque in Comitatu ſuo venatum cũ multis è familiâ ſuâ, quos omnes iuſſit antecedere. Ipſe verò vno apud ſe milite cum tonſore retento, ad quoddam leproſorum diuertit domiciliũ, vbi ſex horridâ percuſſos leprâ reperit; è quibus plerique vſq, adeò deformes erant, vt ſine horrore adſpici non poſſent. Videbantur exeſa & abſumta labia: ita vt dentes paterent, atq; etiam exciderent. Eos vt vidit ſanctus & pius iuuenis, humaniſſimè ſalutauit, & ſalutares eis adhortationes propoſuit: inde omnes ſingulatim peramanter oſculatus eſt. Et ecce repentè curantur omnes, & tota illa domus odore ſuauiſſimo completur: ille verò, præſtitâ eis eleemoſynâ recedit: ſed abeunte eo, igneus quidam & luculentus radius ab eius capite cunctis cernẽtibus emerſit, qui ſemper cum recedente longiùs tendebatur: attingenſq; leproſorum domum, ſpatium omne quod inter illum progrediẽtem & eam domum intererat, mirâ luce perfundebat: nec priùs radius ille diſparuit, quã ille ad ſuam, quæ procul ſatis aberat, familiam perueniſſet. At ſanctus iuuenis, qui in omnibus illis, quæ admirabiliter per eum Deus operabatur, laudes vitabat humanas; omnibus ſuis ſeueriter interdixit, ne hoc miraculum, donec ipſe in viuis eſſet, cuiquam reuelarent. Porrò leproſi illi ab eo curati, relictâ leproſorum domo hoſpitali, deinceps nullo prohibente inter ſanos habitârunt. Sępè autem beatus Elzearius clàm alia leproſorum habitacula inuiſebat, vno tantùm ſocio contentus: ibique flexis genibus eorum abluebat pedes, oſculabatur vulnera, eaque purgabat & obligabat; ita vt ſocius eius ſtaret planè obſtupefactus, atq; ex pio, magis etiam pius efficeretur. Præ nimiâ erga miſeros commiſeratione, ſanctus iuuenis nunquam faciem ſuam ab vllo auertit paupere; ſed animum atque manum omnibus pro Chriſti amore ipſum rogantibus liberaliter porrexit. Hæc enim actuoſa virtus ei quaſi à naturâ ineſſe videbatur. Iubebat pauperes & egenos ſecretò inquiri, iiſq; nonnunquam etiam non petentibus magnas præbebat eleemoſynas. Accidit quandoque vt ipſo in caſtro Podij Michaëlis degente, ob magnam ſterilitatem incolis eius regionis annona deeſſet. Itaque illi ad ſanctum iuuenem confugiunt: orant vt velit illis eſſe ſubſidio, quo poſſint annum illum exigere. Tum ille rebus ſuæ domui neceſſarijs ſeparatim repoſitis, quicquid ſupererat, illis mutuò dedit. Sed cum aliquamdiu ante meſſem non ceſſarent pauperes petere, iuſſit etiam de illis rebus, quas in ſuos neceſſarios vſus ſeruauerat, eis erogari. Tandem verò, cùm frumentum omne abſumtum eſſet, & pauper quidam frumentum peteret: præcepit ille cuidam fœminæ, quæ granarij claues habebat, vt frumentum illi daret. Illâ dicente, nihil prorſus supereſſe, fidenter ait, Ito, & diligenter inquiras: fortaſſis quippiam reperies. Abit illa, tametſi non neſciret nihil illic remanſiſſe, vt ſatisfaciat hero ſuo: & ecce tantundem in horreo frumenti reperit, quantum ſeruari iuſſerat Elzearius in vſus neceſſarios familiæ ſuæ. Stupet igitur ad rei inſperatæ conſpectum: dat pauperi quod petebat, citoque indicat rem omnem domino ſuo. Ille verò mox ad iuſiurandum eam adigit, nunquam eam cuiquam eam rem ante ipſius obitum indicaturam. Sed ea tamen diu celari non potuit, quòd plures è familia iam ſcirent frumentum omne exhauſtum fuiſſe. Porro ſanctus iuuenis, frumentum, quod illis mutuò dederat, etiam dono dedit, Chriſti amore nihil prorſus ab eis repetens. Eius ſimile quiddam accidit

Pauperum pedes lauit, leproſos oſculatus eſt.

Deformes leproſos oſculo ſanauit.

In pauperes liberalis fuit & miſericors.

Pauperum annonam leuauit.

Semper habet vnde det, cui plenum eſt pectus charitatis.

Dans neceſſarium ſibi frumentum pauperibus, à Deo multiplicatum recepit.

cidit alio tempore habitatoribus Auſoiſij, & totius Baronatus, propter famem & annonæ charitatem. Ducentos enim frumenti ſextarios Dei amore partim dono, partim mutuò dedit: ſolùm neceſſarium ſuæ domui frumentum ſibi retinens. Sed cùm ſub meſſem pauperes hincindè ad eum venirent, & frumentum peterẽt: iuſſit dari è ſuo, quod ſibi ſeruârat. Dicente familiâ, nihil in horreo remanſiſſe, nihilominùs præcepit, vt irent & accuratè inquirerent, darentque pauperi cuidam importunè petenti. Abeunt illi, & tantam frumenti copiam inueniunt, quæ vſque ad importatas ſegetes nouas abundè, non ſolùm familiæ, ſed etiam egenis ſufficeret. Quod autem quibuſdam mutuò dederat, id eis donatum eſſe voluit. Solebat interdum viſitare ægrotos, è quibus multos curauit. Apud Arelaten cùm eſſet, Conſtantia puella ſeptennis, filia Ioannis Albæ, quatuordecim dies perpetuis erat vexata febribus, atq; vno die videndi loquendique facultate caruerat. Quæ res matrem eius incredibili dolore affecit. Sentiens id beatus Elzearius, & eius vicem valdè dolens, ad puellam accedit, cuius iam, accenſis cereis, exitus expectabatur; imponenſque manum ſuam capiti eius, Domini voluntas, inquit, fiat de te filia. Egreſſuſque foras, conſolatur matrem lachrymabundam, dicens filiam eius viuere. Mox puella cibum petit, aſſerens hominem quendam curaſſe ipſam, tangendo faciem & caput eius. Eodem die plenè reſtituta, alterâ luce ſuis pedibus domi foriſque ambulauit.

Puellam febricitantem tactu ſanauit.

CAPVT XXII.

Rebelles patientiâ fregit, calumnias conſtanter, vt non ſentire videretur, diſſimulauit.

ANNO ætatis ſuę tertio & viceſimo, patre ipſius defuncto, factus eſt Comes Ariani & Baro Auſoiſij ex patris inſtitutione. Atque tum primum Italiam petijt, eius Comitatus occupandi causâ. At verò Ariani oppidum, triennio ei rebellauit: multaſque iniurias, nec parua damna & contumelias ibi perpeſſus eſt. Interdum etiam inſidias ei comparârunt, & crimina quædam affinxerunt. Sed ille multis licet modis ab eis laceſſitus & diuexatus, nunquam vltionem petijt, neque vnquam vltus eſt. Volebat quidem Princeps Tarentius, qui eum inprimis charum habebat, eiuſque iniurias valdè dolebat; complures eius vrbis homines ſuſpendio necare, pleroſque mutilare, vt cæteri territi ſuum officium facerent: ſed ille non permiſit, immò verò conſtanter, ne id faceret, impediuit, dicens præpotentem Deum & iuſtitiam, eos quandoque ad ſanitatem reducturos: quod etiam ita euênit. Eius enim patientia id obtinuit apud Dominum, vt poſteà ab omnibus illis honoraretur vt dominus, amaretur vt pater. Ibi tum quaſdam literas inuenit, quas quidam nobiles ſcripſerant patri eius adhuc viuentij; in quibus grauiter quidem, ſed falsò eum accuſabant: multumque vrgebant patrem, ne eum ſcriberet heredem, permultis fallacioſe & proditoriè ad id efficiendum adhibitis rationibus & argumentis. Quas literas cùm ſanctæ coniugi ſuæ in conclaui legiſſet, illa ſciſcitabatur, vellétne eas calumniatoribus illis oſtendere, vt ſubmiſſiùs & humiliùs ſeſe gererent, & tanti ſceleris ducerentur pœnitentiâ. Reſpondit autem mitiſſimus iuuenis; Ego verò totum hoc facinus eis ex animo condono, nec volo has eis litteras oſtendere: immò eos ſibi perſuadere volo, mihi de ijs prorſus nihil conſtare. Si enim perciperent, in manus meas illas incidiſſe, iam magnâ ex parte pœnas darent. Semper enim timerent ſibi à me, & perpetuò ſuſpectum me haberent. Sic dixit, & literas adeò aboleuit, vt nunquam quiſquam illorum reſciuerit eas in illius perueniſſe manus. Immò paulò poſt, cùm miles quidam, earum literarum primarius architectus, cum alijs præſens adeſſet quodam ſolemni die: Sanctus & pius Comes illum præ cæteris honorificè accepit, magiſque ſe illi familiarem præbuit, & in ſuum cubiculum introducto, quædam magni pretij corporis ſui ornamenta dono dedit, atque quoad vixit, ſpecialia amoris & beneuolentiæ ſigna ei exhibuit.

A ſubditis rebellibus pœnam non repetijt.

Patientia ad meliorem frugem auxit.

Calumnias aduerſum ſe patri ſcriptas diſſimulat.

CAPVT XXIII.

Illatis iniuriis conſtantiam tenuit admirabilem, perenni recordatione Chriſti patientis.

TANTA enim in illo virtus & gratia inerat, tanta animi fortitudo & patientia in rebus duris & aduerſis, vt toto vitæ eius ſpatio nemo, quantumuis familiaris vel domeſticus, ob quamcumq; moleſtiam & afflictionem, quicquam eum, vel dixiſſe vel feciſſe impatienter, & iracundè, potuerit animaduertere. Atque eâ cauſsâ, Delphina ſancta virgo, quæ ipſius virtutes & actiones aſſiduè contemplabatur; cùm cerneret, eum nihil commoueri aduerſus eos, qui iniuriam ei irrogarent, eique moleſti eſſent, ſed ferre omnia ſedatè, vultuque placido & iucundo, admirans tam inſignem tamque inuictam in illo patientiam, vtque eius certius periculum faceret, intra conclaue ita ait ad eum; Quid hominis es tu, Elzeari, qui numquam erga illos, qui te iniuria afficiunt, commoueris? Videris eſſe trunci inſtar aut ſtatuæ, nihil ſentientis. Et tamen patibilis es, & homo mundanus. Aut fortaſſis vel neſcis, vel non potes iraſci. Et quid, obſecro, officeret malis, qui interdum iniuſtè te lædunt, ſi te quandoque iratum illis oſtenderes? Ad hæc homo leniſſimus reſpondit; Ecquid verò, Delphina, prodeſt iraſci? Nihil profectò: at tamen explicabo ego tibi arcanum pectoris mei. Noueris me interdum ſentire aliquam in animo aduerſus infeſtantes me indignationem; ſed ilicò me conuerto ad cogitandas iniurias Chriſto illatas, cumque imitari cupiens, dico mihiipſi; Etiamſi famuli tui barbam tuam conuellerēt, & colaphos tibi infringerent, nihil eſſet ad Dominum tuum, qui maiora perpeſſus eſt: certumque habeas, Delphina, me nunquam ceſſare à commemorandis iniuriis Saluatoris mei, donec animus meus planè ſit tranquillatus. Atq; hanc fateor me à Domino habere peculiarem gratiam; vt eos, qui mihi iniurioſi ſunt, vel æquè, vel antè, vel plus etiam amem, & pro eis ſpecialiter orem; agnoſcamque & confitear, me maioribus & atrocioribus iniuriis dignum eſſe. Ex his verbis virgo Delphina fuit mirum in modum confirmata, & cæleſti ſuauitate referta, ſentiens generoſum eius animum rerum cæleſtium deſiderio adeò incenſum, adeoque Deo coniunctum, vt nulla perturbatio vel cōmotio ei poſſet dominari.

Mira eius in aduerſis conſtantia.

Atque iſta perpetuâ paſſionis Chriſti recordatione.

CAPVT XXIIII.

Obærata ſua dominia debitis liberauit, miſericordiæ & iuſtitiæ ſtudioſus. Afficiendos ſupplicio hortabatur ad ſalutarem mortem. Damnatis multæ, clàm pecuniam reſtituit.

ERAT tum Comitatus ille & Baronatus magno ære alieno obſtrictus & preſſus. Itaque conſtituit certos homines, qui certos quoſdam prouentus & res ad ſe reciperent, atque indè paulatim omne æs alienum diſſoluerent. Audiens autem ille tam moleſta & dura onera, ita intra ſe dicere ſolebat; Gratias tibi ago, Domine Deus meus, quòd vti à me in primâ tuâ viſitatione omnem huius mundi & rerum labentium amorem abſtuliſti: ita nunc, te iubente & diſponēte, eas terras & ditiones obtineo, quæ intantū ſunt ære alieno afflictæ, vt etiam mundi amatores vix vllam poſſent ex eis delectationem capere. Quādo verò clemētia ſine iuſtitiâ, præſertim in Principe, inanis & inepta eſſe videtur, beatus Elzearius, vt per * vniuerſas Domini vias, quæ ſunt miſericicordia & veritas, recto pede incederet; ſicut erat miſericors, ita etiam iuſtitiæ zelator, quā miſericordiâ temperatam ſuis ſubditis miniſtrabat. Iis, qui publicis fungebātur officiis, præcipiebat, vt in iudiciis & ſententijs ferendis à iuſtitiæ normâ minimè deflecterent. Si qui eâ in parte remiſsi & incurioſi eſſent, eos acriter obiurgabat; plerumq; etiam ab eiuſmodi functionibus remouebat, magis idoneos eis ſubſtituens. Maledicos & alios ſceleratos homines ſeueriter perſequebatur; & captos atque in vincula coniectos, pro ratione culpæ plectebat. Morti adiudicatos ſalutaribus monitis inſtituebat; comiterq; hortabatur, vt ſua peccata confiterentur, maximeq; vt ad Chriſti paſſionem confugerēt. Cùm ſceleſtus quidam, homo maledicus, ſententiâ curiæ

Heredia ſua liberauit ære alieno.

* Pſal. 24. 10.
Vt miſericors erat, ſic & iuſtus.

Morti adductos ſalubriter monebat.

eius ſuſpendio addictus eſſet: acceſſit ad carcerem, & diu multumq́ue illum exhortans, atque ad veram pœnitentiam prouocans, tam accuratè eius maleficia illi declarauit, vt ex animo ſe peccaſſe doleret, flenſq́ue & gemens, fateretur eâ ſe morte dignum, immò ignominiâ maiori affici ſe debere; gratiaſq́ue agens Deo, toleranter & hilariter mortem exciperet. *Debitoribus debita dimiſit.* Damnatis pecuniæ, interdum tertiam partem ſolebat remittere, quibuſdam dimidiam: pauperibus totam condonabat, ſed ſecretò & per alios, nè impunitas licentiam páreret, ſed ſemper in metu eſſent, atque à peccatis & maleficiis ſibi cauerent. Eorum, qui morte plectendi erant, facultates pro more in fiſcum principis importabantur. Verùm ſi illi vxores haberent ac liberos, clàm alienâ manu eas illis reſtituebat.

CAPVT XXV.

Neapoli in aulâ regiâ pompam equeſtrem non aduertens, iugiter inhæſit Deo, ſtatuens cum vxore virgine votum perennis virginitatis Chriſto nuncupare.

CVM à Roberto rege, cui inprimis charus erat, fratre ſancti Ludouici Epiſcopi, Neapoli equeſtri dignitate ornatus eſſet; eâ nocte more ſuo in eccleſiâ, vbi id fiebat, peruigil in preces incubuit, ingentiq́ue equitum auratorum aliorumq́ue nobilium multitudine, cum luminibus in templum ingrediente, atque cum tubis aliiſq́ue diuerſis inſtrumentis muſicis coram illo hilariter & iucundè tranſeunte; *Mundanam pompam non ſenſit.* ille mundana gaudia cęleſtibus commutauit. Nihil enim, quæ circa ipſum gerebantur, ſentiens, totus fuit ad cæleſtia ſublatus, & inter Angelorum beatorumq; ſpirituum agmina animo verſans, cum illis diuina contemplabatur. Atque ita totâ illâ nocte terrena excedens, cum magnâ animi ſuauitate guſtauit cæleſtia & æterna, vti poſteà ſuæ Delphinæ ſecretò reuelauit. Cœpit autem multo tum acriùs, quàm antea conſueuiſſet, intus vrgeri, vt cum felici ſponſâ ſuâ Delphinâ ſacrum virginitatis votum Domino nuncuparet; quod quidem eiſdem ſæpe etiam aliàs Spiritus ſanctus inſpirarat. Miſit igitur per ſpecialem nuntium litteras ad illam in Galliam Narbonenſem ſiue Prouinciam, vbi tunc morabatur, iubens vt quamprimum veniret ad ipſum cum dominâ Garſendâ Alphanti. *Caſtitatis ſe voto cum vxore Deo conſecrare decreuit.* Acceptis litteris, illa, vt verè humilis & obediens, relictâ Garſendâ, propter malam eius valetudinem nauim ingreditur: cumq́ue ad eum perueniſſet, comiter ab illo excipitur, auditq́ue clàm eum ſibi dicentem; Ego te acciui, vt, quod ſæpe tentauimus, Domino virginitatem noſtram voto conſecremus. Sed quia illi ſic viſum eſt, vt domina Garſenda huic voto interſit, quòd illa ſæpe nos ad id nuncupandum hortata eſt, & à teneris annis ſalutaribus monitis nos piè admodum & diligenter inſtruxit, optauitq́ue coràm adeſſe, noſq́ue & videre & audire perpetuam continentiam pollicentes: nos proficiſcamur ad eam. Atque ita diſcedēdi copiâ à Roberto rege difficillimè impetratâ, iubente eo vt intra biennium ad ipſum redirent; Italiâ relictâ, vbi quinque annis manſerat, in Galliam Narbonenſem ſiue Prouinciam ſunt reuerſi. Multi autem eis venientibus obuiam progreſſi ſunt nobiles, & affines, hilariter eos accipientes: in quibus Roſtagnus à Sabrano equeſtris ordinis, cùm eum amplexatus eſſet, repentè eius animus eſt magnâ vi immutatus. *Eius amplexu vir nobilis ad meliorem vitam mutatus.* Nam cùm iam grandæuus eſſet, & biennio ſua peccata confeſſus non eſſet, tantâ ſenſit peccatorum ſarcinâ ſe premi; vt nec quieſcere, nec cibum capere, nec quicquam omnino facere poſſet, donec peccata ſua cum multâ contritione, & lachrymis multis eſſet ſacerdoti confeſſus; atque ex eo tempore ad meliorem frugem ſe recepit. Felices autem coniuges illi, ad caſtrum Auſoiſij peruenientes, inueniunt dominam Garſendam etiamnum decumbentem: cumq́ue eam inuiſerent, & aduentus ſui cauſſam indicarent, pia matrona impensè exultans; Gratias tibi ago, inquit, Domine Ieſu Chriſte; quòd duplici me gaudio recreare voluiſti. Sicut enim multũ optaui intereſſe huic voto: ita toto animo cupiebam diſſolui, & tecum eſſe. Quod cùm feruenter peterem, reſponſum eſt mihi à Domino, tantiſper me in corpore manſuram,

ram, donec videam hos ſacros coniuges virginitatis votum ipſi offerre. Porro in eodem caſtro ſimul Paſcha celebrarunt, & cum ſanctiſſimâ Chriſti matre, & Mariâ Magdalenâ, Mariâ Iacobi & Salome, ſanctiſque Apoſtolis, Dominicæ reſurrectionis gaudia contemplantes, feſtum illud admodum religioſè & piè coluerunt: atque indè vſque ad beatæ Mariæ Magdalenæ ferias in eodem caſtro diuinis laudibus & meditationibus vacârunt.

CAPVT XXVI.

Poſt ſacroſancti Corporis Dominici ſumtionem Elzearius & Delphina coniux, magnâ pietate, voto diu concepto caſtitatis hactenus illibatæ, obſtrinxerunt ſe Deo, auctore Garzendâ piâ matronâ præſente, quæ poſt exceſſum illuſtri gloriâ illis apparuit.

IN ipſis autem ſanctæ Mariæ Magdalenæ feriis, in ſacello beatæ Catharinæ, Miſſæ ſacrum ſingulari pietate auſcultârunt, & ſacroſanctâ Euchariſtiam perceperunt: vbi, cùm Garſenda adeſſe non poſſet ob aduerſam valetudinem, peracto ſacrificio, eam accedunt; & eâ præſente, atque etiam Alaſiâ ſorore Delphinæ, & Iuordo equite Garſendæ filio, aliis omnibus excluſis, hunc in modum vota fecerunt. Primò Comes Elzearius, flexis genibus & iunctis manibus ſuper Miſſali, ita dixit; Domine IESV CHRISTE, à quo bonum omne & donum proficiſcitur; ego peccator fragilis & infirmus, ſine tuo ſpeciali dono non poſſum caſtè & continenter viuere: ſed de tuo ſingulari adiutorio confidens, voueo & promitto tibi & ſanctiſſimæ Matri tuæ, atque omnibus Sanctis, toto tempore vitæ meæ me caſtè victurum, & virginitatem ſeruaturum, quam hucuſque tuâ benignitate in me cuſtodiuiſti. Atque huius promiſſionis exſequendæ cauſsâ, paratus ſum quaſcumque afflictiones & pœnas, atque etiam mortem ipſam perpeti. Deinde ſancta virgo Delphina conſimili modo virginitatis votum, quod iam antè ſecretò fecerat, publicè repetiuit. Ad extremum etiam Iuordus idem votum nuncupauit. Iis peractis, Garſenda multum ſpiritu exhilarata; Laus, inquit, & honor, & gloria ſit omnipotenti Deo; qui mihi videre præſtitit, quod tantoperè optaui. Iam læta moriar, nec quicquam prætereà cupio in hoc mundo: ſed ſuſcipe Domine IESV ancillam tuam, & ſancta volũtas tua in me, & de me fiat. Domine IESV CHRISTE, ſeminator caſti conſilij, ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Delphinâ virgine ſeminaſti. Iuſſit autem ſanctus Comes Elzearius, ne ipſius & ſacræ ſponſæ ſuæ votum cuiquam hominum aperirent. Non diu pòſt ſancta Garſenda, plena operibus bonis, migrauit ad Dominum, ſicut optârat. Ad cuius obitum & ſepulturam beatus Elzearius cum Delphinâ virgine præſens fuit. Apparuit autem illis poſt mortem in habitu ſplendido atque elegantiſſimo, multâ gloriâ illuſtris, alteri dormienti, alteri vigilanti; eoſque de ſuâ beatitudine certiores reddidit, atque ſpiritali conſolatione affecit, quemadmodum expreſſiùs habet hiſtoria beatæ Delphinæ. Corpus eius humatũ eſt apud Aptam, in Eccleſiâ Fratrum Franciſcanorum, iuxta tumulum beatorum Comitum Elzearij & Delphinæ, in ſancti Franciſci habitu, cuius tertium Ordinem ſiue regulam amplexa fuerat, ſicut etiam Elzearius & Delphina.

S. Elzearius pia formula votum caſtitatis Deo nũcupauit, hactenus conſeruata.

Item uxor Delphina quod ſecum vouerat publicè repetiuit.

Garſenda mortua illuſtri gloria illis apparuit.

CAPVT XXVII.

Salutaribus monitis laſciuum regis filium, curæ ſuæ concreditum ad meliorem frugem perduxit, incorruptum ſeruans ſe ab vniuerſis munuſculis.

BIENNIO in Prouinciâ exacto, Elzearius Neapolim rediit, vt iuſſerat Robertus Rex; atque illic inſtitutus eſt præceptor Caroli, qui fuit eius regis primogenitus, & Calabriæ Dux. Cernens autem eum moribus leuem atque laſciuum, promtumque ad audiendos leues impudicoſque ſer-

mones, ei ſeorſum abducto ait; Non decet inſignem perſonam & Regem laſciuos & diſſolutos vel audire, vel proferre ſermones. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua*: ſed potiùs ſanguis illuſtris, verbis honeſtis & bonis, atque incorruptis moribus ornandus eſt. Hæc verò atque id genus alia eâ efficaciâ dixit, eiuſque animo impreſsit; vt confeſtim ſpiritu mãſuetudinis & pietatis, eius pectus ſibi vendicante, non non ſine multâ admiratione Comitum, & aliorum nobilium, qui ei ſemper aderant, breui totus mutatus ſit in melius; quibuſdam dicentibus, Dominus Dux in alium virum mutatus eſt: aliis verò aſſerentibus, Comes Ariani cum Duce locutus eſt; atque ex eo tempore, non modò à verbis inhoneſtis & malis moribus abſtinuit: ſed neque vt quiſquam impuros effutiret ſermones ferre ſuſtinuit. Vt autem viderunt nobiles & proceres regni, aliique inferiores beatum Elzearium in tantam Ducis familiaritatem admiſſum, eum maiori veneratione proſecuti ſunt. Nam per id tempus totius regni adminiſtratio erat penes illum ducem, patre eius Roberto Rege in Prouinciâ agente. Quibus autem cum Duce vel in eius aulâ negotium erat, ex iis plerique veniebant primò ad Elzearium, & cum eo conferebant. Quidam offerebant ei pannum coccineum, plerique multas auri vncias, alij alia non parui pretij munera. Sed vir ſanctus diuinitus illuſtratus, ſciens *munera excæcare oculos accipientium*, ab omni munere & animum & manus excuſſit. Dicentibus verò quibuſdam è familiâ, pro laborum compenſatione, nullo intercedente pacto, ſine vllâ culpâ aut vitio, licere illi dona quædam accipere: vir purus & candidus reſpondit; Et tamen illa munerum acceptio poſsit aliis eſſe offendiculo; atque etiam occaſio præter ius faſque ea recipiendi: malim igitur in vniuerſum ab omnibus abſtinere. Veniens quandoque à Duce & eius aulâ, in ſuum cubiculũ more ſuo ſe recepit, vt ſanctâ meditatione animum ſuum in Deum colligeret: ibi tum huiuſmodi verbis vtebatur; Tu mihi, Domine Deus, in paradiſo debes centum auri vncias, & duos pannos coccineos. Interim caſu quodam domina Alaſia monialis in illud cubiculum ingrediens, & eum audiens iſta dicentem, admirans ait ad eum; Ecquid ſibi volunt, mi Domine, hæc verba tua? Ille reſpondit; Hæc munera ego hodiè habere potui; ſed pro Chriſti amore ea contempſi. Secretò etiam dicebat ſanctæ ſponſæ ſuæ, complures non rarò in id incubuiſſe, vt donis & muneribus ipſum corrumperent.

Elzearius regij filij pædagogus monitis ſalubribus ad modeſtiam perſuaſit.
* 1. Cor. 15. 33.

Munera contemſit.
* Exod. 23. 8.

CAPVT XXVIII.

Patrocinium pauperum ſuſcipiens, exulantibus etiam & egenis neceſſaria vitæ ſubminiſtrauit.

CVM autem ad eius aures multorum pauperum querimoniæ peruenirent; ſentiens ille eorum cauſſas & negotia in aulâ principis negligi: magnâ commiſeratione affectus, acceſsit fidenter ad Ducem, petiitque ab eo, vt cauſſas pauperum ipſi liceret exſequendas ſuſcipere, & eis ſe in aulâ aduocatum præbere. Duce libenter aſſentiente, vir pius magnam ſibi curauit crumenam confici; atque in eâ non niſi pauperum ſupplices libellos & querimonias repoſuit: cumque iret per plateas vrbis, ad eum pauperes certatim confluebant, ita vt ægre poſſet cùm ſuâ familiâ in oſtium domus ſuæ, præ eorum multitudine ingredi: audiebat eos ſuas querelas proponentes, idque accurate imprimis & ſedate. & cùm pleriq; multa admiſcerent ſuperuacanea, ipſe, vt erat acutus & prudens, in certa capita rem totam conferebat, & pro eis Duci, & eius officialibus loquens, cauſſas eorum expediebat. Venerunt tum Neapolim quædam matronæ nobiles cum liberis ſuis & aliquâ familiæ parte è Siciliæ regno propter bella exſilium ferentes: quarum vicem beatus ille Comes admodum dolens, earum ſuſcepit curam & patrocinium; effecitque apud Ducem, vt ex eius palatio quotidie eis victus neceſſarius præberetur. Curauit etiam, vt haberent pannos, & multas alias res neceſſarias: neque enim vel illarum, vel aliorum pauperum inopiam ſine multâ commiſeratione videre potuit. Quandoque lotis manibus ad menſam accedenti; quidam pauper domum intrans, importu-

Pauperum in aulâ curam diligentem. adſi- recepit.

Exulantibus nobilibus victum procurauit & neceſſaria.

portunè ſe ingeſſit, ſciſcitans quid de ipſius ſupplici libello feciſſet. Ille verò perbenignè reſpondit; Suſtine parumper; & ego priuſquam cibum capiam, rem tuam expediam. Surgenſque à menſâ iuit ad curiam: reuertenſque pauperi ſatisfecit; atque ita ad menſam pranſurus acceſſit. Quibuſdam etiam ob longam moram ſeſe ſuſtentare non valentibus, ipſe neceſſaria præbebat: atque ita manu, linguâ, animo, eis ſeruiens, triplex in ſingulis Deo gratum ſacrificium offerebat; memor Chriſti Saluatoris, in ſummâ paupertate naſci, viuere & mori volentis, qui etiam ait; * *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Famâ interim per totam vrbem volitante, Comitem Ariani factum eſſe Aduocatum pauperum: ille eâ cauſâ non deſtitit, in cælo ſibi theſauros condens, vbi toto pectore verſabatur, vbi totum cor eius erat.

Ante pa-ſtum ſurgens à menſâ pranſquâ reficeretur, pauperis expedinit cauſſam.

* Mat 25. 40.

Ibid. 5. 19.

CAPVT XXIX.

In fide Catholicâ fuit adeo confirmatus, vt ab eâ nullo modo potuerit ſeduci.

IDEM ipſe fidelis verax & Catholicus Comes, magno fidei zelo prorſus incenſus erat; eius causâ non ſolùm quæuis aduerſa perpeti, ſed etiam mortem ipſam excipere peroptans. Adeò enim, præſertim in primâ & quartâ viſitatione diuinâ, radiis fidei illuſtratus fuit: vt quomodo tunc creatorem & creaturas, redemtioniſque humanæ myſterium in ſpiritu viderat, ita deinceps continenter in animo ſentiret. Conferebat aliquando cum ſponsâ ſuâ in cubiculo de extremis mundi temporibus, & malitiâ Antichriſti: & dicente ſacrâ virgine Delphinâ; Horrenda erit illa perſecutio fidelium. * *Si enim virtutes cælorum mouebuntur*, quo pacto homines ſtabunt? ille reſpondit; Ecce Delphina, ſi magiſter Franciſcus Maronis, qui in præcipuis Chriſtiani orbis Theologis numeratur, eſtque in fide bene inſtructus & firmus; itemq; frater Ioannes Iuliani confeſſarius noſter illuminatâ fide & vitæ ſanctitate clarus; atque etiam domina Garſenda, cuius ſancta vita iam multis per virtutum opera & miracula innotuit; quæ, vt noſti, à tenerâ ætate nos ſemper in ſanctis operibus & virtutum ſtudio educauit: ſi inquam, hi tres de quibus ego ſic ſentio, venirent ad me, dicerentque vno animo, fidem noſtram falſam eſſe, noſque hactenus in magno errore vixiſſe & deceptos eſſe; Pontificemque & Cardinales velle fidem mutare; idque etiam pariter totus clamaret orbis: equidem non deficerem vllâ in parte ab illâ fide, quam mihi Deus oſtendit, etiamſi eâ cauſâ mille mihi mortes oppetendæ forent; neque Antichriſtus ipſe, neque eius ſectatores me ab vllo eius fidei, quam nunc ſancta profitetur Eccleſia, articulo abducere poterunt. Quibus verbis Delphina virgo non minùs in fide confirmata, quàm ſpirituali conſolatione affecta fuit. Multa reuerentia illi inerat erga Prælatos ſiue præfectos, & ſanctæ Eccleſiæ ſacerdotes: quòd per illos via ſalutis ad alios deriuetur. Homines ſpirituales, religioſos, & pios amabat; & cum illis ſanctæ charitatis potum hauriebat.

Sup. cap 7. & 12. *Firmus in religione fuit.*

* Mat. 24. 29.

Vt nulla ratione ab ea potuerit dimoueri.

CAPVT XXX.

Habitans in lateris vulnere Chriſti, conſcientiam ſeruauit impollutam, mortem nihil timens in naufragij periculo.

ACCIDIT, vt quandoque in monte Peſſulano hæreret; itaque Delphina virgo ex caſtro Podij Michaelis, miſit ad eum litteras per famulum, cupiens noſſe cur moram illic faceret. Cui ille ſic reſpondit; Sanus corpore ſum & ſoſpes. Quòd ſi verò videre me cupis, quære me in vulnere lateris Chriſti; illic enim habito, & ibi me poteris inuenire, fruſtra alibi quæſitura. Alio tempore cum Roberto rege Auinione manens, quodam feſto die poſt ſacramentalem confeſſionem, manè dixit cuidam Miſſam celebraturo, vt hoſtiam pro ipſo poneret. Interea inchoante ſacrificium presbytero, vocatur à rege. Dicit ergo presby-

In Chriſti lateris vulnere nidificauerat.

 tero,

tero, vt differat ſacrificium, donec ipſe reuertatur: atque ita è ſacello exiens, cum rege vſque ad Pontificis palatium equitat, quod procul inde aberat. Indè reuerſus, deſcendit ab equo, intrat in ſacellum, dicit Sacerdoti vt Miſſam celebret: atque ſub eâ admodum piè ſacram percipit communionem. Vnde poteſt animaduerti, quantopere fides eius & animi cum Deo coniunctio illum perluſtrârit: quando toto illo itinere nulla neque viſa, neque audita animum diſtraxerunt. Bonus enim ille ſpiritus, qui eum incitabat ad diuina, omnes circa illum vias & aditus adeò occupabat: vt nil ſordidum vel impurum, aut ipſi diſſimile & contrarium, vel inuiſum & ingratum, in eius animum ingredi pateretur. Reuertebatur quandoque Neapoli in Prouinciam cum ſponsâ Delphinâ & totâ familiâ. Inter nauigandum autem tanta in mari extitit tempeſtas, vt fracto velo vnà cum malo, inter vndas magno in periculo verſarentur. Fit igitur magnus omnium planctus & dolor: quòd nemo iam ſe euaſurum ſperaret. At ſanctus vir Domino bene confidens, animo illum piè deprecabatur: & cæteris lachrymantibus, ſolus nihil extrinſecus mutatus fuit. Cumque nauis non ſine magno miraculo portum attigiſſet, illis Deo gratias agentibus, quoſdam è ſuâ familiâ reprehendit, quòd tam multis fuſis lachrymis, editiſque clamoribus, ſatis indicaſſent, ſe nimiùm formidare mortem, parumque diuinæ bonitati confidere. Tum verò ſancta virgo Delphina ſeorſum interrogauit illum; An non timuiſſet ipſe tanto in diſcrimine mortem, qui alios ſic obiurgaret. Reſpondit ille; Noueris, Delphina, iam inde ab eo tẽpore, quo me Dominus viſitauit in loco de Saltu; vbicumq; ſim, ſiue in mari, ſiue in terrâ, quocunque genere mortis illi viſum ſit me hinc auferre, me promto animo paratum eſſe: & neque nunc, neque aliâs vnquam, quantumuis magnis verſer in periculis, mortem me formidaſſe: ſed cum cerno adeſſe pericula, cor meum hunc in modum Deo me offerre ſolere; Domine Deus meus, cui cordium arcana patẽt, qui omnia noſti antequam fiant; ſi decreuiſti nos, vel quoſdam ex nobis punire: vertatur, obſecro, ira tua in me peccatorem ingratum, & ignoſcas aliis. maior enim honor ad te redit ex quocunque alio ex iis qui hîc adſunt, quàm ex me. Hæc poſtquam ego dixi, ſemper in animo meo maiorem conſolationem perſentio.

Nihil maculabat ipſius puram conſcientiã.

In præſenti naufragij diſcrimine ſibi ſemper ſimilis mortem non timebat.

Sup cap. 9.

CAPVT XXXI.

A nullo ſui pretio ſe maximum peccatorem exiſtimabat, cum tamen eſſet puriſſimâ conſcientiâ. Correptus etiam fuit à Chriſto, propter delictum, & morbo & flagellatione.

ERAT enim tam ſubmiſſa eius humilitas, vt ſuâ exiſtimatione corã Deo ſe vilipendens, ex animo crederet ſe omnium maximũ peccatorem, diuiniſque beneficijs nimis ingratum; cùm reuera vas eſſet puriſſimũ, atque omnium virtutum odoribus refertum: ita vt de illo tam ſponſa eius Delphina, quæ eius actus & mores ſagaciter explorabat, quàm etiam alij, qui præ cæteris ab ineunte ætate vſque ad obitum eius, magis familiares ei fuerant, atque ex ijs quidam iureiurando, affirmarent; nunquam ſe aduertere potuiſſe in omni ſuâ vitâ, mortiferũ peccatumeum perpetraſſe. Illius quoq; confeſſarij, præſertim quibus crebriùs confitebatur, & quibus totius vitæ ſuæ generalem fecerat confeſſionem, qui erant ſanè viri magnæ ſanctitatis & perfectionis; idem aſſerebant: illud addentes, eum cum magnâ cordis contritione etiam minima peccata confiteri ſolere. Tanta enim erat puritas conſcientiæ eius, tamque ingens gratiæ lumen, vt non pateretur etiam leuibus culpis ipſum inquinari: cùm ille interim, vt diximus, ſe peccatorem maximum exiſtimaret, altiſſimâ humilitate ad id eum impellente. Huic verò tam profundæ humilitatis fundamento, cæteras virtutes ſecuriùs ſuperſtruebat. Honores mundani, licet extrinſecus eos præ ſe ferret, diſplicebant ei & moleſti erant: cumque pro ratione ſtatus ſui non ita, vt par erat, honor ei haberetur, ſingulari quadam lætitiâ afficiebatur. Hæc eius eximia humillitas in omnibus actibus illius, magnam ei præſtabat ſecuritatem: ita

Magna fuit illi humilitas, vt ſibi peccator videretur maximus.

Et maxima ei conſcientiæ puritas.

vt quo-

Ex quâ illi maxima in Deo confidentia.

vt quocunque iret, ſiue ad mortem, ſiue ad vitam, ſecuro & conſtanti animo, ſub diuinæ protectionis fiduciâ habitaret. Iuſſus quandoque fuit à Roberto rege Domino ſuo, cuius erat beneficiarius & ſubditus; proficiſci Romam cùm Ioanne fratre eiuſdē Regis, & armato milite contra Imperatorem, qui Eccleſiaſticã libertatem in multis violauerat. Cumque eſſet Romæ in armis, Germanum quendam partis aduerſæ fortem virum, è manibus illum occidere volentium, liberauit. Bello confecto, in quo Imperatoris exercitus ſuccubuit; mox beatus vir intra vrbem tam acri febre correptus eſt, vt ſibi videretur inter duos lectos igneos totus inflammari. Reminiſcens verò belli iam confecti, admodum dolere cœpit, ſe illi interfuiſſe. Cumque in eâ cogitatione perſeueraret, audiuit corporeis auribus Chriſtũ ſibi dicentem; Scias Elzeari, in hoc bello, cui armatus adfuiſti, expoſitum te fuiſſe periculo amittendi gratiam meam: ſed quia eius te pœnitet, volo te flagellare. Tum ille inclinauit ſe, cœpitque dicere Pſalmum quinquageſimum. Ad ſingulos autem verſus Chriſtus eum ter, vt ipſe ſolitus erat, in dorſo fortiter cecîdit. Deinde ſomno correptus, febre recedente, perfectè curatus eſt.

Febre correptus in Vrbe, fuit emendatus à Chriſto.

CAPVT XXXII.

S. Elzearius præſcius ſuæ mortis, in Galliam ablegatur à Rege Siciliæ. Pariſiis decumbens ſe parat ad mortem, aſſerens Delphinam coniugem ſe puram relinquere virginem.

BIENNIO antè, quàm è vitâ excederet, æs alienum ferè omne quo ditiones eius obſtrictæ fuerant, diſſolutum eſt: dicebatque in conclaui Delphinæ virgini? vbi Comitatus & Baronatus omnibus oneribus abſoluti erunt; ego non diu ſuperſtes ero: quod quidem etiam reuera ita accidit. Nam poſtquam debita omnia fuere perſoluta, vno tantum anno ſupervixit. Iis verò ſermonibus Delphina non mediocriter affligebatur. Accidit deindè, vt Rex Robertus & eius proceres ſanctum Comitem in Gallias ablegarent, adiuncto ei honeſto & ſplendido comitatu, vt illinc vxorem acciperet vnico Regis filio Carolo Calabriæ principi, regio ſanguine procreatam, formaque & moribus conſpicuam. Ante diſceſſum autem ſuum, vt virginem Delphinam conſolatione afficeret, dixit ei; Si, Domino permittente, reuerſus fuero è Franciâ, quantum licebit, miſſa faciam id genus negotia animum diſtrahentia; degemuſque pariter Auroiſij; vt à terrenis mundique huius ſtrepitu ac tumultu ſemoti, vberiùs ſpiritualia guſtare queamus. Erat enim planè vir deſideriorum; exiſtimabatque ſe nihil hactenus Dei cauſsâ feciſſe: atque eam ob rem feruenti ſpiritu ingentia Chriſti amore facere ſtatuebat. Cùm autem negotium ipſi demandatum, in Franciâ præclare & fideliter expediuiſſet; Pariſijs graui affectus morbo decubuit: ſentienſque mortem impendere, magiſtro Franciſco Maronenſi Minoritæ, conterraneo ſuo, qui tum erat Pariſijs, generalem fecit confeſsionem cum multis lachrymis. Quotidie etiam manè apud lectum ſuum Miſſæ ſacrificium piè audiuit; & crebrò ſub illâ aduerſâ valetudine confeſſus eſt. Et quamuis totâ vitâ ſuâ & ſuam & Delphinæ virginitatem celaſſet accuratè: attamen ſub finem vitæ, compellente eum Spiritu Dei, ita ad aſtantes loquebatur; *Saluatus eſt homo malus per mulierem bonam*; quam ſicut virginem accepi, ita & in hac mortali vitâ virginem relinquo.

Mortem ſuam prævidit.

Vir ſanctus ſibi ſanctiora propoſuit

In morbo ſe parat ad mortem.

1. Cor. 7. 16.

Conteſtatus ſe Delphinã coniugem virginem intactam relinquere.

CAPVT XXXIII.

Decumbens Deo ſpiritu coniunctus fuit, volens pia & diuina ſibi prælegi. Sub mortem horribiliter à dæmonibus vexatus, vicit eos: cuius aſpectu petulans quidam meliorem vitam auſpicatus eſt. Mortuus Pariſiis in habitu & templo Fratrum Minorum ſepultus, atque inde Aptam tranſlatus, multis coruſcans miraculis.

IN eâ ægrotatione, quæ grauiſſimos eoſque perpetuos ei dolores afferebat,

Infirmus licet nec à diuinis ceſſabat laudibus.

bat, quos ille patientiſſimè ſpe futurorum tolerabat: ſpiritus eius iugiter coniunctus cum Deo fuit, volebatque nihilominus etiam bona audire, iubebatque ſibi Chriſti paſſionem legi: nec lingua etiam à diuinis ceſſabat laudibus, crebrò repetens illum verſum; *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate.* Sumto autem Dominico Sacramento, cùm ſacro oleo vngeretur, & verſum illum dicerent; *Per ſanctam Crucem & paſſionem tuam libera eum Domine*: ipſe eundem tertiò repetiuit, & addidit; Hæc eſt ſpes mea, in hac volo mori. Ad extremum iam in agone poſitus, vultum præ ſe tulit valdè terribilem; vnde colligi liceret eum in magno verſari labore ob quædam illi obiecta: atque ſub eiuſmodi conflictu exclamauit; Magna eſt dæmonum vis, ſed eam penitus eneruârunt virtus & merita ſacroſanctæ incarnationis & paſſionis IESV CHRISTI. & poſt paululum rurſus exclamans; Planè, inquit, vici. Poſt aliquantum temporis ſpatium, cum ingenti clamore dixit; Totum me diuino iudicio cõmitto. Atque his dictis, reparatus eſt vultus eius, & quodam rubore atque ſplendore, multaque elegantiâ perfuſus: atque ita reddidit ſpiritum. Nec fuit vel tenuiter mutatus vultus eius, ſed permanſit ſerenus & pulcher. Hæc autem omnia viditquidã nobilis, multum petulãs & lubricus; adeoq; ob ſua peccata corde compunctus eſt: vt nullo pacto ferre ſuſtinens, mox accito ad ſe fratre Franciſcano, qui illic aderat; in quodam cubiculo cum ingenti pietate, & largiſſimo lachrymarum imbre, ſua peccata confiteretur. Obijt ſanctus Comes, plenus virtutibus & operibus bonis, anno ſalutis milleſimo, trecenteſimo, viceſimo tertio, quinto Calendas Octobris; ſuæ verò ætatis anno viceſimo octauo: eſtque ſepultus in habitu Franciſcano, apud Minoritas Pariſienſes. Eodem autem anno ſacrum corpus eius tranſlatum eſt Aptam, atque illic in Franciſcanorum æde, vti ipſe viuens iuſſerat, honorificè tumulatum. Vbi magnis & quidem crebris coruſcat miraculis: vt ſublimitas ſanctitatis eius, quã illo in carne mortali degente, non plane innotuerat mundo, per diuinæ potentiæ miracula è cælo declararetur. Per eius enim inuocationem & merita, virtute diuinâ excitati ſunt mortui, cæci illuminati, contracti ſoluti: & permulti morbidi homines præter naturæ ordinem, ſanitati priſtinæ miris modis reſtituti. Denique illo viſibiliter apparente & reuelante, regnum Maioricanum, importuno bello perturbatum, abſque ſanguinis effuſione, vt ipſe promiſerat, mirabiliter eſt tranquillatum: præſtante Domino noſtro IESV CHRISTO, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

In agone terribiliter fuit à dæmonibus exagitatus.

Cuius intuitu petulans nobilis mutatus eſt in melius.

Mortuus vir ſanctus in veſte Franciſcana ſepultus fuit.

Miraculis crebris illuſtris.

Digitized by Google

COMMENTARIVS

AD VITAM

S. Elzearij Comitis.

NON *tam nota eſt S. Elzearij vita, quàm nobilis: non modò à ſtirpe & ſanguine, verùm etiam ab omni coronâ virtutum & admirabili ſanctitate. Surius quam poſuit Tom. 5. ad diem 27. Septemb. exſcripſit ex M. S. auctoris nomine ſuppreſſo: cuius ego Capita ſummariis, margines hiſtoriæ breuiariis, ipſam vitam commentariolo colluſtravi. Porro Tertij Ordinis hunc ſanctum virum fuiſſe, teſtis eſt Bernardinus à Buſtis part. 2. Roſarij, Serm. 17. lit. E. atteſtatur Ioannes Molanus in notis ad Vſuardi Martyrologium die 27. Septemb. & alij, cum hiſtoriâ huius cap. 26. ad finem. Nec modò Elzearius, ſed etiam eius vxor Delphina.* *Hiſtoria vnde deſcripta.*

IN CAPVT I.

ELzearius.] *Romanum Martyrologium ad diem 27. Septemb. Baronius item in Notis, S. quoque Antoninus in præſcriptis Elogiis, Eleazarum vocant, ſed arbitror vitioſe; vt facilè mendum in litterarum irrepſit transpoſitionem: nos enim conſtanter* Elzearium *nominamus.*

Comes Ariani.] *Eſt Arianum opidum Italiæ, Gallis olim amicum, vnde ſub Carolo Quinto victum & direptum; de quo Paul. Iouius lib. 25. Hiſtor. circa medium. Eſt aliud Arianum in Galliis; ſic vulgus appellat vrbem, quæ hodie* Arãge *ſiue* Orãge *dicitur, Latinè* Arauſio, *Vrbs Galliæ Narbonenſis, vt habet Abraham Ortelius in Theſauro Geographico. Eius meminit Ptolom. lib. 2. cap. 10. Strabo lib. 4. Duo Concilia in hac vrbe celebrata ſunt, Leone Papâ I. & Theodoſio iuniore Imperatore. Petrus Rodul. lib. 1. Seraphicæ relig. ſcribit & Alſatiæ fuiſſe Comitem, quæ Germaniæ prouincia mirè dilaudatur à vini frumentique fertilitate.* *Arauſio Arianum.*

IN CAPVT V.

Vt vterque corporis integritatem ſeruaret.] *Nec id nouiter nec illaudabiliter: plures ſancti coniuges ſeruaſſe narrantur, conſenſu mutuo. Ante omnes B. Ioſeph. & Virgo Maria; Matth. 1. 25. Sic Malchus apud diuum Hieronymũ* habuit coniugem pudicitiæ, magis animæ copulam amans, quàm corporis. *Sic Melania virum habens ad caſtitatem induxit, quod Palladius ſcribit Lauſiacâ hiſtor. 119. Sic contrà, Amon virginem ducens, virginitatem in coniugio cuſtodire fecit, id quod etiam Pallad. Hiſtor. 8. Denique Imperatores Auguſti, Henricus primus & Chunegundis eius vxor, legitimi coniuges, ad mortem vſque illibatam ſeruauerũt caſtitatem. Martyrolog. Rom. ad diem 14. Iulij. De his ita B. Auguſtinus;* Beatiora ſanè coniugia iudicanda ſunt, quæ ſiue filiis procreatis, ſiue etiam illâ terrenâ prole contemptâ, continentiam inter ſe pari conſenſu ſeruare potuerint. *lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 25. Taliter* continentes, vel mares qui defunctis vxoribus, vel feminæ quæ defunctis viris, vel vtrique qui pari conſenſu continentiam Deo vouerunt; ſciant ſibi quidem mercedis amplius deberi quàm coniugalis caſtitas poſcit. *Idem de bono coniug. cap. 25. tom. 6.* *Coniugum laudabilis caſtitas pijs in vſu fuit nonnullis.* *Eaque Deo valde grata.*

IN CAPVT XXV.

S. Ludouici Epiſcopi.] *Nempe Toloſani ex Ordine Fratrum Minorum, cuius vitam Commentario noſtro illuſtratam dedimus.*

IN CAPVT XXXIII.

Obiit S. Comes.] *In manibus F. Franciſci Maronis, quod in Elogiis dictum.*

Anno

Anno ſalutis milleſimo trecenteſimo viceſimo tertio.] *Ita quoque Vmea S. Franciſci. quod ſi eſt, non obiit anno viceſimo quarto poſt milleſimum treccenteſimum, vt Baronius ſcribit in notis ad Rom. Martyrologium die 17. Septemb. ſed neque anno viceſimo ſeptimo, vt Pet. Rodulp. libro 1. Hiſtor. Seraph. Relig. ex Ordinis memoriali, Decimo octauo Generali Michaele de Caſenâ.*

Suæ verò ætatis anno viceſimo octauo,] *Cap. 5. Hiſtoria ſcribitur, Decennis cùm eſſet, vxorem Delphinam duxiſſe duodecennem: vnde ſequitur, annis circiter octodecim cum vxore vixiſſe.*

Sepultus in habitu Franciſcano.] *Vti etiam ipſius coniux caſtiſsima Delphina, atque vtriuſque auctor Garzenda matrona piiſsima. Vide cap. vitæ 26. De iſto ritu, hodieque piis in vſu, ſcripſi in cap. 15. ad Vitam S. Franciſci ad finem.*

APPROBATIO.

Illuſtriſſimi generis nobilitate, Comitis Elzearij, tertij Ordinis Seraphici Patris noſtri Franciſci, illuſtriſſimæque ſanctitatis ipſius, Vitam hanc præclaram, præfatione, atque elogio, & aliquibus deinde notis admodum Reuerendi ac Religioſi Patris Fratris Henrici Sedulij Minoritæ confirmatã, & authoratã; vt omnibus prælucere poſſet, & præ manibus faciliùs haberi, dignam omnino cenſeo, vt typis commendetur, & lucem videat. Fuit enim vir iſte ſanctiſſimus, humilis valde, & pius, ſobrius, pudicus, caſtus atque quietus, patiens & pacificus, in egenos munificentiſsimus, orationi & contemplationi ita affectus & deditus, vt conuerſatio ipſius in cælis potiùs quàm in terris eſſe iure optimo diceretur: fuit denique concreditæ ſibi familiæ vigilantiſsimus obſeruator, præceptor & cuſtos, patreſque omnes familias, qualiter ſibi commiſſas regere teneantur, mirificè docuit. Ita ſentio eaque de causâ has dedi & ſubſignaui, Bruxellæ 27. Nouembris, anno 1611.

F. Andreas à Soto Sereniſsimæ Infantis à Confeſsionibus.

ALCMA-

ALCMARIENSIVM SEX MARTYRVM

ex Ordine Fratrum Minorum,

Enchuſiæ opido Hollandiæ, à Gueziis, pro Catholicæ Religionis aſſertione an. M. IↃ. LXXII. XXV. Iunij, necatorum, illuſtris Hiſtoria.

ORTHODOXO LECTORI.

PASSIONES *atq; martyria (quæ publicæ voces, Eccleſiæ ciuitate donatæ) fratrum inſtituti noſtri Seraphici prouinciæ Inferioris Germaniæ, qui ſalutis anno Chriſtianæ, ſeptuageſimo ſecundo ſupra milleſimum quingenteſimum, victis tormentis, ſuperatis Gueziis, fortes conſtanteſque in religione vnicâ & verâ, cæleſtes meruere triumphos, animus eſt perſcribere, licet necdum inter Diuos relati ſint. Neq; enim illi ſoli beati, quibus cæleſtes honores in terris decreti: ſed etiam qui in fide integri, & in pietate ſynceri, quoad vixerint, perſeuerauerunt; Apoſtolo Paullo docente*, Corde creditur ad iuſtitiam: oris autē confeſſio fit ad ſalutem. *Enimuero* ad coronam Dei promerendam, ſufficit ipſius teſtimonium ſolum, qui iudicaturus eſt. *Veteres illi fortiſſimi Chriſtianæ fidei teſtes, pro Chriſto vitam cum ſanguine profuderūt, Deum verum & viuum aſſerentes, qui verè filius hominis eſt. At nec minor neque ignobilior horū confeſſio cenſeri debet; quæ conſtanter & intrepidè, ipſum Chriſtum, Deum hominemq; verum, vt nunc in cælis ſedet ad dexteram Dei Patris, aſſerit eſſe præſentem in altaris ſacro myſterio; etiamſi nunc id maximo habeatur ludibrio. Vox eſt promittentis quondam Chriſti*, Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ. *Veritas haud dubiò quod promiſit præſtitit: hæc fides iſtos martyres Chriſti fecit.* Hoc eſt eſſe Confeſſorem Domini, hoc eſt eſſe martyrem Chriſti, ſeruare vocis ſuæ inuiolatam circa omnia & ſolidam veritatē. *Tales iſti milites in caſtris meruere diuinis, quorum immotam conſtantiā & fortitudinem non minæ terrebāt, non tormenta vincebant: ſed finē dolorum coronæ dederunt. Porrò autē, tu mi lector, animū aduerte: vt ſi quando rurſus Dominicum horreum perflauerit ventus perſecutionis, te coſtantibus exemplis confirmes. Lubet hoc animo, huic fini verba Martyris & Antiſtitis ſancti, ad inſtituti noſtri ſodales vſurpare;* Si vos acies vocauerit, ſi certaminis veſtri dies venerit: militate fortiter, dimicate conſtanter; ſcientes vos ſub oculis præſentis Domini dimicare, cōfeſſione nominis eius ad ipſius gloriam peruenire: qui non ſic eſt, vt ſeruos ſuos tantùm ſpectet; ſed & ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter & coronatur. *Sed agmē Chriſti militum, Alcmarienſes ducant: quia ceteris ad vincenda tormenta facti duces, exemplum primi virtutis ac fidei præbuerunt.*

Multi beati etiamſi nec inter Diuos relati.
Rom. 10. 10.
Cyp. ep. 9.

Ioan. 6. 51.
Cauſſa martyrij [illegible] *martyrum.*
Cyp ep. 25.

Id ep. 9.
Monitum ad fratres noſtros.

ORDO

ORDO CAPITVM.

I. FRISIÆ Occidentalis poſitura, agri, gentis ingenium, opida, inter quæ Alcmaria.

II. De cœnobio Fratrum Minorum Alcmariæ, vnde ſex iſti martyres prodierunt.

III. P. Danielis Arendonchij, cœnobij Fratrum Minorum Alcmariæ Guardiani pietas & eruditio à maioribus accepta.

IV. Recenſi quinque Fratres reliqui, certaminis ſocij.

V. Motis ſeditionibus Alcmariæ, dum Fratres fugam facere fruſtra cogitabant, capti incarceratique fuere.

VI. Vehentes Enchuſiam, feraliter habiti in viâ, proprium ſuum bibere ſanguinem iuſſi ſunt.

VII. Enchuſiæ poſt probra & iniurias, cùm P. Daniel conſtanter fuiſſet omnium nomine confeſſus; vere Chriſtum eſſe in S. Euchariſtiâ, quinque illorum ſuſpendio addicti fuere.

VIII. F. Adrianus laicus, cùm ſocios ſtrangulare nollet, ipſe primus appenſus fuit patibulo, mox alij quatuor.

IX. Luminaria viſa ſupra corpora martyrum. Vir bonus ac diues, quia Catholicus erat & regius, fuit quoque ſuſpenſus.

X. F. Engelbertus tandem proditus, maioraque perpeſſus, ſuſpendio vitam finiuit, vt etiam quidam Canonicus Regularis.

XI. Cum B. Franciſco, ceteriſque eius inſtituti ſanctis patribus, iſti quoque laudandi martyres.

XII. Enchuſia nunc ab iſtis nota martyribus magis, quàm à ciue ſuo Ruardo Tappero. Concluſio.

Commentarius ad horum martyrium.

ALCMARIENSIVM
SEX MARTYRVM
Ex Ordine fratrum Minorum,
Euchuſiæ opido Hollandiæ, à Guezijs, pro Religionis Catholicæ aſſertione necatorum, illuſtris Hiſtoria.

CAPVT I.

Friſiæ Occidentalis poſitura, agri, gentis ingenium, opida, inter quæ Alcmaria.

Friſia minoris ſitus. FRISIA minor, quæ occidentalis, paludoſa, aſpectu triſtis, aſpera cælo, ſeditionibus, neceque Gulielmi Cæſaris Rom. aliorumque Principum infamis, ad meridiẽ Caninefatibus Waterlãdiiſque adiacet; ab Occidente verò vaſtis Oceanifluctibus validiſſimiſque concutitur; cætera lacus alluit, inquem Rhenus, Vidrus, aliique amnes effuſi, Septentrionem verſus ſe in mare exonerant. *Agri herbidi & fertiles, opida.* Agrum habet planum qui multo germine fœcundus, pecoribus abundat, aut vberi glebâ ſegetes oleraque largiter producit. Opida verò Medenblicum, Enchuſiam, Hornam atque Alcmariam. Præterea pagos vicoſque innumeros, ex ligno aduectitio humiliter conſtructos: impatiens enim arborũ regio vſque adeo eſt; vt ſtercore boum ſiccato, ruri; in opidis autem bituminoſo ceſpite, ignem plerumque foueant. *Incolarum ingenium.* Gens vt robuſti proceri que corporis, ita ingenij tardi & hebetis, lacte atroque pane plurimùm victitans. Nobilitas ei præcipuè inuiſa: cẽſu & diuitiis cuiuſque dignitatem metiuntur; virtuteque excellentes viros ægrè ferunt plebeij fere omnes, ſi Alcmariam excipias. Quæ cęli clemẽtiâ ſoliue amœnitate nulli quoque Hollandiæ regioni impar, ceteris longè humanitate antecellit. *Ibi Alcmaria Ioan. Murmellij, & Petri Nannij patria.* Celeberrima quondam ludo litterario, quem Ioannes Murmellius Ruremondenſis, inſignis illo ſæculo Grammaticus, ibidem aperuerat. Vnde, præter alios complures viros eruditione præſtantes, patriæ ſuæ decus Petrus Nannius, Orator ac Theologus abſolutiſſimus etiam prodiit.

CAPVT II.

De cœnobio Fratrum Minorum Alcmariæ, vnde ſex iſti Martyres prodierunt.

ERAT illâ in ciuitate, quà Corum reſpicit, proximum mœniis cœnobium, doctis pietateque feruentibus Fratribus, qui decreta B. Frãciſci Aſſiſij religioſe obſeruabant, habitatum: quos idcirco præſtes ſodalitij, quem Miniſtrum appellant, illò ablegauerat: vti Friſios varijs erroribus, vitiiſque diuerſis infectos, & concionãdo eruditè, fide rectè ſentientium imbuerent, & viuendo piè, anguſtam portam, artamque illam viam quæ ad vitam ducit, edocerent. *Mat 7.13.* Huiuſmodi ergo monaſterium illud olim fuiſſe exiſtimo, quod iuxta Mediolanenſis vrbis mœnia bonis Fratribus plenum, ſub Ambroſio nutritore vigebat: aut caſam illam ſeruorum Chriſti apud Treuiros, ad quam Potitianum ſuum, dũ in hortos muris contiguos deambulatum exijt, irruiſſe commemorat D. Aurelius Auguſtinus, *Lib 8. Conf cap. 6 to. 1.* Sed hæc caſa potiſſimùm celebratur, quòd is duos ibidem ex ſuis reliquerit commilitonibus: qui militiâ ſæculari relictâ, nomen religioſæ vitæ dedêre, atque Deo, loco in illo ſeruire noui milites ſtatim agreſſi fuerint. *Cœnobium fratrum Minorum Alcmariæ ab iſtis ſex fratrib. inclaruit.* At quãto magis prædicandum venerandumque Alcmarianum hocce noſtrum cœnobium, quod ſex fortiſſimos veteranos,

ſteſque fidei orthodoxæ conſtantiſſimos, æternitatis præmio ab agonothetâ Chriſto donandos, nuper in aciem glorioſumque certamen emiſit?

CAPVT III.

P. Danielis Arendonckij, cœnobij Fratrum Minorum Alcmariæ Guardiani pietas & eruditio à maioribus accepta.

P. Danielis laudatâ pietas & eruditione.

DVX horum & anteſignanus, moderator contubernij (Guardianum italâ voce, quaſi ouium paſtorem nominant) Daniel, Arendonco non incelebri Atuaticorum, quos Campinienſes nunc vocant; pago ortus, piorum omnino deſideriorũ vir, amatorque religionis Catholicę feruentiſſimus: quem ſolicitudine, vigiliis, ieiuniis, curiſque continuis, mediâ etiamnum ætate maceratum, pallentemque ſingularis raraque ſacrarum litterarũ cognitio præcipuè commendabat: cuius inſigne quidem ſpecimen ſingulis penè edebat diebus, dum Catechiſmum ex decreto Sacroſancti Tridentini Cõcilij editum, fratribus eruditè ac ſincerè interpretabatur; illorum ſemper ſecutus ſententiam, quos Intelligendi Scripturas regulam ex Apoſtolicâ ſucceſſione ſuſcepiſſe conſtat. Diuinam namque Theologiam Louanij didicerat ab Adamo Sasboutio, auditore Clariſſimi Scripturarum interpretis Ioannis Haſſelani, cuius eruditio quoque in Sacroſanctâ Synodo Tridenti, vbi & vitâ defunctus eſt, mirum in modum enituit; cùm iam antea Conſtitutiones exercitatorias, omnemque monaſticam diſciplinam edoctus eſſet à P. Liuino Brechto Antvverpiano, inſigni poëtâ Tragico, & P. Frãciſco Dommelano, quem erudierat ſummus Philoſophus ac Theologus P. Franciſcus Titelmannus Haſſelenſis, cui P. Martinus Turnhoutius præceptor fuerat, diſcipulus P. Theodorici Monaſterieñſis, qui priſcâ & rudi illâ ætate, primarius Catechiſta per Belgiũ habebatur; cuiuſque liber, *Speculum Chriſtiani hominis*, inſcriptus paſſim puerorum manibus terebatur. Cæterùm quo hanc ob cauſam maiores P. Arendonckio decernebantur honores: hoc minor ille eſſe ſedulò ſtudebat, cũctiſque ſubmiſſior fratribus, verecundiâ caſtâ, humilitateque præcipuè ornatus.

Qui auditor P. Adami Sasboutij.

Inſignes Patres Theologi cœnobij fratrum Minorum Louanij.

CAPVT IV.

Recenſi quinque fratres reliqui, certaminis ſocij.

P. Cornelius Dieſtenſis.

PATREM Danielem in hoc agone præeũtem ſubſecutus eſt Cornelius Dieſtenſis, ſacrarum Virginum ſeuerioris ordinis D. Claræ Aſſiſiæ præfectus honeſtâ familiâ, opulentiſque parẽtibus ortus: cui in decliui ætate, cũ ob vitã innocenter actam corde cõtinuò lætaretur, vultus quoque florebat. Sermo eius, quandoquidem præcipuus Diuini verbi declamator inter ſuos eſſet, gratiâ ſpirituali refertus, & ſale Euangelico conditus apertè indicabat, numine diuino ipſius mentẽ planè habitari. Huic vti muneris apud Virgines, ita & hîc certaminis ſocius fuit P. Ioannes Nardenus, vir gratioſus, tẽpli quoque Minoridarũ idem æditiuus. Comitatus & eos eſt, qui biennio vixdũ exacto Sacris initiatus fuerat, P. Ludouicus Voetz ab Arquẽnes Gallobrabãtus, iuuenis permodeſtus, duo prętereà laici, F. Adrianus Gaudanus cœnobij ianitor vigilãtiſſimus, & procurator peni F. Engelbertus Terborgius frugi homo, atq; à ſolerti diligẽtia plurimũ commẽdatus. Horũ itaq; paſſiones, in quãtũ accuratè percõtãdo addiſcere potuerim, quàm fideliſſimè nunc cõmemorare aggredior.

P. Ioannes Nardenus

P. Ludouicus ab Arquennes. F. Adrianus Gaudanus. F. Engelbertus

CAPVT V.

Motis ſeditionibus Alcmariæ dum fratres fugã facere fruſtra cogitabãt, capti incarceratiq; fuere.

POSTQVAM iã ergo Euchuſiæ à ſeditioſis ſubinde tumultuatũ eſſet, Cõſuleſq; in vinculis captiui detinerẽtur; Sacerdotes Chriſti atq; Senatorij ordinis pars melior ac maior, & intacta pernicioſis cõcilijs plebs, Amſtelredamũ, quaſi adtutiſſimũ Orthodoxis hominibus aſylũ quoddã cõfugere ſtatuẽt. Cuius rei fama nõ ſolũ Friſios, ſed & Caninefates atq; Batauos variè affecit: præcipuè autẽ, cùm nouarũ rerũ auidos nonnullos nebulones, ac inquietos aliquot nauicularios, accerſitũ piratas ad Flouũ extremum Rheni oſtiũ nauigaſſe nunciaretur. Qui in opidũ intromiſſi, duce Foxo notæ crudelitatis Friſone, cui quòd claudus eſſet, Lignipedi inditũ cognomen fuerat; cùm ſacratas Deo Virgines primò ſpoliarẽt domicilijſque eiicerẽt, tẽpla diriperẽt, ſigna tabulaſque Diuo-

Geuzij Alcmariam intromiſſi omnia temerarunt.

rum diſrumperet, ſacra prophanis m iſcerent, denique nihil intactũ relinquerent: Friſia hæc omnis non gradu, ſed curſu pręcipiti à Catholicæ Eccleſię veteri religione, atq; rege ſuo impiè deſciuit: ſola Alcmaria per aliquot dies dubiâ fluctuabat fide, cũq; illinc Minoridę metu terroreque perculſi diſcedere pararent; vocatos ad ſe conſolãtur Conſules, bonoque eſſe animo iubent; ſibi curæ fore, ne quid damni detrimentiue patiãtur. De annonâ quoq; ex ærario ſe illis prouiſuros affirmant. Similiter & Templi Curionẽ Eilerdum Waterlandiũ Harlemo, quò profugerat, promiſſis varijs reuocarunt. Celebratur antiquitus fides Punica: at Alcmariana hæc promiſſa non minùs lubrica infidaque fuerũt. Etenim intromiſſis per effractas Friſiæ portæ valuas hoſtibus, Minoridæ Harlemũ effugere conantes à pernicioſis ciuibus exitu portæ prohibiti ſunt: nec vllus inuentus in vniuerſâ ciuitate, qui eos recipere aut occultare auderet. Humano itaq; deſtituti auxilio illi, ad eum confugiũt, *qui refugiũ eſt pauperi, adiutor in oportunitatibus, in tribulatione.* In tẽplo enim ante ſummũ altare, cum gemitibus & ſuſpirijs procũbẽtes, Arendonckius atque Cornelius ab irruẽtibus ſtatim prædonibus, sũmo cũ tumultu, funibus quibus cincti erant vinciũtur. Mox quoque cæteris dilapſis fratribus, Ioãnes Nardenus & Adrianus huc illuc pauoris pleni diſcurrentes capiuntur, ſimulque conijciuntur in vincula.

Pſal 9.10.

Fratres illos captos incarcerant.

CAPVT VI.

Vehentes Enckhuſiam feraliter habiti in viâ proprium ſuum bibere ſanguinem iuſſi ſunt.

Post triduum autem carcere extracti, Euchuſiam vehendi curribus imponuntur, comitantibus eos, Lignipede, Holbero, Ænocapitone, alijſque huiuſmodi farinæ prædonibus: à quibus quæ conuitiorũ probra patiẽter audita? quæ contumeliarum tolerata ludibria? Attulerant porrò fratres ſecũ, dũ opido excedere tentãt, pſalmorũ Horariarũq; precũ libros, quos Breuiaria vocamus: illos ex manicis detractos in venerãda caluitie capita impingunt ſceleſti, diriſq; ora ſanctorũ tundunt modis. Forte propinqua viæ erat taberna cereuiſiaria, ad quã ſedandæ ſiti, quâ barbara hęc hominum proluuies continuò laborat, currus acti cũ eſſent, epoto poculo cruorem, qui P. Dieſtẽſi largiter naribus præfluebãt, ſedulò nebulones excipiũt, fratribuſque propinant, ad hunc modum proloquẽtes; En lupi raidi: nũc veſtro tandẽ ſatiamini saguine, qui toties noſtrũ ſitiſtis. Sed hæc omnia Minoridæ ſpiritu verè pauperes, ac calicem ſanguinis Dominici dudũ bibere aſſueti ſummâ cum patientiâ pertulere. Hæc enim virtus illa plane aurea eſt, & nunquam ſatis pro meritis laudãda, quæ iram temperat, mentem gubernat, frenat linguam, pacẽ cuſtodit, tumoris violentiam comprimit, incẽdiũ ſimultatis extinguit; facit in proſperis humiles, in aduerſis fortes, contra iniurias & contumelias mites: docet delinquentibus ignoſcere; ſi ipſe delinquas diu & multum rogare; tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat. Ipſa eſt, inquam, quę fidei noſtræ fundamẽta firmiter ponit, ipſa eſt quæ incrementa ſpei ſublimiter prouehit; ipſa actum dirigit, vt tenere poſſimus viam Chriſti, dum per eius tolerãtiam gradimur; ipſa efficit vt perſeueremus filij Dei, dum patientiam patris diligenter imitamur.

Curribus Euchuſiam vecti.

Percuſſi ad effuſionem ſanguinis quem potare coacti ſunt.

Patientia laudatio.

CAPVT VII.

Euchuſiæ poſt probra & iniurias, cũ P. Daniel conſtãter fuiſſet omnium nomine cõfeſſus, verè Chriſtũ eſſe in S. Euchariſtiâ; quinque illorũ ſuſpẽdio addicti fuere.

Iam Hornâ currus exceſſerant, cùm præconem iumẽto impoſitũ Euchuſiam præmittunt, qui altũ illic clamitet; Nunc tãdẽ debellatũ eſſe: detectâ enim proditione, captiuos aduẽtare proditores. Ad has igitur voces, multitudo in vias procurrit, pars in ædiũ veſtibulis ſtat, plerique ex feneſtris tectiſq; proſpectãt, & quid rei ſit vſq; cogitant: donec tandem aduenientibus vinctis, omnia vario ſtrepitu cõplẽtur. Erat in opido Gerardus Borkerodius Caninefas, vir ſtolidus æquè ac crudelis: cui, quòd preſbyteratu ſe iam dudum abdicauerat, & patriâ idcirco fuerat extorris, multum fidebat Aurantius, imperiũque in piratas ipſi cõmiſerat. Hic ergo Arendõckiũ ad ſe adductum, prolato, quo ſacrificantes Orthodoxi Sacerdotes vtuntur, pane azymo, hunc in modũ cõpellaſſe narratur; Hiccine Deus veſter ille Chriſtus Ieſus eſt, à quo ſalutẽ expectatis? quid

Proditores appellantur vincti fratres.

taciturnus trepidas? quidue meditaris, ac ceſſas palàm quod ſentis eloqui? Ad quæ animo excelſo atque cõfidenti reſpondit vir pius; Equidem nõ ignotam mihi hîc oſtendi video formam azymi panis: quẽ ex ſimilâ, humanane tantùm confecerit induſtria, an etiam benedictio Sacerdotalis cõſecrauerit, omnino ignoro. Verum quoniã tuis ſermonibus elicere velle videris eam quã de diuinâ Euchariſtiâ profiteãtur fidẽ Orthodoxi: idcirco nos, qui gratiâ Dei Catholici, ac fidei Romanæ, tantum ab Apoſtolo Paulo cõmẽdatæ, ſumus; illud in propatulo cõfiteri nõ veremur; Panẽ hunc, ſi à legitimo Sacerdote verbis Chriſti rite conſecratus fuerit, nõ effigie ſed naturâ verè mutatum eſſe in eũ, qui eſt Deus & Dominus noſter, Ieſũ Chriſtũ, eum, qui ex Virgine Dei genitrice Mariâ homo naſci, atq; pro humani generis ſalute in arâ crucis mori dignatus ſit; quíque morte deuictâ aſcendens in cælum, ad dextrã Dei Patris ſedet, vnde & vẽturus eſt iudicare viuos & mortuos. His diuinis planè verbis itaque auditis, ad rabiẽ quodammodo inuitatur homo nefariè ferox; continuoque P. Arendonckiũ ac ſocios ad furcam productos, quaſi perduelles, atque patriæ hoſtes in craſtinũ ſuſpendendos pronuntiat. Cuſtodiæ deinde traditi fratres, ſub veſperũ inuicẽ alius alij confitẽtur peccata; profuſiſque largiter precibus negotium ſalutis ſuæ ſedulò procurant. Detinebatur verò eodem in carcere miles captiuus ſupremo ſupplicio afficiendus: cui ob iuuentã impiè & eum ſcelere peractã, exigua ſalutis ſpes manebat. Hũc (neque enim viuida ſanctorũ fides quieſcere ſtimulante charitate potiserat) cõſolabantur, erigebãt, docebãt, immenſaq; Dei Op. Max. miſericordiâ propoſitâ prorſus animabant. Sed, ſeu gloriæ martyrum, ſeu pœnitẽtis ſaluti inuiderint ſceleſti nefarijque nebulones; dimiſſũ poſtea hominem in malã rem abire iuſſerunt.

Qui conſtanter confeſſi ſunt Chriſtum eſſe præſentẽ in altaris Sacramento. Rom. 18.

Cuius ergo ceu hoſtes patriæ, damnati ad laqueos & patibulum.

CAPVT VIII.

F. Adrianus laicus cũ ſocios ſtrangulare nollet, ipſe primus appẽſus fuit patibulo, mox alij quatuor.

POSTERO die qui D. Ioanni Baptiſtæ ſacer VIII. Kal. Iulij erat, ſole vixdũ exorto ad ſe Adrianũ ianitorẽ accerſit præfectus rerum capitalium; vitæque impunitate propoſitâ rogat, num ſocios ſuſpẽdere vellet. Cui ſenex canitie venerabilis; Mori, inquit, poſſum: at carnificem agere in eos, qui me fidẽ Chriſtianã, omnemque virtutem erudierũt, non poſſum. Paulo deinde pòſt, horâ iã circiter quintâ, ex patibulo quod viâ latâ ante domum Ciuicã erectum erat, hunc ſuſpenderũt, mox & ceteros Minoridas; quorum moderator P. Daniel Pſalmũ XXX. *In te Domine ſperaui*, & quæ ſequuntur ter clarâ voce, vt à circumſtantibus exaudiri poſſet, pronuntians, Deo Opt. Max. vero ac viuo animã ſuã cõmendabat, de corpore haud multum ſollicitus; quod cum gloriâ olim reſurrecturũ, nodoſâ reſte quâ cinctus fuerat, ſuffocatum fuit. Inde alij poſt alios ex eodẽ patibulo ſtrãgulati ſunt, cũ omnes hoſce nominis ſui amatores fideiq; Orthodoxæ aſſertores abũdè corroboraſſet Chriſtus. Libet hîc exclamare; O conſtãtia martyrũ laudabilis! ô charitas inextinguibilis! ô patiẽtia inuincibilis! quælicet hîc inter preſſuras perſequẽtiũ viſa ſit deſpicabilis: inuenta tamen eſt ad laudẽ & gloriã & honorẽ in tempore retributionis. A prandio, vergẽte in veſperam die, ſancta cadauera extra portam ſeptentrionalẽ, quâ Medenblicum iter; in ripâ lacus (Muttẽ locus vocatur) vbi ſiccari ſolent vuida piſcatorum retia, proiecta, limo cœnoque, quod ibidem eiectum reflua reliquerat vnda, contecta ſunt.

En nefariorum malitiam.

In patibulũ acti ſunt.

Sepulti ſub cœno in ripâ lacus.

CAPVT IX.

Luminaria viſa ſupra corpora Martyrum. Vir bonus ac diues, quia catholicus erat & regius, fuit quoque ſuſpenſus.

VERAE martyrij gloriæ addũt miracula: lumina illis in locis per complures noctes apparuiſſe; præſertim verò cùm æſtus fluctibus plus ſolito excreſcẽtibus denudata corpora fœdo iacere conſpicerẽtur modo; quæ poſtmodum loco minimè cognito ſepulta fuiſſe dicuntur. Et quomodo mirum videri poterit in tenebris eluxiſſe luminaria beatorum Martyrum, qui inſtar V. prudentium virginũ accipiẽtes oleũ in vaſis ſuis cum lampadibus ſponſo veniẽti obuiam exierant; in quorũ etiam ſplendoribus cõſpicuã claritate iam dudum Chriſtus præfulſerat? Paulo poſt Gerardus Cãpẽſis, ciuis bonus ac opulentus, cùm eius alutis boñque corijs, quæ magno æſtimabantur, inſidiarẽtur, ſutrinâ extractus, quod orthodoxus ac re-

Habebant oleum in lampadibus, quo lucebant. Mat. 25. 4.

giius omnibus haberetur, eodē in loco miſerè ſuſpenſus eſt; productis quoque illò ad cernendum tam triſte & crudele planeque tragicū ſpectaculum, vxore eius cum aliquot liberis.

Facinus crudele.

CAPVT X.

F. Engelbertus tandem proditus, maioraque perpeſſus, ſuſpendio vitam finiuit, vt etiam quidam Canonicus regularis.

PRÆTEREA his fere diebus f. Engelbertus Terburgius, quē pęni procuratorem inter Minoridas fuiſſe diximus, indicio muliercu læ proditus, apud Alcmariā carceri includitur. Hūc ergo maiore propterea odio proſequebatur oppidi præfectus Wijgboldus Friſius, quòd ſub Carolo Brimeuo Comite Megenſi, dū Brederodianos perſequeretur, ſtipēdia meruerat; quodq; deauratos calices, & argētea Eccleſiæ vaſa quæ ab ipſo ſeruari dicebātur, prodere recuſaret. quāobrē duriſſimas quæſtiones, & ſupplicia inaudita tolerare coactus fuit. Nā, vt fidiculas pedūq; exuſtiones, cataſtā, & vrinā ori infuſā, flagraq; ſileā: ferūt inflictas dorſo ſuiſq; eius plagas, feruēti perfuſas oleo, & ouis igne, quā maximè fieri poterat calefactis; axillarū pilos ſubinde exuſtos fuiſſe. Sub exitum mēſis Nouēbris, ſitu ac ſqualore carceris horridū macieq; deformat. Liuinus Decrocius Gandenſis, Cēturio Ranſdorpū Waterlādiæ ex aduerſū Amſtelredamo pagū adduxit: vbi ex ſabucā arbore, quę apud cœmiteriū altè excreuerat, ei gulā laqueo fregere. Nec quiſquā alius vllius nominis in Waterlandiā hucuſque pro Chriſti fide interemtus eſt, niſi quòd III. Idus Auguſti eiuſdem anni ſeptuageſimi ſecundi ſupra milleſimū quingenteſimum, ſuſpēſus miſerè fuerat Monachodami Gerardus Hotæus Wijbrādi F. Sacerdos ac Canonicus ſodalitatis Wijndesheymēſis, ex cœnobio Nouæ lucis prope Hornam; quod vnicum Friſiæ huius minoris ornamētū (vbi modò ſeptingenti, ſubinde etiā mille pauperes ac tenuioris fortunæ ciues per hiemē paſci ſolent) tantâ libidine ac impietate euerſum fuit: vt honeſtiſſimas matronas ac prædiuites viduas trahis vectas per vndas congelatas mediâ brumâ, cogerent Conſules Hornani laterculos aliquot loco dimouere: quò ſacrilegii criminiſq; læſæ maieſtatis ipſæ, nō minùs ſe, ſi dijs placet, reæ dicerentur.

F. Engelbertus laicus captus immaniter tortus. ac tandem ſuſpenſus.

Item Canonicus regularis cœnobij Nouæ lucis.

CAPVT XI.

Cùm B. Franciſco, ceteriſque eius inſtituti ſanctis Patribus iſti quoque laudandi Martyres.

SED ad Martyres rurſū noſtra tādem reuertatur oratio. Celebrat antiquitas ſuum B. Frāciſcū Aſſiſiū, miraturq; *ſeu volucrū audientiā* (vtor hic verbis Frāciſci Petrarchę V.C. & vicini ſacri Cōfeſſoris ætati, ſcriptoris lōgè celeberrimi) *ſeu Seraphicum rapta mentis ardorē ſtupendumq; illud inſigne ſacrorū Chriſti ſtigmatum, & vulnus animi teſtātia membra; tātumq; tā breui de paupertatis coniugio genita ſobolis incrementū:* cōmemorat etiā S. Antoniū Vliſſipon. Seraphicum Doctorē S. Bonauenturā; S. Ludouicum Epiſcop. S. Bernardinum Senēſem, ceteroſque inſtituti Seraphici, ſanctimoniâ vitæ atque eruditione, & quod maximè quæritur, ſcientiâ colendi Deum, inſignes viros: denique producit etiam in aciem gladijs exertis Orthodoxæ fidei teſtes illos, quos Marociorum tyrannus trucidauit; qui aduerſâ fronte vulnera ſua cum gloriâ monſtrant: nos iſtos contiāles ſodales, fortiſſimoſque Martyres, PP. Daniele, Cornelium, Ioannē, Ludouicū; Adrianum cum Engelberto laudabimus & ad aſtra feremus. Hi namque ſex (numerus iſte quòd ex omnibus ſuis cōſtet partibus, perfectiſſimus Mathematicis habetur) inuictiſſimi Chriſti martyres, atque fidei Romanæ, tantum ab Apoſtolo commēdatæ, teſtes eminentiſſimi; quēadmodū dum in terris agerent, inſtar ſex hydriarum, quæ ſingulæ metretas binas vel ternas caperent, planè muſto illo quod vtres veteres non recipiunt, quoque ebrij erant Apoſtoli, cùm nondum diei hora eſſet tertia; feliciter ad huiuſmodi agoniſmata vegetabātur & incaleſcebant: ita nunc quoque inſtar ſex ductiliū ex auro puriſſimo calamorum de lateribus Eccleſiæ egredientiū, è lucernis ſuis lætitiæ oleo lumen latè vrbibus Catholicis effundunt, atque lucem veritatis à confuſione tenebrarum ſplendore mirifico enubilant.

De Vitâ ſolitariâ lib. 2 trac 4 ca. 11.

Laudandi viri glorioſi.

Rom. 1. 4.

Et cum illis ſex martyres diuino muſto plenæ ſex hydriæ.

Ioan. 2. 6.

Mat 9. 17.

Act. 2. 15.

Exo. 25. 32.

CAPVT XII.

Enchuſia nunc ab iſtis notà Martyribus magis, quàm à ciue ſuo Ruardo Tappero. Concluſio.

ENCHVSIA nautis ac piſcatoribus potiſſimùm habitata, nuper

Ruardi Tapperi civis Enchuſiani laudes.

innotuerat paſſim hominibus pie eruditis, ob preclariſſimum ſuũ ciuem Ruardum Tapperum acutiſſimũ Philoſophum, ſummum Theologum, atq; Orthodoxæ fidei propugnatorẽ ſtrenuiſſimum; quẽ acriter ac diſertè differentem, non ſolũ alma Louanienſis Academia, ſed & ſacroſancta Synodus Tridentina magno cum ſtupore admirata fuit: cuius quoque induſtriâ, fide & mirabili doctrinâ Belgiũ per quampluri-mos annos, ab infeſtatione variarũ hæreſeωn defenſum fuit. Quamobrem D. Carolo V. Imp. Cæſ. Aug. & D. Philippo II. Hiſpaniarum regi Catholico, eius filio, gratus, quoad vixerat, caruſque erat. At eadem hæc ciuitas longè nunc magis innoteſcet, clariorque reddetur propter hoſce multo illuſtriſſimos Martyres, qui in vineâ Domini Sabaoth fideliter laborantes, quæ ille ſermone rectè docuit, morte ſuâ confirmarũt; & per multas tribulationes probati, Dei amici facti ſunt. Dilexit enim eos Chriſtus, quoniã verba illius in eis mãſerũt, & præcepta ipſius fideliter ſeruauerũt.

Enchuſia magis nota quàm nobilis.
Mat. 20.

Concluſio cũ precibus.

Itaque quaſi patronos & interceſſores pro nobis apud Patrem eos adeamus, quo in Filij nomine diuinã Maieſtatem deprecãtes pacem Eccleſiæ poſtulent; orent etiã pro lapſis, in hac longè acerbiſſimâ perſecutione, vt erigãtur; pro vacillantibus, vt ſuſtententur; pro ſtantibus, vt non ad ruinam vſque tententur: ſed in eiuſdem fidei ſolidâ conſtãtiâ quaſi ſtabiles ac immotæ columnæ ipſius gratiâ firmiter perſeuerẽt: cõſtituentes *Corpora ſua hoſtiam viuã, ſanctam, Deo placentem; ad probandum quæ ſit ipſius voluntas bona & bene placens & perfecta; prouidentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.*

Rom. 12. 1.
Ind. 17.

COMMENTARIVS

Ad Hiſtoriam Alcmarienſium ſex Martyrum.

Petri Opmeri encomia & opera.
Ex vitâ eius.

RARÆ *pietatis & eruditionis V. C. Petrus Opmerus dũ viueret argumenta multa dedit: quem cùm aliquando coram vidiſſem, ſermonẽ, vultũ, grauitatẽ & venerabile ſeniũ admirari debui: multa cum laude ſcripſit*, Latina Belgis, Belgica Latinis donauit. In his Vincentium Lirinẽſem ſatis feliciter patrio idiomate vulgauit, & Nauem patientiæ ac pœnitentiæ ſuæ gentis hominibus compoſuit: vt illos doceret, non eſſe Eccleſiam, vbi patientia pœnitentiaque locum non haberent. Item Antiquitatis S. Liturgiæ ſiue officij Miſſæ hiſtoricam aſſertionem, è quatuor primis Cõciliis, SS. Patribus & Eccleſiæ Doctoribus aptè concinnauit; quâcum Leone Empacio Medico Theologo, peſtilẽtis Cathedræ miniſtro congreſſus; petulantiam Leonis compreſſit. *denique inſigne* Opus Chronographicum Orbis vniuerſi, à mundi exordio vſque ad annum nonageſimum ſupra ſeſquimilleſimum. *pleraque alia quæ necdum ucem viderunt: inter quæ* Decades duæ, *in quibus martyria, tormenta, perſecutiones, mortes Sacerdotum, religioſorum, piorumque virorum; qui in iſtis Gueziorum motibus, anno maximè ſeptuageſimo ſecundo ſupra milleſimum quingenteſimum, propter conſtantem fidei Catholicæ profeſſionem necati peruenerunt ad vitam. Ex his exſcripſi hiſtoriam* Alcmarienſium ſex Martyrum *inſtituti fratrum noſtrorum; & quidem bonâ fide. Sed quia Cenſorem necdum Opmerus habuerat: fuere pauca corrigenda.* Nemo enim tam eſt circumſpectus, qui non

Lib. 2. Dec. 1.

aliquando excidat ſibi. *Porro ſenſus ſibi conſtat. Operæ pretium putaui aſſerere luci, & in capita diſparatam, breuiarijs, notis ad margines, ad inſtar opuſculorum priorum, tum etiam Commentariolo nonnihil illuſtrare. Enimuero* Dignationem ſuam Dominus multiplici genere largitatis infudit, bonorum militum laudes & glorias ſpiritales copioſâ varietate diſtribuit. honoris illorum participes & nos ſumus, gloriã illorum noſtram gloriam computamus; quorum tempora illuſtrauit tanta felicitas, vt ætate noſtrâ videre contingeret probatos ſeruos Dei & Chriſti milites coronatos.

Cyp. ep. 25. in fin.

Martyrum iſtorum gloria, noſtra eſt.

IN CAPVT I.

Neceque Gulielmi Cæſ. Rom.] *Comes Hollãdiæ cùm eſſet, ſalutatur Cæſar, Innocẽtio IV. P. congratulãte.* Mouit in Friſios minores recuſantes obſequium præſtare, vbi quinto Kal. Febr. cæſus fuit apud Hochvvoudam; *tandẽ ſepultus in monaſterio Præmonſtratenſium Metellburgi. Vide Petri Opmeri Chron. ad Ann. Chriſti 1246.*

IN CAPVT III.

Ab Adamo Sasboutio.] *Fuit is noſtri inſtituti S. Theologiæ cũ maximâ laude profeſſor in cœnobio noſtro D. Frãciſci Louanij, Hebraicæ linguæ & Græcæ peritiſſimus. Huius opera, curâ Illuſtriſſ. D. Saſboldi Voſmeri Archiepiſcopi Philippenſis, Vicarij Apoſtolici, correcta breui lucem aſpicient; vnà cum R.P. Adami vitâ, & Apologiâ Michaelis Voſmeri, quâ euincit Cõmentaria P. Adami in Iſaiã, & in aliquot D. Pauli epiſt. non eſſe Ioannis Haſſelani lucubrationes, quod imperitè quidam ſcripſit & inuidioſe: ſed proprium Adami laborem, de propriâ monetâ procuſum. Libros eius recẽſent ex ordine P. Henr. VVillot Athenæ.*

P. Adami Saſboutio opera ſua aſſeruntur.

Liuino Brechto.] *Extat illius fœtus, Silua piorum carminum excuſa Louanii A. 1555. hæc piis ſtudioſiſque ſæpe peterranda.*

Franciſci Titelmanni.] *Hunc magnum fuiſſe virum eius ſcripta indicant ſanctaque vita, quam priùs in noſtro monſtrauit inſtituto. Ab initio inſtituti Patrum Capucinorum, illorum accenſus ſodalitio, ita vixit, vt non ſine ſanctitatis opinione apud illos, ni fallar, à Româ propè ſit mortuus. Athenæ P. Henr. VVillot operum eius ſeriem perſcribunt.*

Martinus Turnhoutius.] *Et hic S. Theologiæ profeſſor fuit in noſtro D. Franciſci cœnobio. Multa compoſuit, quæ in noſtrâ bibliothecâ Louanienſi M. S. ſeruantur.*

Theodorici Monaſterienſis] *A ſenioribus noſtris accepimus virum fuiſſe clarum magnâ ſanctimoniâ. Cùm aliquando ferculum ei mitteretur bellariorum, aut alterius alicuius delicioli; non accepit, iubens portatorem in illam domum inferre, in cuius ianuam aduolaret linteolũ, quo fuerat inuolutum; hoc indicans ſigno, pauperibus & infirmis ſolatij cauſâ eiuſmodi munuſcula deſtinanda: ſe ſuoſque, maiorum exemplo non vſurpare. Speculũ Chriſtiani hominis edidit, erudiendæ in pietate Chriſtianâ pueritiæ, quod aliquando recuſum vidi: cuius ergò nomen eius meritò in Athenis noſtri Sodalitij aſſcribendum ſit. In magnâ illâ peſte, quâ Bruxella principalis vrbs anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo octogeſimo nono, fatigata, circiter triginta tria hominũ millia perdidit, iſtâ lue laborantib. magnam operam præſtitit. Louanij mortuus non ſine ſanctitatis opinione an. 1515. Decembr. vndecimâ die ſepultus eſt in choro noſtri Fratrum Minorum cœnobij.*

IN CAPVT VI.

Nunc veſtro tandem ſatiamini ſanguine] *Impius furor & immanis crudelitas hæreticorum, Donatiſtarum, Arianorum, quorum ſpiritum Caluiniani hæreditarunt, teſtantur hæreſi fuiſſe ſemper ſociam barbaram ſæuitiam. Adi hiſtorias veteres, vide Theatrum crudelitatis hæreticorum.*

Hæreſi ſemper ſuncta crudelitas.

IN CAPVT VII.

Panem hunc ſi à legitimo Sacerdote.] *Adpoſitè hic adſcribo D. Ambroſii Doctrinam Orthodoxam.* Panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. *Nimirum conſecratione ſiue verbis Chriſti; quomodo Moyſes ex aquis Ægypti ſanguinem fecit, non ſuâ ſed Creatoris potentiâ.* Nos miniſtrorum tenemus locũ: qui autem ſanctificat ea & immutat, Chriſtus eſt. *Iuuat aſſcribere carmen doctiſſimum incomparabilis viri Iuſti Lipſij de veritate Corporis Chriſti inter Sancta Eucharistiâ.*

Lib. 4. de Sacram. c. 4.

Chryſoſt. hom. 60 ad Antioch.

I. Lipſi carmen de SS. Eucharistia.

Saluator dapibus comites paſturus opimis,
Sancta ſubit Solymûm regalia mœnia, & illic
Cæleſtes diſpenſat opes, validoque precatu
Viuificum Cererem in corpus, caliceſque Lyæos

Sanguineũ in flumen vertit rituque celebri
In comites ſacra membra ſuos partitur, & alma
Accipitote animis animarum pabula: noſtrum
Hoc corpus, cruor hic viuo eſt de corpore noſter,
Regia qui ad Superos recludet limina, quique
Eluet afflicti commiſſa piacula mundi
Id quoties facitis (fieri nam ritè iubemus)
Sanguineos ictus memorate, ac tabificum fel,
Liuoreſque graues, Superûm quos in cruce Rector
Rector ego excipiam; atque dapes ſicſumite noſtras.
Sumite & ad ſeros imitandum ferte nepotes.
Salue triticeâ occultum ſub imagine corpus,
Care Redemtoris, ſalueto, è corpore noſtri
Riuule promanans, Chriſti præſtantia viui;
Viſcera ſaluete, in ſacrâ eſurientibus eſcâ
Inclyta perpetuò ſunt digna chariſmata cultu;
Victima ſacra, & fercla thymo magè odora ſuaui,
In quibus Elyſij ſumuntur pabula regni

Memoriâ æternâ digna fides eſt dictumque S. Ludouici IX. Francorum Regis. Cùm ei iam morituro Sacerdos ex more Catholico Viaticum hoc eſt, Corpus Domini ſumturo deferens, oſtenderet, perquireretque, Num crederet ibi eſſe Filium Dei: reſpondit minus id apud ſe habere dubij, quàm ſi videret Chriſtum in eâ formâ, quâ aſcendit in cælos. *Vita cap. 29. ad finem.*

IN CAPVT X.

Quòd deauratos calices, & argentea Eccleſiæ vaſa... prodere recuſaret.] *Prorſus eâdem conſtantiâ, quâ D. Laurentius. Illi geminâ face terribiles (auaritiâ conati ſunt rapere aurum) impietate Chriſtum. Engelbertus fortiter reſtitit: non prodidit ſacra vaſa, ne ſacra fieret exſors religionis.*

Supplicia inaudita tolerare coactus fuit.] *Inter alia etiam* Viuo corpus thoracis in morem cultellis conſciderunt. *vt Theatrum Crudelitatis hæreticorum atteſtatur.*

Hæc mihi viſũ adnotare martyriis atque triumphis Fratrum primicia noſtra conuentus Alcmarienſis; quæ aptè verbis illuſtriſſimi ſanctiſſimique Martyris Cypriani conſignabo. Vos primores & duces ad noſtri temporis prælium facti, cæleſtis militiæ ſigna mouiſtis. Vos ſpiritale certamen, quod nunc Deus geri voluit, veſtris virtutibus imbuiſtis. Vos ſurgentis belli impetus primos immobili ſtabilitate fregiſtis: inde initia felicia pugnandi orta ſunt, inde vincendi auſpicia cœperũt. B. Cyprian. Epiſt. 25. *Et verò,* probata res eſt certamine fratrum glorioſo; qui ad tormenta vincenda ceteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congreſſi in acie, donec acies ſuccumberet victa. Quibus ergo vos laudibus prædicem, fortiſſimi fratres? robur pectoris veſtri, & perſeuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? Idem. ep. 4. Toleraſtis vſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem: nec ceſſiſtis ſupplicijs, ſed vobis potiùs ſupplicia ceſſerũt, finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. *Denique* coronas veſtrâ manu ſertas inde huc tradidiſtis, & de poculo ſalutari fratribus propinaſtis *ſigna veſtra ſequentibus; quorum glorioſos agones ſublimiaque trophæa iam nunc ex ordine temporum proſequor.* Idem. ep. 25.

APPROBATIO.

Hanc Alemarienſium ſex Martyrum ex ordine Seraphici Patris Franciſci hiſtoriam à Reuerendo admodum ac Religioſo Patre Fratre Henrico Sedulio eiuſdem inſtituti, annotationibus dilucidatã, omnino iudico dignã lectione & prælo; fidem enim noſtram ædificat, confirmat & roborat, confundit hæreticos; Deũ in illis adeo mirabilem, mirabiliter laudabilem prædicat, torporem noſtrum denique excitat, & vt elephantes ad bellum mori ſanguis prouocare fertur à multis: ita ſanctorum iſtorum cruor pretioſus, nos ad adipiſcendum regnum cælorum, quod vim patitur, violentos allicit atque compellit In quorum fidem has dedi & ſubſignaui, Bruxellæ 28. Ianuarij, anno 1612.

F. Andreas à Soto.

GORCOMIENSIVM VNDECIM MARTYRVM

ex Ordine fratrum Minorum,

aliorumque, qui Brielæ, Hollandiæ opido, pro fide Catholicâ fortiter obiere mortem, an. M. D. LXXII. IX. Iulii, nobilis Hiſtoria.

CATHOLICO LECTORI.

CERTAMINA *nunc & triumphos fratrum noſtrorũ Gorcomienſium oculis tuis ſubijcio: in quibus immaniſſimæ crudelitatis portenta, & inuictæ patientiæ ſe monſtrauerunt exempla. Diuinus amor quem hauſerant toto pectore, totos in ſolido virtutis munimento conſtituens, potentiores fecit omni metu & dolore. Crediderim equidem, laniena conſpectâ tortorum, de communi ſalute, de ipſo iam prælio cogitantes, vt homines, timuiſſe forſitan omne carnificis ingenium in tormentis:* Sed ſpiritus contraponebat ſibi & carni; Acerba licet iſta, à multis tamen æquo animo excepta, imo & vltrò appetita, famæ & gloriæ cauſſâ; nec à viris tantùm, ſed etiam à feminis .... Igitur ſi tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant, ſub pręmio laudis humanæ: poſſumus dicere, Modicæ ſunt iſtę paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis, & diuinæ mercedis. Tanti vitreum? quanti verum margaritum? *Eius ergo dolor eis non erat de præſentium incurſu malorum, quibus certa ſpes inerat futurorum bonorum. Sic corde tacito mens bene conſcia conſeruat patientiam, quæ tantum præmium exſpectat.* Et nos amemus patientiam Dei, patientiam Chriſti rependamus illi, quam pro nobis ipſe dependit. Offeramus patientiam ſpiritus, patientiam carnis, qui in reſurrectionem carnis & ſpiritus credimus. *Porro ſi militum exercitus noſtri quæris encomia;* Appellabo martyres: prædicaui ſatis. Prolixa laudatio eſt, quæ non quæritur ſed tenetur. Nemo laudabilior eſt, quàm qui ab omnibus laudari poteſt.

Patientia fecit cum ſpe victores. Tertul. lib. ad Martyr cap. 4.

Id. de patientiâ c. 10.

Ambros. l. de Virginit. *Laus magna Martyrem eſſe.*

Digitized by Google

CAPITVM SERIES.

I. *Origines Arkelanæ gentis, opidique Gorcomienſis.*

II. *Paſtoris & ſocij, item P. Guardiani, Gorcomienſium encomia & laudes.*

III. *Minoridarum Gorcomienſium, ceterorumque Sacerdotum in ſocietatem Martyrum adlectorum recenſus & laudatio.*

IV. *Dordraco prædones Gorcomium venientes, arcem in quam Martyres confugerant, occupauerunt.*

V. *Pacta violantes ſacrilegi Gueȝij, Martyres incarceratos ſæuis diriſque vexauerunt cruciatibus, fruſtra conantes eos à rectâ fide in SS. Euchariſtiam ſeducere.*

VI. *Nauigio cùm veniſſent Dordracum, inſulſis ſcurris illudendi propoſiti publicè fuerunt.*

VII. *Brielam aducti barbaris excipiuntur ludibrijs, iuſſi proceſſionis in mortem patibula cum canticis circumire.*

VIII. *P. Nicolaus Pieckius Guardianus fruſtra tentatus, Rom. Pontificis auctoritati, quem ouilis Chriſti paſtorem aſſeruit, detrahere.*

IX. *Latâ ſententiâ, cùm ſe paraſſent ad mortem; P. Guardianus, decem Minoridæ ſodales eius, Curiones duo Gorcomienſes immaniter ex trabe ſuſpenſi fuere.*

X. *Item cum illis præfectus Virginum cœnobij Gorcomienſis, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini ſuſpenſus.*

XI. *Sacerdos Gorcomienſis importunè cùm vellet cum eis coronari, etiam ipſe ſuſpenſus fuit.*

XII. *Ex Ordine Prædicatorum vnum, item duos Præmonſtratenſes ſuſpenſos laqueo necauerunt.*

XIII. *Barbaræ pluſquam feritatis ſcelera in cadauera Martyrum iſti ſacrilegi perpetrauerunt.*

XIV. *Miracula nonnulla ad ſepulchra Martijrum.*

XV. *Prodigioſa portenta motus Belgicos prænuntiantia.*

XVI. *Impij proditionis ſcelere cùm Martyres obſcurarent, illi longè illuſtriores inclaruerunt, vitâ potiti beatâ.*

Commentarius ad horum martyrium.

GORCOMIENSIVM VNDECIM MARTYRVM ex Ordine fratrum Minorum,

aliorũque, qui Brielæ, Hollandiæ opido pro fide Catholicâ fortiter obiere mortem, an. M. IↃ.LXXII. IX. Iulii, nobilis Hiſtoria.

CAPVT I.

Origines Arckelanæ gentis, opidique Gorcomienſis.

ARKELANAM gentem vetuſtiſſimæ inter Batauos nobilitatis ab Hercule Alemanno totius olim Germaniæ rege, originem ducere, haud ſatis firmis coniecturis, fabuloſaque magis quàm verâ narratione, quidam, non obſcuri alioquin, ſcriptores aſſerunt. At verò Hiſtoriæ noſtratium à Ioanne Leidenſi, ex Annalibus Vincẽtij Bartholomæi & Ioannis Beci, annis abhinc C LX. circiter conſcriptæ, Toparchas ditionis illius ordine recenſentes, commemorant, Hencmannum quẽdam Pannonium, primariæ nobilitatis virum, cùm Othoni huius nominis III. Rom. Cæſari ſtrenuam domi militiæque operam præſtitiſſet; Theodoricum Secundum Hollandiæ Principem, cuius filio Arnulpho Ludgardis Cæſaris matertera nupſerat, adijſſe: à quo ob virtutem & merita, agrum Arkelanum dono acceperit, quem anno à Chriſto nato IↃ. CCCC.XCVI. moriens hereditarium Fopponi minori natu filio relinqueret. Cumque porro iam annos ferme ducentos quadraginta eius nepotes poſterique iuſtâ ſucceſſione regioni præfuiſſent: Ioannes IX. ex ordine Toparcha, Gorcomium ſiue Gorinchemium, paulùm infrà vbi Rhenus (Vahalem accolæ vocant) Moſæ flumini coniungitur, in ripâ amnis condidit: non ignobile hac noſtrâ præcipue ætate opidum; & ob portus commoditatem conuehendis diſtrahẽdiſque mercimonijs longè aptiſſimum. Nam Linga fluuius ex Betuâ (ita ſuperior nunc Batauiæ pars appellatur) regione multo fœcundiſſimâ, omniſque commeatus fertiliſſimâ, defluens commodùm per ciuitatem labitur, Rhenoque e ſummis Alpibus Rheticis profluenti, atque Moſæ ex Vegeſo orto, illico miſcetur: quamobrem & incolæ præter pauciſſimos, qui ex agrorum redditibus victitant, maximâ ex parte, aut mercatores ſunt, aut nauiculariam exercent.

Hencmannus Pannonius conditor Gorcomij.

Quod mercatura opportunum.

CAPVT II.

Paſtoris & ſocij, item P. Guardiani, Gorcomienſium encomia & laudes.

ERAT eâ in vrbe templum à Ioanne Arkelano Leodienſis Eccleſiæ quondam Epiſcopo, Canonicorum Collegio decoratum; vbi ouium Chriſti paſtorem agebat Leonhardus Vechelius Buſcoducenſis, quo nemo regione illâ, ſolidæ doctrinæ opinione celebrior, nemo ſobrietatis & caſtimoniæ laude ornatior, nemo vitæ modeſtiâ, humanitate, innocentiâ, religioneque præſtantior inueniebatur. Erat huic in hoc ſuo munere ſocius Nicolaus Popelius, vir pius ac ſummæ virtutis, quique non modò alacer ac ſedulus ad ſacra excurrere munia (vnde *Slaefke* teuthonicè, latinè ſeruulo ipſi cognomen inditum,) ſed etiam puræ religionis antiqua iura ardentiſſimè tuebatur. Erant & ex laudatâ illâ Franciſcanorum familiâ ibidem manſueti animi, ac Deum valde amantes viri; quorum diligentiam in adiuuandis laborantibus Eccleſiæ præfectis admirari liceret.

Leonhardus Vechelius paſtor Gorcomienſis laudatur. Cuius ſocius Nicolaus Popelius

His

gitized by Google

His dignè præerat, & mitem hunc placidumque gregem, quaſi ſolicitus opilio paſcebat Nicolaus Pieckius, Diuini verbi Concionator facundus, iuxtà atque exercitatus, illuſtrique planè generoſæ frontis honore conſpicuus. Qui quidem non efferebatur inſolentiùs ſuper Fratres ſuos; quamquam præter ſummas corporis animique dotes, claritudo natalium ſummopere eum apud ciues quoque commendaret. Etenim fuerat quondam Pieckiorum familia plurimùm illuſtris, etiam ad Arkelanos Principes originem referẽs: ſed ad plebem ſe illa omnis fere contulit, poſtquam Aſperienſis Toparcha Arnoldus Pieckius ditione fortuniſque mulctatus eſſet à Carolo Burgundo Charleſij Comite, atque Arkelano tunc Principe; propterea quòd Gulielmum Buranum conſobrinum ſuum à cæde Rutgeri Boetſelarij redeuntem hoſpitio acceperat.

P. Nicolaus Pieckius Guardianus Minoridarum.

CAPVT III.

Minoridarum Gorcomienſium, ceterorumque Sacerdotum in ſocietatem Martyrum adlectorum recenſus & laudatio.

CÆTERVM P. Nicolao in paſtorali hoc ſuo inter fratres munere, vicariam præſtabat ſedulò operam P. Hieronymus Weertenſis, vir vt prudens, ita & vitiorum omnium, præſertim hæreſeos acerimus hoſtis:

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Nam poſteaquam apud Oueriiſchum celeberrimum Brabantiæ pagum templi Curionem, duobus de hoc inter ſe ſacerdotio litigantibus, quaſi ſequeſter egerat; in Palæſtinam profectus, aliquot annis Hieroſolymis ſanctiſſimè vixit; omnique regione peragratâ, loca præcipua quæ ſacris voluminibus celebrantur, religioſè perluſtrauit: veſtigia nimirum ſecutus tot veterum Epiſcoporum, Martyrum, atque eloquentium doctrinâ Eccleſiaſticâ virorum, qui perſuaſum habebant, minus ſe habere ſcientiæ, minuſque religionis ac virtutis, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Euangelium è crucis patibulo coruſcauerat. Porro cæteros inter fratres, qui cœnobium hocce Gorcomianum inhabitabant, præcipuè etiam excellere viſi ſunt, P. Villehaldus Danus & P. Nicaſius Heſius S. Theologiæ Baccalaureus, vt vocant, formatus. Horum ille iam dudum quoque fidei confeſſione inclytus fuerat, cùm ex Cimbriâ eiectus ab hæreticis in Britanniam profugerit, atque hinc mox profligatus Scotiam adierit: vnde quoque depulſus adpulerit in Belgium, vbi ſanctæ conuerſationis ſpecimen multo tempore dedit Hic vero Dei opera aſſiduè contemplari & admirari ſolitus, Chriſti philoſophiam in altiſſimo ſilentio & mentis exceſſu recognoſcebat, cùm duceret eum ſponſus *in cellam vinariam*, noua atque vetera ipſi depromens, & in cubiculum quoque ſuum, vti ſpecularetur *pulchrum illud omnium pulchrorum pulcherrimum*, cuius amore languere cernebatur. Educauerat autem hunc ſollicitè ac multâ curâ patruus ipſius Theodoricus Hezius Eccleſiæ Leodienſis nuperrimè Archipreſbyter, vir magni nominis: quem, cùm Adriano VI. Rom. Pont. ab epiſtolis ſecretioribus fuiſſet, virum optimarum litterarum notitiâ, & Chriſtianâ modeſtiâ inſignem nominat Paulus Iouius, de Belgarum ingenijs alioquin parum candidè ſentiens. Cæterùm poſt bonarum litterarum ſtudia, Ariſtotelicamque philoſophiam feliciter perceptam, totum ſe diuinæ Theologiæ conſecrauerat Nicaſius; cùm in collegio Pontificio, quod eiuſdem Adriani VI. impenſis magnificè planè Louanij exædificatum cõſpicitur, ſub optimo moderatore Tielmanno Clerico Geldorpio honeſte pièque viueret; atque in Academiâ illâ ſummos ſacrarum litterarum proceres, Iacobum Latomum, Ruardum Tapperum, Ioannem Haſſelanum, Iodocum à Raueſteino, & P. Ioannem Mahuſium primum Eccleſiæ Dauentrienſis denominatum Epiſcopum, ſedulò ac attentè audiret. Præter hoſce Minoridas ac Curiones erant & eodem in opido regioneque, quæ circùm circà eſt, complures alij religioſi viri quos diuina benignitas in ſanctiſſimum Martyrum ſenatum etiam conſcribere dignata eſt: quãdoquidem in Orthodoxæ fidei confeſſione pro Chriſti nomine libenter occubuerint.

P. Hieronymus à VVeert P. Guardiani Vicarius.

Terram ſanctam perluſtrauit.

Vide Hieron. Ep. ad Dom & Rogatia. in Lib. paralip præf 108.

P. Villehaldus, Danus, ſæpe profligatus ab hæreticis. Ges. Eſt VVilhadum vocat.

P. Nicaſius Heſius.

Cant 2.4.

Theodoricus Heſius eius patruus Canonicus Leodienſis.

CAPVT IV.

Dordraco prædones Gorcomium venientes, arcem, in quam Martyres confugerant, occupauerunt.

Dordracum à fide & rege defecit.

CVM enim Dordracum, primaria Hollandiæ ciuitas, poſt complura accepta beneficia à legitimo ſuo Principe Philippo II. Auſtriaco, Hiſpaniarum rege Catholico iam palàm, non ſine extremâ impietate deſciuiſſet; piratis intra muros paucorum proditione receptis: Marinus Brantus, & Adrianus Ficus Tielenſis expedito milite ſocijſque naualibus Gorcomium magnis itineribus, ita vt famam ferè præuenerint, contendunt: vbi & à ciuibus pernicioſis, qui iam antea ad mouendam ab Adriano Houelio exule ſeditionem ſollicitati fuerant, intromiſſi, ſacra prophanaq; ſuo more per opidum miſcebant. Erat eâ in vrbe arx vtcunque ſatis munita, à Gulielmo VI. huius nominis Hollandiæ Principe, Alberti Boiarij filio, Ludouicique Cæſaris nepote, poſt annum Domini M. CCCC. XII. cùm ager Arckelanus, ac ciuitas quoque, coniēcto in carcerem Ioanne XV. ditionis illius Toparchâ, ex pacto à Gulielmo ipſius filio ei traderetur, ædificata; cui turris ex marmore pulcherrimo à Carolo Burgundo, cui Bellicoſo cognomen, adſtructa fuit; cæruleam vulgò nominant. In hanc itaque arcem Sacerdotes Monachiq; cum optimatum quamplurimis hocce rerum ſtatu confugerant, confidentes aduentu Maximiliani Boſſuuij Comitis, quem Vltraiecti militem conſcribere nouerant, ſe breui poſſe liberari. Sed cùm hoſtes iam arcis oppugnationem ſeriò moliri, ſeque illius defendendæ, ob propugnatorum infrequentiam, impares eſſe cernerent; hac conditione eam tradidêre: vt corporibus inuiolatis dimitterentur obſeſſi. cætera prædæ militi eſſent.

Arx Gorcomienſis ad quam Martyres ſe receperant.

Deditione venit in poteſtatē Gueziorum.

CAPVT V.

Pacta violantes ſacrilegi Guezij, Martyres incarceratos ſannis diriſque vexauerunt cruciatibus, fruſtra conantes eos à rectâ fide in SS. Euchariſtiam ſeducere.

TRADITA arce, minimè pactis ſtetêre fœdifragi. Nam poſtquam fortiſſimus propugnatorum Theodoricus Bommerus, & Arnoldus Regius furcâ iam eſſent ſuſpenſi: ſacratos viros, præter paucos, qui multo ære ſe redemerant, carceri incluſos varijs contumelijs, ſarcaſmis, minis, terrore, diriſſimiſque cruciatibus affecere. Narrant P. Hieronymum Weertenſem & Nicolaum Popelium præcipuè vexatos, ſuſpendioque ad carceris ſuperliminare propemodum enectū P. Guardianum Pieckium: ſed fune diſrupto dilapſum reuixiſſe. In hos propterea exquiſitiora exercuere tormenta: quòd alijs liberiùs, maiori ardore opiniones hæreticorum inter concionandum refutaſſe dicerentur. Porrò inter immaniſſimas quæſtiones, nihil magis ſacrilegi quærere ac vrgere: quàm vt præſentiam corporis Dominici in Euchariſtiâ negarent illi viri. Qui quanto magis ob hoc cruciarentur, tanto confidentiùs apertiſſimis elocutionum modis verum Corpus & Sanguinem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſub panis vinique ſpeciebus, in diuino hoc gratiæ ſalutaris Sacramento contineri confitebantur. Hoc enim clariſſimè ſonare ſacræ Scripturæ verba: hanc omniū anteactæ ætatis Patrum fuiſſe ſententiam, etiam ſanguine tot illuſtrium Eccleſiæ Martyrum cōfirmatam affirmare: pro quâ, ſi res ita tulerit, conſignandâ, ſe quoque vitam velle impendere dicebant. non eſſe humani ingenij, immò nec Angelici quidem intellectus, quæ diuini Numinis ſapientia benignè, ſuâ, in hoc myſterio operetur, omnipotentiâ. Neque homo eſt, inquiunt, qui Corpus Chriſti faciat & Sanguinem; vti vos ſubſannando, miſero nugamini modo: ſed ille qui pro nobis crucifixus eſt Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei gratiâ ac virtute propoſita conſecrantur. ait enim; *Hoc eſt corpus meum.* Vox autē illa ſemel quidem dicta

P. Hieronymum, Nicolaum Popelium maximè, quòd in hæreticos fortiter declamaſſent, vexârunt.

En veram Orthodoxorum mentem & fidem de SS. Euchariſtiâ.

Mat. 26. 26

eſt: ſed per omnia Eccleſiæ altaria, vſque ad Chriſti aduentum, præſtat ſacrificio firmitatem: quæ *niſi credideritis, nō intelligetis*; cùm intellectus merces ſit fidei.

Iſa. 7. 9. ſecundū 70.

CAPVT VI.

Nauigio cùm veniſſent Dordracum, inſulſis ſcurris illudendi propoſiti publicè fuerunt.

QVANDO interrogati ergo hæc omnes incredibili quadam conſtantiâ affirmarent: hæreſeos Caluinianæ aſſertores, quique aderant ſcurræ & prædones, intemperijs quaſi acti, tantâ ſanguinis illorum hauriendi ſiti arſere, tantaq; auiditate ſupplicij de ijs ſumendi incitati fuere, vti id verbis haud facilè quiſquam expreſſerit. Verùm quandoquidē hac in vrbe ſæuitiæ ſuæ exempla in tam inclytos viros edere, palàm verebâtur ſcelerati ſacrilegi homines: lacernis cucullisq́ue exutos, binoſq́ue inter ſe brachijs colligatos naui vectoriæ impoſuere; atque ſecundo amne, Dordracum vſque deuectos, nauiculatoribus, lintiarijs, meſonautis, ceteriſq́ue ſeditioſæ ciuitatis nebulonibus deridendos toto die qui Dominicus erat præbuerūt. Alij nunc probra, nunc ſordidam mendicitatem, atque humile & ſine ope vitæ genus obiecerūt: alij ineptas planè inſulſaſq́ue quæſtiones, non abſque ſannis & minis propoſuerunt; cùm interim illi nō veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferentes, neque verbis ſed factis potiùs philoſophi, patientiam quam cæleſtibus eloquiis didicerunt, obſequijs ſpiritualibus exhiberent: ita vt nulla aduerſa ipſos à fidei ſinceritate & virtute auocauerint.

Veſtibus ſuis ſpoliati fuere.

CAPVT VII.

Brielam aduecti barbaris excipiuntur ludibrijs, iuſſi proceſſionis in morem patibula cum canticis circumire.

POSTRIDIE Brielam adpulſi, à Guilielmo Lummeno, qui de aduentu ipſorum ab Oeconomo ſuo Ioanne Oumallo certior factus in portu ad auram obequitabat, cum ſummo clamore cachinniſq́ue prodigioſis excipiuntur. Hunc indomitâ alioquin libidine immanique crudelitate exæſtuantem, quouis quæſito colore ad ſæuiendum in innoxios, incitabant qui cum eo equis ierant, Lanſlotus Bredenrodius Reineri nothus, Guilielmus Treſlongus, Ioachimus Ortelius, Oumallus, alijq́ue ipſius ſatellites, quo minore ſpe venię creſceret inter ipſos vinculū ſceleris. Erexerant ſacrilegi cruces, labaraque Eccleſiaſtica, quæ proris nauis impoſita Gorcomio ſecum attulerant: ad ea ſtabant mœſti fixis in terram oculis Monachi Sacerdoteſq́ue, incultâ plerique canitie venerandâ, quorum putrida iam ſenectute membra aut leuidenſis commiſſa, aut thorax caligæq; tantùm operuerant: hos Dei voratores, idololatras, ſanguinarios, proditoreſq́ue increpant, more vulgi, ſuum quiſque vitium alijs obiectantes. Porrò quo gratum Tyranni oculis ſpectaculum exhiberent, tale quiddam cōminiſcuntur. Eſt Chriſtianis ſolemne circum loca ſacra ſubinde cum Pſalmodijs orientem verſus procedere: hoc itaq; ritu ſacratos viros binos, multo cum cantu incedere, cuculam venabulo pilleum holoſericū præferentem, ac Minoridarum mediaſtinum Henricum nomine, labarum geſtantem ſubſequi, atq; furcas infames, quæ in portu mediaq́ue in vrbe erectæ fuerant, circuire, ſed occidentem verſus, multis verberibus plagiſq́ue coëgerunt. Quòdſi quando à cantandis Litanijs alijſve ſacris hymnis ceſſarent illi: non cōtumelijs flagelliſue abſtinebant abiectiſſimi quique, im moderatè Lummeno, ceteriſq́ue qui circumſtabant ridentibus. Ad quos conuerſus P. Hieronymus viriliter excelſoq; animo; Quod hoc hominum genus, quæue tam barbara hunc morem permittit patria? inquit. Nauigaui quondam ego Adriaticum, Ionium, Libycum, Syriacumq́ue, maria: adij Cretam, Cyprum, multaſq́ue latrocinijs infames inſulas: peragraui Palæſtinam, vidi Iudæos, Græcos, Agarenos, Turcas ac Mauros: ſed nunquam hoſce adeò Chriſtianis infeſtos inueni. Neminem læſimus, neminem corrupimus, circumuenimus neminem; & hæc tam atrocia, atque abominanda pati nunc cogimur. En quomodo beniꝫniſſimus Deus nos nouiſſimos oſtenderit, tamquam morti deſtinatos

Guilielmus Lummenus crudelis tyrannus in martyres exaſperatur.

Idololatræ vocantur illi pij.

En inauditam Geuſiorum rabiem.

P. Hieronymi oratio.

1 Cor 4. 9. Iud. 11. natos: quia *ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus. Vſque in hanc horam eſurimus, & ſitimus & nudi ſumus, & colaphis cædimur. Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus; tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſq; adhuc.* Mox in carcerē coniectos adeunt Caluinianæ hæreſeos miniſtri, periculum facturi, num blandimentis minſſue à fide rectè ſentientium, religioneq́ue Catholicâ reuocari vllo pacto poſſint: ſed ſacratorum iſta pia ſocietas decreuerat omnino magis mori, quàm Chriſtianitatem & abnuere ſalutiferam fidem.

CAPVT VIII.

P. Nicolaus Pieckius Guardianus fruſtra tentatus, Romani Pont. quem ouilis Chriſti paſtorem aſſeruit, detrahere auctoritati.

ADVENERANT Brielam fratres quoque P. Pieckij, pecuniâ haud mediocri ipſum redemturi: quoque faciliùs illud apud prædones impetrarēt: ſuadent vt vel ſaltem Rom. Pontificis auctoritati detrahere velit. At P. Nicolaus quaſi glorioſus furentis populi victor inſuperabili conſtantiâ, vnam Eccleſiam à Chriſto Domino ſuper petram origine vnitatis fundatam, reſpōdebat: cuius rectorem atque adeò omnium Chriſti ouium paſtorē, illum eſſe confiteretur. Quin & nos, inquit, cum Domino ſumus, vnitatemq́ue Domini tenemus: & ſecundùm ipſius dignationem, Sacerdotium eius in Eccleſiâ adminiſtramus: quamobrem quæcunque aduerſarij eius dicunt & faciunt, repudiare & habere pro prophanis debemus. Cùm nec blanditijs itaq;, nec terrore à fide Orthodoxâ reuocari poſſe dicerētur Martyres: irâ accenſus Lummenus, nocte concubiâ epulis aſſidens, multoq́ue vino madidus, extremo eos ſupplicio affici ſine morâ iuſſit.

Paſtor vnius Eccleſiæ in terrâ Rom. Pont.

Morti cuncti addicti ſunt.

CAPVT IX.

Latâ ſententiâ cùm ſe paraſſent ad mortem, P. Guardianus, decem Minoridæ ſodales eius, Curiones duo Gorcomienſes immaniter ex trabe ſuſpenſi fuere.

PARENT ergo dicto lictores, accenſiſq; ſtatim lucernis ac facibus, Dei confeſſores inuicem confitentes alios alijs peccata, atque orantes multâ cum fiduciâ pro ſe mutuò, extra opidum ad Canonicorum ſodalitatis Windeshemenſis cœnobium, Ruggæum dictum, ducunt. Vbi P. Pieckius, qui *hilari ſpiritu Deo ſeruiendum* eſſe continuò Fratres admonuerat, eoſdem nunc mœrētes magnâ cum conſtantiâ ad martyrium hortabatur; docens aliud quiddam eſſe pro peccato affligi, aliud pro iuſtitiâ exerceri. In peccatore namque, inquit, meritorum retributio: in iuſto, glorioſa de virtute certatio. Illic peccator vt mereatur affligitur: hîc iuſtus examine comprobatur. Quis ergo iam nō & fortiter & conſtanter *pretioſam in conſpectu Domini mortē* excipiat, complaciturus eius oculis, qui nos in confeſſione nominis ſui deſuper ſpectans, volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat; retributione paternæ pietatis remunerans in nobis, quicquid ipſe præſtitit, & honorans quod ipſe perfecit? Vix hæc locutus fuerat, cùm veſtibus ſpoliatum ex horrei trabe crudeliter ſanè ſuſpenderunt, naſo auriculiſq́ue, necnon virili membro, ipſi fœdo vulnere præciſis. P. deinde Hieronymū eodem ſupplicij genere interimunt, poſtquam grauiter iā eſſet conqueſtus de adoleſcente Henrico, qui cùm in diſciplinâ monaſticâ parū admodum profeciſſet, pœnæ metu lapſus, nō difficulter ad hoſtes tranſierat, atq; citharœdo Lummeni inſeruiebat. Mox quoq; ambo Curiones, Leonhardus Vechelius & Nicolaus Popelius eodem modo ſuſpenduntur. Ferūt hoc ipſo die qui VII. Idus Iulij, anni M.D.LXXII. erat, Leonhardū inter cæteros S. Theologię candidatos Louanij Licentiæ, vt vocant, laureâ decorandum: ſed aliter Deo Opt. Max. viſum fuerat, qui illum coronâ potiùs Martyrij tunc ornandum eſſe cenſebat. In P. Nicaſium deinceps atrociùs ſæuitum. Ex huius

P. Guardianus ad conſtantiam ſocios Fratres hortatur.

Pſal. 115. 15

Ipſe primus ex trabe ſuſpenſus, & immaniter membris mutilatus. Item P. Hieronymus.

Ambo quoque Curiones.

enim oculis, cùm pectoris ardor ſcintillæque fidei maximè relucerent, animam magis ſtrangulare quàm corpus deſiderabant hoſtes immaniſſimi. Igitur capiſtrum ori eius iniicitur, ex quo vltra horas octo pependiſſe narratur. Poſt hunc Villehaldus Danus, Theodoricus Emſenus Amersfordianus, Antonius Weertenſis, Godefridus Meruellanus, Franciſcus Bruxellenſis, Antonius Hornarienſis, ſacris omnes initiati Minoridæ; præterea duo laici Petrus Aſchanus, & Cornelius Batauodurus; quorum ille voto obſtrictus, hic verò voluntarie ad inſeruiendum Monachis ſe dedicauerant, coniunctis dorſis, nudi dilaceratique infami laqueo necantur: dimiſſo interim Guilielmo Eburone, quòd ſe ſub Treſlongo meriturum promiſerat. quamquā is paulò pòſt clauem cellæ vinariç Lummeni effinxiſſe accuſatus, poſt varias quæſtiones, mediâ in vrbe Brielenſi, ad quadrimum ex furcâ ſtrangulatus ſit: ita vt pro qualicunque vitç prçſentis vſurâ, cupidiùs quàm par erat adamatâ, ſempiternam infelicitatem reportauerit.

P. Nicaſius ore iniecto capiſtro ſuſpenſus diu vixit.

Octo reliqui laqueo ſuſpenſi vitam finiunt.

Nota desertoris pœnā.

CAPVT X.

Item cum illis præfectus virginum cœnobij Gorcomienſis Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini ſuſpenſus.

DVM hæc fiunt, aderat quoq; ditionis Voornēſis prætor Ioannes Duuenuordius: quem conſpicatus venerabilis ſenex Ioannes Oſteruicanus, ſacrarum virginum Ordinis D. Auguſt. Gorcomij prçfectus, ſperabat ſe iam liberari illius interceſſione poſſe: quandoquidem magnâ cum Duuenuordio ipſi interceſſerat familiaritas; eò quòd inter Canonicos diu egiſſet in Ruggenſi hocce cœnobio, quò conuiuandi causâ ſubinde venire ſolitus ille fuerat. Verū ne vllo verbulo quidem pro amico, extremùm quaſi calamitoſo, intercedere dignatus eſt Duuenuordius. Aiunt iuſtas eum huius impietatis luiſſe pœnas, cùm capto Harlemo, vbi vxoris ducēdæ causâ venerat, inter noxios plecteretur capite, atque ſponsâ ipſius mox riualis potiretur. Porrò de Oſteruicano ſilentio prætereundum non eſt, quòd ciues quidam Brielenſes, quibus optimè cognitus fuerat, nobis cum fide retulēre. Hominem nimirum iamdudum ſeptuageſimum ætatis annū excedentem, regione tam frigidâ, minimeq; ſalubri, numquam calefaciendi ſui gratiâ ad ignem acceſſiſſe, ſiue aduerſa, ſiue bonâ frueretur valetudine.

Amici menſæ, non verè amici.

CAPVT XI.

Sacerdos Gorcomienſis importunè cùm vellet cum illis coronari, etiam ipſe ſuſpenſus fuit.

RESTABAT iam ex Gorcomienſibus vnus Godefridus Duynæus Sacerdos: qui cùm in Pariſienſi Academiâ quondam humaniores literas cum laude eſſet profeſſus, ex continuis ſtudiorum lucubrationibus, mentis alienatione affectus, deſipere omnino cernebatur. Hunc non difficulter dimiſiſſent carnifices, niſi continuò vociferatus eſſet; nolle ſe martyrij gloriâ fraudari, ad quam ſocios iam omnes perueniſſe conſpiceret. Non eò ſe veniſſe, vti à cæleſti ſponſo repudietur: ſed potiùs vt anima ſua à Chriſto deſponſaretur. Dum ergo moleſtus eſſe pergit, laqueo eum è medio quoque ſuſtulēre.

Non deſipit qui ſic ſapit.

CAPVT XII.

Ex Ordine Prædicatorum vnum, item duos Præmonſtratenſes ſuſpenſos laqueo necauerunt.

EODEM momento poſt diriſſimos cruciatus, ſuſpenditur etiam Ioannes quidam ex Dominicanâ familiâ Monachus, Paſtorali officio diu functus duobus circiter millibus à Gorcomio, Hoornar Pago nomē eſt. Poſtremò Petrus Becanus, qui nuperrimè Metelliburgo ex Præmonſtratenſium Canonicorum cœnobio à Nicolao à Caſtro, excelſi præparatique ad martyrium animi Præſule, paſtor miſſus, monaſterij ad Oceanum Chriſti ouiculas pabulo diuini verbi, ſalutarique ſpiritalis alimoniæ cibo piè paſcebat; & Iacobus Lacupius Oudenardenus, eius, vt dicunt, Sacellanus, eiuſdem cœnobij Canonicus, ſimili mortis genere interimūtur: cùm pater huius grādæuus ac honeſtus multâ oratione vtrumq; ad Martyriū hortaretur.

P. Ioannes Dominicanus.

Petrus Becanus & Iacobus Lacupius, Præmonſt. paſtores.

Fuerat

Fuerat is enim cũ Becano & filio à prædonibus captus, dum Batauorum agrum qui Oceano adiacet, illi depopularẽtur.

CAPVT XIII.

Barbaræ pluſquam feritatis ſcelera in cadauera Martyrum ſacrilegi iſti perpetrauerunt.

ORTO iam aliquantiſper Sole, triumphantium more ingrediuntur opidum ſcelerati: auriculas, nares, viriliaq; Martyrum, opimorum inſtar ſpoliorum, pilei; pleraq; affixa oſtentãtes. Quin & illud extremæ malitiæ ſignum; quòd illorum genitalia vento fumoque indurauerint: quæ in ſecundis menſis bellariorum loco poſtea matronis honeſtioribus, aut virginib. ſacratis, multo cum riſu apponerent; hac impuritate ſe ornari putantes, atque ex ſcelere, immaniſſimo quærentes videri faceti. In cadauera quoque ob ramicum varia genera aſpectu etiam miſeranda, ſæuitum: quibus antequam ex trabe dimitterentur, ac nuda, mutilata, pecorumq; more diſciſſa, & cruore calenti illita terræ mandarentur, omentum extractum fuit, atque Gorcomij non ſine ludibrijs vænum expoſitum.

Nota, nota ſceleris immanis inauditum facinus.

CAPVT XIV.

Miracula nonnulla ad ſepulchra Martyrum.

COMMEMORANT aliqui, quędam apud Martyrum horũ ſepulchra, facta eſſe miracula: ab Hæmorrhoide videlicet mulierem ſanatam, virum quoque herniosum Matthiam Thoranium nomine, per merita ſuffragiaque Martyrum exitiali periculo liberatum continuò cõualuiſſe. Sed cùm ea certò mihi explorata non ſint, recenſere accuratiùs nolui. Et quotuſquiſq; nunc vel euidentiſſimis credet miraculis? cùm huic noſtro perditiſſimo ſæculo nõ deſint etiam ſui Porphyrij, Eunomij atque Vigilantij: qui rabidorum inſtar canum latrãtes, ſigna ac virtutes, quæ apud memorias Martyrum fiunt, dæmonũ præſtigias eſſe contendunt. Quid, quęſo, vel amplius, aut maius nobis ob miracula reddetur: ſi vtiq; fide omnibuſque alijs non ſtuduerimus abundare virtutibus?

CAPVT XV.

Prodigioſa portenta motus Belgicos prænuntiantia.

AVDIVIMVS multoties præclarum Chriſti confeſſorem Othonem Hiluerebecanum, bella ſtrageſque ob hęreſes aduenturas, prophetico eloquio auribus noſtris occinentẽ, & quaſi Vatem præſagum hiſce Ezechielis verbis tempus ipſum denunciantem; *Hic eſt gladius occiſionis magna, qui obſtupeſcere eos facit!* Vidimus hiſce temporibus quoque, non obſcura imminentis perſecutionis ſigna: Oceanum fluminaq; retortis violenter vndis aggeres deijcere, Belgijque agros, præcipue Zypenſem, cùm ſtrage hominum pecorumque inundari: ſtellam quoque non antea viſam, per complures noctes maximè ſplẽdere. Lucem pręterea à cœli regione Aquilonari, quâ duce Hiſpanus miles Zirickzeam clariſſimorum Medicorũ, Iaſonis Pratenſis & Liuini Lemnij patriam, obſeſſurus, Columbariam inuaſit inſulam, in altiſſimis tenebris fulgore cãdido intermicare, atque per vniuerſum Belgium, lumen haud vnquam viſum late diffundere. Conſpeximus inſuper aduenturæ calamitatis ac miſeriæ portenta: Nobilitatem Belgij cinericijs pallijs pileiſq; insuper & perâ mendicorum, poculoq; ligneo ſuperbientẽ. Cernere præterea licuit, certiſſima futuræ captiuitatis atq; ſeruitutis duriſſimæ præſagia; Viros reticulis verſicoloribus, mulieres verò cathenis ferreis inſtar captiuarum ſeſe ornantes. Non defuerunt notiſſima nobis quoque miracula: hoſtes videlicet, ad Amſteli ripam nõ ſine victoriâ ſe, vt vrbe caſtriſque commeatum excluderent, munientes ſecundariò, fugã ſubitò cepiſſe, quando Amſtelredamenſes diuinitus per ruſticũ Abcoudanum admoniti, cum Sacroſanctâ Euchariſtiâ ſupplicantes procederent. Quid? an non luce clariùs conſtat, Barbaram Georgij Nicolaij Fabri lignarij Hagienſis vxorem, cùm pede vtroque laboraret, claudaque omnino eſſet, religionis ergô Amſtelredamum profectam, voto apud Sacrum Euchariſtiæ locum perſoluto, ſanam recteque incedentem, domum ſtatim rediſſe; vicinamque, quę ei, quaſi vitium illud antea finxerit, obiecerat, poſtridie claudicaſſe? Sed quotus quiſque vel leuiter,

Præſagia & portẽta iſtorũ motuum & bellorũ. Ezech 21. 14.

Confœderata nobilitatis inſolentia.

Miracula ad Sanctum locum Amſteldami.

hiſce rebus animum aduertit? aut quot, quæſo, ideo meliores effecti ſunt? Rectè Chryſoſtomus; Ob mirabilia nos abſque dubio debitores efficimur Dei: pro benè autem actâ vitâ, Deum habebimus debitorem.

CAPVT XVI.

Impij proditionis ſcelere cùm Martyres obſcurarent, illi longe illuſtriores inclaruerunt, vitâ potiti beatâ.

Inuident gloria Martyrum.

PORRO cùm impollutam Martyrum fidem, conſtantiamq; inuictam vbique prædicari exaudirent prædones ſceleratiſſimi: proditionis illos incuſare nō deſtiterunt. & vti fides dictis ipſorum adhiberetur faciliùs, Adrianum Banderum Goudanum, qui apud veteris Moſæ aggerem (Maeſelano loco nomen eſt) Curionem egerat; atque fide Catholicâ Sacerdotioque abnegatis, in Caluini verba palā mortis metu lapſus iurauerat, 13. Kalen. Auguſt. in pomario Leonhardi Cæſarij haud procul ab vrbe, quaſi proditionis ſocium (fortè quòd pœnituerit) ex arbore ſuſpēdunt. Idem in Pontum Heuterum Delfium Hiſtoricarum Burgundicarum ſcriptorem tentatum: ſed quòd Latinè Galliceque ſciret exactè, atque eſſet in re familiari exercēdâ exercitatus, vt Oumallo ſcriba & Oeconomus foret, vitâ donatus fuit. Sed tantùm abeſt, vt hęc impiorum malitia Martyrū obſcurauerit gloriam, vti etiam illam multò illuſtriorem reddiderit. Cùm enim poſtquam ſanctiſſimè vixerint, in veræ fidei confeſſione pro Chriſti nomine fortiter ac cōſtanter occubuerint: & hîc in terris multo viuis clariores ſunt, & in cæleſti aulâ bonis perfruuntur ineffabilibus. Recepti namque à Chriſto in æterna tabernacula, atq; in ſancto illo & ſpirituali grege ad dexteram ipſius ſegregati, veſtibuſq; ſalutis, & lætitiæ tunicis cum decore induti, Sanctorum Martyrum albo inſcribuntur: vt paratam pijs à mūdi primordio hereditatem poſſideant; vbi cæleſtes poteſtates, Angeliciq; ſpiritus condenſis Sanctorum agminibus permiſti, eis de triumpho tam nobili gaudentes congratulantur; vbi & ipſe IESVS Chriſtus ſummus Sacerdos omnes quaſi holocauſtomata, ac ſacrificia perfecta Deo Patri offerens, dicit; *Ecce ego & pueri mei, quos dediſti mihi: volo Pater, vt vbi ego ſum, ibi & illi ſint mecū, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi; & vt cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.*

Quià Chriſto in cælos recepti.

Iſa. 8. 18. Io. 17. 24.

COMMENTARIVS
AD HISTORIAM
GORCOMIENSIVM VNDECIM MARTYRVM.

Petrus Opmerius huius hiſtoriæ ſcriptor.

QVI res geſtas ſui ſæculi ſuperioriſque poſteris ſcripto tradunt, de genere humano merentur optimè. vt parentes abeuntes è viuis filios bonorum ſuorū ſcribunt heredes: ſic iſti nepotibus theſauros relinquunt optimorum exemplorum, cùm quæ ſunt geſta, velut è mortuis reuiſenda proponunt. Inter hos Petrus Opmerius egregiam nauauit operā: cùm hiſtoriam ab exordio mundi, ad ſuam vſq; ætatem, multarum rerum haud communium cognitione plenam deduxerit cum ſummâ laude & fructu. Scripſit etiam hiſtoriam Hollandicorum Martyrum, vbi hanc etiam Decadis primæ lib. 3. quam ad verbum exſcriptam hic propono, ceu compendium vberioris hiſtoriæ à Gulielmo Eſtio S. T. Doctore editæ. Eſtij Hiſtoriam libris quatuor Heroico carmine reddidit D. Gerardus Iacobi paſtor in Soemeren, Antvverp. cuſam à Dauide Martinio, anno 1610.

Iuuat eadem à diuerſis vulgari: ſic enim veritas magis confirmatur. Communicaui diligenter cum Ioanne Splintero Voornio ciue Gorcomienſi, nunc Ordinum Brabantiæ Quæſtore Duſiluiæ, viro integerrimo; qui cùm Geuzij Gorcomium occupaſſent, cum vxore & alijs in arcem Gorcomienſem confugit; quâ deditâ cum Martyribus vnà captus fuit, & incarceratus, & coram pleraq; vidit acta Geuziorum; ac paulò pòſt allegatus à Senatu Gorcomienſi Brielam pro Martyrum redemtione, nihil apud Lummenum ſanguinis humani ſitientiſſimum tyrannū promouit. Sequente nocte cùm Splinterus adueniſſet, fuere Martyres omnes de trabe ſuſpenſi. Splinterus cùm diligenter hiſtoriam hanc inſpexiſſet, teſtatus eſt per omnia conſonare cum veritate, paucis minutiſque correctis. Diſparaui in capita, & illuſtraui notulis ad oram, atque Commentario.

IN CAPVT I.

Bicornis Rhenus.

RHENVS, Vahalem accolæ vocant.] *Taciti hæc verba aſcribo*; Rhenus vno alueo continuus, aut modicas inſulas circumueniens, apud principium agri Bataui, velut in duos amnes diuiditur, ſeruatque nomen & violentiam curſus, quà Germaniam præuehitur, donec Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluēs, verſo cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Moſâ flumine, eiuſque immenſo ore eundem in Oceanum effunditur. *Nomina Rheni varia, idem fluuius.*

IN CAPVT II.

Ioannes Mahus.] *Ex Ordine Seraphico, quem Sacrarum Literarum profeſſione in noſtro conuentu Louanienſi, concionibus egregijs, tum etiam glorioſâ Martyrij palmâ inclaruiſſe, ſcripſi in Corollario, num. 2.*

IN CAPVT V.

Arnoldus Regius.] *Ioannes Splinterus, cuius ſuprà memini, ita vocatum dixit, non Andream, vt ſcripſit P. Opmerius: adſtipulatur Guil. Eſtius lib. 1. Gorcom. Martyr. cap. 24. pro Andreâ Arnoldum repoſui.*

Carceri incluſos varijs contumelijs] *quas Eſtius fusè perſcribit lib. prædicti cap. 16. & ſequentibus.*

Nicolaum Popelium præcipuè.] *Et hunc propemodum ſuſpendio peremerunt. Guil Eſt. lib. 1 hiſt. Mart. Gorcom. cap. 18. Is quoque conſtantiſſimè confeſſus eſt veritatem Dominici corporis in S. Euchariſtiâ, vt meritò dici martyr eâ causâ debeat. vide cap. 24. lib. prædicti.*

P. Nicolaum Pieckium.] *Poſtquam iſtæ ferales harpyiæ ſeorſum à ſingulis pecuniā & theſauros exegiſſent; deinceps etiam P. Guardianum ſimiliter aggreſſi ſunt. Qui cùm ſe nihil horū aut habere aut ſcire reſpondiſſet, proprio fune de ſuperliminari ſuſpenderūt. Sed fracto fune, cùm in terram velut mortuus decidiſſet*, mortis eius explorandæ causâ, admotis candelis ardentibus amburunt ei frontem, verticem, os, genas, aures, mentum, naſum. Quinetiam flammam naribus inſertam in cerebrum ſubmittunt, neq; id ſatis; os illi vi diducunt aperiuntque, & ardente candelâ immiſsâ, linguam & palatum omne ita adurunt, vt ex eo tempore guſtu vehementer hebetato ac pene extincto, vix vllum è cibo potuue ſaporem ampliùs perceperit. *Hæc G. Eſtius lib. 1. hiſt. Martyr. Gorcom. cap. 20.*

Nota feralem iſtorum barbariem.

IN CAPVT VI.

Dordracum vſque deuectos.] *Hîc cùm ad oram propoſiti eſſent omnium ludibrijs, diſputationem factam de S. Euchar. inter Martyres & Caluinianæ ſectæ miniſtrum (fortean eadem, quæ capite precedente) ſcribit Guilel. Eſt. lib. 2. Mart. Gorcom. cap. 3.*

IN CAPVT. VII.

Lummeni Comitis tyrannis & mors.

A Guilielmo Lummeno.] *Huius ſæui tyranni ortum, educationem, ſtudia, mores, odium capitale in Sacerdotes & Monachos ſcribit Guil. Eſt lib. 2. Martyr. Gorcom. cap. 5. Qui quantis ludibrijs exceperit Martyres cap. ſeq. narrat. Item lib. 4. cap. 9. & ſeq. crudelitatem multis exponit. morſu proprij canis grauiter cruciatus impœnitens mortuus eſt. ind. cap. 17.*

Ioanne Oumallo.] *Fuerat is antea Canonicus Leodicenſis, ſed Eccleſiæ Catholicæ deſertor, factus eſt ſacrilegus & pirata. Guil. Eſt lib. 1. hiſt. Martyr. Gorcom. cap. 27. Tandem Delfi decollatus.*

Pileum holoſericum.] *Guilel. Eſtius*

lib.2.cap.6.in fine commemorat carnificem, cùm Martyres in formam proceſſionis vrbem intrare coëgiſſent perditi nebulones, Fr. Henrico, ſacrum vexillum geſtanti, pileum boloſericum impoſuiſſe. Porro quæ hîc auctor noſter ſcribit, contigiſſe antea potuerunt, cùm patibulum circumirent.

IN CAPVT VIII.

Romani Pont. auctoritatē Martyres propugnant.

Rom. Pontificis auctoritati detrahere.] *Hoc fanatici, non à ſolo P. Guardiano, exigebant, ſed publicâ diſputatione ab vtroque paſtore Gorcomienſi, à P. Vicario & P. Godefrido Meruellano, præſentibus P. Guardiani fratribus germanis id vnicè à fratre deſiderantibus. Adi G. Eſt. lib.2. Mart. Gorcom. cap.13. & ſeq. Alij quoque ſocij fortiſſimè fidē S. Eccleſiæ de veritate corporis Domini publicè diſputantes propugnarunt. Porro, quod fratres P. Nicolai Pieckij ſuum fratrē adeuntes poſtmodum perſuadere ſint conati, Pontifici vt renuntiaret, ſi cōſultum vitæ ſuæ vellet, perſcribit G. Eſt. lib.2. Gorcom. Martyr. c.17. & ſeq. Verè B. Cyprianus*; Neq; enim aliunde hereſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. *Epiſt. 55. Cornelio.*

Nota nota.

IN CAPVT IX.

Suſpenſi fuere.] *Omnes quidem, ſed alio ordine quàm refert G. Eſtius lib.2. Gorcom. Martyr. cap.21. & ſeq.*

Feralitas Geuziorum.

Deinde P. Hieronymum.] *Hic cùm Geuzios offendiſſet,* figuras crucis Hieroſolymitanæ, quæ illi, vt terræ ſanctæ peregrino, erāt in pectore & dextro brachio ita certâ ratione inſcriptæ, vt carne integrâ deleri non poſſent; adhuc viuenti è carne homines inimici crucis Chriſti, crudeliter exſciderunt. *G. Eſt. lib. 2. Gorcom. Mart. cap.22.*

In P. Nicaſium.] *Capiſtro ori eius iniecto, ſcribit auctor noſter eſſe ſuſpenſum. Teſte Eſtio,* alius ore funem velut frænum mordebat; alius extremo mento ſuppoſitum; alius gutturi quidem admotum, ſed non ſatis aſtrictum habebat: quo factum, vt & tardiùs eis ſpiritus intercluderetur, & diutiùs in extremo cruciatu retinerentur: adeò vt quidam eorum, inter quos venerabilis Nicaſius, funem ori immiſſum habens, in clarum vſque diem adhuc ſpirare inuenti fuerint. *Lib.2. cap. 25.*

IN CAPVT XII.

Petrus Becanus.] *Guil. Eſt. lib.2. Gorcom. Mart. cap.11. Præmonſtratenſem hunc paſtorem vocatum Adrianum ſcribit. vide lib.3. Gorcom. Mart. cap.38. & ſeq. fuere Martyres iſti omnes nouemdecim. ibidem cap.41.*

IN CAPVT XIV.

Miracula nonnulla.] *Plura commemorat Guil. Eſt. lib.4. cap.1. & ſeq.*

IN CAPVT XV.

Vaticinium cuiuſdam Martyris.

Othonem Hiluerebecanum.] *In concione ſæpiùs prædicere ſolebat huius anni perſecutionem in Catholicos his verbis Ezech. Prophetæ cap.21. ver.14.* Hic eſt gladius occiſionis magnæ, qui obſtupeſcere eos facit. *Aduerte numerales literas, & inuenies ſignatè notari annum Domini ſeptuageſimum ſecundum ſupra milleſimum quingenteſimum.*

IN CAPVT XVI.

Idem in Pontum Heuterum.] *Fuerat is Canonicus Gorcomienſis, qui quid fecerit commemorat Guil. Eſt. lib.1. Gorcom. Mart. cap.21. in fine, lib. quoque 3. cap.43. & ſeq.*

APPROBATIO.

Gorcomienſium hanc vndecim Martyrum ex Ordine noſtro Seraphico perilluſtrem, valdeque miram Hiſtoriam; aliorumque Brielæ in Hollandiæ oppido pro fide Catholicâ occiſorum, à Reuerendo admodum, Religioſoque viro, ac Patre Fr Henrico Sedulio Minoritâ commentario locupletatam, cùm eâ quâ decet attentione & intentione legiſsem, (idq; non abſque ingenti animi mei oblectatione;) nihil inueni quod pius & Catholicus Lector inoffenſo non valeat decurrere pede: quapropter dignam omnino iudicaui vt typis mandetur, & in manus omnium perueniat, ad Dei gloriam, fidei, & ſanctæ matris Eccleſiæ confirmationem, & exaltationem, aduerſus omnem hæreticorum omnium inſanam perfidiam non enim minuitur perſecutionibus Eccleſia (vt verbis vtar beati Leonis) ſed potiùs augetur, & ſemper Dominicus ager, ſegete ditiore veſtitur, dum grana quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur, ſemen, eſt enim, ſanguis Chriſtianorum, & ſicut plantæ rigatæ magis creſcunt, ita & fides noſtra oppugnata magis floret in quorum fidem hæc ſcripſi & ſubſignaui, Bruxellæ 12. Februarij anno 1612.

Fr. Andreas à Soto Sereniſſimæ Infanti à Confeſſionibus.

FRA-

FRATRIS
GVILIELMI
GAVDANI,
ex Ordine Fratrum Minorum,

Gertrude-bergæ opido Hollandiæ, pro fide Orthodoxâ interemti ſuſpendio, inſignis Hiſtoria.

Digitized by Google

PIO LECTORI.

APVD veteres Chriſtianos magnam viguiſſe curam acta conſcribendi Martyrum, antiquæ palàm Hiſtoriæ loquuntur. fatigauerunt ab initio Eccleſiæ Chriſtianos acerbiſsimæ perſecutiones: cùm à Clemente Pontif. Primo, Vrbs Roma diuiſa in ſeptem regiones, totidem Diaconibus atque Subdiaconibus & Notarijs adſignata fuit, qui Sanctorum acta Martyrum diligenter inueſtigata literis & poſteritati conſignarent. Idem factitatum in Græcanicis Eccleſijs, idem in Africâ à B Cypriano præſcriptum, etiam vt dies Martyrum, quibus exceſſerunt, adnotarentur. Horum exemplo, Fratrum Minorum Prouinciæ noſtræ Inferioris Germaniæ, pro fide Catholicâ fortiſsimè aduſque mortem dimicantium perquiſita martyria literis mandaui; & vt ſpero, non ſine fructu. Ante me ſcripſerunt alij, quorum nomina non ſupprimo; nec eorum laudes laboreſque mihi temere arrogo, more prauæ mulieris, partus nothos ſupponentis: ſed ſingula reddo fideliter, velut mutuò accepta; id quod in Commentarijs meis ad hiſtorias ſingulas ingenuè profeſſus ſum. Alcmarienſium & Gorcomienſium fortiſsimis certaminibus atque triumphis addere viſum ex Gulielmi Eſtij lib. 4. de Gorcomienſibus martyribus, agonem P. Gulielmi Gaudani, ex Ordine noſtro concionatoris celeberrimi; qui Gertrude-bergæ fortiſsimè pro veritate mortem obiuit. huic Corollarium adſcripſi breuem aliorum prouinciæ noſtræ patrum, qui ſequentibus annis, diuerſis locis variè ſunt interemti. quorum ego hîc Spicilegium feci, in hanc etiam Seraphicam Hiſtoriam conducens, quæ ſcribentium manus præterierunt. Tu, benigne lector, fruere, & precibus tuis contende, vt referat, qui dixit; Ego merces tua magna nimis.

Acta Martyrum diligenter perſcripta
Vide ep. 37

Gen. 15. 1.

SERIES CAPITVM.

PRæfatio *cauſam huius ſcriptionis continens.*

I. *Guilielmi Gaudani laudatio à vitæ probitate, ſtudijs & concionibus habitis Dordraci: quo à Geuzijs occupato Bredam fugiens, inde Gertrude-bergam fuit à ciuibus concionandi gratiâ euocatus.*

II. *Geuzij cùm Gertrude-bergam intercepiſſent, regios milites immaniter trucidauerunt, Sacerdotes ceperunt, P. Guilielmum cum alio religioſo in vincula coniecerunt.*

III. *Miniſter apoſtata cum P. Guilielmo diſputationem inſtituens, conuictus ad comitia confugiens certam ei mortem prædixit. Qui ſocium concaptiuum ad perſeuerantiam hortatus, matrem epiſtolâ conſolatus eſt è vinculis.*

IV. *Multis orationibus agonem ſuum Domino commendauit: militem regium vnà ductum confirmauit ad mortem pro verâ religione ſubeundam.*

V. *Ductus ad patibulum, magnâ voce ciues hortabatur in fide, quam morte conteſtabatur, perdurare; & pro inimicis Deum precatus, mox exitum ſortitus facilem, moriendo venit ad vitam, ſeruans vultus gratiam, quæ viuenti inerat; cuius gratiâ nonnulli ſeducti ad Eccleſiam reuerterunt.*

FRA-

FRATRIS GVILIELMI GAVDANI,

ex Ordine Fratrum Minorum,

Gertrude-bergæ opido Hollandiæ, pro fide Orthodoxâ interemti ſuſpendio, inſignis Hiſtoria.

PRÆFATIO,

Cauſam huius ſcriptionis continens.

REM pio lectori gratam me facturum exiſtimaui: ſi ſuperiori noſtræ hiſtoriæ, quæ de nouendecim eſt Martyribus, maiori numero Franciſcanis, hanc argumenti ſimillimi narrationem, vice coronidis ac ſupplementi cuiuſdam annecterem: quâ nimirum eius viri beatum exitum breuiter complexus ſum, qui vnius apoſtatæ dudum à nobis commemorati, ex eodem Ordine aſſumtus, eodemque nomine appellatus, inſtauraſſe ruinam, cepiſſe coronam, ac numerum compleſſe duodenarium, quem in illis vndecim Fratribus quodammodo mutilum atq; imperfectum dolebamus, cenſeri meritò poteſt. De Guilielmo Gaudano Minoritâ loquor, qui poſt Gorcomianos martyres, vnius anni paulò ampliùs interiecto ſpatio, locoque non multùm diſſito, ſimili cum illis ſupplicio, & ab hoſte conſimili, pro eadem Catholicâ fide interemtus eſt. Quod quidem eius martyrium, quemadmodum id ex multorum hominum fide dignorum, qui rei geſtæ ſpectatores ac teſtes fuerunt, acceptum ad noſtram peruenit notitiam, ita ſe habet.

Vide cap. 9. Hiſt. Gorcomienſ. martyrum.

CAPVT I.

P. Guilielmi Gaudani laudatio à vitæ probitate, ſtudijs, & concionibus habitis Dordraci: quo à Geuzijs occupato, Bredam fugiens, inde Gertrude-bergam fuit à ciuibus concionandi gratiâ euocatus.

GVILIELMVS Gaudæ natus, quod inſigne eſt & elegans Hollandiæ oppidum, vir fuit excellenti facundiâ & gratiâ prędicandi verbi Dei præditus, atq; in eo munere multis annis ita verſatus, vt & doctrina vitam eius ornaret, & viciſſim à moribus ipſa commendationem acciperet. Quo in vtroque genere Louanij fuerat quàm diligentiſſimè inſtitutus in cœnobio Fratrum Minorum, diſciplinæ regularis obſeruantiſſimo: vbi & primitias ſacerdotij ſui Deo conſecrauit ſub annum 1565. Inde verò in opus Dei ſegregatus, atque in Hollandiam miſſus, Dordraci annis aliquot non ſine fructu verbum Dei populo prædicauit. Verùm anno 1572. cùm ea ciuitas ita permittente Deo, veniſſet in Geuziorũ poteſtatem, ademtâ ſpe fructus vlterioris apud eos faciendi, & perſecutione in Sacerdotes ac monachos commotâ, præceptum Euangelicum ſecutus, in aliam abijt ciuitatem, Bredam ſcilicet, quinque ferè paſſuum millibus inde diſtantem, quæ tunc adhuc Regi Catholico parebat. Quò certè tum propter arctas Dordraci portarum cuſtodias, tum quòd itinera paſſim eſſent à Geuſijs obſeſſa, non abſq; ſingu-

Laus P. Guilielmi.

Occupato Dordraco à Geuzijs Bredam ſe recepit. Mat. 10.23

ſingulari ope diuinâ peruenit. Eo in loco annum exegit integrum, ſolitâ alacritate & gratiâ verbū Dei, doctrinamque Catholicā eius loci hominibus annūcians. Inde Siluamducis vocari eum poſtea cōtigit, eiuſdem euangelici muneris cauſâ. Quâre intellectâ pij quidam ciues Gertrudebergani (oppidum id eſt in confinio Hollandiæ & Brabantiæ non procul Breda ſitum) qui quòd huius viri conciones ſæpe libenter audiuiſſent, impensè eum diligebant, colebantque; oratum eum miſerunt, vt de viâ ad ipſos diuerteret, & concione aliquâ, priuſquam longiùs iret, valedicturus, quaſi per tranſitum, animos ipſorum reficeret. Horum pijs votis, vrgente charitate non ęgrè Guilielmus obſecutus eſt, & pro vnâ duas in eâ ciuitate conciones inſignes habuit, quibus inter alia ciues hortabatur ad cōſtantiam fidei, monebatque vt vicinorum exemplo & periculo ſaperent (Hollandos & Zelandos intelligi volebat) vtque ſeriò ſecum reputarent, in quæ & quanta mala tam animarum quàm corporum illi ſeſe ſuâ temeritate præcipitaſſent, dum religionis curâ poſthabita Dei & Catholici Regis hoſtes intra portas admiſiſſent. Addebat eò iam ventum apud illos, vt viuerent tamquam ἄθεοι, homines ſine Deo. Verbum veriſſimū; quod ei poſtmodum captiuo ab hoſtibus obiectum fuit: ſed itaquaſi dixiſſet, in Hollandiâ & Zelandiâ non eſſe Deum; ſtudio videlicet verbū eius in impium ſenſum captiosè ſimul & calumniosè detorquentes, vt hæreticis mos eſt, cùm alioqui etiā vulgò ita dici ſoleat; Deum non eſſe apud eos, à quibus vel ignoratur, vel non rectè colitur; & Scripturæ ſacræ ad eum modum non rarò loquantur.

Gertrudebergam euocatus à ciuibus.

Illos validè verbô confirmauit in fide.

CAPVT II.

Geuzij cùm Gertrudebergam intercepiſſent, regios milites immaniter trucidauerunt, Sacerdotes ceperunt, P. Guilielmum cum alio Religioſo in vincula coniecerunt.

QVo tempore apud Gertrudeberganos agebat Guilielmus, contigit inſidiis Geuziorum militum eam vrbem intercipi. Factum id eſt anno 1573. pridie Calendas Septembris, paulò ante exortum ſolis. Geuzij vrbe potiti mox totam percurrunt, omneſque latebras ſedulò perſcrutantes, ſicubi ſacerdotes aut monachos, vel etiam milites regios reperire queant; quos inuentos primùm ſpolient, deinde interficiant. Primus eis obuius factus eſt quidam Guilielmus Galenus, ſacerdos, atq; eius loci Canonicus: à quo furibundi iſti homines crudelitatis ac cædis initium facientes, eum ſtatim in ipſo loco trucidârunt. Corpus eius fœdè tractatum, toto ferè biduo nudum atque inſepultum in publicâ plateâ iacuit. Itidem factum de corporibus militum regiorum, quos penè omnes perquiſitos atque inuentos interfecerunt. Ea tādem trahis impoſita, auexerunt ad mœnia ciuitatis, & foueis iniecta, perinde vt pecudum cadauera, contumularunt, plateis interim tot interfectorum cruore paſſim reſperſis. Ciues plerique omnes, quòd & in fide Catholicâ, & in obſeruantiâ Regiæ Maieſtatis perſiſtere ſe velle declararent, bonorum direptionem paſſi ſunt, aliiſque inſuper modis grauiter multati & oppreſſi. Quam ob cauſam eorum maxima pars ciuitate relictâ ſponte, in exilium diſceſſit. Comprehenſi fuerunt à Geuzijs & in vincula coniecti presbyteri, quotquot erant in ciuitate reliqui, duobus tantùm exceptis, altero Decano Canonicorū, & eius loci, altero Canonico. Decano nomen erat Arnoldo Suanio Gorlenſi, qui poſtea martyrij, de quo agimus, hiſtoriam Teutonicè edidit. Is ad mœnia fugiens, cùm ex muro deſiliiſſet in foueam adiacentem, horas quatuordecim continuas ſub aquis ita ſubſtitit, vt ſolo capite emineret; quamquam Geuzijs ſubinde appropinquantibus & circa ipſum ſua ſclopeta diſplodentibus, ſæpe etiam caput aquis immergere cogebatur. Tuſsim quoque, quâ præ magnitudine frigoris admodum vrgebatur, ægrè quidem, cohibebat tamen quantum poterat, alioquin ſonitu clariore prodendus. Alter verò, Gaſpar Iacobæus de mœnibus amicorum operâ clàm demiſſus, in ſalicto quodam vliginoſo, cuiuſmodi ſunt ijs locis plurima, diem totum delituit; denique beneficio noctis ſubſequentis in tutum ambo euaſêre. Porrò inter eos qui comprehenſi fuere, præcipuus erat Guilielmus Gaudanus;

Gertrudeberga à Geuzijs intercepta.

Geuzij, milites trucidârunt omnes regios.

Sacerdotes comprehenderunt.

Inter quos præcipuus F. Guilielmus Gaudanus.

hoc nomine ſibi gratulatus eſt, quòd ad participationem afflictionum Chriſti diuinitus ſe vocari intelligeret. Itaque totâ mentis ac vultus ſerenitate cælum ſpectans, huiuſmodi fudit orationem; Domine Ieſu Chriſte, ſi me hac tantâ gratiâ dignaris, vt ad mortis ſupplicium pro tuo nomine ſubeundum vocer, vnum te oro; da robur & fortitudinem, vt ab orthodoxâ Catholicâ fide nullus terror, nulla me tentatio ſeparet; ſed ad extremum vſque vitæ ſpiritum immotus in ſanctâ cõfeſſione permaneam. Porrò ludibria, conuicia, ac ſcurriles irriſiones, quibus interim à nefario Satanæ miniſtro & militibus impetebatur; facilè ille non tantùm ferebat patienter, verùm etiam magno & excelſo animo contemnebat. Hoc ſolùm contemnere non poterat quod tetras atque horrendas in ſacroſanctam Euchariſtiam, aliaque ſanctiſſima religionis myſteria iactatas blaſphemias audire cogebatur. Digreſſo tandem cum ſuis è conclaui Miniſtro, ſocium & concaptiuum ſuum ita compellauit;

Frater Guilielmus concaptiuũ ſocium ad conſtantiam hortatur in Catholicâ fide.

Age quæſo mi frater, perſiſtamus in hac Catholicæ fidei confeſſione; quodque nobis eſt in primis neceſſarium, auxilium & gratiam à Deo ſuppliciter efflagitemus. Ad Deum autem illud ſubinde cum ingeminatione; *Conforta me Domine, conforta me*. Commemorabat item apud ſocium, quemadmodum ad matrem ſuam (quæ relictâ propter religionem Hollandiâ, Bredam habitandi cauſsâ conceſſerat) ipſe ſæpenumerò dixiſſet; Vtinam mater tibi contingat diem illum videre, quo filium habeas, qui pro fide Catholicâ mortem oppetat. Spero, inquiebat, deſiderium illud meum à Deo exauditum, iam nunc impletum iri. Ita nimirum ardentiſſimus Chriſti martyr cum Paulo Apoſtolo mortem ſibi pro lucro reputans, non aliud iam votis omnibus affectabat, *quàm diſſolui & eſſe cum Chriſto*. Scripſit è vinculis epiſtolam conſolatoriam eodem die ad matrem ſuam, videlicet arbitratus eam perlato iam ad ſe rumore periculi, in quo filius verſaretur, pro ipſo, vt ſe habeat animus maternus, grauiter anxieq; ſollicitã eſſe. Epiſtolæ argumentum hoc erat; Bene ſecum agi, vt qui propter iuſtitiam pateretur. Animo ſe eſſe valde pacato & tranquillo, atque in diuinâ voluntate libenter acquieſcere. Quin etiam ſperare ſe per Dei gratiam, futurum, vt breui admodum erga ſe illud impleatur, cuius deſiderio ſe quàm cupidiſſimè teneri, ſæpiuſculè apud ipſam declaraſſet, certè eâ re nihil ſibi felicius accidere poſſe. Proinde ſe eam orare atque hortari, ſuam vti captiuitatem, afflictionem & mortem, ſi contingat, haud moleſtè ferat; ſed in Deo ſolo, qui maſtarum mentium optimus eſt conſolator, ſeſe totam, ſuamque omnem cogitationem ac ſollicitudinem coniiciat, eidemque ſuis precibus agonem filij commendet.

Philip. 1. 23.

Eius epiſtola conſolatoria ad matrem è vinculis.

CAPVT IIII.

Multis orationibus agonem ſuum Domino commendauit; militem regium vnà ductum confirmauit ad mortem pro verâ Religione ſubeundam.

Precibus multis & peccatorum exomologeſi ſe præparat ad mortem.

POSTERO die, quo iam decretum erat eum mortis ſupplicio afficiendum, multò ante lucem è ſtrato ſurgit, in terram totâ mentis & corporis humilitate ſe proſternit, manus in cælum tollit, feruentiſſimas ad Deum preces fundit, auxilium eius aduerſus inſtantem, eamque extremam & grauiſſimam tentationem implorat, iterumque ad detergendum conſcientiæ puluerem, ſi quem humanus aliquis affectus interim aſperſiſſet, apud venerandum Patrem carceris ſocium exomologeſin facit. Sub horam octauam quidam militum Geuziorum Cẽturio, cognomine Marliantus, cum mandatis eò accurrit, & captiuorum cuſtodem interrogat, inquiens; Vbi eſt monachus ille, concionator papiſticus? Cuſtos aperto conclaui, demonſtrans digito futuram Chriſti hoſtiam, ait; Ecce, ille eſt. Tum miles ad eum; Para te, inquit, monache: iamiam ſuſpendendus es. Quà mortis acceptâ ſententiâ Guilielmus ſtatim in genua procidens, ac diuinam circa ſe dignationem humiliter agnoſcens, exemplo beatiſſimi Cypriani martyris ait; *Deo gratias*. Ac tunc quoque ſic Deum clarâ voce precatus eſt; Domine Ieſu Chriſte, qui propter me acerbam mortem ſuſtinuiſti, conforta me nunc obſecro, & da perſeuerantiam ſanctæ fidei, vt viciſſim pro te mo-

Poſt mortis ſententiam calidè Deũ orat.

moriar, meque tibi impendam; atque in hoc extremo diſcrimine me quæſo adiuua. Subinde verò cũ magno affectu repetebat illud; *Conforta me Domine, cõforta me.* Paulò pòſt à præfecto criminali miſſus aduenit ſatelles, & mart. aggrediens ait; Monache, porrige manus; quas ille dicto citiùs protendit, ligandaſque præbuit, huiuſmodi rurſum verbis cum gratiarũ actione Deum orans; Domine Ieſu Chriſte, qui mei causâ te flagellandum columnæ alligari paſſus es, gratias tibi ago, quòd ante oculos tuos dignus habitus ſim pro ſancti nominis tui confeſſione vinculis aſtringi: præſta mihi quæſo beneficium gratiæ tuæ, quo in rectâ fide perſiſtam, nec vllo mortis metu, nulláue inimici fraude abeâ dimouear. Quum autẽ ſatelles adeò vehementer ei manus ſtringeret, & ſanguis erumperet, ait illi; Eia ſic age, quantum potes fortiter aſtringe: præſto ſum ad quidlibet ferendum, mortem etiam ipſam pro Chriſti nomine iam ſubire paratus. Deinde fixis humi genibus iterum Deum ſupplex orauit, vt ſibi in hoc inſtanti certamine adeſſet. Cùm iam duceretur, atque à dilecto Fratre Vogelſangio diſcederet, extremum ei vale dicens, enixè rogauit, vt pro ſe Deum precaretur. Mox ad ductorem ſuum conuerſus ait; Propera, propera: nam Chriſtus ſponſus me præſtolatur. Non aliunde profectò voces iſtæ procedebant, quàm ex ingenti & ardenti deſiderio fruendi præſentiâ Dei ac Domini ſui; quale & in * Apoſtolo Paulo, & in Apoſtolico viro Ignatio legimus: vt iam illi propterea mora omnis ad ſupplicium, quo ianua tantæ felicitatis ei pandenda erat, moleſta videretur. Ducebatur cum eo miles quidam ex iis reliquus, qui ciuitati fuerant pro præſidio. Qui cùm patibulum carnifice præeunte conſcenderet, virum Dei Guilielmum clamore compellauit dicens; Domine, ora pro me. Videns ille & gaudens militem ſuæ ſalutis ex animo cupidum atque ſolicitũ Catholicè mori velle: primùm fecit quod rogatus erat; tum fidei ſymbolo clarè recitato, mox exhortatiũculâ breui quidem pro tempore, ſed vehementi & in primis ſalutari ſic eum confirmauit, vt pro causâ iuſtiſſimâ Regis & Religionis æquo fortique animo mortis ſupplicium ſubiret, haud indignu ſanè qui & ipſe candidato SS. Martyrum exercitui miles aſcribatur.

Manus eius ad eruptionem ſanguinis conſtringũtur.

* Phil 1. 22. Ep ad Rom.

Militem regium morti addictum in fide confirmauit.

CAPVT V.

Ductus ad patibulum magnâ voce ciues hortabatur in fide, quam morte conteſtabatur, perdurare; & pro inimicis Deum precatus, mox exitum ſortitus facilem, moriendo venit ad vitam, ſeruans vultus gratiam quæ viuẽti inerat: cuius gratiâ nonnulli ſeducti ad Eccleſiam reuerterunt.

Ea re peractâ venit carnifex ad Guilielmum, ſtatimque collo eius laqueum iniicit, ipſumque ad patibulum ſubducit. Ille non ſuæ tantummodo, ſed multorum ſaluti, quoad poſſet, in extremo conſulendum arbitratus; cùm iam in ſummâ ſcalâ conſiſteret: vocem totis viribus velut tubam intendens, vt penè totâ ciuitate, quæ non magna eſt, audiretur; conuerſo ad eos ſermone, quòd adhuc bonos nouerat, pro tempore, breuiter ita prolocutus eſt; Optimi, mihique cariſſimi ciues, vnum hoc ſupremis verbis omnes vos oro atque obteſtor; Permanete ſtabiles & firmi in ſincerâ Catholicâ Fide, quã frequentibus meis ſermonibus vos docui, quamque morte meâ nunc confirmare atq; obſignare paratus ſum. Aſtabat iuxta patibulum calcanei eius inſidiator eccleſiaſtes hæreticus. Qui cùm tantam viri fortitudinem, tamque liberam & intrepidam ad plebem exhortationem admodum moleſte ferret, ideòque ad eius ſubuerſionem blandioribus & ad perſuadendum compoſitis agere cum eo verbis inciperet, tale reſponſum retulit; Diſcede à me miniſter diaboli: non eſt quòd fidem meam tentes, quia prorſus audire te nolo. Sed & alia in eandem ſentẽtiam complura, & pleraque Latinè ab eo dicta fuerunt. Denique conſiderans vir ſanctus aduerſariorũ, à quibus patiebatur, cæcam ignorantiã: exẽplo Chriſti in cruce pendẽtis, & pro veniâ crucifixoribus impetrandâ cæleſtẽ patrem interpellãtis, verus tanti magiſtri diſcipulus, ita Deum precatus eſt; Domine ignoſce illis: neſciunt enim quid faciant. Ibi quidam ſupplicij eius miniſtri piam illam & verè Chriſtianam precationem irridentes, atque

Eius collo iniecto laqueo ductus eſt ad patibulum.

Magnâ voce è ſcalâ ciues hortatus eſt in Catholicâ fide permanere.

Pro hoſtibus Deum orauit.

impio ſcommate excipientes dixerunt, Itane neſcimus quid faciamus? En laqueum collo tuo innectimus. Hoc profecto nos facere probè ſcimus. Porrò cùm eius conſtantiam atque immobilem à fide Catholicâ voluntatem ſatis perſpicerent, qui timore mortis eum ſperauerant ſaltem verbo tenus à ſententiâ dimoueri poſſe; clamoribus flagitare cœperunt, vt de ſcalâ, in quâ ſublimis ſtabat deſcendere iuſſus, alio grauiore ſupplicio afficeretur: nimirũ vt quatuor equis in diuerſa nitentibus alligatus in partes diſtraheretur. At præfectus vrbis & Centurio, quorum authoritate res agebatur, ne quid fortè ſibi milites malo exemplo per licentiam vſurparent, ſigno dato iuſſerunt carnifici, vt opus ſuum abſolueret. Igitur videns fortiſſimus athleta finem adeſſe certaminis, Chriſti imitatione exclamauit, iterumque ac tertiò repetiuit illud ex Pſalmo; *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*. Quum de ſcalâ deiectus pendêret, inclamabant ad carnificem milites, ne gulam ei arctiùs conſtringeret (quod in hoc ſupplicij genere ad mortem accelerandam fieri ſolitum eſt) quò tardiùs exſpirans, diutiùs in extremo cruciatu teneretur. Inter hos impiorum militum clamores, electus Chriſti martyr ſummâ tranquillitate ſpiritum emiſit, Deoque reddidit; vir adhuc iuuenis, vt qui ętatem Chriſti patiẽtis, quantũ arbitror, nõ exceſſerat. Poſtquam exſpirauit, in vultu gratia, quæ priùs inerat, remanſit, non abſque ſpectantium admiratione. Certè nonnulli eorum qui dudum ab hæreticis ſeducti fuerant, tum hac re, tum priori paſſionis eius fortitudine permoti, atque animis compuncti rurſus ad fidem

Luc. 23. 46. Pſal. 30. 4. *In manus Domini ſpiritum ſuum commendauit.*

Catholicam incunctanter ſeſe tranſtulerunt. Conſecrauit autem ſibi hoc eius tam illuſtre martyrium diem quartam Septembris anni 1573. quando iam aliis locis aliquantum deferbuiſſe Geuziorum furor in Catholicos videbatur. Sacrum martyris corpus in eam foueam fuit proiectum, humoque obrutum, in quam congeſta fuiſſe regiorum militum interfectorum cadauera, ſuperiùs diximus. Ciues eius loci mortem viri de ſe bene meriti, ſibique proinde cariſſimi, piis lachrymis, vti par erat, proſecuti ſunt. Quorum etiam quidam, cùm vocem eius de patibulo clamantis extremam audirent, in domos ſuas properè abierunt, foreſque clauſerunt: quòd commotis intra ſe Chriſtianæ pietatis viſceribus, neque vocem clamantis audire, neque exitum morientis aſpicere ſuſtinerẽt. Quâ re animaduerſâ Geuſij nonnullos eorũ vi domibus extrahere ad ſupplicij locum voluerunt, vt ſaltem exanime viri corpus adhuc in patibulo pendens, vel inuiti cogerentur intueri. Quin verò & aliis opprobriis, contumeliis, iniuriis, ciues Catholicos, quòd iuſtum in nomine iuſti recepiſſent, atque hominem Dei benignè apud ſe habuiſſent, peſſimi milites affecerunt, ſibi quidem vindictam horrendi atque interminabilis ſupplicij in diem iuſti iudicij Dei theſaurizantes; illis autem exercendæ virtutis ac promerendæ felicitatis æternæ materiam cumulatè miniſtrãtes. Etenim & hoc iuſtum eſt apud iudicem Deum, vt qui pro regno Chriſti cum ſanctis eius martyribus facti fuerũt afflictionis participes, cum iiſdem in regno Chriſti fiant etiam beatæ retributionis conſortes.

Laqueo vitam finiuit quartâ Septemb. cum multorum luctu & fructu.

Cap. 2.

AD MARTYRIVM F. GVILIELMI GAVDANI

Notatio.

HISTORIAM illius haud multò pòſt ab eius morte cõſcripſit Arnoldus Svvanius, Collegij Canonicorum Gertrudebergenſium Decanus, qui cùm opidulũ à Geuzijs eſſet interceptum, magno cum diſcrimine manus eorum ſanguinarias euaſit, vt habetur ſuprà c. 2. Latinam dedit Guilielmus Eſtius S. Theolog. Doctor Duacenſis; exſcripſi ex eius 4. lib. Hiſtoriæ Martyrum Gorcomienſium; ſed Capitum ſummarijs, & ad margines notulis meo more illuſtriorem reddidi. Igitur hic quoque cunctis cùm lumen virtutis, conſtantis fidei & fortitudinis prætulerit, atque valuerit præceſſores martyres agminis noſtri imitari; iure debet inter fortiſſimos martyres accenſeri, nec eî meritis comparata gloria derogari; etiamſi priuatâ laudatione noſtrâ non egeat publicâ religione virtus conſecrata. Enimuero inuictâ fortitudine iucundiſſimum ſpectaculum Deo præbuit & hominibus:

Auctor huius hiſtoriæ.

Prud. Peri Stephan. Vincent. mart.

Quin & frequentes Angeli
Stant, ac loquuntur cominus,
Quorum vnus ore auguſtior
Compellat his dictis virum:
Exſurge Martyr inclyte,
Exſurge ſecurus tui;
Exſurge, & almis cœtibus
Noſter ſodalis addere.
Decurſa iam ſatis tibi
Pœnæ minacis munia;
Pulchróque mortis exitu
Omnis peracta eſt paßio.
O miles inuictißime,
Fortißimiſque fortior!
Iam te ipſa ſæua & aſpera
Tormenta victorem tremunt.
Spectator hæc Chriſtus Deus
Compenſat æuo intermino;
Propriæque collegam crucis
Largâ coronat dexterâ.
Pone hoc caducum vaſculum,
Compage textum terreâ,
Quod dißipatum ſoluitur;
Et liber in cælum veni.

COROLLARIVM
RELIQVORVM FRATRVM
EX ORDINE MINORVM,

Prouinciæ Inferioris Germaniæ
à Geuzijs interfectorum.

COROLLARIVM

Reliquorum Fratrum ex Ordine Minorum Prouinciæ Inferioris Germaniæ à Geuziis interfectorum.

QVOD addere mihi viſum fuit, quò tandem illis interuenientibus, addi merear cœtibus illorum. Licet verò mortes horum non tam fuerint illuſtres quàm præceſſorum: meruêre tamen pro conſtãte verę fidei cõfeſſione perpetuas coronas,quibus erat imo repoſitũ pectore;

Prud.I Peri Stephan. Hippol. mart.

Vna fides vigeat, priſco quæ condita templo eſt;
Quam Paulus docuit, quamq; Cathedra Petri.

I. Ven. F. REINERVS A LINTRIS,

Sacerdos conuentus noſtri Roermondenſis in Ducatu Geldriæ cùm ceteris ſit illuſtrior nobilitate martyrij, nec non prior tempore, agmen ducet ſequentium manipularium. Cùm Geuziorum exercitus duce principe Auraico Roermondam vrbem Geldriæ ad Moſam vi expugnaſſet; milites in cœnobium Patrum Carthuſianorum hoſtiliter incurrentes, illorum multos immaniter interemerunt: & vt refert Theatrum Crudelitatis hæreticorũ, totâ ciuitate ad viginti ſex Sacerdotes & Monachos, inter quos noſter F. Reinerus, in cœnobio Minoridarum. Quem ſcelerati cùm in templo reperiſſent ad altare, iuxta tabernaculum Dominici corporis orantem, veluti ſacram Deoque gratam mactantes hoſtiam, auribus primùm naribuſque barbarâ ſæuitiâ mutilatum, multiſque diris vulneribus confectum necauerunt, anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, die Iulij vigeſimo tertio. O te felicem Sacerdotem; cui datum eſt ad aram Summi Dei ſanguinẽ tuum profundere, corpus & animam offerre Chriſto! Toties Dominici corporis refectus ſalutaribus Sacramentis,demum calicem ſalutarem accipiens, & nomen Dñi inuocãs feliciter ad cælũ euolaſti!

Iuxta Dominicum altare ipſe hoſtia Deo mactatus.

Prud. Peri Stephan SS. Hemeter. & Chelidon. mar.

Vnicum Deum fateri
Sanguinis diſpendio:
Sanguinis ſed tale damnum
Lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum eſt,
Hoc probis dignum viris;
Membra morbis exedenda
Texta venis languidis
Hoſtico donare ferro,
Morte & hoſtem vincere;
Pulchra res eſt, ictum ſub enſe
Perſequutoris pati.

II. R. P. F. IOAN. MAHVSIVS,

Louanij quondam in noſtro fratrum Minorum cœnobio litterarum Profeſſor cum laude fuit, atq; etiam ſummus diuini Verbi prædicator, cui pietas & eruditio ad Epiſcopalem dignitatem, apud Summum Pontificem, & Philippum Secundum Hiſpaniarum Regem viam parauerũt. Primus enim fuit Epiſcopus Dauentriẽſis ſalutatus: ſed propter ſenectutem onus tantum & honorem fugiens, ad ruſculum ſe recepit meditandæ morti, quam propè ab Audenardo à Geuziis occupato, excepit, perpeſſus ab illis, quæ poſteritati ſcripſit Theatrum crudelitatis hæreticorum, in hæc verba; *F. Ioannes Mahus, vir venerabilis ex Ordine S. Franciſci, paulò antè deſignatus Epiſcopus Dauentrienſis, à Geuziis inclementiſsime vulneratus, pedibus conculcatus, pluribuſque aliis iniuriis & opprobriis affectus, inſtar putidi & abiecti cadaueris, in plateis relictus eſt.* Anno ſupradicto M. D. LXXII. 4. Octob.

Epiſcopus Dauentrienſis primus.

III. F. IACOBVS SCHVERMANNVS,

Sacerdos, cõcionator egregius, Antuerpiâ Weertam miſſus, maximâ temporũ difficultate, certiſſimoq; à Geuziis periculo, nihil habuit ãtiquius quã obedire, exẽplo Chriſti, qui factus eſt obediẽs vſq; ad mortẽ. In itinere à Geuziis occiſus fuit, propè à Perâ Leod. Cãpan. opidulo, vbi quoq; ſepultus eſt, hæc circiter tẽpora: dies mortis nobis ignota.

IV. F. IOAN. AB AMSTELDAMO,

vbi natus, & regulam D. Franciſci profeſſus fuit poſt tirociniũ probationis. Furentibus Geuziis Amſteldami, cum ceteris eiuſdem inſtituti patribus, cùm priùs patibulo, veluti malâ cruce digni, addicti fuiſſent, ciuitate fuit exactus. Inde ſe Coloniam Agrippinã contulit; atque inde in Brabãtiam reuerſus, paullò pòſt iam Diaconatu initiatus, in viâ, viginti & vno vulneribus cõfectus ab iſtis latronibus fuit: cuius epitaphiũ hodieq; viſitur Louanij in ambitu monaſterij fratr. Min. his verbis conceptũ.

ANNO M. D. LXXIX.
SEXTA APRILIS,
F IOAN. AMSTEROLAMENSIS,
POSTRIDIE QVAM GRATIAM SP. S.
IN DIACONATV ACCEPISSET,
MVLTIS LETALIBVS VVLNERIBVS
IN VIA DIESTEMIVM VERSVS
AB HAERETICIS
RELIG. CAVSA PEREMTVS EST.

V. IOAN-

V. F. IOANNES GRAII,
natione Schottus, ante ingreſſum Ordinis Seraphici, Canonicus Andernacenſis haud procul à Bruxellâ; è patriâ Religionis ergò profligatus, vt Deo quietiùs vacaret, in portum S. Franciſci appulit. Cùm Geuzij Bruxellæ in Clerum & magiſtratum ſeditionem mouentes, omnia cædibus temerarent & rapinis, fugientibus è monaſterio noſtris fratribus, P. Ioannem ſolum in cellulâ reperientes, propter venerandam canitiem, putauerunt eſſe Guardianum, pecuniam ab eo poſcentes. Sed cùm non haberet: iſti ſanguinarij vulneribus duobus cæſim in capite, duobus item punctim in pectore peremerunt. An. Chriſti 1579. die 5. Iunij.

Pecuniis iſta harpyia inhiant.

Armata pugnauit fides
Proprij cruoris prodiga:
Nam morte mortem diruit,
Ac ſemet impendit ſibi.

Prud. Peri Stephan. D. Laurēt. mart.

VI. F. IOANNES PVTEANVS,
item ex ordine Minorum Sacerdos, iſtâ temporum difficultate Louanio Thenas proficiſcens, cùm itinera cuncta latronibus iſtis obſiderentur, repertus eſt in viâ ſtrangulatus, demum Louanij in noſtro cœnobio ſepultus. Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, die menſis Aug. 3.

VI. F. MARTINVS SVETENS,
Sacerdos, Concionator & Confeſſarius. Cùm Geuzij Mechliniam cepiſſent, vnà cum ceteris captis fratribus, ciuitate fuit exactus. Qui Louanium cùm peterent, præ aliis F. Martinus ab iſtis leopardis dirè vexatus, multiſque verberibus afflictus in viâ mortuus eſt, An. Dominico 1580. Aprilis die 9. Iure cenſendus inter Martyres: quia, quod in illo fuit, & tolerauit, & plura tolerare paratus erat. *Cùm voluntati & confeſſioni noſtræ in carcere & vinculis accedit moriendi terminus; conſummata martyrii gloria eſt.*

Cyp. ep. 37.

VIII F. ALBERTVS A LEYDA,
quod Batauorum Lugdunum vocant, Sacerdos item & Concionator, vir integerrimus, cùm aliquamdiu Coloniæ Agrippinæ, profligatus ex Hollandiâ, exulaſſet; tandem reuocatus in prouinciam, iter Antuerpiâ faciens Ducis ſiluam, à Geuziis globulo tormenti bellici traiectus fuit, aliis ad terrorem, à quibus iſti pecunias extorquebant. Genus iſtud militum pecuniarum auidiſſimum eſt. Cùm nominatim & ex ordine à captiuis pro liberatione quæreret lytrum, nec aliquis quidquā promitteret, F. Albertus præcipuè, qui ex profeſſione pecuniam ſe habere negabat: reliquis ad formidinem exploſo tormento necauerunt an. 1584. aut ſequente. Hic ſi martyrij palmam non conſequutus ſit; certe, paupertatis Euangelicæ quam fuit profeſſus, illuſtrem obtinuit coronam. Erat ſanctâ voluntate pauper, & melioris vitæ propoſito aurum non habebat & argētum: *profectò qui inter illa tormēta paupertatē ſanctā cōfitebatur, Chriſtū confitebatur. Quapropter etſi nō meruit ab hoſtibus credi: nō potuit tamē ſanctæ paupertatis cōfeſſor ſine cæleſti mercede torqueri.*

Paupertatis profeſſio meritoria.

Auguſt. 1. de Ciuitat. cap. 10.

IX. F. THOMAS A BERINGHEN,
Sacerdos, vir columbinâ ſimplicitate, cùm anno ſalutis noſtræ 1591. Geuzij Thenas, opidum Brabantię diriperent, inuolantes in monaſterium fratrum Minorum, cum aliis nonnullis captus fuit. Poſt quæſtiones cum pecuniam à profeſſore paupertatis Euāg. nō poterāt emulgere: deorſū capite merſū in puteo, ſtaturninibus quibus lupuli maritātur ſubmergētes interemerunt.

Nil refert vitreo æquore,
An de flumine ſanguinis
Tingat paſſio martyrem:
Æquè gloria prouenit
Fluctu quolibet vuida.

Martyr etiam qui non fundit ſanguinem. Prud. Peri Stephan. Quirino Ep mart.

Peregi quæ diu in votis habui, Hiſtorias ſanctorum, qui ex tribus Ordinibus Seraphici Franciſci, relati ſunt inter Diuos, conduxi in volumen vnum, & Commentariis, notationibuſque reddidi illuſtriores: quibus adiunxi glorioſa martyria fratrum noſtrorū prouinciæ Inferioris Germanię, qui à cruentis Geuziis varie ſunt interemti. Humani generis hoſtis malus dæmon viſus eſt repetere ſua tentamēta perdendis animis antiqua, in electiſſima quęq; Chriſti membra ſæuiēs, potiſſimū qui fuerant ordin. Sacerdotalis. Armauit miniſtros ſuos veritatis inimicos auaritiâ, vt raperent aurū; impietate, vt auferrēt Chriſtum. At non prodiderunt fidem, neque vitam auro redemerunt Apoſtolici viri *quibus argentum & aurum non erat*: dantes porrò quod habebant, corpus diris carnificibus, fidem animamque Deo.

Act. 3. 6.

O beati Martyres! *Vobis roſa & flores de paradiſi deliciis aderant, & caput veſtrum ſerta cæleſtia coronabant! Æſtas, ecce, meſſiū fertilitate fecūda eſt, & area frugibus plena: ſed vos qui gloriam ſeminaſtis, frugem gloriæ metitis; atque in Domini areā cōſtituti, exuri paleas inextinguibili igne conſpicitis, ipſi, vt tritici grana purgata & frumenta pretioſa, iam purgati & conditi!*

Cyp. ep. 16. *Sæculum hoc fertile fuit martyrum.*

INDEX LOCVPLETISSIMVS

Rerum in toto hoc opere Seraphico contentarum.

Prior numerus paginam, littera, a, *primam columnam,* b, *ſecundam indicat.*

A.

ABbas Ioachim quot annos ante S. Franc. vixerit 6. b. immeritò à Trithemio carpitur, quòd Frederici II. hoſtilitatem in Eccleſiam prædixerit. 92. a.
Abbas Vercellenſis in S. Antonium Paduanum propenſus. 198. a.
Abbas Vrſpergenſis Fredericum II. laudat. 92. a.
Abrahamus Epiſcopus ex monacho mercatoriam veſtem induit, monaſtica deſerta, ſpe concepta cuiuſdam ad fidem conuertendi. 171. a.
Abuſus in ſtudijs & ſcientiis nocet. 131. a. ſed vſus ſaluberrimus. ibid.
Academiæ Lipſienſis primordia. 397. a.
Academia Louanienſis quando & quomodo fundata. 417. a.
de S. Accurſio Martyre Franciſcano hiſtoria. 165.
Accuſatus furti, ſed falsò, carceri eripitur à S. Franciſco. 71. b.
Acta Martyrum in primitiua Eccleſia diligenter perſcripta. 682.
Actiua vita & cõtemplatiua alternãda. 557. b.
Adamus Sasboldus doctor Theologus. 112. b. diſcipulus Ioannis Haſſelani. 662. a. eius elogium & ſcripta. 667. a.
de S. Adiuto Franciſcano mart. hiſtoria. 165.
Adoleſcentum non tam vita reſpiciẽda quàm virtus. 329. a.
Adrianus Banderus Catholicæ religionis deſertor ab hæreticis ſuſpenſus. 678. a.
Adrianus Cocus apoſtata Catholicæ religionis, cum P. Guilielmo Gaudano diſputans cõuincitur & conuitiari cœpit. 686. b.
Adrianus Ficus hæreticus Gorcomium properat, ſacra profanis permixturus. 673. a.
F. Adrianus Goudanus Franciſcanus Martyr Alcmariæ. 662. b. ſuſpenditur, quòd ſocios ſuſpendere nollet. 664. b.
Adrianus VI. Collegiũ Theologorũ Louanij fundauit. 672. a. eius ſecretarius fuit Theodoricus Heſius Archipresbyter Leodienſis. ibidem.
Aduerſa virum probant. 302. a.
Aduocatorum lucerna S. Iuo. 623. a.
Ægidium S. Franciſci ſocium S. Ludouicus inuiſit, alter alterum ſine verbis agnoſcit. 606. a.
Ægidius tertius S. Franciſci filius. 24. b. 97. b. eius vocatio. ibid. Theologia eius ſublimis. ibid. quid de Euangelio S. Ioannis dixerit. ibid. eius de prædeſtinatione opinio, & de perpetua & illibata Deiparæ caſtitate. 98. a. quid de obediẽtia ſenſerit. ibid. quid de paupertate & caſtitate. ibid. b. vbi ſepultus ſit. ibid.
Æliopolis, alio nomine Damiata. 617. b.
Ager Zypenſis aboceano cum magna hominum & pecorum ſtrage vaſtatus. 677. b.
Agnellus de Piſis primus Cuſtos Pariſienſis & deinde Angliæ Miniſter in ordine Minorum. 618. a.
Agnes S. Claræ ſoror ad dominum conuertitur. 534. a. conſanguinei illam è monaſterio conantur abripere, ſed vt in propoſito, ſic & loco fuit immobilis. ibid. a. b. moritur ſtatim poſt ſororem. 541. a.
Agniculos S. Franciſcus amat & à morte ſeruat. 42. a.
Agrorum tempeſtates tollit S. Frãciſcus. 43. b
Ahelorus pater S. Iuonis dictus. 625. a.
Alaſatia Lombarda filiam colliſam caſu grauiſſimo & mortuam meritis B. Ludouici Epiſcopi viuam recepit. 315. a.
Alaſia ſoror S. Delphinæ liberatur à carnis tentatione. 645. b.
Alaudarum natura Minoribus imitãda. 154. a. iuſta S. Franciſco fecerunt. ibid.
Albæ ſitus quam Taurunum vocãt. 409. a. obſident eam Turcæ. ibid. quam Chriſtiani acriter oppugnatam defendunt viriliter. ibid. & ſeqq. Turcæ in eam irrumpunt. 411. a. ſed reiiciuntur. ibid.
Albertus Aretinus carceri iniuſtè mancipatus, eripitur à S Franciſco. 71. b.
Albertus IV. Imp. Deiparæ Virginis cultor. 446. a.
Albertus à Leyda Minorida ab hæreticis in via Duciſſiluenſi à Geuſiis iugulatur. 693. a.
Albertus Magnus docuit Theologiam Pariſiis. 228. a.
Albertus Marchio Brandeburgenſis B. Ioannem Capiſtranum honorificè habuit. 401. b
Albertus Piſanus tertius Ord. Seraphici Miniſter Generalis. 231. b.
Albertus Pius Carporum Princeps in habitu monaſtico voluit tumulari. 158. b.
Albertus à Sartiano Franciſcanus in Orientem miſſus. 202. b.
Albigenſium hæreſis. 89. a.
Albizeſcha familia S. Bernardini. 241. a.
Alcmariæ laus. 661. a.
Alcmarienſium Martyrum Franciſcanorum hiſtoria. 661. a. cœnobium laudatur in quo Franciſcani hi vixere. ibid. horũ nomina. 662. b. incarcerati fuere ab hereticis. 663. a. Enchuſiã vecti feraliter habiti in via. ibid.

bre-

breuiaria in capita illorũ impingũt heretici. ibid. percuſſi ad effuſionem ſanguinis, quę bibere coacti ſunt. ibid. eorũ patientia laudata. 603. a. appellantur proditores. ibid. b. probra in eos coniiciuntur. ibid. qui conſtãter confeſſi ſunt eſſe Chriſtũ in Euchariſtia. 664. a. eius ergo ceu hoſtes patrię damnati ad laqueos & patibulum. ibid. militis cuiuſdam ſalutem in carcere procurãt. ibid. omnes in patibulũ aguntur. ibid. b. ſepulti ſub cœno in ripa lacus. ibid. luminaria viſa ſuper eorum corpora. ibidem. comparati hydriis muſto plenis. 665. b.
Aleardinus exſibilat miracula S. Antonij Paduani. 206. b.
Alexander ab Ales Pariſiis Theologiam docuit, fuit Anglus, quos habuerit diſcipulos. 228 b. eius ſucceſſores qui. 229. a. Doctor Doctorum appellatus. 109. b eius ſcripta, auditores & elogia. ibid. fons vitæ dictus. ibid. primus S. Theologiæ profeſſor in ordine Seraphico. 222. b. qua ratione ad ordinem Seraphicum pertractus. 291. a. quomodo viſione mirabili in ordine fuerit confirmatus. ibid. b.
Alexander ab Arioſtis Minorita Caſuum Enchiridion ſcripſit. 122. a.
Alexander Farneſius Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 515. a.
Alexander III. Pontifex S. Bernardum Abbatem, & S. Thomam Martyrem Cantuarienſem in Diuos retulit. 465. b.
Alexander IV. Pontifex S. Claram inter Diuos refert. 544. a. b. eius decretales quibus Diuis eam adſcribit. 545.
Alexander V. Pontifex, Franciſcanus fuit, dictus prius, Petrus Philaretus, Cretenſis nominatione non natione. Eius Elogia. 100. b. ab Innocentio VII. creatur Cardinalis. ibid. eius munificentia, vt nihil ſibi retinuerit. ibid. vbinam ſepultus. ibid.
Alexander Perrettus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480. a. 517. a.
Alexander iudex in S. Franciſcum iniurius loquelam perdidit, ſed mox pœnitendo recuperat. 77. b.
Alexandra de Fracto dæmoniaca ad tumulum S. Claræ liberatur. 541. b.
Aloyſius Requeſentius orator Philippi II. Regis Hiſpaniarum ad Pontificem. 461. b. qui cum litteris à Rege acceptis in cõſiſtorium ingreditur, vt Pontifici canonizationem S. Didaci regis nomine commendet. 462. a.
Alphondega quid ſit. 178. a.
Alphonſus Aragonum Rex in veſte Minoritarum ſepultus. 158. a. quater & decies ſacra biblia cum gloſſis & Commentariis legit. 133. b.
Alphonſus Aragonum rex S. Ludouici Epiſcopi corpus in Hiſpaniam retulit. 330. a.
Alphonſus Calabrię Dux Sanctum Bonauenturam in Diuos referri poſtulat. 264. a.
Alphonſus Cardero vulneratus grauiter meritis S. Didaci ſanatur. 456. a.
Alphonſus Carrillus Archiepiſc. Toletanus ædificat Compluti monaſterium fratribus Franciſcanis. 457. b.
Alphonſus à Caſtro Franciſcanus eruditus. 111. b. eius lectio commendatur. 134. b.
Alphonſus à Caſtro ſocius S. Didaci Romæ. 442 b.
Alphonſus Garcia laborans è lumbis meritis S. Didaci ſanatus. 455. a.
Alphonſus Geſualdus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. 515. a. b.
Alphonſus Gonſalez incredulus miraculis S. Didaci alio miraculo fit credens. 451. a.
Alphonſus Martinez à capitis dolore ſanatur meritis S. Didaci. 453. b.
Alphonſus S. Ludouici frater ducit Ioannam filiam Comitis Toloſani. 605. a.
iuxta Aluernæ montem S. Franciſc. ſtigmata accepit. 56. b. tempeſtates ab eo pelluntur. 58. a.
Aluernæ mons quot nomina habeat, vbi ſitus. 147. b. dictus Lauerna à graſſatoribus. ibid. datus S. Franciſco. ibid. mons Angelorum appellatus. 148. a. ruptus in paſſione Chriſti. ibid.
Aluianum caſtrum. 54. a.
Amadæus Sabaudiæ Dux in Felicem. IV. Antipapam eligitur. 396. a.
S. Ambroſij elogium. 137. a.
S. Ambroſius B. Martini funeri legitur interfuiſſe, abſens licet. 193. b.
Amens inuocata ope S. Franciſci fit mentis compos. 76 a. item alia.
Amentes octo meritis S. Ludouici Epiſcopi menti redduntur. 314. a. b.
Amon ducta in vxorem virgine virginitatem ſeruare fecit. 657. b.
F. Ammonius Franciſcanus ad Imp. Byzantinum legatus miſſus diſſidij componendi gratia. 223. a.
Amſtelodami Sacer locus. 677. b.
Amurathes Turcarum Imp. nummorum S. Helenæ virtutem expertus eſt. 620. a.
Anchoræ perditæ nautis per S. Franciſci merita redduntur. 70. b. aquis ſupernatant. ibid.
Anconitani nautæ inuocato S. Franciſco naufragio eripiuntur. 71. a.
Andrea Clariſſa ſtrumoſa meritis S. Claræ ſanatur. 543. b.
F. Andreas Dominicanus S. Ludouico ad Regem Tartarorum legatus. 608. a.
Andreas de Galleranis vir eximiæ ſanctitatis Senis prodijt ex confraternitate Diſciplinatorum. 345. a.
Andreæ Vega ſcripta laudantur, alibi edita ſuppreſſo nomine. 112. b. laudatur à Michaele Medina. ibid. laudatur à Petro Caniſio. 113. a. b.
Andreas II. Vngariæ rex quas proles habuerit. 326. b. pater S. Eliſabeth. 565. a.
Androclum captum leo recognoſcit. 125. a.
Andronicus iunior Imp. Conſtantinopolitanus veſtem monaſticam induit in vitæ extremo. 158. b.
melodiam Angelicam audit S. Franciſcus. 33. a.
Angeli concionantem audiunt Bernardinum Feltrenſem. 115 a.
Angelorum amator S. Franciſcus. 44. b.
Angelus Albizeſchi curam gerit S. Bernardini. 242. a.
de S. Angelo Martyre Franciſcano hiſtoria. 176.
F. Angelus de Tuderto herinoſus à S. Franciſco ſanitati reſtituitur. 76 a.
Anglus fuit Alexander Alenſis. 228. b.
Anglorum Reges ſolẽt curare annulis neruorum contractiones, & ſtrumas. 620. b.

Anima S. Franciſci in ſpecie ſtellæ ad cælum volare viſa. 61.a.

Animarum ſalutis auidus S. Franciſcus. 45.a.

Animus ſub noctem examinandus. 120.b.

Anni Deiparæ Virginis. 554.a. qui per coronam repræſentantur. ibid.

Annorum vitæ S. Franciſci ſubducitur ratio. 82.b.

Annos nemo referet. 128.b.

S. Anſanus Martyr Senenſis. 221.b.

Antiocheni quid reſponderint Imp. Leoni corpus S. Simeonis Stylitæ poſcenti. 208.a.

Antiphona *Salue regina mater Miſericordia* felicē mulieri in partu ſucceſſum dedit. 73.b.

S. Antoninus Archiepiſc. Florentinus S. Bonauenturam celebrat. 219.a.

Antonius Carafa Cardin. intereſt canonizationi S. Didaci. 479.b.

Antonius Agnayo è latere laborans meritis S. Didaci ſanatur. 455.a.

Antonius Cathalanus meritis S. Bonauēturæ ſanatur. 255.

Antonius Frances febriens meritis S. Didaci à febri liberatur. 453.a.

Antonius Hornarienſis Franciſcanus Gorcomienſis, ſuſpenditur Brielæ ab hæreticis. 676.a.

Antonius Maria Gallus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480.a.516.b.

Antonius Maria Saluiatus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479.b.516.a.

S. Antonium à Padua concionantem omnes nationes intellexere. 114. a. pluuia illius auditorium non tetigit ſub dio. ibid. b.

S. Antonius de Padua ex Auguſtiniano fit Franciſcanus. 169.b. quid ſcripſerit. 182.b. natus Olijſſibonæ. 185.a. Fernandus ei nomen impoſitum. ibid. eius parētes nobiles. ibid. carnem ſubegit ſpiritui. ibid. b. S. Auguſtini inſtituto ſe conſecrat. ibid. locum habitationis mutat ſalutis ergo. ibid. Sanctam ſcripturam diligenter legit & ruminatur, & ad mores adaptat. 186. a. item Patrum monumenta. ibid. viſis corporibus SS. Martyrum V. Franciſcanorū, martyrij ardet deſiderio. ibid. ideoq́ue ſe inſtituto S. Franciſci cupit addicere. ibid. b. fit Minorida. ibid. Antonij nomen cur aſſumſerit. ibid. Ad Saracenos ſpe Martyrij abiit. 187. a. ſed voluntati defuit martyrium, non voluntas martyrio. ibid. ad capitulum proficiſcitur generale. ibid. à nemine velut inutilis expetitur. ibid. petit à F. Gratiano in Aemiliam perduci. ibid. vitam auſteram ducit ſolitarius. ibid. à dæmonibus diuexatur. ibid. b. Sacris ordinibus initiatur. ibid. indoctus habebatur, ſed à Deo doctus erat. ibid. in officiis humilitatis ſe diligētiſſimè exercuit. 188.a. ſeipſum humiliat, & contemnit. ibid. Concio illius prima etſi extemporalis, miraculo omnibus fuit. ibid. Mittitur in meſſem Dominicam. ibid. b. Verbum Dei prædicat. ibid. non adulatur auditoribus. ibid. Peccatores coarguit. ibid. cum Elia Propheta confertur. ibid. Ariminum ab hæreſi expurgat. 189. a. Boniuillum hæreticum ad fidem Catholicam conuertit. ibid. Romæ magno cum fructu prædicans procerum Eccleſiæ amicitiam ſibi conciliauit. ibid. Arca teſtamenti à Pontifice appellatur. ibid. Sacram Scripturam memoria tenebat. ibid. b. Ordini Franciſcano ornamento fuit. ibid. primus fuit S. Theologiæ prælector in ordine. ibid. prædicit improbum quemdam futurum martyrem, ideoq́ue eum ſemper honorauit & nudato capite genu coram eo flexit. 190. a. qui deinde conſtanter mortem obiit pro Chriſto. ibid. ipſo concionante S. Franciſcus licet abſens in crucis modum extenſis brachiis apparet. ibid. a.b. omni ſe cura ſubducit. ibid. b. ſcribendis incumbit concionibus. ibid. à Diabolo vexatur. ibid. quem deinde ſigno S. Crucis & inuocatione Virg. matris fugauit. 191. a. In campis prædicat propter auditorum concurſum. ibid. Triginta hominum millia ad eius conciones cōfluunt. ibid. Concionum illius fructus. ibid. b. ſilentium auditorum in eius concionibus. ibid. Facundus fuit & vocalis. ibid. Italico ſermone vſus eſt politiſſimo. ibid. apparuit poſt mortem peccatoribus, quos ad peccata confitenda adhortabatur. 192. a. Sacris ſcripturis & firmis rationibus hæreticos conuincit. ibidem. dictus Malleus hæreticorum. ibidem. b. grandi prodigio oſtendit Chriſtum in Euchariſtia. ibidem. ipſo orante mulus Euchariſtiam Ven. flexis adorat poplitibus. 193. a. Romæ concionans à varij idiomatis hominibus probè intelligitur. ibid. Officio ſuo viſus eſt præſens perfunctus, cùm tamen procul abeſſet. ibid. item & aliàs præſtitit in Gallia. ibid. b. Crucis ſigno ægrum puerum ſanat. ibid. item puellam. 194. a. matrona quædā in lutum cadens, eius ſe meritis commendans, munda ſurrexit. ibid. auditur prædicans à procul abſentibus. ibid. In concione detegit occulta prodigioſa. 195.a. parētes Vlijſſibonæ in carcerem iniquè coniectos eripit inſigni miraculo. ibid. Concionum eius energia & cura animarum ſalutis in eo. ibid. b. dormientes mouet monetóque ad peccatorum confeſſionem. 196. a. pedem reſectum cuidam reſtituit. ibidem. Ecelinum tyrannū Veronenſem liberrimè increpans multis ſceleribus coēgit abſtinere. ibid. eius è vultu fulgor erumpens tyranni rabiem frangit. ibid. b. verba moderatur & facta. ibid. Paduam multis honoribus decorandam vaticinatur. ibidem. cellula ei rure fit in arbore. 197.a. in morbum extremum incidit. ibid. Paduam reuertit. ibid. b. Sacramento extremæ Vnctionis munitur. ibid. feliciſſimè in Domino moritur. ibid. à morte apparet Abbati Vercellenſi, quem ex gutture laborantem ſanat ſuo tactu. 198. a. morte illius annuntiata de corpore illius inter Paduanos magna oritur contentio. ibidem. Pueri eius mortem diuulgant. ibid. moribus ciuium compoſitis ſacrum illius corpus honorificentiſſimè ſepelitur. 199.a. feretrum, cui corpus ſuperimpoſitum, à nobiliſſimis viris defertur. 200. a. exequiæ ei magna pompa decernuntur. ibidem. clerus cum crucibus præcedit ad eius ſepulchrū. ibid. quem mox alij ſequuntur. ibid. peregrinationes ad eius tumulum frequentes. ibid. b. in miracula illius feriò inquiſitum. ibid. Sanctorum numero adlegitur. 201. a. eo ipſo die campanæ ciuitatis Vliſſiponenſis nullo eas mouente concrepant. ibidem

Canonizationis eius bulla. ibid. Hiſtoriam vitæ eius qui ſcripſerint. 204. cur piſcis ei in manus detur. ibid. item puer. ibid. b. cur nomen mutarit. 204. b. Primus in ordine S. Theologiæ ſtuduit. 205. a. Viſus eſt efferri in aërem. ibid. Piſces conuocat ad ſe audiendum. ibid. b. ſcribit ad illum S. Franciſcus. ibidem. eius prædictiones. ibid. Epiſcopus S. Franciſci cur appellatus. 206. a. Flagellantium Sodalitium inſtituit. ibid. miraculum illius in mulo vbi nam contigerit. ibid. b. illius meritis vitrum in terram cadens illæſum fuit. ibid. venenatus cibus ab hæreticis ei appoſitus non nocet. ibid. bufonem precibus in capum mutat. ibid. pueros mortuos reſuſcitat. 207. a. quoto anno ſit mortuus. ibid. b. quando inter Sanctos relatus ſit. 208. a. ſtupendum miraculũ in eius imagine. ibid. b. eiuſdem corporis tranſlatio. ibid. Varia eum inuocantibus à Deo præſtari ſolita. ibid. linguam eius poſt mortem rubentem S. Bonauentura contrectat. ibid. grande ei templum Paduani ſtruunt. ibid.

Antonius Saulius Card. intereſt Canonizationi S. Didaci. 480. a. 516. b.

Antonius VVeertenſis Minorida Gorcomienſis Brielæ ab hæreticis ſuſpenſus. 676. a.

Apollophanes Philoſophus Apoſtolum Paulum mundi circuitorem appellauit. 172. b.

in Apoſtolos affectus S. Franciſcus. 45. a.

Aquam S. Franciſcus è petra elicit. 40. a.

Aquilanum Epiſcopatum recuſauit B. Capiſtranus. 396. b.

Aquilani corpus S. Bernardini diligenter aſſeruãt & cuſtodiũt adhibitis vigilijs. 368. a.

Arauſio quæ ſit ciuitas. 657. a.

Arbaldus Iudex apud Saracenos in Martyres Franciſcanos ſæuit. 177. a. quid nomen hoc Arabica lingua denotet. 178. a.

Arca teſtamenti à Pontifice dictus S. Antonius Paduanus. 189. a.

Archiepiſcopatus V. in Hiſpania. 433. a.

Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ex ordine Seraphico numerus. 102. a.

Arckelanæ familiæ antiquitas & nobilitas. 671. a.

Aretio dæmon expellitur. 36. a.

Arianum Italiæ ciuitas à Carolo V. direpta. 757. a.

Ariminum à S. Antonio Paduano ab hæreſi purgatur. 189. a.

Armenos Minoridæ docuere. 102. b.

Arnoldus Pierius multatus bonis & fundis à Carolo Burgundiæ Duce. 672. a.

Arnoldus Regius arcis Gorcomienſis propugnator acerrimus in patibulum agitur ab hæreticis præter pacta. 673. b.

Arnoldus Sibanius Canonicus Gertrudebergenſis conſcripſit martyrium F. Gulielmi Gaudani Minoridæ. 685. b. 690.

B. Arſenius quam eremum incoluerit. 127. a.

Arx Gorcomienſis ædificata à Gulielmo Cæſare, cui turrim addidit Carolus Bellicoſus Dux Burgundiæ. 673. a.

Aſcanius Columna Card. intereſt Canonizationi S. Didaci. 489. a. 517. b.

Aſiam peragrant Minores. 102. a.

Aſis Mons. 83. b.

Aſſaſinorum gens quæ ſit. 616. a.

Aſſiſium S. Franciſci patria. 19. a.

Aſſiſium vnde nomen habeat. 83. b.

P. Aſtexanus ab Aſta Caſus conſcientiæ expoſuit. 112. a.

Aſtrologus diuinatur de ſanctitate S. Eliſabeth. 565. a.

S. Athanaſij elogium. 137. a.

Auctor quibus cauſis ad vitam S. Franciſci conſcribendam impulſus. 3. in Commentario ſuo ſcriptorũ verba nec mutat, oſtendit fontes, è quibus hauſit. 81. b.

Auctores boni legendi licet Neoterici. 134 b.

Auerna Mons Virgilio. 147. b.

Aues S. Franciſco adhærent. 42. b. & tacent illo preces horarias legente. 43. a. & congratulantur. ibid. b. S. Franciſcum concionantem audiunt. 54. a. nec tactæ loco mouentur. ibid. in morte S. Franciſci cantillant. 61. b.

Auguſtinianum fuiſſe S. Franciſcũ initio cõuerſionis quidam falsò aſſerunt. 85. a.

S. Auguſtini elogium. 137. a.

Auguſtinus Franciſcanus S. Franciſcum ad cælum euolantem videt. 61. a.

Auguſtinus Valerius Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. a. 516. b.

Aulicorum proteruia. 567. b.

Aurelianenſis Dux meritis S. Bonauenturæ à febri quartana liberatur. 256.

Aures Sanctorum valdè ſenſiles. 535 b.

Auſtergius Card. corpus S. Franciſci videre meruit in tumba. 156. a. b. & ſeqq.

Auſteritas indiſcreta improbatur. 32. a.

Azotus Mahumetanus duos Franciſcanos martyrio necat. 104. b.

B

BAbylon quæ ciuitas. 127. a. duplex. ibid.

Bætis fluuius dicitur Arabicè Guadalquiuir, id eſt, fluuius magnus. 433. b.

Balduinus Imp. Venetis crucem Domini oppignorauit. 616. b. item Spongiam ſacram, cuſpidem & coronam ſpineam. 617. a.

Balneoregienſes poſtulant ciuem ſuum S. Bonauenturam Diuis adſcribi. 242. b. 260. 265. a.

Balneoregium S. Bonauenturæ patria. 221. b. à quo fidem receperit. ibid. eius laus & Encomium. 222. a. eius epiſcopatus. ibid.

Baptiſtæ Platinæ demonſtratur error S. Ludouicum Regem cum S. Ludouico Epiſcopo confundentis. 620. b.

Barbara vxor Nicolai Fabri lignarij voto facto ad Ven. Euchariſtiæ locum Amſtelodami, claudicans pedum vſum recuperauit, & vicina, quæ ei obiecerat, quod hoc fingeret, claudicare cœpit. 677. b.

Bartholomæa de Ptolomæis amita S. Bernardini, cui ille ſeni diligenter ſeruit. 348. a. eius pietas laudatur. ibid. eius precibus S. Bernardinus à ſæculo conuerſus. ibid.

Bartholomæus Piſanus bonus auctor, & auctori in opere hoc profuit. 82. a. rudis ſermone, ſed non ſcientia. ibidem.

Bartholomæus puer oſtij magni põdere preſſus non opprimitur S. Franciſco opitulante. 69. a. item vir, in quem ingens lapis ceciderat. ibidem.

F. Bartholus de Eugubio Hernioſus ſanitati reſtituitur à S. Franciſco. 76. a.

Baſileenſe Concilium Eugenius IV. indixit, ſed reuocauit. 396. a. aduerſus Huſſitas indicitur. 400. a.

Baſilij Magni elogium. 137.a.
S. Baſilius leproſorum vulnera oſculatur. 442.a. eius concionandi modum in Italia reſtaurauit Cornel. Muſſus Epiſc. Bitontinus. 115.a.
Beati multi, licet inter Diuos non relati. 659.
Beatrix ab Aureolo miracula S. Ludouici Epiſcopi irridens punitur, ſed vexatione dante intellectum reſipiſcit. 320.b.
Beatrix ſtrumoſa meritis S. Eliſabeth ſanitati reſtituitur. 590.a.
Beatrix parturiens fœtum mortuum attactu chordæ S. Franciſci parit. 73.a.
Beatrix Portancia filiam aborſa mortuã eandem deinde meritis S. Ludouici baptizari vidit. 315.b.
Bela Rex Hungariæ ab omnibus ſalutatur. 326.b. Franciſcanis multa in regno exſtruxit cœnobia. 597.b.
Belgæ Franciſcani Americam ad fidem conuertunt. 103.b.
Belgicæ Nobilitatis confœderatæ inſolentia. 677.b.
Belgicorum motuum prænuntia. 677.b.
Belgium quotnam conciones quotannis à Franciſcanis habeat. 115.b.
Belliodæ Aquenſis filius in lecto ſuffocatus meritis S. Ludouici Epiſcopi ad vitam redit. 315.a.
Bellum non facilè à Chriſtiano gerendum. 619.a.
Benedictio ſacerdotalis veteris Teſtamenti 141.b. Chriſtianorum benedictionem ſignificat. ibidem. quæ fit cum ſigno crucis. 142.a.
Benedictus Iuſtinianus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480.a. 517.b.
Benedictus de Zulino amiſſos libros meritis S. Bonauenturæ recuperat. 258.
F. Benedictus à Marſito paralyticus ad corpus S. Bernardini ſanatur. 369.a.
Beneficia in ſe collata compenſat S. Franciſcus. 79.b.
Bene-moratorum ſodalitas quæ fuerit. 345.a. quot ex ea viri præclari prodierint. ibid.
S. Berardus Franciſcanus Martyr cum ſocijs. 108.b.
de S Berardo Martyre hiſtoria. 165.
Bergomi & Brixiæ factiones Guelphorum & Gibellinorum maximè in vſu fuere. 382.b.
Bernardinus Aquilanus concionator excellẽs Chriſtum vidit, eius elogium. 115.a.
F. Bernardinus Beltramus noua regna in Occidente inuenit. 107.a.
F. Bernardinus à Beſſa ſcripſit vitam S. Antonij de Padua. 204.a.
Bernardinus à Buſtis egregius concionator, Franciſcani ordinis. 115.a.
Bernardinus Feltrenſis Franciſcanus eximius concionator. ibid. Montis pietatis auctor. ibid. cum concionantem Angeli in aëre viſi audire. ibid.
S. Bernardinus Senenſis omnes in ſui admirationem concionando pertraxit. 114. ordinis Minorum ſecunda gloria. 333. a. fuit quaſi alter Paulus vas electionis. ibidem. B. Vincentij vaticinium de illo, cùm in Italia concionaretur. ibid. b. Italiam totam illuſtrauit. ibid. factiones Guelphorum & Gibellinorum compoſuit. 334. a. fuit ſignifer nominis Ieſu. ibid. reſtaurator ordinis Seraphici. ibid eximius paupertatis amator. ibid. b. Ieſu nomen à concione oſtendit auditorio. 335. a. Iuris peritia & S. Theologia quid in S. Bernardino fecerint. ibid. eius ſcripta referuntur. ibid. a. b. ad eius ſepulcrum infinita patrantur miracula. 336. b. de eo variorũ elogia. 333. & ſeqq. locus natalis & dies. 341. a. parentes eius. ibid. mater eius moritur. ibid. eius præclara educatio. ibid. ad pauperibus eleemoſynas dandas propenſus. 342. a. diebus Sabbathinis in honorem B. Virginis ieiunabat. ibid. Senas vocatur. ibid. ſuperat ſolertia diſcendi diſcipulos. ibid. pueris concionatur etiam puer. ibid. dat operam Ioanni Spoletano. ibid. eius inſignis caſtitas. ibidem. turpia verba non fert. ibid. illius præſentiam laſciui fugiũt. ibid. turpiloquum grauiter cædit. ibidem. laſciuum ad turpia ſolicitãtem verberibus & lapidibus abigit cum ſocijs. 393. a. eius caſtitatis inſigne argumentum. ibid. nulli niſi probis familiaris. ibidem. ſtudet Sacris Canonibus & S. Scripturæ. ibid. b. Dei matrem amicam ſuam vocat. 344. a. quæ cauſa fui Tobiæ ſiniſtræ ſuſpicionis. ibid. quotidie ſalutat imaginem Deiparę in porta vrbis. ibid. cuius fuit ſtudioſiſſimus. 345. a. Confraternitati Diſciplinatorum inſcribitur. ibid. carnem miris modis affligit. ibid. b. lectus ei durus, cibus parcus. ibid. ſemper hilaris fuit ac lætus, & exemplar pudicitiæ. ibid. peregrinorũ & peſtiferorũ curam ſuſcipit, cũ XII. ſocijs. 346. b. quam ſedulo ijſdem ſeruierit, quæ officia humilitatis exercuerit, eius in hoc genere induſtria ſingularis. 347. a. b. parat quotidie hoſpitibus neceſſaria. ibidem. b. nullis ſuccumbit laboribus. ibidem. febri corripitur. ibid. amitæ Bartholomeæ miniſtrat. 348. a. eius precibus monaſticum habitum dicitur ſuſcepiſſe. ibid. propendet in habitum Eremitarum S. Auguſtini. ibid. ſubducit ſe ad locum ſolitariũ. ibid. b. aſperè & durè ſe experitur. ibidem. D. Franciſci ordini ſe ſtatuit addicere. 349. a. viſo mirando ad D. Franciſci inſtitutum capiendum diuinitus inuitatur. ibidem. Conſilio R. P. Ioannis Riſtorij confirmatus ordinem Seraphinum ingredi decreuit. ibid. b. initiatur inſtituto Seraphico. 350. a. ad Columbarij ſe confert cœnobium. ibid. paupertatis religioſæ amantiſſimus & humilitatis. ibid. b. Chriſto paſſo ſe conformare ſtuduit. ibidem. Sapiens vt ſtultus habetur. 351. a. à conſanguineis reprehenſus quod Ord. religioſum ſuſcepiſſet, ſedatè reſpondit. ibid. ab inſolentibus pueris exercetur. ibid. b. D. Franciſci regulam profitetur. ibid. incitat inſigni exemplo ad tollendam crucem. ibid. cùm obedientia concionandi munus aggreditur. 352. a. corpus ſuum domat. ibidem. D. Virginis interuentu vox eius concionibus adaptatur. ibidem. immiſſo gutturi eius calculo ignito. ibidem. b. Mulierem laſciuam flagellis à ſe repellit. ibid. b. condit extra Senas fratribus monaſterium, cui primus præfuit. 353. a. in quo humilitatis exercuit officia. ibidem. pietati ſemper intentus. ibid. ad nominis Ieſu honorem cunctos excitat. ibid. feruidus fuit in concionibus. ibid. b. quæ à

variis expetebantur conſcriptæ. ibidem. quæ vitia expugnare in Italia conatus ſit, quantaque illius æuo Italiæ calamitas. 354. a. eius in concionibus quanta hominum frequentia. ibid. b. eius oratio dulcis & flexanima. ibidem. Multi eius concionibus vitam emendant. ibid. pacem inter diſſidentes conciliat. 355. a. eius ſuaſu mundi ludicra publicè comburuntur. ibid. item eo auctore multi vitam monaſticam capiunt. ibid. b. inſtitutum de obſeruantia promouet. ibid. b. &. 356. a. Ieſu nomen in tabula adorandum oſtendit. 356. a. cuius gratia magnam apud Pontificem calumniam paſſus. ibid. b. à qua tamen eiuſdem liberatur ſententia. ibid. Ieſu nomen illuſtratum ſole pro tabulis luſorijs pingere docuit, artifici cuidã tabularũ concinnatori hac ratione magnum lucrum attulit. 357. a. vita cum doctrina conſentiebat. ibid. omnium ſaluti conſulit. ibid. b. tempus optimè expendit. ibid. manu ſua libros deſcribit. ibid. humilitas in eo ſumma. 538. a. concionaturus Mantuæ, cùm ei nauigium negaretur, ſubſtrato pallio vectus traiecit flumen cum ſocio. ibid. tres oblatos Epiſcopatus repudiat. ibid. comparatus eſt prunæ ardenti. 359. a. Ignarum idiomatis Græci concionantem in Concilio Bernardinum Græci intellexerunt, quod ille prius à Deo precibus poſtularat. ibid. b. 114. a. pecuniam ſpernit Ducis Mediolanenſis, qua tandem obæratos exemit carceri. 360. a. in morbo fuit patientiſſimus. 361. a. factus eſt Vicarius Generalis Ciſmõtanus inſtituti de Obſeruantia. ibid. fontem dæmonibus dicatum cum ara deſtruit. ibid. Vir nobilis eum de ſalute conſulit, qui eo ſuadente ordinem ingreſſus eſt Minorum. ibid. b. filiolæ duo ſæua vulnera ſigno ſanctæ crucis ſanauit à concione. 362. a. iuuenem occiſum à boue precibus & ſigno crucis reſtituit vitæ. ibid. b. Romæ puerum liberat à morbo regio. ibid. contractum ſigno crucis liberauit. 363. a. Signo S. Crucis imbrem cohibuit ne concio eius intermitteretur. ibid. Aquilæ in laudẽ dicens D. Virginis viſa ſtella eſt cælitus ſuper caput eius faciem mirabiliter illuſtraſſe. ibid. Sigiſmundo Imp. gratus, vnà cum illo Romam petiit. 364. a. irriſorem ſuũ læſum ſanat. ibid. b. Senas reuerſus ſcribit libros. ibid. viros & fæminas in concionibus ſeorſum voluit ſedere. ibid. quod laſciuus iuuenis cõtemnens malè periit. ibidem. femina tactu veſtimenti eius incurabili morbo liberatur. 365. a. Peruſinorum mores correxit, pacem ciuium reconciliauit. ibid. a. b. ludos letales ſuſtulit. ibid. a. Aromatibus ſibi miſſis infirmũ ſanat. ibid. b. calceos ſuos egenti dat leproſo, quibus ille calceatus à lepra mirum in modum expurgatur. 366. a. b. Senenſibus vale dicens Aquilam petit. 367. a. Alui profluuio laborat. ibid. moritur in Domino. ibid. b. in terra mori voluit. ibid. quo die & quoto ætatis anno. ibid. fratres lugentes eius corpus Senas mittere cogitant, ſed Aquilani vigilanter aſſeruant. 368. a. habitus eius Senas mittitur. ibid. miracula poſt mortem coruſcat, ad eius ſepulcrum claudi eriguntur, & magna hominum confluit multitudo, eius ergo ad templũ maius effertur, pacem inter ciues reparauit. ibid. a. b. relatum corpus ad fratres ſurdum ac membris diſſolutum fratrem ſanans, inhumatum viginti ſex diebus ſuauiſſimũ ſpirat odorem. 369. a. Sãguis è naribus corporis ſacri fontis inſtar profluens ciues in motu à procerum cæde cohibuit. ibid. b. Vbicunque concionatus fuerat, iuſta ei ſoluebantur. 370. a. Ioanne Capiſtrano pro canonizatione S. Bernardini laborante, ſtella in cõcione S. Bernardini viſa, Ioanni Capiſtrano aliquoties reuiſa. ibid. puer aqua ſubmerſus eius meritis reſuſcitatus. ibid. b. enixa mortuum puerũ precibus ad S. Bernardinũ fuſis, recepit viuum. 371. a. opitulatur laborantibus in partu. ibid. b. ſub aquariæ mole rota quidam eius patrocinio reuixit. ibid. b. morbidus puer, applicatione panni, qui S. Bernardini corpus operuerat, integrè ſanatur. ibid. puellæ vulnus incurabile ſigno crucis ſanatur. 372. a. Monialis in puteum cadens ſalua euaſit, veſtibus nequicquam madefactis. ibid. in S. Bernardinum voto concepto periculoſiſſimè vulneratus integram recuperauit ſalutem ibid. b. Ad eius ſepulcrum ſurdi auditũ & muti loquelam recipiunt. 373. a. Senenſes in miracula eius cùm inquiſiuiſſent cum aliis poſtulant à Summo Pont. inter Diuos referri, atque id factum à Nicolao V. Pont. tota Italia gratulante. ibidem. Aquilani corpus eius ad templum nouum transferẽtes, pretioſa theca reponunt. ibid. b. eius encomia. 376. Euangelium Chriſti in tota Italia renouauit. ibid. eius canonizationem petunt multi. 377. in eius miracula inquiritur. ibid. idque ſecundò, & tertiò. ibid. quæ in Cardinalium cõſiſtorio exactiſſimè examinantur. 378. Decernit eum Pontifex in Diuos referendum. ibid. poſitis odiis multos caritate confœderauit. 379. ab Eccleſia decernitur colendus vt Sanctus. ibid. eius vita à multis conſcripta. 380. eius effigies quomodo pingatur, & picturæ ratio. 381. a. fructus eius concionum. 382. b. Inſtituit inſtitutum de obſeruantia. ibid. imbres in cõcione prohibuit. 383. a. Ioannes Capiſtranus birretum S. Bernardini ægris admouens, eoſdem ſanitati reddidit. ibid b. de ſtella quæ viſa eſt S. Bernardino cõcionante. ibid. eius canonizationem B. Capiſtranus procurauit. 384. a. miraculis coruſcat. ibid. b. Quinque fratrum millia in Canonizatione S. Bernardini. ibidem. corpus eius etiamnum integrum conſpicitur. ibid. in argentea repoſuit theca Ludouicus Galliarum Rex. ibidem. hanc diripuit Philibertus Chalonius Prorex Neapolitanus. ibidem.

Bernardus à Quinta-valle primus Minorita. 24. a. 96. b. tractus S. Franciſci pietate. 97. a. eius animi candor & puritas. ibid. cur potiſſimùm à S. Franciſco diligeretur. ibidem.

à D. Bernardi lectione incipiat qui Patres legere voluerit. 136. a.

S. Bertholdus Germanus concionans à ſexaginta hominum millibus auditur. 114. a. ſepultus eſt Regino-burgij. ibid. mulierem veritate compunctam, & mortuam ad vitam reuocat. ibid.

Bertranda Moreta aliena mente conualeſcit meritis S. Ludouici Epiſcopi. 315.a.

Bertrandeta mortua vnius menſis puella meritis B. Ludouici Epiſcopi reuiuiſcit 315.a.

Beſſarion Cardin. Sixti IV. ante pontificatum amicus. 101.a.

Biblia Complutenſia edita à Franciſco Ximenez Card. 112.a.

Biblia ſacra appellantur liber ſacerdotalis, ediſcenda. 133. b. organum diuinæ ſcientiæ. 131. a. attentè legenda. ibid. a.

Biblia ſecundo S. Bonauentura ſua manu deſcripſit. 227. b.

Bibliothecæ Vaticanæ auctor Sixtus IV. 101. b.

Bidera ciuitas Albigenſium obſeſſa. 90.a.

Bindus auunculus S. Bernardini. 341.a.

Bituris vrbs à Catholicis incenſa, in qua ſeptem Albigenſium millia interiere. 90.a.

Blancha mater S. Ludouici, ipſum mori potiùs voluit, quàm Deum ſemel offendere. 604. b. eius mors. 611.a.

Blaſphemus in S. Franciſcum punitur à Deo. 66. b. item alius occiditur à nepote. 77.b.

ad Bohemos miſſus Ioannes Capiſtranus, vt eos ad fidem ab hæreſi reducat. 396. b.

Bohemi quomodo VVicleſi hæreſin amplexi ſint. 397. a. quanta mala ob eandem paſſi. ibidem.

S. Bonauentura à ſubmerſione cum aliis à S. Franciſco ſeruatus. 71. a. de illo Ioannis Gerſonis cenſura. 135. a. veſtem qualem hodie Franciſcani geſtant induxit. 85. b. teſtatur ſe S. Franciſci meritis à faucibus mortis erutum. 17. quid eum ad vitam S. Franciſci mouerit ſcribendam. ibid. diligentia illius in rei veritate indaganda. ibid. illius ad S. Franciſcum poſt vitæ illius hiſtoriam apoſtrophe. 80.a. opera illius iuſſu Sixti V. edita. 101. b. Alexandri Alenſis diſcipulus. 109. a. eius ſcripta. 110. a. trecenta eius opuſcula. ibid. teſtatur S. Franciſcum fuiſſe ſextum Angelum Apocalypſeos. 4. a. De illo elogia è variis auctoribus deprompta. 211. eius ſcripta præ ceteris legenda. 212.a. Dicitur Doctor ardens & Seraphicus. ibid. b. primus inſtituit ſodalitates ſecularium. ibid. Scriptorum eius texitur catalogus. 213. a. b. 214. & ſeqq. omnes Doctores ſui æui præcellit. 213. b. columna Eccleſiæ. 216. b. illius opera & ſcripta in typographia Vaticana excuſa. 218. a. res illius à multis conſcriptæ. ibid. eius encomia, & honores à variis ei collati. 219. a. varij de eo ſcripſere. ibid. b. auctor vitæ Petrus Galeſinius S. Gregorium Nazianzenum in hiſtoria ſcribenda imitatur. ibid. quàm arduum vitam illius cõſcribere. 220. a. eius vita virtutum lex. ibid. in omni ſtudio Doctor egregius. ibid. b. inter præcipuos Eccleſiæ Doctores recẽſus. ibid. eius doctrina ſana. ibid. & fructuoſa. 221. a. Ioannes ei nomẽ impoſitum in baptiſmo. ibid. Bonauentura dictus ab euentu bonorum. ibid. cur dictus Euſtachius, & Eutychius. ibid. 273. b. eius parentes. 222. a. quo anno natus. ibidem. domus natalis eius in eccleſiam conuerſa eſt. ibidem. procero fuit corpore. 224. a. forma venerabilis. ibid. ægrotans puer etiamnũ, à matre ordini Seraphico dedicatus, ſubitò cõualuit. ibid. b. 249. a. voti memor Franciſcanis adiungitur. ibid. de eius innocentia elogium Alexandri Alenſis. 225. a. 254. eius humilitas quanta. ibid. b. humilia officia conſectatur. ibid. ægrotis ſedulò ſeruit. ibidem. triſtes ſolatur. 226. a. 250. omnium delicium & amor. ibidem. fuit in orando aſſiduus. ibid. meditabatur ſemper. ibid. b. meditandi docuit methodum. ibid. Deiparæ cultor eximius. ibid. cur dictus ſit *deuotus & Seraphicus*. 227. a. eius virtutes compendioſè enarrantur. ibid. eius doctrina excellens. ibid. eruditus fuit diuinitus. ibid. eius liber pharetra commendatur. ibid. b. quando ſcriptus & vnde collectus. ibid. biblia ſacra bis manu ſua deſcripſit. ibidem. eius labor aſſiduus. ibid. & 228. a. Pariſios ſe confert, vt Alexandrum Alenſem audiat. 228. b. 250. quem triennio audiuit. ibidem. amicitiam habuit cum S. Thoma Aquinate. 229. a. 276. b. ſuccedit Ioanni Rupellio in cathedra Theologica. ibid. S. Thomæ eandem præ humilitate cedit. ibid. b. docuit ſumma cum laude. ibid. 284. ſcripſit commentarium in Magiſtrum Sentent. ibidem. item Hexaëmeron in Geneſin. ibid. 285. Eboracenſem Archiepiſcopatum repudiat. ibidem. eius myſticæ Theologiæ laus. 230. a. Chriſti crux eius bibliotheca fuit. ibidem. ſcripſit contra Gulielmum à Sancto amore. ibidem. b. item vitam S. Franciſci. ibid. 254. viſus eleuatus in aërem. ibidem. ſententiæ magnorum virorum de illa hiſtoria. 231. a. locus in quo Pariſiis ſcripſit, exſtat adhuc inſtar ſacelli. ibid. de ſe humiliter ſenſit. ibid. Fit Miniſter generalis ordinis. ibid. b. 251. eo munere digniſſimus iudicatus. ibid. Alexander IV. Pontifex eum dilexit & fouit. 232. a. ordinem reformat. ibid. mitis ac benignus in regendo. ibid. quid egerit in Capitulis Generalibus. ibid. veſtem ordini Seraphico certam præſcribit. ibid. b. quam in ordine reformationem induxerit. ibid. quos libros pro reformatione ordinis ſcripſerit. ibid. & 233. a. item contra Giraldũ Theologum Pariſienſem pro Mendicantibus. 233. a. Inſtituit confraternitatem Confalonis. ibidem. b. linguam rubentem. S. Antonij Paduani exoſculatur, & loco decenti reponit. ibidem. 251. ſcripſit Itinerarium mentis in Deum & aliud in ſeipſum, in monte Aluernæ. ibid. item Breuiloquium. ibid. iudicium Ioan. Gerſonis de iiſdem. ibid. doctrina eius triplex. 234. a. eius præclarum encomium. ibid. in omni genere diſciplinæ doctrina eius ſpectata. ibid. Spiritus ſanctus in eius loquitur ſcriptis. ibid. mira eius intelligentia in ſacræ Scripturæ ſenſibus. 235. a. Pſalmos doctiſſimè expoſuit. ibid. myſticis expoſitionibus excelluit. ibid. b. Commentariorum eius ratio & modus. ibid. ſecutus eſt SS. Patrum documenta. 236. b. in diſſenſu doctorum opiniones meliores elegit. ibid. Philoſophiam veritati propugnandæ adhibuit. 237. a. magnus ad eum audiendum concurſus. ibidem. trecenta ſcripſit opuſcula. ibid. Hæreticos confutauit ſcriptis. ibid. b. Veri doctoris munera in eo. ibid. Dionyſij Areopagitæ myſticã Theo-

 logiam

logiam complexus eſt in Luminaribus. 238. b. qualem eloquentiam habuerit. ibid. & quali caruerit. ibid. eiuſdem peregrinationes. 239. a. in diſſenſu Cardinalium, facto compromiſſo elegit Pontificem. ibid. ad Concilium Oecumenicum euocatur cum S. Thoma Aquinate. ibid. b. 272. b. imponitur ei Concilij cura cum duobus alijs Ord. Seraphici Patribus. ibid. 287. primam in eo orationem habuit magno feruore & efficacia. 240. a. 253. Græcos cum Eccleſia Latina coniunxit. ibid. b. 287. Cardinalis creatur & Epiſcopus Albanenſis. 241. a. 253. 264. 273. a. abit è vita in ipſo Concilio, magno Eccleſiæ damno. ibid. eius exequias Pontifex & Imp. Græcus cohoneſtauit. ibid. orationem in funere eius habuit Illuſtriſſ. Petrus à Tarantaſia Card. ibid. eiuſdem miracula. ibidem. & 242. Lugdunum liberauit à peſte. 242. a. caput eius incorruptum centeſimo & ſexageſimo poſt obitum anno. ibid. 259. 288. laudatores doctrinæ eius quinam fuerint. ibid. b. In Concilio Florentino decretum ex ſententia eius pronuntiatum. ibidem. Varij eum reges & Principes inter Diuos poſtularunt referri. ibid. 260. 261. inter Diuos à Sixto IV. refertur. 243. a. 266. b. Doctor Eccleſię ab eodem declaratur. 255. a. 268. a. quibuſnam commiſſa inquiſitio de miraculis eius. 242. b. variæ in eius laudem habitæ orationes. 243. a. Mirandulæ Principes S. Bonauenturæ admiratores. ibid. b. Reliquiæ eiuſdem ab hæreticis in Rhodanum demerſæ. 143. b. ſolo excepto capite. ibid. quod hodie apud Minoritas Lugduni aſſeruatur. 244. a. variæ eius reliquiæ diuerſis in locis ſuperſunt. ibidem. prælegitur in ſcholis iuſſu Pij V. ibidem. quanto in eum affectu fuerit Sixtus V. ibidem. Theologiam eius Romæ doceri voluit. 245. a. & inter præcipuos Eccleſiæ Doctores haberi. ibidem. b. quem ritum in hoc actu obſeruarit. ibid. oratio tunc habita à Mauritio Breſſo. 246. a. eius opera edita in Typographia Vaticana vndique conquiſita. ibid. Compoſuit officium de Sancta cruce. 252. a. aſpectus eius gratioſus omnium fauorem conciliabat. 253. abſtinens è ſacra Euchariſtia præ humilitate, ab Angelo partē accipit è manu ſacerdotis conſecrantis. 254. Fœtum mortuum ſigno crucis vitæ reddidit. 255. parturientem facile facit eniti. ibid. claudus ad eius ſepulchrum ſanatur. ibidem. & febrientes. ibidem. alijs morbis grauati ad eius ſepulchrum ſanantur plurimi. 255. imagines cereæ ad eius tumulum offeruntur. 256. cæcos ſanat & febrientes. ibid. paralyticos ſanitati reſtituit. ibidem. leproſos varios mundat. 257. equi calce ictum ſanat. ibid. & varios morbidos. ibidem. res amiſſas reſtituit. 258. podagricos ſanat. ibidem. & hernioſos. ibid. eius encomium. 263. anniuerſaria eius ſolemnitas celebrāda. 267. a. Indulgentiæ eius feſtum colentibus cōceduntur. ibid. 279. a. eius dies feſta, feſtum Sacri palatij. ibid. b. Doctor Eccleſiæ merito dici poteſt. 271. a. 288. iunxit pietatem cum doctrina. ibid. eius ſcripta animos mouent. 272. a. miracula plurima eum illuſtrem reddunt. 274. a. cur Eccleſiæ Doctoribus annumerandus. ibid. b. collegium eius nomine in Vrbe erexit Sixtus V. 276. a. eundem Doctorem Eccleſiæ decernit. 278. a. eius dicta auctoritatem habent & publicè & priuatim. ibid. eius commētaria in vtrumque teſtamentum. 285. ſcripſit aduerſus hæreſes. 286. eius doctrina admirabilis. ibid. Doctor Seraphicus, pietatis incendium. 288. eius Theologiæ operam dent Franciſcani. 292. b. pileum Cardinalitium accepit dum lauaret ſcutellas, quem palo appendit, qui in arborem creuit. 293. b. miraculum quod refertur de illo dum ſe ad Euchariſtiam ſub morte recipiendam præpararet. ibid.

Bonifacius VIII. Ludouicum regem in Sanctos retulit. 614. b.

Bonifacius IX. S. Brigidam in Diuos retulit. 243. a.

Bonitas Titi Imp. & munificentia. 128. b.

Boniuillus hæreſiarcha conuertitur à S. Antonio Paduano. 189. a. *vide* Bouelo.

Bonum verum ac firmum. 160. b.

Bonus Ioannes ciuis Peruſinus quaſſatam habens manum ſanatur meritis S. Claræ. 542. b.

Bouelo hæreticus viſa adoratione Euchariſtiæ à mulo, conuertitur Toloſæ. 206. b.

Brixiæ maximè inualuere factiones Guelphorum & Gibellinorum. 382. b.

Brixiani factioſi in Italia & Bergomenſes, quo allium ſcindas modo intereſſe putant propter partes hoſtiles. 91. b.

è Brugenſi Conuentu Franciſcani à Carolo V. Imp. in Indiam mittuntur. 103. b.

Bucardus ſcholaris aquis ſuffocatus meritis ſanctæ Eliſabeth ad vitam reuocatur. 589. a.

Buſo precibus S. Antonij Pad. in capum mutatur. 206. b.

Bulgari à Franciſcanis ab *hæreſi* conuerſi. 102. b.

Burgundia dicta Prouincia S. Bonauenturæ. 243. b.

C.

CÆci varij à S. Franciſcō oculorum lumen recipiunt. 74. a. item alij à S. Bonauentura. 256.

Cæci quatuor interceſſione S. Ludouici Epiſcopi oculorum vſum recuperant. 317. b.

Cæcus non eſt qui Deum videt, licet oculis careat. 121. a.

Cælum habet è nobis, quibus cura de nobis. 263. a.

Cæſarauguſta Hiſpaniæ vrbs Martyribus inclyta. 433. a.

Cæſaris Baronij elogium. 139. a.

Calculo ignito S. Bernardinus raucus vocalis fit, vt concionibus adaptaretur, idque diuinitus. 352. b.

ritus orandi ad Calculos. 551. b. à veteribus originem habuit. 552. a.

Calliſtus III. votum concipit aduerſus Turcas, cuius gratia legatos quaquaverſum deſtinat. 408. a. voluit in meridie pulſu campanarum orari pro Chriſtianis contra Turcas pugnantibus. ibid. b. certior redditur de victoria contra Turcas. 411. b. & in gratiarum actionem Feſtum Transfigurationis

tionis inſtituit. 412.a. B. Vincentium inter Sanctos refert. 433.b.
S. Oſmundum Diuis aſcripſit. 243.a.
Caluiniſtarum rabies in corpora Martyrum Gorcomenſium. 677. a. 679. b. 680. a. *vide* hæretici.
Campanarum pulſu ad preces in meridie fundendas pro ijs qui contra Turcas dimicabant inſtituit Calliſtus III. 408. a.
Campanas pulſandi mos ad eleuationem corporis Chriſti quando initium habuit. 223. b.
Campilium locus haud procul à Senis. 38.a.
Canariæ inſulæ vnde dictæ. 439. à. ſeptem ſunt, veteribus etiam notæ, ſed deinde ad multa ſæcula incognitæ. ibid. à quo & quando detectæ, & ad Chriſti fidem conuerſæ. ibid.
Canarienſes S. Didacus Chriſto lucrifecit plurimos. ibid. b. eas fide Chriſtiana imbuunt Minoridæ. 103.a.
Candelabra duo Dominicus & Franciſcus. 10 a.
Canonizatio S. Franciſci à quo inſtituta & quando. 62.b. 63.a. diploma illius. 80.b.
Canonizationis ritus. *Vide* Didacus.
Canonizatio S. Antonij Paduani. 201.a.
in Canonizatione inquirendum in vitam & miracula Sanctorum. 284.
Canonizatio Sanctorum cœpit ab initio Eccleſiæ. 466. a. diligens canonizationis actus ad cauendas fraudes neceſſarius. 467. a. & ad humanos affectus coercendos. ibid. eſt proprius Rom. Pontificis. ibid. in quo Eccleſia non errat. ibid. differri ſolet, vt cum tempore veritas monſtretur. ibid. b. inquiſitio in vitam Sanctorum canonizandorum plerumque Cardinalibus rei parum fauentibus committitur. ibid. ritus obſeruari ſolitus. 472. 473. 474. & ſeqq.
in Canonizatione ſpectatur imprimis Dei honor & Eccleſiæ ſolatium. 465. a. actus eſt myſterijs & ritibus plenus. 466.a.
Capitium geſtauit S. Franciſcus acuminatum. 85.a.
1. Capitulum Generale Minoritarum. 29.a.
Caput S. Bonauenturæ centum & triginta poſt obitum annis integrum repertum. 242. a. 259. 288. 294.
Cardinales ex ordine Seraphico. 34. 102.a.
quibus Cardinalibus delegarit Sixtus V. recognitionem actorum S. Didaci. 469.a.
Cardinales rubeo pileo cur inſigniti & quando primùm ille in vſu eſſe cœperit. 91.a. 223.b.
Cardinalibus rei parum fauentibus committitur examen & inquiſitio in vitam Sanctorum canonizandorum. 467.b.
ſemper habet vnde det cui pectus plenum eſt Caritatis. 647.b.
Caritas S. Franciſci. 44 a.
Carolus Audax Burgundiæ Dux arcem Gorcomienſem munit. 673. a.
Carolus Brimeaus Comes Megenſis. 665. a.
Carolus Burgundiæ Dux priuat Piechios ditione & bonis, quòd ſuſcepiſſent domo Gulielmũ Buranum à cæde Rutgeri Boetzelarij redeuntem. 672.a.
Carolus Galliæ Rex poſtulat ſibi dari maxillam S. Bonauenturæ. 244.a.
Carolus I. Siciliæ Rex Comes Narbonenſis obtinet à Clemente IV. Pont. contra Manfredum Friderici II. ex concubina filium Siciliæ regni vſurpatorem, Siciliæ regnum. 326. a. Romæ coronatur cum vxore. ibid. perdidit regnum in veſperis Siculis, cæſis omnibus Francis. ibid. bellum dum reparat, filius eius Carolus capitur ab Hiſpanis. ibid.
Carolus II. Rex Siciliæ pater S. Ludouici Toloſatium Epiſc. 301. a. hic fuit filius Caroli fratris S. Ludouici regis Galliæ. 326. a. Capitur ab Hiſpanis & captiuus abducitur in Hiſpaniam. ibid. remiſſo illo, filij remanent obſides. ibid.
Carolus V. Imp. è conuentu Brugenſi Franciſcanos ad regna Mexicana ablegat. 103.b.
Carolus Martellus Salernitanus Princeps S. Ludouici Toloſani frater. 326. b. & Rex Hungariæ. ibid.
Carolus Princeps Hiſpaniarum letali è caſu accepto vulnere in capite, attactu corporis S. Didaci reualuit. 459. a. 486. b. 494. b. 506 b. 507.a. ſcripſit ad Pium IV. pro eius canonizatione procuranda. 461. b. 507. b.
Carpophorus & Abundius Martyres Hiſpali ſepulti. 433. b.
de Caſtitate quid ſenſerit B. Ægidius B. Franciſci ſocius, item de caſtitate B. Virginis. 98.a. quid ſit caſtitas ibid. 98.b.
Caſus conſcientiæ qui Minoridæ expoſuerint. 112.a.
Catalogus ſcriptorum S. Bonauenturæ. 213. & ſeqq. item S. Bernardini. 335. a. b. & 336.a.
Catharina de Bauline à paralyſi meritis S. Bonauenturæ liberatur. 256.
Catharina Garcia tactu veſtis S. Didaci mortuum fœtum viuentem videt. 454. a. 486.a. 493.b. 506. a.
Catharinæ Martinez muta & paralytica meritis S. Didaci liberatur. 452. b. 485. b. 493. a. 505. b.
S. Catharina Senenſis quando obierit. 341.a. ſtigmata habuit, ſed non apparebant exteriùs. 8.b. hiſtoria de eius ſtigmatibus. Ibid. quando & à quo in Sanctos relata. ibid.
Catholici Huſſitas cædunt. 400.a.
Catholici cognomentum Ferdinandus Caſtellæ Rex à quo conſecutus. 464.b.
Cerebrum S. Ludouici Epiſcopi integrũ diu permanſit. 330.b.
Cereorum vſus in proceſſionibus. 200.b.
Cerei in exequiis defunctorum. 208.a.
Chinarum regna Franciſcani perluſtrant. 105.a.
Chorda S. Franciſci aqua intincta ægri curantur. 56.a. illius virtus & efficacia. 143. b. eam D. Dominicus geſtauit. ibid.
Chordigerorum ſodalitas. 143. b. ei indulgentiæ conceſſæ à Leone X. 144. a. chordigerorum archiconfraternitatẽ Sixtus V. egregio diplomate exornauit. ibid. eam inſtituit ad altare S. Franciſci Aſſiſij. 145. a. illi, vbique locorum confraternitates aliæ Chordigerorum incorporantur. ibid. denuò approbat & confirmat. ibid. b. ordini Seraphico indulgentijs conceſſis, illuſtrat ipſos Chordigeros. ibid. item alijs condonationibus. 146.a. quæ & alijs ſodalitijs

Chordigerorum communicantur. ibid.
Chriſtiani Damiatam expugnant. 609.a.
Chriſtianorum eſt in pericula mortis ſe non conijcere, ſed cùm ingruerint fortiter ferre. 171.b.
Chriſtianorum veterum in Sanctorum reliquias pietas. 199.a.
Chriſtianis apud Damiatam prædicit cladem S. Franciſcus. 50.a.
Chriſtianus frater S. Ludouici Epiſcopi. 326.b.
Chriſtophorus Albizeſchi S. Bernardini curam gerit. 342.a.
Chriſtophorus Columbus orbem occiduum reperit, in quo Franciſcani ei adiumento fuere. 103.a. 163.a. Franciſcani in Indiam vt mittantur curat. 13.a.
Chriſtophorus Longolius in veſte Minoritarum tumulatus. 158.a.
Chriſtophoro Robuſterio commiſſa examinatio actorum S. Didaci. 468.a. 482.a.
Chriſtus Dominus S. Franciſco ſtigmata impreſſit. 5.b.
Chriſtus ſe in horto militibus capiendum obtulit. 171.b.
Chriſtus S. Franciſco apparet. 20.b. eum à militia terrena auocat. ibid.a.
Chriſtus auctor humilitatis ſectandæ. 438.a. eum S. Franciſcus imitatus eſt in humilitate. ibid.
Chriſti paupertas. 37.a.
Chriſto S. Franciſcus conformatur in paſſione. 56.a.
Cicada S. Franciſcum ad Dei laudes excitat. 43.a.
Cicatrices Martyribus ad decorem corporis. 7.a.
Claſſis Turcarum deuicta. 410.a.
S. Clara videt S. Franciſci ſtigmata. 62.b. eius patria Aſſiſium. 526.b. eius mater Hortulana. 523.a. 527.a. mater vocem è crucifixo audiuit filiam illuſtrem & claram ſanctitate futuram. 527.a. 549.b. ideo nomen ei inditur, Clara. ibidem. à matre rudimenta fidei edocetur. ibidem. cibos ſuos pauperibus adhuc tenella deſtinabat. ibid. b. Sphærulis vſa precatorijs orabat. ibid. Virginitatem ſuam Domino commendabat. ibidem. adit S. Franciſcum, qui ei contemptum mũdi & amorem inſtillauit Chriſti. ibid. & 528. a. 546. ab eo tota pendet. 528.a. Ad S. Mariam de Portiuncula Deo cõſecratur demptis crinibus. ibid. b. Amici conantur eam à propoſito auocare, ſed illa conſtans permanet. 528.b. 529.a. 546.a. Propoſiti anchoram figit in loco S. Damiani. 529.a. 546.b. quadraginta duos annos in monaſterio exegit. ibidem. Fama ſanctitatis eius complures pietatem ſectantur. ibid. b. coniuges eius inſtinctu à ſe mutuo diuiſi monaſteria diuerſa ingrediuntur. ibidem. Eius ſanctimonia longè lateque apud exteras celebratur nationes. ibidem. obedientiam promittit B. Franciſco. 530. a. creatur Abbatiſſa. ibidem. agit inter ſorores ſuas ancillam. ibid. earum pedes ablutos oſculatur. ibid. b. omnia vendidit & dedit pauperibus. ibid. a. voto paupertatis & Chriſti ſequela non vult abſolui. 531.a. 548.a. illius precibus vnum panis fruſtillũ excreſcit in quinquaginta panes. ibid. 549. a. diuinitus ei oleum ſubminiſtratur. ibid. b. 548.b. corio porcino aſperato ſetis induta fuit. ibid. vſa eſt aſpero cilicio. ibidem. lectus ei humus aut vitium ſarmenta. 532. a. durè ieiunat & crebrò. ibidem. qualis ei fuerit cibus quotidianus. ibid. in precibus lacrymari ſolebat. ibid. b. tenebat dilectum in orando Ieſum, nec dimittere volebat. ibid. mira & calida monita dabat. ibidem. Saracenos monaſterium ſuum inuadentes oratione ad SS. Euchariſtiam effuſa in fugam vertit. 533.a. Aſſiſium ab hoſte liberat dum cum ſororibus orat. ibid. b. cineres ſuo & ſororum capiti inſpergens, Deum placare Aſſiſiatibus conatur. ibidem. orat pro ſorore ſua Agnete, quæ mundo relicto mox Claram ſequitur. 534. a. dæmones precibus abarcet. 534.a. preces illius ſæpe depoſcit Gregorius Papa IX. ibid. magna erga S. Euchariſtiam fuit deuotione. ibid. ægrotans facit corporalia. ibid. 548. a. Nocte natalis Domini audit diuinum officium in Minorum Eccleſia, à qua longè aberat. ibid. b. magna fuit illius affectio in Chriſti paſſionem ibid docet filias ſtudere cruci Chriſti. 536. a. orationẽ de quinque Chriſti plagis frequenter repetit, item officium S. Crucis à S. Franciſco compoſitum. ibid. miracula quæ patrauit recenſentur. ibid. b. & 517. a. furioſum ſanat ſigno. S. Crucis ſignatum. 536.b. calculum ex naſo pueri reiicit. ibid. item ex oculo laborantem curat. ibid. fiſtulæ medetur ſigno S. Crucis, item aliis malis. 537.a. vocem reſtituit perditam. ibidem. ſurdam audire fecit. ibid. quinq. ſorores ſignatas ſigno Crucis à morbis liberat. ibid. 548.b. Quotidie ſorores imbuit ſalutaribus monitis & documentis. ibid. apparet ei puer ſpecioſus in concione. ibid. deſiderio flagrat audiendi verbum Dei. ibid. beneuolentia eius in ſorores. 538. a. patientia eius perfecta in longa XXVIII. annorũ ægritudine. ibid. b. Decumbens inuiſitur à Cardinale Hoſtienſi. ibidem. Innocentius Pontifex eam cum Cardinalibus inuiſit ægrotantem. 539. a. pedem oſculatur Apoſtolicum. ibid. cibo omni abſtinuit diebus ſeptemdecim. ibid. b. ſacerdotes ſibi adhibet ſub mortẽ. ibid. animum alloquitur. 540. a. Virginum turba venit ad illam. ibidem. 549. a. moritur in Domino. ibid. exſequiæ eius honorificè peractæ. ibid. b. eius corpus aſſeruatum vt pretioſus theſaurus. ibidem. Cardinales eius funus eferunt. ibid. inuocatur à fidelibus Clara. 541.a. miracula poſt eius obitum facta recenſentur. ibid. curat dæmoniacos. ibidem a.b. & maniacum. ibidem. b. claudum. 542.a. & cæcum. ibid. item habentem manum luxatam & claudum & recuruum. ibid. b. & 543. a. item ſtrumoſas duas. 543. a.b. pueros à lupis raptos reſtituit. ibid. b. arcet luporum rabiem. 544.a. refertur in album Sanctorum. ibid. biennio ab exceſſu. ibidem. b. inquiritur in vitam & miracula eius. ibid. litteræ Alexandri Pont. quibus inter Diuos S. Clara refertur. 545. 550. a. Encomia S. Claræ ab eius nomine. 545. a. fuit altum ſanctitatis candelabrum. 547. a. ſororibus fuit vitæ liber, morum ſpeculum. ibidem. b. eius feſtum annuè celebrandum. 550. b. indulgentiæ ad eius ſepulcrum. ibid. quinam eius

vitam

ſcripſerint. 551. quomodo pingatur. ibid. a. quare cum Tabernaculo SS. Sacramenti. ibidem. illa & S. Franciſco in extaſin rapta viſus eſt ardere conuentus. 554.a. impreſſit panibus ſigno S. Crucis crucē. 555. b. eius ætas. ibid eius ordo fratribus minoribus in curam traditus. ibid.
S. Clara conuertitur à S. Franciſco. 28. a. pauperum dominarum mater. ibid.
Clariſſarum ordinem inſtituit S. Franciſcus. 117.a.
Claudia de Piſcaria meritis S. Bonauenturæ ab oculorum morbo liberatur. 256.
Claudius Poleti meritis S. Bonauenturæ viſum recuperat. 256.
Clementis Alexandrini elogium. 136. b.
Clemens I. Pontifex notarios ſeptem creauit, qui res Martyrum & acta conſcriberent. 466.a.
Clemens VI. S. Iuonem Sanctorum catalogo adſcripſit. 629. b. eius nepotem S. Iuo à graui morbo liberat. ibidem.
Clementis VIII. litteræ de anniuerſaria S. Didaci ſolemnitate deque indulgentia plenaria colentibus feſtum. 519. 520. b.
Cœnobia virorum mulierumque toto orbe. 375.
Cœnobia vrbibus ornamento ſunt. 530.a.
Cogitationes alterius vidit S. Franciſcus. 51. b.
Cognitioni Dei ſtudendum. 148.b. & cognitioni ſui, à qua incipiendum. ibidem. ſine hac nemini ſalus. 149.a. pro hac orandum aſſiduè. 151.a.
Collegium Adriani VI. Louanij. 672. a.
Colomanus Hungariæ Regis filius. 316.b. Princeps Raſciæ frater S. Eliſabeth. 597.b. occiditur in prælio. 598.b.
Coloniæ crux viſa in aëre. 607.a.
Colonienſis ſodalitas D. Virginis à quo fundata. 553. b. cui multi magnates aſcripti. ibid.
Columbarij monaſterium vbi ſitum. 350.a.
Coniam nutrire ſolebant Franci olim. 618.a.
Cometa viſus terrorem incutit Chriſtianis. 408.b.
Comitia in Noua-ciuitate indicta contra Turcas. 407.b.
Comitiſſa in Sclauonia in partu grauiter laborans per S. Franc. feliciter enititur. 72.b.
Commentarius ad vitam ſancti Franciſci cur concinnatus. 81.b.
Compendium Bibliorum libellus aureus à R. D. Petro Aureolo Franciſcano cōſcriptus. 111.b.
Compitum quid ſit. 119.b.
Communionem ſub vtraq. ſpecie laicis dandam docent Huſſitæ, & quis opinionem illam inuenerit. 398.a.
Complutēſis Academia à quo inſtituta. 112.a.
Concilia Toletana XXIV. 433.a.
Conciliorum authoritas. 138.a.
Concilium Conſtantienſe quare & quando indictum. 398.a.
Concilium Lugdunenſe indicitur. 239. a. ad quod Græci cunctantur. ibid.b. & veniunt reipſa. 240.a. fuit ipſum frequentiſſimum. ibid.
Concionator quis culpandus. 613.a.
Concionatoris laus maxima, quando auditores attoniti conſilent. 191.b.
Concionatores Ord. Seraphici celebres. 113. b. 114.a.
Concionandi efficacia in S. Franciſco. 7.b.
Concionum viginti millia habita à Franciſcanis quotannis per Belgium. 115.b.
Concurſus hominum ad Indulgentias Portiunculanas acquirendas. 87.b. item ad cōciones S. Antonij de Padua. 191. a.
Confalonis ſodalitas inſtituta à S. Bonauentura. 233.b.
Confiteri peccata è ſcripto an liceat, & per epiſtolam abſenti. 206.a.
Conformitatum liber vtilis ad pietatem. 105.b.
Coniugum mutua caſtitas laudabilis, quæ exemplis declaratur. ibidem. eaque Deo grata. ibid.b.
Conrardus Marpurgenſis datus à Ludouico Lantgrauio præceptor vxori ſuæ S. Eliſabeth. 558.b. huic Princeps multùm credidit. ibid. aufert S. Eliſabethæ duas pediſſequas. 581. b. occiſus deinde ab hæreticis, quia inquiſitor. 593.a.
Conſcientia lacrymis mundanda. 32.b.
Conſtantia S. Franciſci & vox heroica. 22.a.
Conſtantia Mendoſia febriens ſanatur meritis S. Didaci. 452.a.
Conſtantinopolis quando capta. 405.b. prædictum id à Nicolao V. Pontifice, quòd decretis Concil. Florentini inhærere Græci noluerint. 405. b. eius clades. ibid.
Conſtantinus Palæologus Imp. Cōſtantinop. vrbe capta capite truncatus fuit. 405. b.
Conſtantius Sarnanus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480.a. 516.b.
Contemptores rerum piarum redarguuntur. 146 b. qui latenter diffluunt communionem cum Rom. Pontifice. 147.a.
Continentiæ integerrimæ exemplum in S. Ludouico Epiſc. 310.b.
Contractos tactu ſanant Angliæ Reges. 610.b.
Conuitia monacho conſtanter ferenda. 86. a. quod bonæ conſcientiæ nota. ibid.
Cordubæ laudes variæ. 436.a.
Cornelius Batauodurus Minorida ab hæreticis Brielæ ſuſpenſus. 676. a.
F. Cornelius Dieſtenſis Franciſcanus Martyr Alcmariæ. 662 b.
Cornelius Muſſus Epiſc. Bitontinus, de iuſtificatione ſcripſit in Concil. Trident. eius elogium. 113. a. à Gaſpare Contareno, & Petro Bembo Cardinalibus laudatur. ibid. eius conciones dilaudantur, nouum concionandi modum à Baſilio magno vſurpatum induxit. 115 a.
Corona Domini Ieſu Chriſti & Deiparæ quæ ſit. 354.a.
Creaturæ ſunt ſcalæ ad Deum. 44. b. eas S. Franciſcus ſorores & fratres appellabat. 41.b.
Creſcentius Æſinus quintus Ord. Seraphici Miniſter Generalis. 231.b. indixit Capitulum Generale ad ordinem reformandum, cui Bonauenturam velut vicarium ſuum præmiſit. ibid.
Cruciatâ prædicatâ in Germania, cruces in cælo viſæ. 607.a.
Cruciatæ prædicationes in Francia. 616.b.
Crucifixo conformare ſe ſtudet S. Franciſcus. 63.b.
Crucifixus ſepties S. Franciſco apparet. 59.b.
Crux typus pœnitentiæ. 83.b.
Crux ex ore S. Franciſci fugat dæmonē. 24.b.

Crux Chriſti Bibliotheca S. Bonauenturæ. 230.a. 293.a.

Crux admirabilis viſa in cælo. 616.b.

Crucem Chriſti comparat S. Ludouicus Rex. ibid.

S. Crucis liber à Minoritis primis legebatur. 27.a. eius vis & efficacia. 142. a. eius multi hoſtes. ibidem. b. eius ſtudioſus S. Ludouicus. 612.b.

Crucis ſigna in compitis quid doceant. 116. b.

Crucis ſignum Chriſtianis priſcis maximè in vſu. 83.a. crux cuſtodia & dæmonum terror. ibid. b.

D. Cypriani elogium. 136.b.

D.

DÆmon à S. Antonio fugatur ſigno S. Crucis. 191.a.

Dæmon S. Bernardino infeſtus. 352 b.

Dæmon à concionibus abducere conatur. 195.a.

Dæmonem pellit S. Ludouicus Epiſcopus etiamnum adoleſcens. 303. b. S. Franciſcus ſolo obedientiæ mandato fugat. 55.b.

S. Damiani eccleſia à S. Franciſco reparata. 23.a.

Damiata à Chriſtianis obſidetur. 50.a. illam Chriſtiani expugnant. 609. a. varia eius nomina. 617. b.

S. Daniel cum ſocijs Martyr Franciſcanus. 108. b. de illius martyrio hiſtoria. 176.

F. Danielis ab Arendonckio pietas & eruditio. 662.a. qui auditor fuit Adami Sasboutij. ibid. inſtitutus quoque fuit à Liuino Brechto. ibidem. eius humilitas. ibidem. ſuſpenditur fune quo erat præcinctus. 664.b.

Debitor pauperculus carceri eximitur à S. Franciſco. 71.b.

Decipimur recti ſpecie. 146. b.

Decretales epiſtolæ Pontificum. 138.a.

Deiparæ Virginis ſtudioſiſſimus S. Bernardinus. 344. b. eius precibus vocem accepit concionibus aptam. 352.a. Vide B. Virgo.

Delphina S. Elzeario decenni deſpondetur. 637. b. induxit ſponſum ad virginitatem ſeruandam. ibidem cum viro ſemper cubans caſtitatem illibatam conſeruauit. 639. b. eius ſoror liberata à carnis tentatione. 645. b. hortatur virum ad pietatem, & illam vir. 646. b. quod ſecum vouerat, publicè repetiuit. 651.b.

Deſiderius Longobardorum Rex Balneoregium inſtaurauit. 223.a.

Detractionem S. Franciſcus fugit. 41.a.

Detractoris linguæ effectus. 321.a. magis noxius quàm latro. 41.a.

Deus diligendus. 618. b.

Dei cognitioni ſtudendum. 148.b. eius miſericordia in genus humanum. 374.

Deo ſubiecto omnia ſubijciuntur. 143.a.

Deo placet S. Franciſcum populo concionari. 54.a.

Deus ſolus ens eſt. 149. b. ſolus eſt, vno inſtanti perpetuum complens. 150.a. ſemper promptus largiri gratiam. 640. b. Eccleſiam mirabiliter ædificat velut ex lapidibus probatis 497. a. b. cur Sanctos in terra honoret. 498. b. non eſt paſſus hominem perire. 374 ſed Angelos, Patriarchas & Prophetas ad eius miſit auxilium. ibid. cognoſcitur per ſcripturam & creaturas. 126. a.

Diaboli S. Franciſcum cædunt. 36. b. S. Franciſcum orantem impedire conantur. 47. b. nihil poſſunt niſi Deo permittente. 48.a.

Diabolus tentat eum in crumena auro plena. 38 a. vide Dæmon.

Diana matertera S. Bernardini curam illius geſſit. 341 b. eius indole lætabatur. 342. a eius filia Tobia pia. 343.b.

S. Didacus in Canariam penetrauit, in qua multos Chriſto lucri fecit. 103. a. quando floruerit. 427. eius elogia. ibidem. quis in eius vita ſcribenda ſeruatus ordo. 432. a. b. quando in lucem editus ſit, è coniectura colligitur. 432 a. b. 489. a. ipſo quo natus eſt die à Sixto V. Pontifice in Diuos refertur. ibidem. b. natus in opido S. Nicolai in Betica. 433. b. 482. b. 489. a. 499. a. eius parentes ignoti & ignobiles. 434. a. 483. Iacobi, id eſt Didaci ei nomen imponitur. ibidem. b. Apoſtolum Iacobum cognominem ſecutus eſt. ibidem. vitam agit ſolitariam 435. a. 483. a. 499. b. in qua ſanctè vixit. ibid. operatur & orat aſſiduè. ibidem. 489. b. pecuniam inuentam reſpuit. ibidem. Obſeruantium inſtitutum complexus eſt. 436.a. 483.a. 490.a. 499. b. regulam S. Franciſci exactè ſeruauit. 437.a. Humilitas eius cum in verbis, tum in actionibus delaudata. 437. b. 438.a. 489.b. 500. a. ſectator S. Franciſci. 438. b. 490. a. eius obedientia exponitur. ibidem. 491. a. in Canariam inſulam deſtinatur vt fratribus præſit. 439. b. 490. a. 501. b. multos Chriſto lucrifecit. ibidem. 502. a. ardet ad martyrium. 440. a. 484. a. in pauperes propenſus fuit. ibidem. 483. b. 490. b. quod pauperibus det, ſubtrahit ſibi. ibid. flores apparent fruſta panum pauperibus à S. Didaco danda. ibidem. b. cibus S. Didaco in deſerto & vinum paratum. 441. a. 492. b. 503. a. mirum eius ſtudium in obſequium ægrotorum. ibidem b. vlcerum ſaniem linguæ abluebat. 442. a. 501. a. leproſi vlcera lingua lambit. ibidem. Romam venit anno MCCCCXLIX. ibidem. b. inſeruit fratribus ægrotis magna caritate, ita vt in ſumma penuria rerum nihil vmquam ſuis deeſſet. ibidem. 491. a. 501. a. b. ſpectauit Romæ honores, quibus S. Bernardinus à Nicolao V. in Diuos refertur. 443. a. iterum redit in Hiſpaniam, in via omnes ei munera offerunt, quæ deinde in pauperes diſtribuit. ibid. arguit peccantes in caritate. ibid. b. 483. b. ſe pro aliorum delictis afflixit. ibidem. omni hominum generi ſe impendit. 444. a. ieiunauit ſtrictiſſimè. ibidem. 483. b. flagris corpus caſtigauit. ibidem. b. 490. a. 500. b. orationi totus deditus. 445. a. 500. b. & D. Mariæ cultui. ibidem. 501. a. eius pietas latè deducitur. ibidem. b. Crucis Chriſti ſtudioſus. 446. a. fuit ab omni malitia purus. ibidem. b. eius ſimplicitas. ibidem.

Verbum otioſum ab eo non prolatum. ibidem. mira illi inerat ſermonis ſuauitas. 447. a. doctrina illi infuſa. ibidem. 484. a. 490. b. eius ſtudium in cruce Domini. ibidem. Theologo explicat difficilem queſtionem. ibidem. b. Complutum venit. ibidem. magnus ad illum concurſus. ibid. morbo corripitur & in brachio ſuppuratione. 448. a. quæ tamen ſuauem afflat odorem. ibid. diem obit extremum. ibidem. b. 484. b. 501. b. corpus eius cupiunt omnes videre & fruſtilla veſtis decerpũt. ibidem. eius miracula recenſentur ad longum. 450. a. & ſeqq. 502. b. eius corpus mortuum ſuauiſſimum pijs afflat odorem. ibid. 485. a. 505. a. candidum eſt, cùm viuum eſſet nigrum, nec rigidum eſt, ſed per omnes artus flexile & molle. ibid. b. 491. b. 505. a. ad miracula, mira fragrantia eſt corporis eius. ibid. liberat puerum ex incenſo furno. 451. a. 492. a. 503. b. mortuam puellam ad vitam reuocat. ibid. b. 493. b. cæcus attactu manus eius viſum recepit. ibid. item alij duo. 452. a. muta loquelam. 453. b. mortuus vitam. ibid. eius corpus integrum eſt. 459. a. eius ſacellum varijs donariis adornatum. ibid. 505. a. miracula eius centum triginta ex Hiſpaniis Romam ſunt relata. 460. a.

Canonizationis eius acta pluribus referuntur. 460. a. & ſeqq. canonizatio eius à multis expetita Pontificibus. ibid. ſed eam tandem procurauit Philippus II. Hiſpaniarum Rex. 461. a. cui illa ſummè curæ fuit. ibid. de hac litteras dedit ad Pium IV. Pont. Maximum tum pater tum filius Carolus. ibid. b. 508. a. b. Pius IV. cauſam illam delegat examinandam aliquot Cardinalibus. ibid. qui eandem tribus Epiſcopis Hiſpanis ſubdelegarunt. ibid. illi Epiſcopi Complutum venientes de eius actis inquirunt, quæ deinde obſignata Romam miſerunt. 462. b. Pius V. eandem iterum delegat. ibid. acta miraculorum eius & vitæ octoginta tribus teſtibus cõfirmata Romam mittuntur. 463. a. Acta in Hiſpanis comprobata, Romæ à Rotæ Auditoribus examinata, & quot eius examinis capita. 468. a. b. 508. b. iteratò iſthæc à Cardinalibus recognita. 469. a. b. 509. a. congregationes decies ter habitæ ſuper hac cauſa. ibid. b. delecti inquiſitores S. Didacum canonizandum vnanimiter cenſuerunt. 470. a. in conſiſtorio ſecreta de canonizatione concluſum. ibidem. b. iquam Pontifex conſenſit. 471. a. cauſa poſtremò in conſiſtorio non ſolùm Cardinalibus ſed etiã Antiſtitibus examinanda cõmittitur. ibid. b. 510. a. cuncti in publico conſiſtorio S. Didacum canonizandũ cenſent. 472. a. 510. b. quo die canonizatus. ibidem. 511. b. ſuggeſtum in D. Petri templo mirificè ornatum. ibid. b. variæ præparationes & ornatus & ritus recenſentur. 473. a. b. 474. 475. 476. 477. Sacrorum veſtimentorum apparatus & ſupellex in Canonizatione hac. 478. a. veſtium Pontificalium apparatus qualis. ibid. b. Cardinales qui eiuſdem canonizationi interfuerunt. 479. a. b. 480. a. Hiſpanorum erga eum pietas. 487. a. eius ætas. 489. a. quando mortuus. 491. b. videbatur rudis vt Apoſtoli. 498. a. Supplicatio publica cum cereis ardentibus. 474. a. 512. a. imago eius dextra coronam B. Mariæ, ſiniſtra crucem tenet. 475. a. 512. a. Feſtum eius annuè celebrandum. 515. a Indulgentiæ in eius feſto datæ, quæ in altis feſtis Fratrum Minorum. 513. b. Breue Sixti V. de feſto S. Didaci obſeruando. 518. item litteræ Clementis VIII. de eius anniuerſaria ſolemnitate & indulgentia plenaria in eius feſto acquirenda. 519. 520. b.

Didacus Garauito in oculo læſus meritis S. Didaci conualeſcit. 455. a.

Didacus de Guadalupe epilepticus meritis S. Didaci ſanatur. 456. a.

Didacus Lorca energumenus meritis S. Didaci ſanatur. 453. a. 486. a. 493. a. 506. a.

Didacus Stella concionator excellens in Hiſpania. 115. a.

Didacus Vercellenſis Epiſcopus ſanctitatis laude clarus. 434. b.

Dionyſij Areopagitæ elogium. 136. a.

Dionyſij Areopagitæ Theologiam Myſticam ſecutus S. Bonauentura. 238. b.

Dionyſius de Forreſta meritis S. Bonauenturæ ab oculorum morbo liberatur. 256.

Diploma canonizationis S. Franciſci. 80. b.

Diſcendi cupiditas dirigenda. 133. a.

Diſcidium inter Rom. Pontifices & Imperatores. 87. b. quomodo inualuerit. 90. b.

Diſciplinatorum confraternitas quæ fuerit Senis. 345. a.

Diſcretio virtutum auriga. 32. a.

Diſcurſus quantum monacho noceat. 123. b.

Diuitis damnati cor inter nummos repertum. 195. a.

Diuitiarum vermis ſuperbia. 124. a. grauiores diuitiæ paupertate. ibid. b.

Dockomij viſa crux in aëre. 607. a.

Doctor Eccleſiæ renuntiatur S. Bonauentura. 243. a. 245. b.

Doctores Eccleſiæ operarij fideles. 270. a. hæreſes conuincunt. ibid. b. eorum fructus in eccleſia. 284.

Dominicanorum inſtitutum num prius fuerit quàm Franciſcanorum. 11. a. illos imprimis dilexit S. Ludouicus. 611. b. 612. b.

D. Dominici virtus in tollenda Albigenſium hæreſi. 94. a. à Sibilla Erythræa prænotatus. 9. b. eius encomia. ibidem. & 10. a. ante S. Franciſcum miſſus. 5. a. 10. b. chordam S. Franciſci geſtauit. 143. b.

amici integerrimi Dominicus & Franciſcus. 10. a. fida ſocietate deuincti. ibid. Petro & Paulo collati. ibid. Mendicantium inſtitutores. ibidem.

Dominicus Fernandez claudus meritis S. Didaci vſum pedum recuperat. 454. a.

Dominicus Pinellus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 516. b.

Dominium hominis in beſtias ante peccatum. 125. b.

de S. Donulo martyre Franciſcano hiſtoria. 176.

Dordracum à fide & rege quando defecit. 673. a.

Duciſſa Borbonij S. Bonauenturam in Diuos poſtulat. 260.

Dulcera Michaelis Bermondi vxor mortuum fœtum, quem ad aliquot dies in vtero habuerat, S. Ludouico intercedente eijcit. 319. b.

Dux militiæ Chriſti S. Franciſcus. 59. a.

E.

EBoracenſem Archiepiſcopatum repudiat S. Bonauentura. 229.b.
Eccleſia Deum mirabilem in ſanctis laudat. 269. a. & ſuos ſanctis defert honores. 270.a.
de Eccleſia reparanda vox ad S. Franciſcum. 21.b.
Eccleſia Rom. venit in inuidiam ex maxima gratia. 96.a.
ſola Chriſti Eccleſia. 94. b. ad quam alia non habet acceſſum. 95.a. fluctuat, non tamen mergitur. ibidem. in quam multi hoſtiliter incurrunt. ibid.b. nunquam fidem mutauit. ibid. ipſa hæreſes omnes damnauit. 96.a.
Eccleſiæ mala SS. Dominicus & Franciſcus nouis inſtitutis Ordinibus abſtulere. 92.b.
Eccleſiæ tres à S. Franciſco inſtauratæ. 23.a. & earum myſterium. ibid.b.
Eccleſiaſticam immunitatem defendit S. Iuo. 628.a.
Ecelinus Veronenſium tyrannus. 196. a. varia eius nomina. 207.a. eius geſta & tyrannis, ibidem. excommunicatus eſt. ibid.
Edeſſenorum ciuium feruor in Martyrio. 171. b.
Egrediendum rarò monaſterio. 123. a.
Eleemoſynæ laus & præmium. 440. b. & ſeqq.
F. Elias Miniſter generalis primus à ſancto Franciſco. 176. a.. 231.b.
Eliæ Prophetæ miracula. 449. a.
S. Eliſabeth Abbatiſſa Monaſterij Schonaugiæ & quomodo illa pingatur. 592.a.
S. Eliſabeth vere vidua fuit. 559. eius encomia & elogia. ibid. a. b. ſedecim excitauit mortuos. ibid. b. dicta mater pauperum. 560. a. Oleum ex eiuſ fluxit mortuo corpore. ibid.b. laus Dei auctorem ad vitam eius ſcribendam impulit. 564. a. b. pater eius Andreas Rex Hungariæ. 565.a. Aſtrologi cuiuſdam de S. Eliſabeth pietate diuinatio. ibidem. Deſpondetur Ludouico Lantgrauij filio. ibidem. Ducta cum multis diuitijs in Thuringiam. ibidem. multo pluribus augendam promittit eam mater. ibidem. b. mater eius pòſt occiſa inſidijs. ibidem. eius pietas etiam in tenella ætate. ibid. humilitas eius in culpa deprecanda. ibidem. decimam ex lucro dedit pauperibus. 566.a. orationes eius quotidianæ. ibidem. D. Ioannem Apoſtolum coluit vt patronum. ibid. choreas duxit moderatè. ibidem. b. coronam capite depoſuit aſpectu coronati Chriſti. ibid. iniuriis afficitur ob virtutes. ibid. humilitas eius deſpicabilem eam fecit vanis. 567. a. ſponſus eam magis ac magis amat. ibidem. ſponſo ſuo imprimis cara. ibidem. b. ducitur in vxorem. ibidem. coniugata nihil de virtutum ſtudio intermiſit. 568 a. noctu lecto ſpreto orat. ibidem. ad preces nocturnas excitatur ab ancillis. ibid. virgo fuit voluntate. ibid. in corpus ſuum ſæuit. ibid. b. Conrado Sacerdoti obedientiam promiſit & ſeruauit. ibid. Magnum humilitatis eius exemplum. 569.a. abſtinet cibis ex obedientia. ibidem. quod marito Principi propoſitum fuit imitandi. ibidem. arte fraudat genium ſuum. ibid. imago Chriſti crucifixi eam vehementer compunxit. ibidem. in deliquium animi incidit. 570. a. poſito pretioſo ornatu ſæpe induit ciliciũ. ibid. alias mulieres ad exemplum perduxit. ibid. tres habuit liberos. ibidem. quos ipſa templo intulit. ibid.b. horridum pauperis caput totondit, lauit, fouit in gremio. ibid. pauperi ſuum pretioſum dedit pallium. 571.a. veſtes pauperibus fecit, & reſarciuit. ibid.b. prægnantes & puerperas inuiſens iuuit. ibid. paupertatis ſtudioſiſſima fuit. ibid. de ſua calamitate præſagijt. 572.a. ad aduẽtum legatorum patris à Deo pretioſiſſima veſte donata eſt. ibid. Miſſæ ſacrificio libenter interfuit. ibid. b. in quo piè meditabatur. ibidem. eius facies luce magna reſplenduit. ibid. deuotio eius in diebus feſtis. 573. a. in cæna Domini duodecim pauperibus pedes abluit. ibid. Nudis pedibus in paraſceue viſitat templa. ibid. in proceſſionibus litaniarum nudis in vulgo pedibus incedebat. ibidem. b. frumentum in publica fame pauperibus erogauit. ibid. hoſpitium miſerioribus exſtruxit. ibidem. ſingulos viſitans ægrotos ipſa diligenter curat. 574.a. pueros alit maximè abominabiles, quod miraculo Deus illuſtrauit. ibid. potum dat ſingulis, qui in poculo non minuitur. ibid.b. etiã longè poſitos alit. ibidem. pauperi ipſa lac mulſit. ibid. pecuniæ cum deeſſent, ornamenta ſua pauperi dedit. ibid. funera diligenter curat, ſepelit mortuos. 575. a. accuſatur apud maritum vt prodiga. ibid. dolet mariti abſentiam. 576. a. interea cultum ponens Deo vacat. ibidem. mors coniugis ei nunciata. ibid. mori deinceps mundo decreuit. ibid. b. vidua arce ſua exacta eſt. ibid. id patienter ferens gratias agit Deo. 577.a. etiam filij eius abacti. ibid. inops rerum omnium non reperit quo diuerteret. ibid. protruditur in cænum à vetula quam aluerat. ibid. b. ſub rei diuinæ ſacrificio ſupra ſe rapta eſt. ibid. iterum in contemplatione defixa nunc ridet nunc lacrymatur. 578. a. in qua Chriſtum vidit ſe confirmantem. ibidem. inuitatur ad ſecundas nuptias, ſed fruſtra. ibid. b. conſultum de reſtituenda ei dote. 579.a. à læuiro ei bona reddita. ibidem. b. aula deſerta ad paupertatem ſe retulit. 580. a. diſpreta ab æmulis, bonis fuit admirationi. ibid. Gregorio Papæ IX. cara. ibid. pergit in cœpta pietatis ſemita. ibidem. b. paupertatem mendicam cunctis præfert. ibid. cunctis mundi rebus voto renuntiat. ibid. cum Magiſtro Conrardo Marpurgum venit. ibid. curam ſedulam gerit inopum. 581.a. illos adhibet menſæ ſuæ. ibidem. Magiſter illi aufert comites duas. ibidem. b. cibus eius tenuis. ibidem. veſtis ei data vilis & pretio & colore. ibid laborat ægra decumbens lecto. ibid. legato eam in Hungariam abducere volenti non conſenſit. 582.a. venditis rebus pretioſioribus pauperum proſpicit deſiderijs. ibidem. b. puero miſero miniſtrat. ibid. itẽ puellæ leproſæ. ibid. item horrido puero quem ſanauit. ibid. matris animam è purgatorio precibus liberauit. 583.a. ſalubre eius monitum ad iuuenem elegantem. ibid. qui eius precibus inflammatus ordini S. Franciſci ſe di-

cauit.

cauit. ibid. vndique pauperes vocauit ad eleemoſynam. ibid. b. pecuniam dotis ſuæ largiter diſperſit. 584. a. puellam vanam ad frugem meliorem reduxit. ibidem. magna eius in pauperes benignitas. ibidem. nihil ſuæ neceſſitati ſeruauit. ibid. b. non licuit ei pro voto eleemoſynas erogare. ibidem. quod pauperi fecit, Chriſto factum putauit. 585. a. parentes quos aluerat, filia deſerta, fugientes precibus redire coëgit. ibidem. nimiis ſumptibus ad imaginũ ſacrarum ornatum præfert eleemoſynas. ibid. à curis & operibus vacua vacat precibus & contemplationi. ibid. b. in contemplando rapta in ectaſin. ibidem. eius facies exinde reſplenduit. 586. a. apparuit ei Chriſtus & ad cælum vocauit. ibid. dulciſſimè accinuit auiculæ cantillanti. ibid. ad mortem ſe parat. ibid. b. Chriſtum in pauperibus ſcripſit heredem. ibid. Angelis præcinentibus ſuccinuit. ibid. dæmonem accedentem fugat. 577. a. de Chriſto commentans moritur lacrymantibus pauperibus. ibid. eius corporis poſt mortem priſtina fuit facies. ibid. reliquias pij ab ea decerpunt. ibid. funeris eius fragrantia. ibid. b. mortuos ſexdecim ad vitam reuocauit. ibid. inter Sanctos conſcribitur Peruſiæ. 588. a. eius reliquiæ tranſlatæ. ibidem. eius oſſa oleum ſtillarunt. ibidem. tactu ſepulcri eius animi morbi ſanati. ibid. eius meritis monachus Ciſtertienſis à grauibus doloribus ſanatus. ibid. b. puella à malo dæmone apud eius ſepulchrum liberata. 589. a. vſus manus cuidam reſtitutus. ibidem. ſuſpenſus de patibulo reuixit. ibid. & aquis præfocatus. ibid. item puer mortuus ſuſcitatus & alius in puteo ſubmerſus. ibid. b. item alius ſubmerſus & ſuſpenſus. ibidem. item puer cæcus viſum recepit. 590. a. item ſtrumoſa ſanata. ibid. contractum crus erectũ. ibid. cæcæ viſus redditus. ibid. b. item duabus alijs cæcis. ibid. debilis vtroque crure reſtitutus. 591. a. quinam eius vitam conſcripſerint. ibid. fuit tertij ordinis viuente S. Franciſco. 592. a. Tres ei cur appingantur coronæ. ibid. quando nata. ibid. b. quando coniugata. ibidem. nupſit inuita. 593. a. fruſta ciborum ei in roſas conuerſa. ibid. b. Chriſtus crucifixus ei pro leproſo videtur. 594. a. diuertit in haram porcorũ. 595. a. eius veſtium forma, & color. ibid. fune quoque fuit præcincta. ibidem. b. fuit attonſa & veſtita à fratribus minoribus. ibid. verè religioſa fuit. ibid. ſed non vixit in monaſterio. 596. a. nudipes fuit & chorda cincta. ibid. Mantellum S. Eliſabeth à Sancto Franciſco datum. ibid. quod diligenter à Teutonicis fratribus ſeruatum. ibid. b. tres habuit imagines Deiparæ virginis. ibid. quo anno obierit. 597. a. auiculæ cantant in eius exequiis. ibidem. fuit mater Fratrum Minorum. ibid.

Elogia in S. Franciſcum. 4. item in aliorum vitas, *ante ſingulos habebis.*

Eloquentia duplex. 238. b.

S. Elzearij encomia. 633. Elogia de illo. ibid. præuentus fuit à Dei gratia. 636. a. eius parẽtes nobiles. ibid. mater ab eius cõceptione mirabiliter ad pietatem arſit. ibid. b. de eodem diuinatio F. Ioannis Iuliani Franciſcani. ibid. editus Deo mox à matre deuotus. 637. a. adhuc infans eleemoſynis in pauperes oblectabatur. ibidem. puer ipſe pauperes ad menſam inuitauit. ibid. apud monachos educatus. ibid. b. ei decenni Delphina deſpondetur: ibid. ſeruat caſtitatem inductus à ſponſa. ibid. à laſciuia ſe continens mori maluit, quàm offendere Deum, ieiuniis & afflictione corpus ſuum caſtigans. 658. a. gratiæ Dei ſe adparauit. ibid. b. quam ilico ſenſit. ibid. cuncta cõtemnens illibatam decreuit ſeruare caſtitatem. ibid. quærens qua ratione Deo placere poſſet, docetur ſtatum ſuum non immutare. 639. a. confirmatus Dei gratia mũdo mortuus mortem non timuit. ibidem. cum vxore nec ſecubans caſtitatem integrã ſeruauit. ibid. b. nullum in eo impuræ tentationis indicium. ibid. integras ſæpe noctes in oratione continuauit. ibid. miſeriam ſuam cognoſcens imparem ſe vidit diuinæ miſericordiæ. 640. a. viſum eius de ſacrificio Miſſæ. ibid. perpetuò fuit in Dominicæ paſſionis cogitatione ibid. in contemplatione diuina luce colluſtratur. ibidem. b. vidit SS. Trinitatis ineffabile myſterium. 641. a. vidit etiam cauſam & originem creaturarum. ibidem. lapſum item protoplaſtorum & reſtitutionem. ibid. b. cauſam quoque incarnationis Chriſti. ibid. cur Chriſtus Ven. Sacramentum inſtituerit, mortem ſubierit. ibidem. intellexit myſteria reſurrectionis & miſſionis Spiritus ſancti. ibid. cuncta ei terrena deſipiunt. 642. a. in nuptijs cognatæ ſibi manſit ſimilis. ibid. b. dormiens lacrymabatur. ibid. eius conſuetus orandi modus. 645. a. eius virginitas fulgido lapide deſignata. ibid. item alteri matronæ cælitus demonſtrata fuit. ibid. b. ducit agmen caſtorum hominum. ibidem. eius caſtitas Deo grata. 644. a. ab auo ſecedit ſecum habitaturus. ibidem. b. præſcribit mores optimos domeſticis. ibid. & quales ſint illi. ibid. verba eius ignea & monita feruentia. 645. a. vt nimirum familiares plurimum in bono proficerent. ibidem. b. eius vxoris ſoror Alaſia in eius conſortio ſanctiùs vixit quàm in monaſterio. ibid. eius pietatem multi imitati. 646. a. canonicas preces orabat. ibid. carnem domat ieiuniis, flagellis & cilicio. ibid. ſæpe communicauit. ibid. animus eius ſemper Deo inhærebat. ibid. b. ad pietatem hortatur vxorem & illa virum. ibid. Tria ei erant imprimis cordi. ibid. pauperum pedes lauit, leproſos oſculatus eſt. 647. a. deformes leproſos oſculo ſanauit. ibid. in pauperes liberalis. ibid. b. inopum annonam leuauit. ibidem. dans neceſſarium ſibi frumentum pauperibus, à Deo multiplicatum recepit. 648. a. puellam febrientem tactu ſanauit. ibid. factus eſt Comes Ariani. ibid. à ſubditis rebellibus pœnam non repetijt. ibid. ſubitos patientia ad meliorem frugem duxit. ibid. b. diſſimulat calumnias aduerſum ſe ſcriptas. ibid. mira eius in aduerſis conſtantia. 649. a. atque iſta perpetua paſſionis Chriſti recordatione. ibid. Dominia ſua liberauit ære alieno, ibid. b. vt miſericors erat, ſic & iuſtus. ibid. morti addictos ſalubriter monebat. ibid. debitoribus debita dimiſit. 650. a. mundanam pompam non ſenſit.

ibidem. caſtitatis ſe voto cum vxore Deo conſecrare decreuit. ibid. b. eius amplexu vir nobilis ad meliorem vitam mutatus. ibidem. pia formula votum caſtitatis Deo nuncupauit haſtenus conſeruatæ. 651. a. apparet illi Garſenda à morte glorioſa. ibid. b. regis Roberti filij pędagogus ſalubribus monitis eum ad modeſtiã perſuaſit. 652. a. munera contempſit. ibid. pauperum in aula curam diligentem ad ſe recepit. ibid. b. exulantibus nobilibus victum procurauit & neceſſaria. ibid. ante paſtum ſurgens à menſa priuſquam reficeretur, pauperis expediuit cauſam. 653. a. firmus in religione fuit. ibid. nulla ab ea potuit ratione diuelli. ibid. b. In Chriſti lateris vulnere nidificauit. ibid. nihil ipſius purã conſcientiam maculabat. 654. a. in præſenti naufragij diſcrimine ſibi ſemper ſimilis mortem non timebat. ibidem. viſus ſibi peccator maximus. ibid. maxima ei conſcientiæ puritas. ibid. maxima illi in Deo confidentia. 655. a. febre correptus in Vrbe Romana fuit emendatus à Chriſto. ibid. præſcius mortis ſuæ in Galliam ablegatur à rege Siciliæ. ibid. ad mortem ſe parat. ibid. b. teſtatur ſe Delphinam cõiugem virginem intactam relinquere. ibid. infirmus à diuinis non ceſſat laudibus. 656. a. in agone fuit terribiliter à dæmonibus exagitatus. ibid. mortuus in veſte Franciſcana fuit ſepultus. ibidem. b. miraculis illuſtris fuit. ibidem. quo anno mortuus. 658. a.

Eminardæ Viliæ filius calculo laborans interceſſione S. Ludouici ſanatur. 319. b.

Emmanuel Checas præclarè de S. Bonauentura ſenſit. 219. b.

Enchuſia Friſiæ Minoris opidum. 661. a. eius laus. 666. a. ibi viſa crux in aëre. 607. a.

F. Engelbertus Terborgius Martyr Franciſcanus Alcmariæ. 662. b. variè tortus ſuſpenditur. 665. a.

Epileptici duo meritis S. Ludouici ſanati. 319. a.

Epiſcopatus repudiat tres S. Bernardinus. 358. b.

Epiſcopatus Hiſpalenſis dignitas. 434. a.

Epiſcopi Balneoregienſes quàm veteres. 222. a.

Epiſcopus Imolenſis S. Franciſci humilitate victus, facultatem ei concedit in diœceſi concionandi. 36. a.

Epiſtola Caſimiri Poloniæ Regis ad B. Ioan. Capiſtranum. 402. a. Franciſci de Bautio de ſtatione corporis S. Franciſci. 155. a.

Epiſtolium S. Franciſci ad S. Antonium Paduanum. 205. b.

Equum S. Franciſcus vendit & pecuniam pauperibus tradit. 21. b.

Erkenbaldus de Borbon iuſtus fuit & rigidus in ſororis filium. 617. a. quis fuerit & quãdo floruerit. ibid. mortuus in expeditione contra Saracenos in Cypro. ibid. b.

Eſſe nobis non ſuppetit. 149. b. inſtar amnis ſemper fluimus, & variamur. ibidem. ideo nec ſumus. 150. a. tempus quoque non dici debet eſſe. ibid.

de Euangelio S. Ioannis quid ſenſerit B. AEgidius S. Franciſci ſocius. 97. b.

Euangeliſta Paleottus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480. a. 516. b.

Euchariſtia viſa Saraceni Aſſiſij repelluntur à monaſterio S. Claræ. 533. a. b. eius veritatem docent Martyres Alcmarienſes. 664. a. item Martyres Gorcomienſes. 673. b.

in Euchariſtiam amore flagrabat S. Franciſcus. 44. b. eam mulus poplitibus flexis adorat. 193. a.

Eugenius IV. Pontifex Baſileenſe Concilium indixit, & mox reuocauit. 396. a. mittit Capiſtranum in Burgundiam. ibidem.

Europæis fidem deſerentibus, eandem Americani amplectuntur. 107. a.

Euſebij Cæſarienſis hiſtoria. 178. b.

Examen conſcientiæ. 120. b. vt in iudicio ſecuri ſimus. 121. a.

Exceſſus mentis in S. Franciſco. 47. b. 48. a.

Exemplum magnæ humilitatis in S. Franciſco. 34. a.

Exempla duo præclara in commendationem obedientiæ. 122. a.

Exhortatio S. Franciſci morientis ad fratres. 60. b. S. Ludouici Regis ad filium. 613. b.

Ezernahora Baro Morauus Huſſita conuertitur. 404. a. eius filius factus Epiſcopus Olomucenſis. ibid.

F.

C. FAbricij paupertas. 124. b.

Factio Guelforũ & Gibellinorũ. 91. a. vnde orta. ibid. alia origo ex Sabellico. ibid. b. & ſæuitia. ibid.

Falco S. Franciſcum excitat à ſomno. 43. b.

Familiaritas proborum habenda. 618. b.

Febrientes curati tres meritis S. Ludouici. 317. a. quibus apparet diuerſo aſpectu. ibidem.

Felix IV. antipapa. 396. a. deponere Pontificatum coactus. ibid. b. relicta illi cardinalatus dignitate & Germaniæ legatione. ibidem.

Ferdinandus Martinez crus & brachiũ ægrũ habens meritis S. Didaci liberatur. 457. b.

Ferdinandus Siciliæ Rex S. Bonauenturam Sanctorum catalogo adſcribi poſtulat. 242. b. 260. 264. b.

F. Ferdinandus à Talabrica efficit, vt Franciſcani cum Columbo in Americam mittantur. 103. a.

Fernandus primò vocatus S. Antonius de Padua. 185. a.

Ferrarienſem epiſcopatũ repudiat S. Bernardinus. 358. b.

Feſtiuitas S. Didaci annuè celebranda indicitur. 518. 519.

Feſtum S. Franciſci irridens à Deo caſtigatur, ſed mox à S. Franciſco iuuatur. 77. a. item alij. ibid. b.

Fides Chriſtiana quantum apud Indos occiduos creſcat. 106. b. illorum Eccleſia noſtræ Latinæ poteſt æquiparari. 106. b.

Fides confirmatur miraculis. 264. b.

Fides S. Ludouici in SS. Euchariſtiam. 614. a.

Fidei Catholicæ ergo S. Franciſ. ignem ſubire paratus. 46. b. eius propugnaculum doctrina & ſanctitas. 118. a. eam confirmant miracula. 449. b.

Filiorum S. Ludouici Regis enumeratio. 619. b.

Flagellantium inſtitutum quando primùm in Italia cœperit. 192. a.

Flauia dicitur Vienna Auſtriæ. 407. b.

Flauij Blondi error confundentis S. Ludouicum Regem cum S. Ludouico Epiſcopo. 620. b.

Florentini poſtulant S. Bonauenturam Diuis aſcribi. 242. b. 260. 265. a.

in Florentino Concilio S. Bernardinus miraculoſè Græcè locutus. 383. a.

Florentinum Concilium aduerſus Græcos indictum. 396. a.

Florentinus & Petrus Martyres Hiſpali ſepulti. 434. a.

Fons dæmonibus dedicatus, à Sancto Bernardino in ſacellum Deiparæ conuertitur. 361. b.

Fons diuinitus à S. Franciſco datus. 78. a. eius aquarum virtutes. ibid.

Foppo Hencmanni filius Toparchæ Arckelanus. 671. a.

Formicas cur S. Franciſcus non diligeret. 154. a.

Formula Nouitiorum F. Dauidis ab Auguſta P. Antonio Velſero Soc. Ieſu dicata. 114. a.

Forteuentura inſula vna è Canarijs, appulit ad hanc S. Didacus. 439. b.

Foxus lignipes Friſo, vir notæ crudelitatis. 662. b.

Frænum equi cui S. Franciſcus inſedit, parturienti ſuccurrit. 56. a.

Franci olim comam nutrire ſoliti. 618. a.

Franciæ Reges curant ſtrumoſos. 620. a.

Franciſcanus ordo Eccleſiæ profuit. 7. a *vide* Minores & Ordo. eius incrementa. 12. b. 25. a. & vnde illa proueniant. ibid. planta magna in horto Eccleſiæ. ibid.

Franciſcani olim inſtar paſtorum incedebant. 85. b. Conſtantinopolim miſſi ad diſſidia componenda. 223. a. primi nouum conuerterunt orbem. 12. b. in orbis noui inuentionem plurimùm contulere. 13 a. Miſſi in Indiam Orientalem primi. ibidem. a. b.

Franciſcani ſeptem Martyres in India orientali. 13. a. eorum inſtitutum an fuerit Dominicanorum antiquius. 11. a.

Franciſcanorum cœnobium primum in Polonia quod fuerit. 407. a.

Franciſcanorum Gorcomienſium laus. 671. b.

S. Franciſcus à D. Ioanne Apoſtolo Angelus Dei viui ſigno notatus, eſt vocatus. 4. a. b. 16. a. ita cęlitus prænotatus S. Bonauẽturæ. ibid. ad inſtituendum tres ordines in mundum miſſus. 4. b. quomodo ab ortu Solis dicatur aſcendiſſe 5. a. tres tulit ſecum radios. ibid. quomodo ſignum Dei viui habuerit. 5. b. Chriſtus ei ſtigmata impreſſit. ibid. quid Eccleſiæ contulerit. ibidem. a. ſtigmata eius ſemper ſanguine manarunt. 6. a. vera priùs depictus forma quàm natus. ibid. ſignifer, miles & præco Chriſti. 6. b. 7. a. Eccleſiam militantem inſigniuit. ibid. Aduerſus draconem fortiter pugnauit. 7. a. eius in concionibus efficacia. ibidem. fuit grande miraculum. 7. b. Stigmata in illo munus ſingulare. 8. a. nulli alij ita euidenter indita ac S. Franciſco. ibid. a. b. viſa & tacta à Summis Pontificibus. 9. a. biennio illa retinuit. ibidem. à Sibylla Erythræa præſignatus. ibidem. b. eius varia encomia. ibid. B. Dominici ſocius. 10. a. b. Mendicantium ordinem inſtituit. ibidem. Quartus leuita fuit. 11. b. Apoſtolicam vitam in vſum reuocauit. ibidem. Lapis ignitus. 13. a. regula illius à Chriſto inſtituta. 12. a. velut ſol radiauit. ibid. Ectypon Chriſti. 14. a. nudus & pauper. ibid. paupertatis ſtudioſus. ibidem. quæ compoſuerit opuſcula. ibidem. b. pijs eſt exemplo. 16. dux ad lucem & pacem. ibidem. ſtella matutina, Arcus inter nebulas, Angelus pacis. ibidem. hortatus eſt ad pœnitentiam. ibidem. illius officium quod fuerit. 17. S. Bonauenturam in puerili ætate è mortis faucibus eruit. ibid. natus Aſſiſij. 19. a. in vanis educatus. ibid. ab ineunte ætate in pauperes benignus. ibid. amore Dei interpellatus, ſemper dare pauperibus promiſit. ibid. pallium ei quidam per plateas incedenti ſubſternit. ibid. b. laboribus affligitur vt Deo ſeruiat. 20. a. militi proprias dat veſtes. ibid. videt palatium crucis ſignis adornatum. ibidem. à militia terrena diuinitus auocatur. ibid. leproſum oſculatur, qui ſubitò diſparet. ibidem. b. Solitudinem frequentat. ibidem. Chriſtum crucifixum videt. ibid. leproſis ſeruit. 21. a. 22. b. ſacerdotes licet pauperes honorat. 21. a. inter mendicos ſedet. ibid. mortificationi ſtudet. ibid. audit vocem de reparanda Eccleſia. ibid. b. vendit pannos & equum. ibid. pecuniam abijcit. ibid. patrem infenſum experitur. ibid. ab eodem in vincula conijcitur. 22. a. à matre ijſdem liberatur. ibid. patri furenti it obuius. ibid. cedit patri omnia. ibid. geſtat cilicium adhuc mundanus. ibid. crucis ſigno ex calce ſe inſignit. ibidem. b. Latrones eum in via adoriuntur. ibid. leproſum ſanat. 23. a. tres Eccleſias inſtaurat. ibid. S. Mariæ de Angelis locum ſibi delegit. ibid. a. b. Fit pauper Euãgelicus. 24. a. eius ſermo viuax. ibid. pacem ſemper precabatur. ibid. ſocios ſibi adlegit. ibid. mittit 7. fratres in quatuor orbis partes. 25. a. diſperſos oratione fratres congregat. ibidem. b. regulam ſcribit. ibidem. viſionem habet de arbore ſe inclinante. ibid. à Cardinale Ioanne de S. Paulo adiuuatur. 26. a. Suſtentat Eccleſiam vientem. ibid. b. regula illius approbatur. ibid. Redit ad vallẽ Spoletanam. ibid. panẽ diuinitus accipit in ſolitudine. 27. a. plus alijs quàm ſibi natus. ibidem. orare docet ſuos. ibidem. & credere quod Rom. docet Eccleſia. ibid. apparet in curru igneo. ibid. b. currus & auriga virorum ſpiritalium. ibid. Fratres Portiunculam deducit. 28. a. S. Claram conuertit. ibid. 528. a. F. Moricum ſanat. 28. b. conuertit regem Verſuum. 29. a. celebrat generale Capitulum. ibidem. abſens videtur in aëre benedicere fratribus. ibid. b. viſionem habet de panum micis. ibidem. Secundam regulam ſcribit. 30. a. Rigor eius in cibo, potu, lecto. ibidem. b. Vnica ei tunica & aſpera. ibid. In niuem ſe mergit tentationis carnalis ſuperandæ ergo. 31. a. à dæmone grauiter tentatur. ibid. dæmonem vincit. ibid. otium docet vitandum. 31. b. Silentium ſuis præcipit, diſcretionem probat. 32. a.

medi-

medicari oculos permittit cauterio. ibid.
b. cauterium non ſentit. ibid. Creaturæ ei
obediunt. 33. a. aquam commutat in vinum.
ibid. Citharæ melodia recreatur. ibidem.
nocte ei lux radiabat. ibidem. b. Humilitas
eius admiranda. ibid. quam & pulchra ſen-
tentia teſtatam fecit. ibid. & reipſa. 34. a.
Iſaiam Prophetam imitatur. ibid. mauult
ſubeſſe quàm præeſſe. ibid. b. ſuos Mino-
res dici voluit, quod & apud Card. Hoſtié-
ſem oſtendit. 35. a. eius ſedes fulgens in cœ-
lo viſa. ibid. b. de ſeipſo humiliter ſentit.
ibidem. reliquias ſacras veneratur. ibid.
humilitate & patientia impetrat ab Epiſco-
po Imolenſi ſibi & ſuis concionandi facul-
tatem. 36. a. profligat dæmones ab Aretio.
ibidem. ciues Aretinos ad pacem inuitat.
ibidem. à dæmonibus cæſus eſt. ibidem b.
ſuperbiam vt peſtem deteſtatur. ibidem.
inobedientem fratrem caſtigat, in quo &
miraculum patrat. ibid. paupertatis Euan-
gelicæ ſtudioſus. 37. a. Fratres ad pauper-
tatis amorem extimulabat. ibidem b. in-
trantibus religionē omnia mandabat ven-
dere. ibidem. fratres nolebat nouitiorum
bona admittere. ibid. maluit vaſa ſacra di-
uendi & diſtrahi, quam paupertatis vo-
tum violari. 38. a. diaboli technas in cru-
mena in via poſita agnoſcit. ibidem. Vo-
torum monaſticorum dignitatem agnoſcit
in tribus pauperculis mulierculis. ibidem
a. b. non fert alium ſe pauperiorem. ibid. b.
hortatur ſuos ad paupertatem 39. a. emen-
dicat à fratribus eleemoſynam. ibid. mili-
tes mendicatò illi ad victum neceſſaria
comparant. ibid. b. medici cuiuſdam do-
mus ruinam minitans, eius capillis inſertis
ſolidatur. ibidem. aquam è petra oratione
produxit. 40. a. Moyſi & Eliſæo ſimilis.
ibid. eius pietas latè deducitur. ibidem.
verbi Dei miniſtros, ſed pios, veneratur.
ibid. b. bonis fratribus benedicit. ibidem.
maledicit econtra improbis. 41. a. Detra-
ctionem fugit vt peſtem. ibid. In aliorum
afflictionibus Chriſtum contemplatur. ibi-
dem. pallium ſuum dat paupeniori. ibidem.
b. Creaturas fratres & ſorores appellat.
ibid. eas imprimis, quæ Chriſtum aliquo
modo repræſentant. 42. a. Redemit fre-
quenter agnos qui ad mortem ducebantur.
ibid. Oues ei applaudunt. ibid. ei domi-
nium redditum in beſtias. ibidem. b. aues
ei adhærent. ibid. Preces horarias legen-
tem aues cantillantes non impediunt. 43. a.
à cicada ad Dei laudes excitatur. ibidem.
phaſianus ei adhæret. ibidem. aues ad eum
aduolant. ibid. b. à falcone à ſomno excita-
tur. ibid. luporum arcet rabiem. ibidem.
tempeſtates agris noxias auertit. ibidem.
Caritate totus igneus. 44. a. ieiunat ab epi-
phania XL. dies. 44. b. flagrat amore in S.
Euchariſtiam. ibidem. ſæpe deuotè com-
municat. ibidem. S. Mariam fecit ſuam ac
ſuorum aduocatam. ibid. Angelos amat.
ibid. item Apoſtolos 45. a animarum ſalu-
tis ſtudioſus. ibid. Martyrum æmulabatur
triumphum. ibidem. in Syriam transfre-
tat. ibid. b. viaticum eius in naui non con-
ſumitur. ibid. in Africam traiicere diſpo-
nit. ibid. Æger in Hiſpania ſubſtitit. 46. a.
ad ſuos omiſſa peregrinatione redit. ibid.
Secundò in Syriam redit. ibidem. à Sa-
racenis capitur. ibidem. Soldanum hor-
tatur ad fidem Chriſtianam. ibid. b. ignem
paratus ſubire pro aſſertione fidei Catholi-
cæ. ibidem. Soldani ſpernit munera. 47. a.
redit ad ſuos. ibidem. oratio ei præſidium.
ibidem. rapitur in mentis exceſſum. ibid.
b. orantem dæmones impedire conantur.
ibidem. orans in aërem ſubleuatur. 48. a.
oratio eius vt Deo placuerit. ibidem b.
quanta illius vis & efficacia. ibid. attentio
illius in oratione. ibid. Pſallere conſueuit
quaſi Deo præſenti. 49. a. nomen Ieſu illi
iubilum ibid. Natalem Dominicum vt ce-
lebrarit. ibidem. cantat in natalitijs Euan-
gelium. ibid. b. concionatur de puero à
Bethleem. ibid. eum brachiis complecte-
batur. ibidem. Scripturarum in illo pro-
funda intelligentia. ibid. ſtudere permiſit,
modo oratio non omittatur. ibidem. alta
eius theologia. 50. a. habuit ſpiritum pro-
phetiæ. ibidem. Chriſtianis cladem in Æ-
gypto prænuntiat. ibidem. hoſpitem ſuam
mox prædicit moriturum. ibidem b. Ge-
deonem Reatinum ſanat, ſed alia ei euen-
tura grauiora prædicit. 51. a. crudelem
manſuefacit. ibid. ſcrupulum conſcientiæ
latentem detegit. ibid. b. alterius videt
cogitationes. ibid. verba illius ſcripta ten-
tationem profligant. 52. a. ſilentij intempe-
ſtiui ſimulationem pandit. ibid. benedi-
ctionem petentibus impendit. ibidem b.
quemdam ordinis deſertorem prædicit fu-
turum. ibid. negotiator fuit Euangelicus.
53. a. eius efficacia in concionibus. ibid.
à iunioribus diſcere non dedignatur. ibid.
b. concionari eum populis Deo gratum.
54. a. auibus prædicat, quæ tacent, item
hirundines. ibid. Nauicula quam conſcen-
dit ſponte à terra ſubducitur. ibid. b. ſermo
eius ardens, penetrans cor. ibid. reprehen-
ſorem non metuebat. 55. a. ſermo ſequen-
tibus ſignis confirmatur. ibid. contractum
ſanat viuens. ibidem. item paralyticum.
ibidem. membrorum vſum puero reſtituit.
ibidem. item manus aridas habentem. ibid.
b. item cæcos varios. ibidem. dæmonia
compeſcit. ibid. fruſto panis eadem exigit.
56. a. periclitantem de partu frænum equi
cui inſederat iuuat 56. a. aquâ intincta eius
chorda & panes ab eo contacti varias ſa-
nant ægritudines. ibidem. Chriſti præco
authenticus. ibidem. b. Tempus otio è nō
prodigit. ibid. biennio ante mortem acce-
pit ſtigmata. ibid. Chriſto conformatur in
paſſione. ibidem. Seraph ad eum è cœlo
venit in forma crucifixi. 57. a. Martyr
mentis incendio. ibid. manus eius & pe-
des clauis confixi. ibid. Vulnus habuit in
latere dextro. ibidem b. exponit tremens
ſtigmatum acceptorum hiſtoriam. ibidem.
fuit tabula digito Dei viui ſcripta. ibidem.
ſtigmata illius prodigia mirabilia cauſan-
tur. 58. a. oues morbidas curant. ibidem.
manus ſuæ attactu calefacit ignem. ibidem.
Stigmata illius à multis viſa. ibid. b. &
præſertim vulnus lateris. ibidem. Chriſti
ſignifer fuit, eiuſque militiæ dux. 59. a. ei
ſepties crucifixus apparet. ibid. b. fracto
erat corpore, non animo. ibid. eius pa-
tientia. ibid. & ſeqq. incipit ad mortem
ægrotare. 60. a. quando, vbi & quómodo
mortuus. ibid. 62. humi mori voluit. 60. b.

nudus Chriſto ſimilis mori voluit. ibid. Fratribus omnibus benedixit. 61. a. eius anima ad Deum migrat. ibidem. in ſpecie fulgidæ ſtellæ nubecula ſubuehitur in cælum. ibid. quem alius frater ſubſequitur. ibid. eo moriente aues in tecto concinunt. ibid. b. eius in corpore apparent ſigna gloriæ futuræ. ibid. veſtigia vulnerum poſt mortem quoque apparuere. ibid. eorum forma. 62 a. caro eius candida poſt mortem & membra mollia. ibid. eius ſtigmata à multis viſa & imprimis à Sancta Clara. ibid. a. b. vbi ſepultus. ibid. b. miraculis poſt mortem coruſcare incipit. ibid. Sanctorum catalogo à Gregorio Nono adſcribitur. ibid. & 63. a. transfertur corpus illius ad eccleſiam in illius memoriam conſtructam. 63. a. miracula eius poſt mortem recenſentur in decem paragraphos diſtincta. ibid. Stigmatum illius miracula. ibid. eius ſtudium in crucifixum totũ erat trãſlatum. ibid. phialam replet ſanguine è lateris vulnere ſcaturiente. 64. a. manus eius & pedes clauis confixi videntur. ibid. miraculum in eius imagine. ibid. b. vulneratum letaliter inuocatus prodigioſè ſanat. 65. a. dubitantis de ſtigmatibus S. Franciſci manus ſauciatur. ibid. b. mortuos varios ad vitam reuocat. 66. a. item mortis periculo eripit multos. 67. b. Naufragantibus ſuccurrit. 70. a. item incarceratis & captiuis. 71. a. item in partus periculo conſtitutis. 72. b. cæcis oculorum lumen reſtituit. 74. a. varios curat languores. 75. b. Feſtum ipſius temerantes & profanantes à Deo notabiliter caſtigantur. 77. a. alia diuerſa eius miracula recenſentur. 28. a. fontem impetrat diuinitus. ibid. qui incolis loci ſalutaris. ibidem. vineas & beſtias indemnes facit. ibidem. iumenta cuſtodit. ibid. b. vberibus aridis lac dedit. ibidem. puerum monſtroſum formæ naturali reſtituit. 79. a. Nouitium à paralyſi curat & amentia. ibid. beneficia in ſe collata compenſat. ibidem. b. apoſtema ſanat ſigno Tau manente. ibid. canonizationis illius diploma. 80. b. quot annos vixerit, quoto Chriſti anno diſceſſerit. 82. a. b. quando natus. ibidem. natus Aſſiſij in ſtabulo, vt Chriſto per omnia conformaretur. ibid. b. annorum eius ſubducitur ratio. ibid. Non fuit pulcher, ſed corpore deformior. ibid. & forma illius minutim deſcribitur. ibid. Templum ei ſacrum ſine vlla materia. 83. b. quid egerit à conuerſionis initio toto biennio. 84. b. S. Franciſcus non fuit Auguſtinianus, vt nonnulli aſſerunt. 85. a. Doctorem non habuit. ibidem. qualis eius veſtis initio. ibid. locum Portiunculæ detegit, non tamen poſſedit, & ideo quotannis Abbati cuidam Benedictino caniſtrum piſcibus plenũ pendebat. 87. a. eius æuo quæ mala in eccleſia vigerent. 87. a. vidit ſchiſmata Eccleſiæ imminentia. 94. a. contra quæ regulam ſuis præformauit. 94. b. pro fide Eccleſiæ Rom. tuenda. ibid. duodecim habuit ſocios & vnum perfidum. 99. b. ruentem ſuſtentat Eccleſiam. 100. a. eius in concionando efficacia. 113. b. eius expoſitio orationis Dominicæ. 116. a. ordinem Pœnitentium fundauit. ibid. b. item Clariſſarum. 117. a. per paupertatem ordo illius mirum in modum propagatus eſt. ibid. eius regula maior à Papa Innocentio III. approbata, quæ deinde perdita & in compendium redacta ab Honorio III. approbata & confirmata. 117. b. regula illius Dei Spiritu ſuggerente ſcripta. ibid. aquam in vinum commutat. 121. b. eius oratio in eleuatione S. Euchariſtiæ. 127. a. Soldanum Ægypti adit. ibid. ſcortum impudens ad ſe inuitat iacens in igne, nec vſtulatur. ibidem. b. à Frederico Imp. in honore habitus. ibid. eius Theologia myſtica. 130. b. hortatur aues ad Dei laudes. 142. b. hirundines eius præcepto in concione ſilent. ibidem. illi datus mons Aluernæ. 147. b. orans nubecula ſubleuatur in aërem. 148. a. cum Deo loquitur. ibidem. tres ei offert aureos. ibidem. b. quo die ſacra ei ſtigmata infixa. 151. b. quo auctore, qua forma. ibid. claui quatuor ei infixi. 152. a. vulnerum illius & clauorum miracula. ibid. b. alaudæ ei iuſta perſoluunt. 154. a. formicas non diligebat ob nimiam ſollicitudinem. ibidem. fratres ad paupertatem hortatur. ibidem. b. inter Diuos refertur. ibidem. corpus illius transfertur in baſilicam in eius honorem ædificatam. 155. a. corpus eius ſtat in ſepulcro erectum. ibidem. 157. a. ac de ea re epiſtola Franciſci de Bautio Ducis Andriæ. ibidem. corpus illius vbi ſit. 156. b. ſtat oculis apertis in cælum. ibidem. vulnus pedis eius ſanguine manat. ibid. quot mortuos ad vitam reuocarit 159. a. quod & viuens fecit. ibid. item alia eiuſdem miracula ex Bartholomæo Piſano. ibidem. Soldanum adit. 165. a. ſuos in occidentem ad Mahumetanos deſtinat. ibid. ter ad Saracenos martyrij obeundi cauſa profectus. 171. b. apparuit fratribus in Capitulo Arelatenſi congregatis. 193. b. epiſtolium eius ad S. Antonium Paduanum. 205. b. eundem appellat Epiſcopum ſuum. 206. a. miſit mantellum S. Eliſabethæ. 596. a.

Franciſci de Bautio epiſtola de ſtatione corporis S. Franciſci. 155. a.

Franciſcus Bruxellenſis Minorita Gorcomienſis ſuſpenditur Brielæ ab hæreticis. 676. a.

Franciſcus Dauegnier liberatur à paralyſi meritis S. Bonauenturæ. 256.

Franciſcus Fontius ex onere graui quaſſatus meritis S. Didaci recuratur. 456. a.

Franciſcus Gonzaga Card. Mantuanus præeſt inquiſitioni miraculorum S. Bonauenturæ. 242. b. 261.

Franciſcus Ioyeuſe Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 516. a.

Franciſcus Maronius Franciſcanus in Theologia quid ſcripſerit. 110. a.

Franciſci Maſſodij filius febri laborans meritis S. Bonauenturæ ſanatur. 255.

Franciſcus Panigarola concionator ęui noſtri diſertiſſimus. 115. a.

Franciſcus Picus Mirandulanus ſemper in ore habuit doctrinam S. Bonauenturæ. 243. b. *Vide* Ioannes.

Franciſcus Sfortia Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480. a.

Franciſcus Sampſonius Miniſter Generalis ord. Seraphici brachium S. Bonauenturæ Balneoregienſibus dedit. 244. a. & cum in

Diuos referri poſtulat. 265.a.
Franciſcus Titelmannus Fráciſcanus doctrina celebris.112. b. docuit P. Franciſcum Dommelanum.661.a eius ſanctitas.667.a.
Franciſcus Vice-dominus concionator rariſſimus, æui ſui cithara dictus. 115.a.
Franciſcus Vincẽtinus ſocius B. Ioannis Columbini prodiit ex confraternitate Diſciplinatorum. 345.a.
Franciſcus Ximenes Franciſcanus. 111. b. eius opera, ſtudia, ibid. & 112. a. Biblia Complutenſia edidit. ibidem. Academiam Complutenſem inſtituit. ibid. eius epitaphium. ibidem.
Fratres appellat S. Franciſcus creaturas omnes. 41. b.
Frederici I. Ænobarbi in Rom. Pontificem hoſtilitas. 90.b. eum verbis & armis perſequitur. ibidem. tandem cum Alexandro Pont. in gratiam redijt. ibid. eius filius Otho infeliciter cum Venetis nauali certat prælio. ibidem.
Fredericus II. in Franciſcanos ſæuit. 108. b. odium cum Eccleſia Rom. exercet. 90.b. eius nefaria geſta.91.a. Guelforum & Gibellinorum factiones renouat. 91. b. 92.a. laudatur ab Abbate Vrſpergenſi.92.a. item à Trithemio. ibid. varia Eccleſiæ intulit mala. ibid. hoſtis eccleſiæ. 533. Saracenos ad auxilium ſui inuitat. 555.a. eo ſuadente multæ vrbes à Pont. deſciſcunt. ibidem. eius blaſphemum dictum. 291.b.
Fredericus III. Imp. cultor Deiparæ Virginis. 446. a. S. Bonauenturam in Diuos referri poſtulat. 242. b. 260. 264.b. 274.a. Sodalis B. Virginis fuit. 553.b. dicat coronam aureã corpori S. Eliſabeth mortuæ. 588.a. Felicem IV. Antipapam Pontificatum deponere coegit. 396. b.
Fredericus Borromæus Cardin. intereſt canonizationi S. Didaci. 480.a. 517. b. itẽ Fredericus Cornelius Cardinalis. 516. b.
Fredericus Saxoniæ Dux B. Ioannem Capiſtranum honorificè habuit. 401. b.
Fredericus Siciliæ Rex in veſte Seraphica ſepultus. 158.a.
Friſiæ Minoris ſitus.661.a. eius agri fertilitas & opida. ibid.
Friſonum ingenium. 661. a.
Fructus Minorum in Eccleſia. 102. a.

G.

GAbriel Paleottus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 515.b.
Galliæ Reges ſtrumas ſanant. 620.a.
Garellus Iudæus Rom. Synagogæ Princeps ad fidem Chriſtianam rediit opera Ioannis Capiſtrani. 394.b.
Garſenda Alphanti pia matrona. 636. b. huic reuelauit Deus caſtitatem S Elzearij. 643. a. illuſtri gloria apparuit Elzeario & Delphinæ. 651.b.
Gaſpar Iacobæus ſacerdos ab hæreticis captus periculum præſens adiit. 685.b.
Gaſparda de Chamberiaco ſanitati redditur meritis S. Bonauenturæ. 255.
Gaudæ opidi laus. 684.b.
Gaufridus à Maſeto tibias habens plenas puſtulis S. Ludouici interceſſione curatur. 319. a.
Gedeon Reatinus à domo cadente opprimitur. 50.b.51.a.
Generalium miniſtrorum catalogus vſque ad S. Bonauenturam in ordine Seraphico. 231.b.
Georgius Podiebradius regnum Vngariæ deponit. 415.a.
Gerardus Borkerodius ſtolidus & dirus. 663. b.
Gerardus Campenſis ciuis Alcmarienſis ab hæreticis in patibulum ſuſtollitur. 665.a.
Gerardus Houæus Canonicus regularis ſuſpenſus. 665.a.
Gerardus Iacobi hiſtoriam Martyrum Gorcomienſium carmine conſcripſit. 678.
Gerardus miles cæcus confitendo peccata viſum recuperat. 75.a.
Gerlandinus Raguſa ortus à lapidibus obtritus à S. Franciſco vitæ redditur. 67. b.
Germani à Ioanne Capiſtrano concitantur in arma contra Turcas. 396.b.407.b.
Gertrudeberga à Geuzijs intercepta. 685. a.
Gertrudis clauda meritis S. Eliſabetæ ſanitati reſtituta. 590. a. item alia cæca. ibidem. b.
S. Gertrudis Roſarium. 552.a.
Gibellini Imperatori fauent. 91. a.
Girardus Pariſienſis Theologus contra Mendicantes ſcribit. 233. a. quem egregiè S. Bonauentura confutat. ibidem. eius digna meritis caſtigatio. ibid.
Godefridus Duynæus qui deſipere credebatur, & importunè Martyrum conſortio adſcribi poſtulabat, ab hæreticis ſuſpenditur. 676.b.
Godefridus Meruellanus Minorida Gorcomienſis ſuſpenditur ab hæreticis. 676.a.
Gonzalus Sauratus Armenos edocuit fidem Chriſtianam. 102. b. eius labores pro Eccleſia. ibidem.
Gorcomium à quo conditum. 671.a. mercaturæ oportunum. ibid. eius ſitus. ibid.
Gorcomienſium Martyrum hiſtoria. 671. arx cui incluſi erant Grocomij in hæreticorum venit poteſtatem. 673.a. habentur ludibrio. ibidem.b. fortiter realitatem & præſentiam Ieſu Chriſti in Ven. Euchariſtiæ Sacramento defendunt. ibidem. b. nauigio cùm veniſſent Dordracum publicè expoſiti illudendi inſulſis ſcurris. 674. a. veſtibus ſpoliati fuere. ibidem. Brielam aducti barbaris excipiuntur ludibriis, iuſſi proceſſionis in morem patibula cum canticis circumire. ibidem. b. vocantur idololatræ, ſanguinarij, proditores. ibid. blandimentis eos à fide Catholica auertere conantur Caluiniſtæ, ſed fruſtra. 675. a. morti omnes addicti ſunt. ibidem. & variis ſuppliciis affecti. ibidem. b. Barbaræ feritatis ſcelera in horum cadauera hæretici perpetrarunt. 677. a. miracula patrata ad horum ſepulchra. ibidem. horum gloriæ inuident hæretici. 678. a. atque ideo illi magis inclaruerunt vita potiti beata. ibid. quis horum hiſtoriam conſcripſerit. ibid. & 679.
Græci S. Bernardinum idiomatis Græci ignarum intellexerunt in concione. 359.b. cur S. Bonauenturam Eutychium vocent. 273. b. in Concil. Lugdunenſi ad fidem per Franciſcanos reducti. 102. b. ad Concilium Lugdunenſe frequentes veniũt. 240 a.

&

& cum Latina Eccleſia conciliantur. ibidem. canunt in Symbolo *A Patre Filióque procedit.* ibid.

Græcorum hæreſes aduerſus Eccleſiam. 405. b.

Græce nouere Franciſcani iam inde ab initio ordinis. 223. a. eorum ſchiſma ſectatur Ruſcia. 402. b.

F. Gratianus Æmiliæ Miniſter S. Antonium de Padua in Æmiliam ducit. 187.a.

Gregorius Gyrkizo in B. Ioannem Capiſtranum inuehitur. 404.b.

Gregorius IX. S. Franciſcum catalogo Sanctorum adſcribit. 63.a. primus Ord. Seraphici protector. 123. a. habitum Franciſcanum ſæpius induit. 158.a. S. Antonium Paduanum in Sanctos retulit. 200.b. quatuor Franciſcanos ad Imp. Conſtantinopolitanum miſit diſſidij componendi gratia. 223. a. ſæpe depoſcit preces S. Claræ. 535.a.

Gregorij Magni elogium. 137. b. refert in Dialogis miracula ſui temporis. 449. b.

Gregorius Nazianzenus de S. Baſilio ſcripſit 219. b. eius elogium. 137.a.

Gregorius Neocæſarienſis, cognomento Thaumaturgus montem oratione loco mouit. 449.a.

Guelfo Bauariæ Dux in Cæſarem arma mouet. 91.a.

Guelforum & Gibellinorum factiones in Italia tempore S. Bernardini dominabantur. 354.a.

Guelfi Pontificis tuentur partes. 91.a.

Guidolotus de S. Geminiano dum falſò torquetur, S. Franciſci patrocinio pœnam non ſentit. 71.b.

Guilielmæ Maſſilienſi mente deſtitutæ mens redditur meritis S. Ludouici epiſcopi. 318. b.

Gulielmus Alanus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480.a. 516.b.

Gulielmus de Bletena meritis S. Bonauenturæ à paralyſi ſanatur. 256.

Gulielmus Buranus occidit Rutgerum Boetſelarium. 671.a.

Gulielmus Comes Hollandiæ, Imperator ſalutatur, à Friſijs interficitur. 667.a. arcem condidit Gorcomij. 673.a.

Gulielmus Eſtius S.T. Doctor hiſtoriam Martyrum Gorcomienſium conſcripſit. 679.a.

F. Gulielmus à Fulgária familiaris S. Ludouico Epiſcopo iuueni. 305.a.

Gulielmus Galenus ſacerdos ab hæreticis interfectus. 685.b.

Gulielmi Gaudani Martyris ex ordine Franciſcanorum Gertrudebergæ ab hæreticis intere̅ti hiſtoria. 684.a. vitæ eius laus. ibid. b. occupato à Geuzijs Dordraco Bredam ſe recepit. ibidem. Gertrudebergam euocatur à ciuibus. 685.a. quos in fide valide confirmauit. ibid. capta vrbe à Geuzijs interceptus eſt 686.a. parat ſe ad mortem. ibid. Miniſter Apoſtata diſputationem cum eo inſtituens conuictus ad conuicia confugit, & certam ei mortem prædixit. ibid. b. concaptiuum ſocium ad conſtantiam hortatur in fide Catholica. 687. a. ſcribit epiſtolam conſolatoriam ad matrem. ibid. precibus multis & peccatorum exomologeſi ſe præparat ad mortem. ibid. b. poſt mortis ſententiam Deum calidè orat. ibid. manus eius ad eruptionem ſanguinis ligantur. 688. a. militem regium morti addictum in fide confirmauit. ibid. eius collo iniecto laqueo ductus eſt ad patibulum. ibid. b. magna voce hortatus eſt ciues in Catholica fide permanere. ibid. pro hoſtibus Deum orauit. ibid. commendat in manus Domini ſpiritum ſuum. 689. a. laqueo vitam finiuit, quarta Septembris. ibid. b. eius vitæ compendium quis ſcripſerit. 690.a.

Gulielmus Leodienſis, deſertor ordinis Franc. & conſortij Martyrum, accuſatus effinxiſſe clauem cellæ vinariæ Lummæi, in vrbe Brielenſi ſuſpenſus eſt paulo pòſt. 676. a.

Gulielmus de S. Amore contra Mendicantes ſcripſit, quem S. Bonauentura refutat. 230.b.

Gulielmi Lummeni crudelitas. 674. b. in martyres Gorcomienſes exaſperatur. ibid. eius mores, ſtudia, educatio. 679. b. proprij canis morſu cruciatus impœnitens mortuus eſt. ibidem.

Gulielmus à Maſato in S. Ludouicum blaſphemus punitur, ſed reſipiſcit facto eidem voto. 320.a.

Gulielmus Maurella nauta per merita S. Ludouici naufragij periculum euaſit. 319. a.

Guilielmus de Sabrano Abbas Maſſilienſis nutritius S. Elzearij pueri. 637.b.

Gulielmus Viellus in naufragij diſcrimine S. Ludouicum inuocans ſerenitatem cæli vidit redire. 319.a.

Guezij Alcmariam intromiſſi omnia temerarunt. 662. b. eorum crudelitas. ibidem. eorum fides punica. 663. a. omnes regios Gertrudebergæ repertos interficiunt. 685. b. item ſacerdotes comprehenderunt. ibid.

Gunfrida Maſſilienſis S. Ludouici Epiſcopi miraculis detrahens punitur, ſed reſipiſcit. 320. a.

H.

HAbitus Monaſticus cujus admoneat religioſos. 85. b. modeſtiæ & humilitatis eſt index. ibid.

Hæreſiarcha blaſphemus in Lombardia carnalis ve qui maximè. 88. b.

Hæreſis Albigenſium. 89.a. vnde ortum habuerit: variè appellati, eorum dogmata execranda. ibid. blaſphemi. ibid. b. Cruciata aduerſus eoſdem Romæ prædicatur. ibid. volumen Euangelicum commingunt. 90.a. alius iuxta altare ventrem purgauit, & altaris palla immunditias deterſit. ibid. alij ſcorto in altari abuſi ſunt. ibidem. Miramolinum regem Marochij in auxilium vocant. ibid. in B. Mariæ Magdalenæ feſto cæduntur. ibid. eos D. Dominicus & B. Antonius Paduanus conuincit. 94.a.

Hæreſis Humilium. 88.b. item VValdenſium. 88.a. à quo orta. ibid.

Hæreſi ſemper iuncta crudelitas. 667. b.

Hæretici Flagellantes qui fuerint. 206.a.

Hæretici reiiciunt miracula. 449. b. Theologiam Scholaſticam oppugnant. 245. a. eos miraculis conuertit S. Antonius Paduanus. 192. a.

Hæreticorum feritas & rabies in Martyres

Alcmarienſes. 664. 665. item in Gorcomienſes. 674.b.

Hæreticorum perfidia Gorcomij. 673. b. *Vide* Gorcomienſes Martyros & Caluiniſtæ.

Haimo Anglus quartus ord. Seraphici Miniſter Generalis. 231. b.

Hallenſis imago D. Virginis venit à S. Eliſabeth. 597.a.

Hartmannus Scheydel Ioannem Capiſtranum ſibi viſum teſtatur. 114.b.

Henemannus Pannonius Gorcomij conditor. 671.a.

Henricus Caietanus Card. intereſt canonizationi S.Didaci. 516.a.479.b.

Henricus à Conimbris Franciſcanus fidem in Oriente propagat. 13.a.

Henricus Conradi III. Cæſaris filius Gibellino in opido natus cum Guelfone Bauariæ Duce confligit. 91. b.

Henricus à Gandauo S. Bonauenturam laudat. 219. b.

Henricus Guſmanius Comes de Oliuares orator Philippi II. Regis Hiſp. apud Pontificem. 424. a.

Henricus Harphius Franciſcanus. 112.b.

Henricus Nouitius à conſortio Martyrum Gorcomienſium deficiens, Gulielmi Lummeni citharœdo inſeruit. 675.b.

Henricus I. Imp. & Chunegundis Imperatrix caſti in coniugio vixere. 657. b.

Henricus III. Hiſpaniarum Rex. 424. a.

Henrici IV. Regis filia à morbo meritis S. Didaci liberatur. 451.b.485.a.

Henricus læuir S. Eliſabeth in eam fuit acerbior & corripitur ab aliis. 579. a. ſed illi reconciliatus eam in arcem reductam benignè tractauit. ibid.b.

Heraclitus Scotinos Philoſophus cur dictus. 110. a.

Hermannus Colonienſis patibulo ſuſpenſus meritis S. Eliſabeth reuixit. 590.a.

Hermannus quidam 20. annorum ſpatio vulgi opinione vt Sanctus habitus, exhumari iuſſus à Bonifacio Octauo vt hæreticus. 487. a.

Hermannus S. Eliſabeth filius Lantgrauius Thuringiæ. 570. a.

Hermongaus pater S. Elzearij. 636.a.

Herniosum curat S. Ludouicus Epiſcopus. 319.a.

Hetruriæ laus. 221. b. quando fide imbuta. ibidem.

S. Hieronymi ſiccus res diuinitus operatus eſt mirificas. 408. a. eius elogium. 137. a.

F. Hieronymus Aſculanus Generalis Minoritarum. 75. a. ad Græcos legatus miſſus, vt Concilio Lugdunenſi adeſſent. 239. b. poſtea Pontifex factus Nicolai IV. nomen ſortitus eſt. ibidem.

Hieronymus Bernerius Card. intereſt canonizationi S.Didaci. 480.a. 516. b.

item Hieronymus Matthæius Cardinalis. 480.a. 517.b.

Hieronymus Pragenſis diſcipulus Ioannis Hus. 397. b. vocatur ad Concil. Conſtantienſe. 398. b. viuicomburio damnatus. ibid. & cur. ibid.

Hieronymus Ruſticucius Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479.b.515.b.

Item Hieronymus de Ruuere Card. 480. a. 516. b.

Hieronymus Segobienſis epilepſia liberatur meritis S. Didaci. 452. a.

Hieronymus Simoncellus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479.b.516.a.

P. Hieronymus VVeertenſis Vicarius fratrum Minorum Gorcomij. 672. a. eius elogium. ibidem. loca ſancta Palæſtinæ perluſtrauit. ibidem. vexatur præ ceteris ab hæreticis. 673.b. increpat hæreticos.674. b. ex trabe ſuſpenditur poſtquam conqueſtus eſſet de Henrico nouitio blanditijs ad hæreſin delapſo. 675.b.

S. Hilarij elogium. 137. a.

S. Hilarionis reculæ morbis plurimis remedium adhibebant. 457. b.

Hildebrandinus de Manetis S. Bernardini amicus. 347.b.

Hildephonſus Toletanus Archiepiſcopus Deiparæ cultor egregius. 446. a.

S. Hippolyti elogium. 136.b.

Hippolytus Aldobrandinus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 516. b.

Hirundines S. Franciſco concionante à garritu abſtinent. 54. a.

Hiſpalenſis vrbis encomium. 433. b.

Hiſpani ducente luce quadam in Columbariam Zelandiæ inſulam penetrant. 677.b.

Hiſpaniam Deus ſemper reſpexit. 463. b. & cõtra hoſtes ſemper eſt tuitus.464.a. à Pontificibus Sixtis nomine ſemper ei ſingulare bonum euenit. ibidem. b. plurimos habet Martyres. 433.a. eius laus. ibid. duodecim in ea regna. ibid.

Hiſpaniola detecta. 103. a.

Hiſtoria profana Theologo vtilis. 139. a.

Hiſtoria liber viuentium. 138. a.

Hiſtorias eccleſiaſticas qui ſcripſerint. 138.b.

Hiſtoricus verus quis ſit. 526. b.

Hiſtoriographi Byzantini. 138. b. Latini. 139. a.

Hominis dominium in beſtias ante peccatum. 125.b.

Honorem S. Antonius Paduanus improbo cuidam exhibuit, quem fore martyrem præuidit. 190. a.

quos Deus Honorat, honorent & homines. 266. a.

Hormiſdas Papa plurimi fecit Epiſcopos Hiſpalenſes. 434.a.

Horna Friſiæ Minoris opidum. 661. a.

Hortulanæ matris S. Claræ eximia pietas. 527. a. terram & loca ſancta inuiſit. ibid. vocem de filia præſagientem è crucifixo audiuit. ibid. filiam in pietate erudit. ibid. ſequitur in ordine filiam. 536. b.

Hoſpitale de la Scala quodnam fuerit Senis. 345. a. peſte inficitur. 346.a.

Hoſpiti ſuo S. Franciſcus mortem prædicit. 50.a. qui ad mortem ſe parat. ibid.

Hoſtienſis Card. Gregorius nonus appellatus. 35.a.

Hugo Gregorius cæcus voto ad ſepulchrum S. Ludouici Epiſcopi facto viſum recuperat. 317.b.

Hugo Marchiæ Comes Henrici Regis Angliæ fultus auxiliis bellum mouet aduerſus Ludouicum Regem. 605. a. necem veneno ei molitur. ibidem. cum Rege in gratiam redit. ibidem.

de S. Hugolino Martyre Minorida hiſtoria. 176.

Humi & nudus mori voluit S. Franc. 60.b.
Humilitas mira S.Franciſci. 33.b.34.a.
Humilitas ſceptris Regum præſtátior. 309.b. eius laus & commendatio. ibidem. via ad eruditionem. 228.a. dux ad perfectionem. 359.a. ab omnibus honoratur. 37.a.
in Humilitate lucrum animæ. 35.a.
Humilium ſecta. 88. b.
Huſſitæ in vindictam magiſtrorum cœnobia diruunt, religioſos Pragæ occidunt. 399. a. & in locis vicinis. ibid. cur Thaboritæ dicti. ibid. b. vocantur ad Concilium Baſileenſe. 400.a. victi ſe viciſſe mentiebantur. ibidem. cæſi bello à Catholicis. ibidem. Pragæ nimiopere inualeſcunt. ibidem. b.
Huſſitarum hæreſis eadem eſt quæ VViclefi. 397. a. in Anglia originem habuit. ibid. vnde in Bohemiam venerit. ibid. quomodo propagata. ibid.b.

I.

IAcobellus Miſnenſis Ioannis Hus diſcipulus eius hæreſin propagat. 397 b.
Iacobinus de Peruſio puer dæmoniacus ad ſepulcrum S. Claræ liberatur. 541.a.
Iacobus Hiſpanis idem quod Didacus. 434. b.
Iacobus Aragonum Rex in veſte Minoritarum ſepultus. 158.a.
Iacobus Abbas S. Clementis. 75. a.
Iacobus Epiſcopus Tiburtinus. 75.a.
Iacobus de Franco claudus ſanatur meritis S. Claræ. 543. a.
F. Iacobus de Iſeo hernioſus, inuocato S. Fráciſco ſanitati redditur. 75. b.
Iacobus Lacupius Oudenardenus ord. Præmonſtratenſis ſuſpenditur ab hæreticis. 676. b.
Iacobus Laquidonenſis Epiſcopus. 155. b.
Iacobus Maioricarum Regis primogenitus ord. fuit Seraphici. 327. a.
Iacobus de Oſa S. Ludouico Epiſcopo familiaris, qui deinde factus Pontifex, Ioannes XXII. dictus eſt. 305.a.
Iacobus Picens ſocius B. Ioannis à Capiſtrano Padum pallio traijcit. 401. à viuus claret miraculis. 413.a. moritur Neapoli. ibid. quot miracula ediderit. ibid. Venenum ei non nocuit. ibid. miracula eius in tabella ad ſepulcrum viſuntur. ibid.
F. Iacobus Reatinus Minorita ſubmerſus in maris profundo ambulat, poſtquam S. Franciſcum inuocaſſet. 71.a.
Iacobus Schuermannus Franciſcanus à Geuzijs in itinere fuit interemtus. 692.b.
Iacobus Sprenger fundauit ſodalitatem B. Virginis Coloniæ. 553.b.
Iacobus Zanazarius conſcripſit verſibus elogium B. Iacobi Picentis. 413.a.
Iacula præuiſa minus feriunt. 519 b.
Ieiunia ex ordinis Seraphici inſtituto. 444. a.
Ieiunium S. Franciſci. 44.b.
Ieſu nomen dulce. 49. a.
in Ieſu nomen affectus S. Ludouici Toloſatium epiſc. 303. b.
Ieſuatorum quale inſtitutum & veſtis. 381.b. cur ita dicti. ibid.
D. Ignatii Martyris elogium. 136.a.
Ignem paratus eſt ſubire S. Franciſcus pro aſſertione Catholicæ fidei. 46.b.
Ignorantia ſui & Dei maximè damnoſa. 151. a.
F. Illuminatus à natiuitate cæcus lumen S. Franciſci interceſſione recuperat, à quo hoc illi nomen inditum. 74.b.
Imago S. Antonij de Padua variè pingitur. 204.a.
Imagines Deiparæ tres habuit S. Eliſabeth. 596. b.
Imaginis S. Franciſci miraculum. 64. b.
Imperatores duo Conſtantinopolitani ordinis Minorum fuere. 102.a.
Indulgentiæ expetendæ. 619.a.
Indulgentiæ Portiunculæ. 87.a.
Ingenia quo illuſtriora, quo breuiora. 329.a.
Innicus Analos Cardinalis intereſt canonizationi S. Didaci. 515.a.
Innocentia & ſcientia beatum faciunt. 132.a.
Innocentij Tertij Pontificis viſum. 25. b. ordinem Minorum confirmauit. 11. a. tempore Conc. Lateranenſis. ibidem.
Innocentius IV. moram traxit in canonizando Staniſlao Martyre. 467.b.
Inobediens quàm Deo inuiſus. 52. b.
Inobedientis capitium à S. Franciſco igni inijcitur, & integrum educitur. 36.b.
Inſpicere nos ipſos primò debemus. 120.a. & negotia quæ aggredimur. ibid.
Ioanna Diez membrorum vſu priuata, eumdem meritis S. Didaci recuperat. 456.a.
Ioanna Gomez à cane rabido morſa, curatur tangens terram ſepulcri S. Didaci. 458. a.
Ioanna Mendoſia à febri liberatur meritis S. Didaci. 455.a.
Ioannes Alboquercius Franciſcanus Archiepiſc. Goanus in Indorum conuerſionem incumbit. 13.b.
B. Ioannes ab Aluerna concionans pluuiam à ſuggeſto & auditorio compeſcuit. 114. b.
F. Ioannes ab Amſteldamo à Geuzijs interemtus. 691. b.
Ioannes Anchuſſeius Electus Klouienſis ope Martyrum Franciſcanorum in Lituania occiſorum ſanitatem recuperat. 109.a.
Ioannes Antonius Card. Fachinettus intereſt canonizationi S. Didaci. 479.b. 517.a.
item Ioan. Antonius Sorbellonius Card. ſancti Georgij. 479.b. 515.a.
Ioannes Antonius Tornanus grauiter vulneratus meritis S. Bernardini conualuit. 372. b.
F. Ioannes de Aora in Americam deſtinatur. 103. b.
Ioannes Apoſtolus patronus S. Eliſabeth. 566. a.
Ioannes de Arragonia Franciſcanus Ferdinandi Regis filius, S. Bonauenturam poſtulat in Diuos referri. 261.
S. Ioannes Baptiſta Angelus ante Chriſtum miſſus, cum hoc S. Franciſcus collatus. 4. b.
Ioannes Baptiſta Card. Caſtagnius intereſt canonizationi S. Didaci. 479.b. 516.a.
item Ioannes Baptiſta Caſtruccius Card. ibid.
Ioanni Baptiſtæ Rubeo Rotæ auditori creditum examen vitæ actorum S. Didaci. 482.a.

Ioannes Benedicti meritis S. Bonauenturæ ſanitati reſtuitur. 255.
Ioannes Bernartius de vtilitate legendæ hiſtoriæ ſcripſit. 138.b.
Ioannes Bonus an fuerit ordinis Eremitarum S. Auguſtini. 85.a.
Ioannes Borbonius Dux S. Bonauenturam in Diuos referri poſtulat. 265.a.
Ioannes Capiſtranus quàm efficax in dicendo quid Magdeburgi egerit. 114.b. vir fuit celeberrimus. 387.a. à Deo miſſus. ibid. concionator eximius. ibid. Imperatoribus gratus. ibid.b. Germaniæ quaſi propheta. ibid. Italiam pænè totā concionibus emendauit. 388.a. Turcas ab Alba profligauit. ibid. S. Bernardini diſcipulus. ibidem. in terris cæleſtem egit vitam. ibid.b. octo mortuos ad vitam ſuſcitauit. ibidem. fuit Iuris peritus. 389. a. eius ſcripta. ibid. eius ſcripta contra Ioannem Rochizanam Huſſitam. ibid. a. vbi natus ſit. 393 a. pater eius Germanus, mater Capiſtranenſis. ibidem litteris humanioribus feliciter operam dedit. ibidem. Peruſiæ ſtuduit vtrique iuri. ibid. à Peruſinis captus, incarceratus fuit duriter atque iteratò. ibidem. Diuinitus eſt monitus ad ordinem Seraphicum capiendum. ibid. b. quem reipſa Peruſiæ ingreſſus eſt. ibid. Bis ab ordine reiectus, tertiò receptus. ibidem. inſignis eius humilitas. 394. a. aſperitas in vigiliis & ieiuniis. ibidem. ſumma eius paupertas. ibidem. eius vitæ ratio. ibidem. S. Bernardini biretum eius cruore tinctum ægris applicauit. ibidem. b. multos fidei & Chriſto lucratus eſt. ibid. miracula varia in prædicatione patrauit. ibidem. S. Bernardini comes fuit & diſcipulus. 395. a. S. Bernardino calumniam ſtructam publicè deterſit. ibidem. b. quemadmodum ſupra caput S. Bernardini laudes Virginis Deiparæ prædicantis Aquilæ viſa eſt ſtella: ita ſupra caput B. Capiſtrani, cùm ibidem de B. Maria concionaretur cōſpecta fuit. ibidem. Garellum Iudæum cum aliis quadraginta ad lumen fidei Chriſtianæ traxit. 394.b. mittitur ab Eugenio IV. Pontifice in Burgundiam ad Philippum Ducem, ne Antipapæ Felici adhæreat. 396. a. honores Epiſcopatus recuſauit. ibidem. b. Ad Germanos à Pontifice miſſus eſt vt arma mouerent contra Turcas. ibidem. item ad Bohemos vt ad fidem ab hæreſi conuerterentur. ibidem. bis in Germaniam miſſus. ibidem. eius per Germaniam diſcurſio. ibid. mittitur iterum à Pontifice in Germaniam. 401. a. pallio inſidens cum ſocio Padum traijcit. ibidem. Nuntius & Commiſſarius Apoſtolicus & inquiſitor hæreticorum. ibidem. venit Viennam Auſtriæ. ibid. b. honor ei vbique per Germaniam habitus. ibid. a. Centum millia eum Olomucij concionantem audiuere. ibid. b. eius opera multi hæreſin Huſſitarum abiurant. ibid. à variis Principibus magnificè excipitur. ibid. à Caſimiro Poloniæ Rege inuitatur ad docendos Polonos. 401. b. 402.b. miſſus gratia Bohemorum reducendorum. 402.a. Septemtrionalium gentium conuerſio pendet à B. Ioanne Capiſtrano. ibid. in Poloniam venit. 403.a. venit ex Morauia in Bohemiam. 403.a. euocatus ſcilicet litteris Nicolai V. Pontificis. ibid. Condonationes peccatorum euulgare permittitur. ibidem. b. item abſoluere à cenſuris Eccleſiæ, item ab inhabilitate & infamia reſtituere. ibidem. inſidiæ ei ſtruuntur à Ioanne Rochizana Huſſita. 404. a. conuitia quæ ille irrogat, diluit data epiſtola. 405. a. vocatur ſeductor & Antichriſtus. ibidem. Noribergæ magno fuit honore exceptus, item Magdeburgi. ibid. tribus horis concionans vana ludicra cremari ibidem fecit. ibidem. eius opera multi in ſacram militiam aduerſus Turcas adleguntur. 406.b. Auguſtæ Vindelicorum magno cum fructu concionatus eſt. ibidem. item Lipſiæ. ibid. à Sbigneo in Poloniam euocatur. ibidem. à Polonis honorificè excipitur. 407. a. quæſtionem in nuptiis regiis ortam prudentia ſua ſedat. ibidem. euocatur in Auſtriam. ibidem. b. Francfordiæ in Comitiis Principum concionatus. ibidem. in Comitijs Noua-ciuitatenſibus Principes ad arma Turcis inferenda incitat. ibid. à Calliſto III. cum aliis mittitur ad Chriſtianos armandos contra Turcas. 408. b. crux à Pontifice ei data, qua fuit vſus pro vexillo. ibid. à Ioanne Huniade in Hungariam deducitur, quò magnam cruce ſignatorum numerum congregaret. 409 a. eius induſtria in defendenda Alba Græca. ibidem. b. eius exercitus ſtrenue laborat in Alba defendenda. ibid. Hortatur Chriſtianos in pugna nauali crucifixum manu complexus. 410. a. eius diligentia in ipſa impugnatione vrbis. ibidem. b. Mahumetis Imp. Turcarum conſilia euertit. 411. a. eius crucigeri caſtra diripiunt Turcarum. ibidem. b. ſcribit de victoria ad Pontificem Calliſtum nulla Coruini mentione facta, quod nemo in malam interpretari debet partem. ibid. multa vaticinatus prædixit. 412. a. quæ duobus Huniadis filijs accidere prænuntiauit. ibidem. Huniadem extinctum breui ſecutus eſt. ibid. b. moritur. 413 a. quo die mortuus. ibidem. b. VVilakæ ſepultus. ibid. corpus eius poſt multos annos integrum repertum & tractabile. ibid. Miracula varia recenſentur, quæ eius meritis contigerunt. ibidem. octo ſuſcitauit mortuos. ibidem. Decreto Leonis X. ſolemnitas eius quotannis recolenda. 415. a. qui de vita eiuſdem ſcripſerint. 416. eius pingendi ratio. ibid. quando natus & mortuus. ibid. a. numerus cruce ſignatorum ab eodem collectorum. 418. b. liber à vana gloria. 419. ib.
Ioannis Chriſtophorſoni laus. 138. b.
Ioannis Chryſoſtomi elogium. 137. a.
Ioannes Columbinus fundator Ieſuatorum prodijt è ſodalitate Diſciplinatorum. 345. a.
F. Ioannes Cremonenſis ſcripſit vitam S. Antonij de Padua. 204.a.
Ioannes XV. toparcha Arckelanus in carcerem coniicitur à Gulielmo Cæſare. 673.a.
Ioannis Duyuenuoordij Prætoris Voornenſis ingratitudo. 676. a. cuius impietatis pœnas luit pœnas cùm inter noxios Harlemi capite plexus eſt, & eius vxore corialis potitus eſt. ibidem.
Ioannes Fernandez intolerabili lateris dolore

lore excruciatus tactu cinguli B. Didaci ſanatur. 458.a.
Ioannes Ferus concionator excellens Mogũtiæ Minorita. 115.a.
Ioannes Fidanza pater S. Bonauenturæ. 112.a.
Ioannes de Fora & alij plurimi hernioſi ſanitati reſtituuntur à S. Franciſco. 76.a.
Ioannes Galeotus à Saracenis captus liberatur inuocato auxilio S. Ludouici. 319.b.
Ioannis Garboti vxor tabida meritis S. Bonauenturæ conualuit. 257.
Ioannis Gerſonis de D. Bonauentura iudicium. 135.a. 219.b.
Ioannes Gonſalez ramicoſus meritis S. Didaci liberatur. 455.b.
Ioannes Gray Scotus Minorida Bruxellæ ab hæreticis interemtus. 693.a.
Ioannes de Guadalajara hæſitans de miraculis S. Didaci punitur, ſed ad eius ſepulcrum orans ſanatur. 451.b.
Ioannes Haſſelanus S. Theologiæ doctor. 662. a. non ſcripſit in epiſtolas Paulinas. 667. a.
Ioannes Hieronymus Albanus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 515. b.
Ioannes Huniades Capiſtranum in Hungariam ducit. 409. a. Albam viriliter defendit. ibid. b. Albam ingreſſus vrbem munit, omnium animos erigit. 410. b. eius in pugna induſtria. ibid. munitiones capit Turcarum. ibid. b. eius obitus à Capiſtrano deploratur. 411. a. b. de eius filiis in ſeqq. eius æmulus Comes Ciliæ. 414.a.
Ioannes Hus VVicleſi hæreſin in Bohemia propagat. 397.b. eius actus & doctrina. ibid. eiuſdem ſocij. ibidem. ad Concilium Cõſtantienſe venit. 398. b. igni adiudicatur & cur. ibidem.
Ioannes quidam Ilerdenſis vulneratus letaliter ab inſidiatoribus à S. Franciſco ſanatur. 65. a
Ioannes Imp. Conſtantinop. ex ordine Seraphico. 102.a.
Ioannes Landaronus prefectus hoſpitalis domus de la Scala Senis. 346.a.
Ioannes Mahuſius præceptor Nicaſij Heſij. 672. b. primus denominatus Epiſcopus Dauentrienſis. ibid. martyr & concionator egregius. 679. a. ob ſenectutem onus recuſauit epiſcopale. 692. b.
Ioannes Martinez calculoſus meritis S. Didaci liberatur. b. 454. item alij duo paralytici. 456.a.
F. Ioannes Martyr in Hiſpania Maurorum tempore. 108.b.
Ioannes Michaelis de Cheual dolore coſtarum meritis S. Bonauenturæ liberatur. 257.
Ioanni Michaeli Saracenio Card. delegat Pius IV. cauſam canonizationis S. Didaci. 462.a. 481.b.
item Ioanni Morono Epiſcopo Præneſtino. ibidem.
Ioannes de Mozenico Dux Venetiarum S. Bonauenturam in diuos referri poſtulat. 265.a.
Ioannes de Monte Epiſcopus Cambalienſis apud Tartaros Minorida. 102.b.
Ioannes Murmellius Alcmariæ natus. 661.a.
Ioannes à Murro Generalis Franciſcani ordinis S. Ludouicum in ordinem admittit. 307.b.
F. Ioannes Nardenus Franciſcanus Martyr. 661. b.
Ioannes Naſus Concionator Minorita in Rhætia & Bauaria. 115.a.
Ioannes Ooſteruicanus Canonicus Regularis ſuſpenditur ab hæreticis Brielæ. 676.a. eius in tolerando frigore pertinacia. ibidem. b.
Ioannes Oumallus Eccleſiæ Catholicę deſertor, pirata factus eſt. 679. b.
Ioannes Parens I. poſt S. Franciſcum ord. Seraphici Miniſter generalis. 231. b.
Ioan. Pauinius orationem in laudem S. Bonauenturæ habuit. 219.a. 243. a.
Ioannes Perchanus Archiep. Cantuarienſis ſcripſit hiſtoriam vitæ S. Antonij Paduani. 204.a.
Ioannes Picus Mirandulanus mirificè laudauit S. Bonauenturam. 219. b. ardet deſiderio legendorum Commentariorum S. Bonauenturæ in Lucam. 243.b.
F. Ioannes Pinarola docuit Sixtum IV. Pont. 101.a.
F. Ioannes Piretius in Indiã nauigat. 103.b.
Ioannes Puteanus Franciſcanus à Geuziis in via Louanienſi occiditur. 693.a.
F. Ioannes Riſtorius Ordin. Minorum S. Bernardinum ad ordinem allicit. 349.b.
Ioannes Rokyzana Huſſitarum propugnator acerrimus. 400.b. gerit ſe pro Archiepiſcopo Pragenſi. ibidem. eius blaſphemia. ibid. eius opera Huſſitarum hæreſis Pragæ ſuccreuit. ibidem. inſidias ſtruit B. Ioanni Capiſtrano. 404. a. congreditur diſputatione cum eodem. ibid. Sacram ſcripturam præſcribit diſputationi. ibid. Capiſtrano inſultat. ibid. b. Franciſcanos vexat. ibidem. conuitia in B. Ioannem Capiſtranum euomit & Bohemia excludit. 405. a. hæreſim abiuratam reſorbet. 417. b.
Ioãnes Rupellius S. Theologiæ doctor in ord. Seraphico. 222. b. ſucceſſit illi Alexandro ab Ales. 229. a. illi S. Bonauentura. ibid. ordinis Generalis miniſter. 231. b. abdicat ſe munere. ibid.
Ioannes IV. Brabantiæ Dux academiam Louanienſem fundauit. 417.a.
Ioannes Sanchez claudus meritis S. Didaci inceſſum recuperauit. 452.a.
Ioannes à S. Paulo Cardinalis S. Franciſco fauet. 26.a.
Ioannes Scotus arcanus Theologiæ theſaurus dictus. 135. a. Doctor Subtilis, Frãciſcanus, natione Anglus, cur dictus Scotus. 100.a.
Ioannes du Solier è tibia laborans meritis S. Bonauenturæ ſanatur. 257.
Ioannes Splinterus ciuis Gorcomiẽſis ab hæreticis incarceratus eſt, ſed poſtea legatus à Senatu Gorcomienſi Brielam pro Martyrum Gorcomienſium redemtione nihil profecit 679. de eorum martyrio locuples eſt teſtis. ibidem.
Ioannes Spoletanus præceptor S. Bernardini. 342. a.
F. Ioannes de Tecto in Indiã mittitur. 103.b.
Ioães de Triſtennis filius S. Ludouici Regis, cur hoc fuerit donatus nomine. 619.b.
Ioannes Trithemius Abbatem Ioachimum taxat, quòd falſo Frederico II. hoſtilitatem vaticinans affinxerit in Eccleſiam. 92. a.

Ioannes Vogelſangius capitur Gertrudebergæ ab hæreticis. 686.a. parat ſe ad mortem. ibidem.

Ioannes VViclef hæreticus Theologiam Scholaſticam oppugnauit. 245.a. hæreſin peſtiferam in Anglia ſeminauit, quæ deinde à Ioanne Hus proſeminata. 397.a.

Ioannes Ziſka Bohemus, Huſſitarum protector, Bohemiam vaſtat & vicinas prouincias. 399.a. eius victoriæ. ibid. 417.b. in ſacerdotes & monachos ſæuit. ibidem. b. peſte ſublatus tympanum ex pelle ſua fieri iubet. ibidem. eius imago retenta ab Huſſitis. 417. b.

Ioannis de Zummarraga I. Archiepiſcopi Mexicani epiſtola è Mexico. 105. b. eius ſanctitas. 106. a. vna die XIV. millia confirmationis Sacramento ſignauit. ibidem b.

Ioannes Dominicani ordinis Paſtor Hormarienſis ab hæreticis interfectus. 676. b.

Ioſephus Angles Flores Theolog. quæſt. ſcripſit. 112.a.

Ioſephi Iudæi elogium. 138.b.

Ioſephus Patriarcha Conſtantinopol. ad Concil. Lugdunenſe venit. 240.a.

S. Irenæi elogium. 136. b.

Iſabella Sanchez tumorem corporis meritis S. Didaci amiſit. 455.b.

Iſaias Propheta nudus per vrbem diſcurrit, quem S. Franciſcus imitatus. 34.a.

Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis laudatur. 434. a.

Iſintrudis pediſſequa S. Eliſabeth. 577. b. ei ablata à magiſtro Conrado. 581. b.

Italiæ vitia æuo S. Bernardini. 354. a.

Iudocus de Maternes, Gubernator Montenſis Valencenenſe Franciſcanorũ cœnobium condecorauit. 117. b. Cognatus illius fuit fundator cœnobij Gandenſis. ibid.

Iudocus Rauenſteinus Doctor Theologiæ Louanij. 672.b.

F. Iudocus de Rijcke Belga Mechlinienſis primus fundator cœnobij Franciſcanorum in vrbe Quito in Peru. 107. b. eius ad ſuos epiſtola de moribus Peruuianorum. ibidem.

Iul. Ant. Card. Santorius intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 515. b. item Iulius Cananius Card. 479.b. 516.a.

Iuliana quædam cùm ſemper fœtum mortuum peperiſſet, S. Franciſco opitulante viuum parit. 73. a.

Iulianus Ruuerius Card. præeſt inquiſitioni miraculorum S. Bonauenturæ. 242.b. 261. 265 a.

Iumenta à S. Franciſco ſeruantur. 78. a.

F. Iuniperus conuitiatori aperire ſolebat ſinum. 86.b.

S. Iuonis ſanctimonia. 623.a. fuit Aduocatorum lucerna. ibidem. & aduocatus pauperum. ibid. b. 628.a. reluxit velut ſidus nouum in firmamento Eccleſiæ. 625.a. parentes eius nobiles. ibid. patria Trecorenſis. ibid. Pariſijs imbutus artibus liberalibus. ibid. b. Aureliam venit, vbi canonibus & litteris ſacris operam dedit. ibid. corpus macerans pudicitiam conſeruat. ibid. iudex Eccleſiaſticus benignus & æquus. 626.a. abſque lacrymis ſententiam non dixit. ibidem. iudex factus Generalis Epiſcopi Trecorenſis. ibidem. renuntians officio, contemplationi ſe dedit. ibidem. veſtes ſumpſit viles & cilicium. ibidem. in ieiunijs rigidus. ibid. diebus ſeptem ieiunus æquè viſus vegetus. ibid. b. quotidie ſacrificabat. ibid. viſus eſt aliquando globus igneus ſacram ab illo hoſtiam eleuatam ambiuiſſe. ibid. preces horarias attentè legebat etiam nocte. ibidem. veſtitus dormiebat humi duro lectulo. ibidem. hoſpites pauperes menſæ adhibuit, in pauperes liberalis. ibid. ſibi familiæque neceſſaria pauperibus largitus eſt. 627. a. quod Deus miro modo compenſauit. ibid. Vno pane multos refecit pauperes. ibid. capitiũ ſuum dedit egenti, quod diuinitus mox recepit. ibid. ægram precibus ſanauit. ibid. b. infirmum item dæmoniacum. ibidem. ligna precibus aptat ſtruendo ponti. ibid. incendium oratione exſtinxit. 628.a. ſacrificio pacem reparauit. ibidem. Eccleſiæ defendit immunitatem. ibid. pupillorum orphanorumq; patrocinabatur cauſis. ibid. concionabatur multis. ibid. b. ſigno crucis viam per aquas aperuit. ibid. contemplationi deditus fuit. ibidem. pauperis habitu Angelum ad menſam accepit. ibid. columba ad eum aduolauit. 629.a. item auicula, dum pauperes menſa excepit ſua. ibidem. mortem ſuã præſciuit, ad quam ſe parauit. ibid. in crucifixum oculis defixus fuit. ibid. mortuus infinitis inclaruit miraculis. ibidem. b. Clemens VI. catalogo Diuorum accenſuit. ibidem. Pontificis cognatum à morbo liberat. ibid. color veſtium eius. 630.a. quando ſit mortuus. ibid. b.

Ius Canonicum lectu dignum. 138. a.

Iuſta & Rufina Martyres Hiſpali Martyrium peregerunt. 434.a.

Iuſti Lipſij carmen de S. Euchariſtia. 667.b.

de Iuſtificatione ſcripſere Corn. Muſſus & Andreas Vega ambo Minoritæ. 112.b.

S. Iuſtini monaſterium. 48. b.

Iuſtitia conſectanda. 619. a.

Iuuenis quidam laſciuus S. Bernardino auſcultare nolens, malè perijt. 364.b. item alius refractarius. 365.b.

K.

Kaſimirus Poloniæ Rex B. Ioannem Capiſtranum miſſa epiſtola in Poloniam inuitat. 401. a. idque ardentiſſime. ibid.

L.

Labor vincit omnia. 140. b.

Lacrymæ auditorum laus cõcionantium. 195. b.

Lacrymis emundanda conſcientia. 32.b.

Ladiſlaus Coruini filius Comitem Ciliæ obtruncat, atque ideo capitis damnatur. 414. b.

Ladiſlaus Bohemiæ Rex Coruini filios carceri includit. 414.a. veneno perit. 415.a.

Lætitia ſpiritualis imprimis neceſſaria. 192. a. vera lætitia vnde naſcatur. ibid. b.

Lancelotus Mercurius meritis S. Bonauenturæ ſanitati reſtituitur. 255.

Laodamia Vrbeuetana maſculam prolem meritis S. Bonauenturæ à Deo impetrat. 259.

Laonicus Chalcacondylas prohibitus. 139.
Laqueda Colincta leproſa mundatur meritis S. Bonauenturæ. 257.
Latrones S. Franciſcum adoriuntur. 22. b. ante mortem nemo Laudandus. 34. b.
Lauduna Albana mater S. Elzearij. 636. a. eius pietas, ibid. vulgò Bona Comitiſſa vocabatur. ibid. quæ poſt talem conceptum filium mirabiliter ad pietatem arſit. ibidem. b.
Lauerna locus quis ſit. 147. b. Lauerna dea furum. ibid.
Laurentius Martinez brachium fractum habens meritis S. Didaci conualeſcit. 456. a.
Laus magna Martyrem eſſe. 669.
Leander Epiſcopus Hiſpalenſis. 434. a.
Lectio & ſcriptio alternanda. 141. a. lecta in locos communes digerenda. ibid.
Lecta quotidianâ meditatione figenda. 134. b.
Lectio oratione commutanda. 132. b.
Lectio vaga vana. 133. b.
de S. Leone Martyre Minorita hiſtoria. 176.
Leo S. Crucis Cardinalis. 36. b.
Leo X. VII. Fratres Martyres in Sanctorum numerum retulit. 177. b. item S. Franciſcum de Paula. 171. b.
Leo animal Androclum ſeruum recognoſcit. 125. a.
Leonardi Aretini iudicium de hiſtoria S. Bonauenturæ, qua vitam S. Franciſci ſcripſit. 230. b.
Leonardus VVechelius Paſtor Gorcomienſis. 671. b. eius elogium. ibid. ex trabe ab hæreticis ſuſpenditur eo ipſo die, quo Louanij Theologiæ licentiatus declarandus erat. 675. b.
Leonora Gonſalez à febri meritis S. Didaci liberatur. 454. b.
Leproſus à S. Franciſco oſculatur. 20. b. 23. a.
Leproſis S. Franciſcus obſequitur. 21. a.
Leproſum tactu veſtis ſanat S. Ludouicus Epiſc. 308. b.
Leproſi varij à S. Bonauentura curantur. 257. b.
Leproſus calceos S. Bernardini indutus confeſtim mundatur. 366. a. b.
Liber viuentium hiſtoria. 138. a.
Liber S. Crucis à Minoridis primus legebatur. 27. a.
Lignum aridum ab obediente plantatum vireſcit. 122. b.
Lima ciuitas in Peru. 109. b.
Lingua S. Antonij Paduani poſt mortem rubicunda inuenta. 208. b.
Lipſienſis Academiæ initia. 397. a.
Liquor è corporibus V. Martyrum profluens morbidis ſalutaris. 168. b.
Lituaniam, Poloniam & ceteras eius tractus prouincias peragrant Franciſcani. 103. a.
F. Liuinus Brechtus poëta Antuerpienſis. 662. a. 667. a.
in Locos communes lecta digerenda. 141. a.
Lopeſius Enſinas arido laborans brachio meritis S Didaci ſanatur. 455. b.
Louanienſis Academia fundata à Ioanne Duce Brabantiæ. IV. 417. a.
Louanij factum miraculum à S. Ludouico Epiſcopo. 330. a.
S. Lucas Baramedæ quis locus. 441. a.
Luce quadam ducente Hiſpani in Duuelandiam penetrant. 667. b.
Lucius III. Pontifex Roma pellitur. 88. b.
Ludgardis Cæſaris Othonis III. matertera Arnulpho Comitis Hollandiæ filio nupſit. 671. a.
Ludouica Rouera meritis S. Bonauenturæ ſanitati reſtituitur. 255.
S. Ludouici Toloſatis Epiſcopi vita. 297. occaſio auctori quæ fuerit vitam illius conferendi ad vetus exemplar. ibid. quis vitam illam ſcripſerit. ibidem. videtur fuiſſe aliquis ex eius domeſticis. ibidem. Elogia B. Ludouici è variis deprompta. 298. a. b. fuit virtutum ſimulacrum. ibid. a. mutato habitu ingreſſus eſt bellum. ibid. b. omnibus ornatus dotibus. 299. a. tam honoratus ab ordine quàm eum ornauit. ibidem. humilitas in eo & gratia concionandi excelluit. ibidem. a b. breue eius vitæ compendium. ibidem. b. quinam eius parentes. 301. a. 322. b. quare ſit vocatus Ludouicus. ibid. pietas eius à teneris. ibid. quanta eius vitæ aſperitas. ibidem. mores probos à puero coluit. ibid. b. anno XIV. ætatis in Cataloniam cum fratribus pro patre liberando mittitur obſes. ibid. b. 322. b. aduerſis factus melior. 302. a. morbo corripitur, & voto ſuſcepto ſanatur. ibid. a. b. periculosè cum equo cadit, ſed prorſus illæſus. ibid. b. mundi pompam ſpernit. 303. quotidianæ eius preces. ibidem. quantum in ijs oſtenderit feruorem. ibid. preces in honorem S. Crucis & Deiparæ Virginis fundit. ibid. b. affectus eius in dulce nomen Ieſu. ibid. aliorum petit pro ſe preces ibid. alternatiuè legit & orat. ibidem. dæmonem ſigno crucis profligat. ibid. fratri præcipit ne cui hoc ante mortem diceret, quod & præſtitit. 304. a. Miſſæ intereſſe non vult niſi confeſſus peccata. ibid. 322. b. eius pietas in ſacra communione. ibid. factus ſacerdos quotidie celebrat. ibidem. geſtat è collo ſanctas reliquias. ibid. b. tẽporis momenta parcè diſpenſat. ibid. colloquia vana vitat. ibid. ſolus agit ſecum. ibid. exercitia eius pomeridiana. 305. a. D. Bernardi opus de cõſideratione equitans etiam lectitabat. ibid. proborum ſequitur conſilia. ibidem. virorum ſanctorum delectatur ſocietate. ibid. quomodo ſe Sapientiæ ſtudio applicarit. ibidem. b. à fratribus Minoribus inſtitutus. ibid. eius ardor in concionibus & fructus. ibid. nullus in eo faſtus aut tumor. 306. a. eius conciones miraculo confirmantur. ibid. regnum hereditarium deſerit. ibid. b fit clericus, iterat votum intrandi ordinem D. Franciſci. ibid. b. 323. a. à quo propoſito eum quidam auertere conätur. ibid. in Alemaniam diſcedere voti ſoluendi cauſa cogitat. 307. a. quod tamen alij diſſuadent. ibid. petit in ordinem enixè admitti. ibidem. b. votum iterat & ſponſionem coram patre. ibid. non priùs Epiſcopatum Toloſanum admittere voluit quàm S. Franciſci regulam eſſet profeſſus. ibid. 323. a. Romæ profeſſus eſt. ibid. ordinis paupertas illi grata & læta. ibid. eius ſupellex humilis & pauper. 308. a. aurea & argẽtea aſpernatur. ibid. Epiſcopatu cupit defungi. ibid. alit. XXV. pauperes, quibus

miniſtrabat. ibid. b. eorum pedes lauat ibid. leproſum oſculatur. ibid. Veſtem dat leproſo, quam ille induens ſanitati reſtituitur. ibid. reliquiæ ciborum eius febrim depellunt ibid. ordinũ Eccleſiaſticorũ ſingulorum officiis perfungitur. 309. a. quãta pietate ſit ſacerdotio initiatus. ibid. 323. b. humilia fratrũ officia ipſe epiſcopus facit. ibid. abluit vtenſilia. ibid. b. omnia ſua opera humilitate condecorat. ibid. corpus ſuũ macerat ieiuniis & aſpera veſte & fune nodoſo. 310. a. fœminarum fugit colloquia. ibid. continentiæ illius exemplum ſingulare. ibid. 323. a. turpes ſermones à ſe & ſuis voluit proſcriptos ibidem. b. 323. a. qui in ſermonibus peccaſſent grauiter punit. ibid. corripi volebat vt corrigeretur. ibid. paci & concordiæ ſtudebat. 311. a omnium ſaluti conſulebat. ibid. b. in Iudæos & Ethnicos propenſus. ibid. in pauperes affectus. ibid. propria ſe veſte nudat, vt nudum tegat. ibid. ſumptus illius moderati. 312. a. viſitat pauperum hoſpitia. ibid. 323. b. pauperculam infirmam viſitans ſolatur. ibid. captiuos inuiſit & liberat. ibid. ſuum cuique ius tribuit. ibid. b. in mores initiandorum ſeriò inquirit. ibid. atque ideò merita conſiderabat non perſonas. ibid. quales veſtes volebat à Sacerdotibus ferri. 313. a. prudentia fuit illi viuendi norma. ibidem. corporis pulchritudo in eo eximia. ibid. b. ſed pulchior moribus & ſanctitate. ibidem. febre corripitur. ibid. mortem hilaris vt excipiat ad illam ſe componit. ibid. Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſe munit. 314. a. B. Mariam inuocans moritur feliciſſimè. ibid. conſpectus eſt à morte glorioſa forma. ibid. b. eius ætas breuis. ibidem. Miracula eius recenſentur. 315. & ſeqq. vſque ad 321. mortuos plurimos ad vitam reuocauit. 315. a. claudis multis greſſum reſtituit. 316. a item podagricos & chiragricos ſanat. ibidem. b. febrientes plurimos ſanitati reſtituit. 317. a. Surdis auditum, mutis loquelam, cæcis viſum reddidit. ibid. b. apparet febrienti in forma fratris minoris. ibid. a. item alteri in habitu Pontificio. ibid. amẽtes menti reſtituit. 318. a. naufragos periculo eripit. ibid. b. epilepticos ſanat. 319. a. morbidos varios curat. ibid. eius miraculis detrahentes grauiter puniti 320. a eius ſepulcrum viſitantes ad ſanitatem reuerſi. ibid. b. pro Canonizatione eius multi inſtant. 321. a. à varijs eadem Pontificibus poſtulata, tandem Ioanni XXII. obtigit, qui eiuſdem olim ſocius. ibidem. Auenione inter Diuos refertur. ibidem. b. corpus eius transfertur. ibid. opus Dei mirabile fuit. 322. a. eius encomia. ibidem. miracula eius paucis referuntur 324. a. b. dignum catalogo Sanctorum cenſet Ioannes Pontifex. 325. b. indulgentiæ eius ſepulchrum viſitantibus conceſſæ. ibidem. eius paterna ſtirps. 326. a. item materna. ibidem. eius fratres & ſorores. ibidem. b. fuit cognatus S. Eliſabeth. ibidem. non fuit patri primogenitus, in quo multi errant. ibidem. ſed fuit ſecundogenitus. 327. a. vnde illi nomen impoſitum Ludouici. ibidem quibuſcum fratribus fuerit pro patre obſes. ibidem. eius etiamnum pueri in precibus aſſiduitas. ibid. b. quis eius fuerit præceptor. ibidem. eius annui reditus. ibid. b. quando ſit mortuus. ibid. eius vitæ anni. 329. a. eius anima viſa in cælum aſcendere. ibid. b. quot mortuos excitarit. ibid. duo eius miracula eminentiſſima extra ordinem referuntur. ibid. & aliud. 330. a. miracula in corporis tranſlatione. ibid. eius cerebrum incorruptum. ibid. eius corpus in Hiſpaniã auectũ. ibid.

S. Ludouicus Rex Galliæ patruus magnus fuit S. Ludouico Epiſcopo 326. a. eius ſanctitas. 601. in eum dẽ elogia. ibid. Regũ Franciæ Lucifer. ibid. a. anno XIII. ętatis coronatus Rex. ibid. 604. a. omnibus carus fuit. 602. a. ſancta eius mors. ibid. b. eius parentes & coronatio. 604. a. Blanca mater eum erudiendum in virtute curauit. ibid. b. quẽ ipſa mori potius voluit, quàm Deum ſemel offendere. ibid. ducit vxorem. ibid Dei gratia ab Aſſaſinorum cæde ſeruatus. 605. a. mouit exercitum in Hugonem Comitem Marchiæ. ibid. à veneno fuit præſeruatus. ibid. rediuit cum illo in gratiam Comes. ibid. b. grauiter ægrotat. ibid. Liberos piè inſtituit. ibid. cilicio carnẽ caſtigat. 606. a. ſępius ieiunat. ibid. pauperibus pedes abluit quoque Sabbatho, eis cibos miniſtrat. ibid. quorum reliquias ipſe ſumit. ibid. veſtes pretioſas non induit. ibid b. periuros & blaſphemos acriter puniuit. ibid. B. Ægidium inuiſit. ibid. loca ſacra ſeptennio viſitauit. ibid. Sanctæ crucis magnam partem accepit miſſam Conſtantinopoli. 607. a. multis comitatus principibus Ieroſolymã petijt. ibid. in Cyprum venit. ibid. legatio ad eum venit à Duce Tartarorum. ibid viciſſim illi mittit munera, & qualia. 608. a. ei bellum parat Sulthanus Ægypti ibidem. licet pacem finxerit. ibid. b. regis Armeniæ ad eum legatio. ibid. à veneficis præſeruatur. ibid. petit Ægyptum, & claſſis illius in portu Damiatæ ſtetit. 609. a. præferens crucis vexillum duxit ſuos in terram. ibid. cum multis alijs nudis pedibus Damiatam ingreſſus gratias egit Deo ibid. b. iterũ copijs auctus mouet in Saracenos. ibid. Saracenos cædit 610. a. in eius caſtris magna penuria. ibid. capitur cũ fratribus & multis alijs à Saracenis. ibid. paciſcitur cũ Saracenis inducias. ibid. b. Damiatam illis reddit, quo nobiles carcere educerẽtur, ſed fidem fregere Saraceni. ibid. in Syria manet non ſuo ſed Chriſtianorum bono. 611. a. ad quinquenniũ ibi manſit multa faciẽs bona. ibid. mittit fratres Alphonſum & Carolum in Gallias ad matrem conſolandã. ibid. matris morte nuntiata repetijt Gallias. ibid. pauperibus hoſpitalia, religioſis exſtruxit monaſteria. ibid. b. Frãciſcanos & Dominicanos vnicè dilexit. ibid. 612 a. pauperes inuiſit, eis fercula miniſtrauit. ibid. reliquias ſacras, pręſertim dominicę paſſionis inſtrumenta magno cõparata, eximiè veneratus eſt. 612. a. dulces illi lacrymæ ſub re diuina ſubortæ. ibid. b. Signũ crucis maximè veneratus, humo noluit inſcribi, ſcriptũ iuſſit deleri, illud in paraſceue nudis pedibus, & flexis genibus adorauit ibid. iuramentũ verbis conceptũ impiis deteſtatus eſt. ibid. Saraceno baltheum nobilitatis negat. 613. æquus fuit in ferendis ſententiis. ibidem.

pau-

pauperum cauſſas ipſe cognouit. ibidem. duella cum vſuris prohibuit. ibid. Diſcidia compoſuit. ibidem. b. illum ſubſannans horribiliter à Deo punitus. ibid. iterum ſuſcepit expeditionem in Saracenos. ibid. ſalutariter inſtruit filium primogenitum. ibidem. Maſſilia ſoluens portum occupat Carthaginis. 614. a. cum Ioanne filio obdormit in Domino. ibid. eius magna fides in SS. Euchariſtiam. ibid. 668. a. eius frater Carolus pacem Saracenos petere coëgit. 614. b. inter Sanctos relatus eſt à Bonifacio VIII. ibid. b. qui de eius vita ſcripſerint. 615. fuiſſe tertij ordinis S. Franciſci probatur. ibid. a. ordinem aliquem ingredi cogitauit. ibid. b. cur imago eius præferat ſceptrum in ſummo habens manum ad formam iurantis cōpoſitam. ibid. cur ſiniſtra orbem ferat. ibid. fune quoque cinctus pingitur. 616. a. fuit IX. Rex non V. vt aliqui cenſent. ibidem. eius filij. 619. b. eius mors ſancta. ibidem. eius nummi varijs medentur morbis. 620. a.

F. Ludouicus ab Arquennes Franciſcanus Martyr. 662. b.

Ludouicus Bauariæ Dux B. Ioannem Capiſtranum honorificè habuit. 401. b.

Ludouicus Galliarum Rex S. Bonauenturam in Diuos referri poſtulât. 242. b. 260. 264. b.

Ludouici Lantgrauij Thuringiæ filio deſpōdetur S. Eliſabeth infans. 565. a. ducit illam. 567. b. dat vxori præceptorem Conrardum Marpurgenſem ſacerdotem, cui illam parêre vult. 568. b. ieiunia vxoris imitari volens aliorum id reſpectu omiſit, & bene. 569. a. delatores vxoris grauiter caſtigat. 575. a. eius fides erga eamdem. ibidem. ſcorta profligat. ibid. b. optimum ipſe domeſticis exemplum. ibidem. parat ſe accepta cruce ad recuperationem terræ ſanctæ. ibid. moritur. 576. a. eius oſſa reuecta in Thuringiam 578. b. in eum impietas Frederici II. Imp. 594. b.

Ludouicus Madrutius Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 515. b.

Ludouicus VIII. D. Ludouici Regis pater. 604. a.

Lugdunenſe Concilium indicitur. 239. a.

Lugdunenſes petunt S. Bonauenturam Diuis aſcribi. 242. b. 260. 265. a.

Lugdunum liberatur à peſte meritis S. Bonauenturæ. 242. a.

Luminaria viſa ſupra corpora Martyrum Alcmarienſium. 664. b.

Luminum ritus diuinitus in Eccleſia probatus. 329. b.

Luporum rabiem arcet S. Franciſcus. 43. b.

M.

MAblina à Simana per viſum S. Elzearij caſtitatem cognouit. 643. b.

Magdeburgi quæ morum conuerſio ad conciones Ioannis de Capiſtrano. 114. b.

Mahumetes Turcarum Imp. Hungariæ inhiat. 396. b. 408. b. 409. a. maledicit diei qua Albam obſedit. 411. b. Conſtantinopolim expugnat. 405. 406. eius victoriæ. 406. a. conflat magnum exercitum. 408. b.

Mala duo ſæculo S. Franciſci inualuerāt, hæreſes, & diſcidium inter Rom. Pontifices & Impp. 87. b. quibus oppoſiti Dominicus & Franciſcus. 88. a.

Malchus Eremita cum vxore in perpetua vixit caſtitate. 657. a.

Malignitas etiam mordet bonos. 330. b.

Malleus hæreticorum dictus S. Antonius de Padua. 192. b

Malum cuipiam imprecari non licet. 588. b.

Mantellum S. Franciſcus miſit S. Eliſabethæ. 596. a.

Manuel Comnenus Imp. moriens veſtem monaſticam aſſumpſit. 158. b.

M. Marcellus Cordubam condidit. 436. a.

S. Marculfi Abbatis precibus Reges Franciæ in ſtrumas adepti ſunt poteſtatem. 620. b.

Marcus Antonius Columna Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 515. a.

itē Marcus Siticus ab Altaemps Card. 515. b.

Margarita Euangelica, paupertas. 37. a.

Margaritæ Garrinæ filius herniosſus meritis S. Bonauenturæ ſanitati reſtituitur. 258. a.

Margarita Gruelle ſanatur meritis S. Bonauenturæ à podagra. ibidem.

Margarita Petit viſum meritis S. Bonauenturæ recuperat. 256.

Margarita de Vaulx liberatur à paralyſi meritis S. Bonauenturæ. ibidem.

Margarita Viella puerum nutritium mortuum viuere deinde meritis S. Ludouici conſpexit. 315. b.

Margarita vxor B. Ludouici Regis, Ducis Prouinciæ filia. 604.

S. Maria de Angelis locus S. Franciſco gratus. 23. b.

Mariæ Deiparæ deuotus S. Franciſcus. 44. b.

Maria Virgo pro humano genere intercedit. 10. a. fuit magiſtra S. Elzearij. 642. b.

conuentus S. Mariæ Saliceti. 447. b.

Maria quædam S. Franciſco deuota ſiti pænè exhauſta fontem ab eodem impetrat. 78. a.

Maria Alphonſa attactu terræ ſepulcri S. Didaci è gutture laborans quamprimum ſanatur. 458. b.

Maria Flores inſana meritis S. Didaci mentis fit compos. 453. a.

Mariam Magdalenam Chriſti concubinam aſſerebant Albigenſes, ſed ob eamdem blaſphemiam cæſi. 90. a.

Maria de Pinilla diuerſis affecta morbis meritis S. Didaci pènitus ſanatur. 458. b. 486. b. 494. a. 506. a.

Maria Stephani V. Regis Hungariæ filia, mater S. Ludouici Epiſcopi ac plurimorum liberorum. 301. a. 326. b. eius maritus Carolus Claudus Regis Siciliæ filius. ibid.

Marinetus Aquenſis amens meritis S. Ludouici Epiſcopi reſipiſcit. 318. b.

Marinus Brantus hæreticus Gorcomij ſacra prophana permiſcet. 673. a.

Marochium adire geſtit S. Franciſcus martyr deſiderio. 45. b.

de B. Maronis corpore certatur. 208. a.

S. Martialis Martyris elogium. 136. b.

Martinus Fernandez voto S. Didaco facto à febri liberatur. 454. a.

Martinus V. Pontifex Bernardinum falſò hereſeos accuſatum abſoluit, eiuſque inſtitutum laudat. 356. b. eius legitima electio in Concilio Conſtantienſi. 398. a. cucullo Minoritarum indutus Peruſiæ ſepultus. 158. a.
F. Martinus Turnhoutius præceptor Franciſci Titelmanni. 662. a. eius ſcripta. 667. a.
S. Martini Turonenſis tunica plurima patrauit miracula. 457. b. ſtraminis, cui indormiuit, efficacia. 129. b. in nomine eius canis obmuteſcere iuſſus, latrare deſiit. 143. a.
F. Martinus à Valentia cum VII. ſocijs Franciſcanis in Mexicum mittitur. 204. b. eius fructus. ibidem. eiuſdem epiſtola ad Matthiam VVenſſen. ibidem. eius ſancta mors. ibid. b. corpus eius incorruptum ad XXX. annos poſtea non comparuit. ibidem. Indorum dictus Apoſtolus. ibidem. eius miracula. ibid.
Martyr etiam eſt, qui non fundit ſanguinem. 693. b.
Martyr mentis incendio S. Francif. 57. a.
Martyrem non approbatum nefas eſt orare, aut eius reliquias venerari. 466. b.
Martyres cum cicatricibus reſurgent. 7. a.
Martyres veri Sanctorum tabulis adſcribebantur, non pſeudomartyres. 466. b.
Martyres Cordubenſes multi, & plures fortaſſe quàm in vlla Hiſpaniæ ciuitate. 436. a.
Martyres ordinis Franciſcani. 108. b. 109. a. b.
Martyrum acta olim diligenter perſcripta. 682. eorum æmulatur triumphum S. Franciſcus. 45. a. eorum gloria noſtra eſt. 667.
Martyrij genus eſt inſeruire peſte laborantibus. 381. b.
Martyrium V. Franciſcanorum Maroci occiſorum. 165.
B. Maſſæi oratio. 207. a.
Maſſilieta filium mortuum enixa, eumdem meritis S. Ludouici viuum recepit. 315. b.
Matthæus clericus à mortifero veneno liberatur interceſſione S. Franciſci. 70. a.
F. Matthæus Pedelarius vitam ſcripſit S. Antonij de Padua. 204. a.
Matthias Coruinus Hungariæ Rex S. Bonauenturam in Diuos referri petit. 242. b. 260. 264. b. ei B. Capiſtranus regnum promittit præſagiens. 412. b. cur ſemper fratri natu maiori à Capiſtrano præponeretur. ibidem. fit Rex Hungariæ. 415. a.
Matthias Thoranius Martyrum Gorcomienſium merito ab hernia liberatus. 677. a.
Matulinus Biblicus Franciſcanus S. Bonauenturam inuocandum in morbo ſuadet. 255.
Matutina recollectio. 318. a.
Mauritius Breſſus orationem habuit, quando S. Bonauentura Eccleſiæ Doctor renſitiabatur. 246. a.
Mechtildis Comitiſſa Hollandiæ, deinde religioſa in monaſterio Loſdunenſi. 597. a. legauit tres imagines Deiparæ virginis tribus diuerſis locis. ibidem.
Mechtildis puella cæca meritis S. Eliſabeth viſum recuperat. 590. b.
Medenblicum Friſiæ vrbs. 661. a.
Medici obſequium S. Franciſco impenſum remuneratur à Deo. 39. b.
Mediolanenſe monaſterium quod S. Ambroſius dilaudat. 661. b.
Mediolanenſis Dux S. Bonauenturam Diuis poſtulat aſcribi. 242. b. 260. 265. a. alius quidam Dux paupertatem S. Bernardini explorare nititur. 360. a.
Melania Romana virum ad ſeruandam caſtitatem induxit. 657. b.
Melchiora Aguilar paralytica ſanatur meritis S. Didaci. 455. a.
Mendicatio per amorem Dei obtinet, quod nequit pecunia. 39. a.
Mendicantium ordinum encomium. 10. b. cur inſtituti. 87. b. 92. b. vt Eccleſiæ ſuccurrant. ibid. ſunt quatuor. 93. a. eorum vtilitas in Eccleſia. ibid. illorum hoſtes & aduerſarij à Deo caſtigantur. 93. b. æmulos habent. ibidem.
Mennæ Martyris feruor. 171. b.
Menſurius Epiſc. Carthaginenſis eos vt martyres habet, qui quòd ſacros Codices tyranno tradere noluiſſent, martyrio affecti ſunt. 466. b.
Mercurium Gentiles in viarum capitibus ſtatuebant. 116. b.
Meſquita vox Saracenis templum eſt. 166. a.
Mexico vrbium noui orbis maxima. 105. b.
Mexicanorum mores. 103. b. dij illorũ multi, quibus homines immolant. 104. a. puerorum carnes edebant. ibid. in Venerem maſculam procliues. ibidem. baptizantur. ibid. eorum ſcholæ pro catechizandis à Franciſcanis diriguntur. ibid. b. ad eoſdem alij deſtinantur Franciſcani. ibidem. fides apud illos excreſcit. 105. a. mulieres ibi pudicæ. ibid.
Michaëli Alexandrino Card. delegat Pius IV. cauſam canonizationis S. Didaci. 462. a. 481. b.
F. Michaël Bonellus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 515. b.
Michaël de Chel equi ictu grauiter percuſſus meritis S. Bonauenturæ ſanatur. 257.
Michaël Comnenius Cõſtantinop. Imperator Lugdunum ad Concilium venit. 240. a. & cum Latinis credit. ibid. b.
Michaël à Medina Doctor Theologus. 112. b.
Miles à S. Franciſco habitum ſuſcipit. 20. a.
Miles repertis in ſacculo purpureo gemmis, his abiectis ſacculum retinuit. 3.
Militia Chriſti à ſui victoria inchoanda. 20. a.
Militiæ ſignatorum cruce primordia. 616. a. qui ad eam proficiſcebantur crucem ſuſcipiebant. 594. a.
Militis Hungari egregium facinus. 411. a.
Milites olim in ſacro bello cruce ſignati. 327 b.
Miniſtri cur appellentur in ordine Minorum prælati. 35. a.
Minoritæ ad ieiunium obligati quoque ſexta feria, an poſſint comedere carnes in Chriſti natali cùm in ſextam inciderit feriam. 229. b.
Minoritis Pragæ trucidatis laudes, eorum in templo pro more auditæ. 418. a.
Minoritarum fructus aſſidui, qui, quia aſſidui, viluerunt. 115. b.
Minorum conuentus Alcmariæ quàm fuerit illuſtris. 661. b.
Minores D. Bonauenturam legant. 135. b.

Minorum regula & inſtitutum. 11. b regula à Deo inſtituta. 12.a. in tollenda Albigenſium hæreſi ſtrenuè laborant. 94. a. eorum regula aduerſus hæreſes & ſchiſmata inſtituta. ibid. b. eorum ordo quando cœperit. 40. b. eorum incrementa. 99. à. quinque millia in primo capitulo Aſſiſienſi. ibidem. triginta bellatorum millia Generalis ordinis Pio Pontifici in bellum Turcicum ſe daturum promiſit. ibid. centum viginti millia hodie & amplius referuntur eſſe. ibidem. b. quot anno 1593. in capitulo generali proximo ſexennio dicti ſint obiiſſe. ibidem. præſtat ceteris numero. ibidem. Aſiam Maiorem peragrant. 102. a. Tartaris Chriſtum prædicarunt. ibidem b. Græcos ad vnionem cum Rom. Eccleſia induxerunt. ibidem. Armenos & Bulgaros docuere. ibid. Sarmatiæ proximas regiones Chriſto ſubiugarunt. 103. a. Cannarias inſulas fide Chriſtiana imbuerunt. ibid. orbem nouum in Occidente inuenere cum Columbo. ibid. eumdem fide Chriſtianà imbuerunt. ibid. eorum magna frequentia in orbe nouo. 108. a. Orientales Indos primi fide imbuerunt. ibid. item Chinam luſtrarunt. ibidem. cur dicantur Franciſcani. 35. a.

Minorum monaſteria in Hungaria propagata per Regem Belam fratrem S. Eliſabethæ. 497. b. primum Chriſti miraculum. 551. b ſingulare miraculum in ſtatione corporis S. Franciſci. 158. a.

Miraculum in imagine S. Antonij Paduani. ibid.

Miracula fiunt tactu corporum Sanctorum. 205. a.

Miracula Sanctorum veteris Teſtamenti. 449. a. item noui Teſtamenti. ibidem. miracula ad fidem ducunt eamque confirmant. ibidem b. hæretici eadem reiiciunt. ibidem.

Miracula quæ fuere incluſa ſtigmatibus S. Franciſci. 152 b. 153.

Miracula non tam in Sanctis ſpectanda quàm ſanctitas. 260.

Miracula & merita Sanctum oſtendunt. 263. a. conciones comprobant. 328. a.

Miraculum S. Franciſci in capitio non aduſto. 36. b.

Miracula S. Franciſci, quæ viuens edidit. 55. a. b. item quæ poſt obitum. 63. b.

Miraculis S. Antonius Paduanus doctrinam ſuam confirmat. 193. b.

Miracula S. Bernardini. 362. & ſeqq.

Miracula varia edidit S. Bonauentura. 241. b.

Miracula S. Claræ recenſentur. 536. b. 577. a. item S. Didaci. 550. & ſeqq. item S. Eliſabeth. 588. b. & 589. a. b. 590. a b. item B. Iacobi Picentis. 413. a. item B. Ioannis à Capiſtrano. ibid. b.

Miramolinum Regem Marochij conuertere ſtudet S Franciſc. 45. b. ab Albigenſibus in auxilium vocatur. 90. a. ingentem hominum multitudinem conducit, Innocentio Papæ comminatur; profligatus in Sicilia præ dolore mortuus eſt. ibidem. eius vexillum Romæ in Baſilica B. Petri velut trophæum erectum. ibid. Quinque Martyres Franciſcanos Marocchio pellit. 166. a. in carcerem detrudit. ibid. ideo plaga Saracenis à Deo immiſſa. ibidem. eius brachia eo anno quo Martyres interemit arida facta ſunt. 169. a. Varia eius nomina. 171. a. ipſe Martyres manu ſua occidit. ibid. b.

Miſericordia Dei maior quàm noſtra miſeria. 640. a.

Momenta ſingula fructuosè occupanda. 129. a.

Monachus quid ſignificet. 123. b.

F. Monaldus Caſiſta Franciſcanus. 112. a.

Monaſteriorum ordinis Seraphici copia in nouo orbe. 108. a.

Monaſterio rarò exeundum. 123. a. exemplo piſcium demonſtratur, & à monachi nomine, & ad vitanda pericula. ibidem. b.

Monaſterium quod bene inſtitutum eſt, exéplorum officina. 436. b.

Monaſticæ vitæ laus. 84. a.

Monere & moneri amicorum proprium. 310. b. alium rectè monet qui vitio caret. 311. a.

Mons Pietatis à quo inſtitutus. 115. a.

Monſtroſus puer à S. Franciſco formæ naturali reſtituitur. 79 a.

Morbidi varij S. Bonauenturæ voto facto ſanantur. 257. item meritis S. Ludouici Epiſcopi. 319. a.

Moribus bonis ſtudendum eſt quàm maximè. 131. b.

F. Moricus à S. Franciſco curatur. 18. b. Fit Minorita. ibidem. à S. Franciſco correptus quod in die Natali Domini ieiunarit. 129. b.

Mors beata miſeræ vitæ præferenda. 117. a.

Mors S. Antonij Paduani. 197. b. S. Bernardini. 367. b. D. Didaci. 448. a. b. S. Eliſabeth. 587. a. ſancti Franciſci. 60. a. B. Ioannis Capiſtrani. 413. a. S. Ludouici Epiſcopi. 314. a. S. Ludouici Regis. 614. a.

Mortalitas in exercitu Chriſtianorum ad terram ſanctam profectorum. 607. b. 610. a.

ad Mortem parari debemus ſi bene mori volumus. 153. b.

ſub Mortem habenda pia colloquia. 586. b.

Mortui recenſentur quos S. Franciſcus ad vitam reuocauit mortuus. 66. a. 159. a. item quos mortis periculo eripuit. 67. b.

Moyſi S. Franciſcus ſimilis. 40. a. eius miracula. 449. a.

Mulier noxia Religioſo. 31. b.

Mulierum conſortia religioſo deuitanda. 117. b.

Mulier cæca audiens miſſam in Eccleſia S. Franciſci viſum recuperat. 74. a.

Mulier à lapide in capite ſaucia à S. Franciſco curatur. 68. b.

Mulieres Mexicanæ pudicæ. 105 a.

Mulus reliquias deferens SS. V. Martyrum per deſerta & ignota viarum, viam inuenit. 168. b. alius mulus poplitibus flexis Ven. Euchariſtiam adorat. 193. a.

Mundus ad Dei fidem conuerſus. 375. a.

Mundi ingenium abducere à pietate. 529. a.

Muſcæ vocantur à S. Franciſco denarij. 39. b.

Muta tactu manus S. Didaci loquelam recipit. 457. b.

Muti tres meritis & interceſſione S. Ludouici loquelam amiſſam recuperant. 317. b.

mutus Louanij interceſſione S. Ludouici Epiſcopi vocalis factus. 330. b.
Myſtica Theologia, quomodo à Scholaſtica differat. 130.a.

N.

NÆnia in morte Ioannis Huniadis viri fortiſſimi. 412. b.
Natalem Dominicum quomodo celebrarit S. Franciſcus. 49. a.
Natura rerum liber eſt. 116. b. ex quo Deus intelligitur. ibid.
Naufragis ſuccurrit S.Franciſcus. 70.a.
Nauicula quam S. Franciſcus ingreditur, ſpõte à terra ſubducitur. 54. b.
Negotia quæ agenda, inſpicienda primùm ſunt. 120.a.
Negotiator Euangelicus S.Franciſcus. 53. a.
Nera mater S. Bernardini. 341. a.
Nicaſius Heſius Minorida Gorcomij. 672.b. eius encomium. ibid. eius ſtudia & præceptores. ibid. in hunc ſæuiunt hæretici. 676.a. è capiſtro ori iniecto ſuſpenſus vixit ad octo horas. ibidem.
Nicetæ Choniatæ elogium. 139. a.
Nicolaus à Caſtro Epiſcopus Middelburgenſis & Abbas. 676.b.
Nicolaus Liranus ſacræ Scripturæ interpres contemnitur à contemnendis. 110.b. eius elogia. ibidem. & 111. a.
de S.Nicolao Martyre Franciſcano hiſtoria. 176.
S. Nicolaus Epiſc. Myrienſis apparuit in ſomnis Imp. Conſtantino. 195. b.
Nicolaus Niſſenus Doctor Theologus ord. Seraphici. 110. b.
Nicolaus Orbellius Doctor Theologus Franciſcanus. idib.
Nicolaus de Pelleue Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 515.b.
Nicolaus Pieckius Guardianus Franciſcanorum Gorcomienſium. 672. a. eius dotes. ibid. ſuſpenditur ad carceris ſuperliminare, ſed fune fracto dilapſus reuixit. 673. b. 679.b. ſuadetur vt Rom. Pontificis auctoritati detrahat vitæ ſpe propoſita. 675. a. ſed ille conſtantiſſime eiuſdem auctoritatem confeſſus eſt. ibidem. hortatur ſuos ad conſtantiam. ibid. b. primus ex trabe ſuſpenſus eſt, & membris immaniter mutilatis. ibidem.
Nicolaus Popelius Paſtoris Gorcomienſis focius. 671.b. eius in obeundis muneribus induſtria & ſedulitas. ibid. Vulgo *Slaefken* dictus ibid. vexatur præ ceteris ab hæreticis, quòd in eos fortiſſimè declamaſſet. 673. b. ex trabe cum ceteris ſuſpenditur. 675. b.
Nicolaus IV. Franciſcanus fuit, antea dictus Hieronymus ab Aſculo, eius ope Græci ad Eccleſiam reducti in concilio Lugdunenſi. 100.a.b. Pontifex Reate renuntiatur. ibid. b. quid in Pontificatu geſſerit. ibid. eius modeſtia. ibid. mortuus, quot annis ſederit, & vbi ſepultus. ibid.
Nicolaus V. S. Bernardinum in Diuos retulit 243. a. 375.b. indulgentias concedit in ſacram militiam aduerſus Turcas proficiſci volentibus. 406. a. corpus S. Franciſci videre geſtit & de facto videt. 156.a.b.
Nicolaus Sacerdos de Stichano herniosus à S. Franciſco ſanatur. 76.a.
Nicolaus Sfondratus Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 516.a.
opidi S.Nicolai in Bætica ſitus. 433. b.
in Niuem S. Franciſcus ſe mergit. 31. a.
Nobiles Belgæ ex ordine Seraphico. 102. a.
ad Nominis Ieſu honorem cunctos S. Bernardinus excitat. 353. a. ipſum in tabula adorandum proponit. 356. a. & vt id pro tabulis luſorijs fieret ſuadet. 337.a.
Noſce te ipſum, non ab Apolline ſed à Deo priùs dictum. 150. b.
Notarij Rom. Eccleſiæ quot fuerint & quod eorum officium. 466. a b.
Noua-ciuitas in Auſtria. 407. a.
Nouæ lucis cœnobium in Friſia Minore celebre. 665 a.
Nummi S. Helenæ comitiali medentur morbo. 620. a. item S. Ludouici Regis, alijs morbis. ibidem.

O.

verus OBediens è S. Franciſci mente. 34. b. 438. b.
de Obedientia quid ſenſerit B. Ægidius S. Franciſci focius. 98.a.
Obedientia ſepulcrum voluntatis. 438. b. præcipua monachi virtus. 122. a. exempla duo humilitatis & obedientiæ. ibid.
Obedire creaturæ rationali ſalutare. 121. b.
Inſtitutum de Obſeruantia ſub Bernardino mirum in modum floruit. 355.b. Cœnobia multa eiuſdem exſtruuntur. ibidem. qui etiam inter barbaros agunt. ibidem. quomodo excreſcunt per Italiam auctore Bernardino. 356. a.
Octauiani à Martinis oratio in laudem S. Bonauenturæ, qua inter Diuos referri poſtulatur. 243.a. 247. a.
Oculus exſcindendus à S. Franciſco reſtituitur loco. 74. b. item alius ferro diuiſus. ibid. item alij exciſi. 75. a.
Odor ſuauiſſimus è corpore S. Bernardini prodit. 369. a.
B. Odorici Franciſcani labor in Aſia. 102. b.
Oleum diuinitus S. Claræ ſubminiſtratur. 531. b.
Oliuæ duæ Dominicus & Franciſcus. 10. a. b.
Opinio falſa refellitur, qua dicuntur Pontifices mori mox vt Sanctum aliquem Diuorum catalogo adſcripſere. 465.b.
Opprobria contemnenda. 382. a.
Orachæ Reginæ V. Martyres futura prædicunt. 165. b. quæ moritur. 166. a. reliquias Martyrum religioſè ſuſcipit. 168.b.
Oratio frequens pijs neceſſaria. 127. b. an præſtet prædicationi. 53. a. vtriuſque commoda & incommoda librantur. ibidem. ſolatium & præſidium. 47. a. ſemper religioſo neceſſaria. ibidem. b. quanta eius vis in S. Franciſco. 48 b
Oratio S. Franciſci in eleuatione SS. Euchariſtiæ. 127.a.
Orationis Dominicæ expoſitio per S. Franciſcum. 116.a.
Oratorum & poëtarum veterum lectio Theologo vtilis. 139. b.

Ordinis S. Claræ maxima incrementa. 523. eius initium & fundatio. ibid. ipſa fuit primus lapis iſtius ordinis. 524. b.
Ordinum regularium vtilitas & laudes. 526. a. quibus ad adiutorium Eccleſiæ ſexus fœmineus deeſſe non debuit. ibid. qui velut cymbula magnæ nauis Eccleſiæ. ibidem.
Ordo Secundus S. Franciſci fuit Clariſſarum. 117. a.
Ordo Pœnitentium tertius à S. Franciſco inſtitutus quando cœperit 28 a. 116. b.
Ordo Seraphicus quot reges habuerit & regum filios. 327. a. *vide* Minores. quodnam eius ſigillum. 293. b.
Orientales Indi à Franciſcanis fide imbuti. 108. a.
Origenis elogium. 136. b.
Orlandus Catanæus S. Franciſco montem Aluernæ dedit. 147. b.
S. Oſmundus à Calliſto III. Diuis aſcriptus. 243. a.
Otho Frederici Aenobarbi filius à Venetis bello nauali ſuperatur. 90. b.
de S. Othone Martyre Franciſcano hiſtoria. 165.
Otho Hiluerenbecanus prædicit bella ſtrageſque ob hæreſes euenturas. 677 b. 680. b.
Otij inquieti vitia negotio aliquo diſcutienda. 327 b.
Otium vitandum. 31. b.
Oues S. Franciſco adplaudunt. 42. a. alia in Miſſa S. Euchariſtiam adorat. ibid. b.

P.

PAcem S. Fräciſcus ſemper precabatur. 24 a. F. Pacificus conuertitur. 29. a. multa in Belgio Monaſteria Franciſcanorum conſtruxit. 117 b. obiit Lendij. ibid
Paduanæ vrbis laudes prædicit S. Antonius de Padua. 196. b.
Paduani templum honorificum S. Antonio patrono ſuo exſtruunt. 208. b. eorum in S. Antonium Paduanum beneuolentia & affectus. 198 a.
Padum traiicit cum ſocio Capiſtranus. 401 a.
Pallio S. Bernardinus pro naui vſus eſt. 358. b.
Pallium S. Franciſco adhuc mundano per plateas eunti quidam ſternit. 19. b.
Palmæ ingenium. 100. a.
Palus in arborem creuit, cui S. Bonauentura pileum Cardinalitium appendit. 293. b.
Panes mirabiliter Deus S. Claræ multiplicat. 531. a.
Panis diuinitus S. Franciſco adfertur in ſolitudine 27. a.
Panis emendicatus panis Angelorum. 39. a.
Panis fruſto dæmonia fugat S. Franciſ. 56 a.
Parabola inſignis de diuite pauperculam ducente. 26. a.
Parænesis S. Ludouici Regis ad filium primogenitum xxv. capitibus diſtincta. 618. b. 619. a. b.
Parænesis ad Martyres. 659.
Paralytici varij à S. Bonauentura ſanantur. 256.
Pariſienſis ſtudioſus in S. Franciſci nomine hirundini ſilentium indixit. 54 b.
Parturientes variæ in periculo conſtitutæ à S. Franciſco curantur. 71. 72.
Paſtor Eccleſiæ Vniuerſalis pontifex Romanus. 675. a.
Pater S. Franciſcum impedire conatur. 21. b. eum in vincula conijcit. 22. a.
Patiendum quod vitari nequit. 327. b.
Patientia S. Franciſci. 59. b.
Patientiæ exemplum in ſancto Bernardino. 351 b.
Patres veteres Eccleſiæ à Theologiæ ſtudioſis diligenter voluendi. 135. b. ſunt incorrupti iudices. ibid. vtri prælegendi, noui an veteres. 136. a. primæ ætatis Patres recenſentur. ibidem. & poſterioris. 137. b. aliquot omnis ætatis legiſſe iuuat. ibidem. eorum conſenſus. ibid.
D. Paulus Apoſtolus ab Apollophane mundi circuitor nuncupatus. 172. b. eius labores. ibidem. eius ſemicinctia ſanabant morbos. 143. b.
Paulus Eremita ad calculos orauit. 552. a.
Paulus Iouius de Belgarum ingenijs nō adeò candide ſentit 672. b.
Pauper, Chriſti & Deiparæ ſpeculum. 41. b.
in Pauperes benignus S. Franciſcus ab ineunte ætate. 19. a.
Pauperes de Lugduno hæretici. 88. a.
de Paupertate quid ſenſerit B. Ægidius ſocius S. Franciſci. 98. b.
Paupertas cauſa incrementi ord. Seraphici 117. a ipſa diues & abundans. ibidem. radix perfectionis. 124. a. eius magna commoda. ibid. ſi voluntaria & læta. ibidem. non tam grauis quàm diuitiæ. ibid. b. eam amat S. Franciſcus, quæ Margarita Euangelica. 37. a. regina Virtutum. ibidem. via ſalutis. ibid. ordinis fundamentum. ibid. b. de qua plura conſequenter. voluntaria paupertas Chriſto placet. 38. b. a. recta in cælum via. 14. a. turris & munimentum ordinum. 530. b.
Paupertas S. Franciſci. 14. a. 24. a. S. Bernardini. 350. b. exploratur à Duce Mediolanenſi. 360. a.
Pax inter Aretinos S. Franciſco ſuadente conflatur. 36. a.
Peccata crebro confeſſione expianda. 618. b. ſunt tenebræ. 87. a.
Peccato hominis in belluas imperium deciſum. 125 b.
Pecunia religioſis diabolus eſt. 38. a.
Pedes pauperum lauat S. Ludouicus Epiſcopus. 308. b.
Perea Genuenſium colonia Byzantij. 406. a
Peregrinationes ad tumulum S. Antonij Paduani. 200. b.
Perfectionis radix paupertas. 124. a.
Perfectum nihil eſt ex omni parte. 325. b.
in paruo corpore Perfectus eſſe poteſt homo, ſic in breui tempore vita perfecta. 325. b.
Perottus puer ſeptennis mortuus precibus S. Ludouici Epiſcopi ad vitam redit. 318. a.
Peruſini ciues poſtulant S. Bonauenturam Diuis aſcribi. 242. b. 260. 265 a.
Peruuiam conuertêre Franciſcani. 107. a.
Peruuianorum mores & religio. ibid. b.
Peſte laborantibus inſeruire genus martyrij eſt. 381. b.
Petri Maleti filius ſacro igne in pede laborans Sancto Ludouico intercedente curatur. 319. b.

B. Petronius de Petronijs Carthuſianus prodijt ex ſodalitate Bene-moratorum Senis. 345.a.
Petronus Bitonenſis recuruus meritis S. Claræ adrigitur. 542. b.
Petrus Alenconij Dux filius S. Ludouici. 619. b.
Petrus Arze Auilenſis meritis S. Didaci lumen recepit. 456.a.
Petrus Aſchanus Franciſcanus laicus ab hæreticis Brielæ ſuſpenditur. 676.a.
Petrus Aureolus Archiepiſcopus Aquenſis, S. R. E. Card. quid ſcripſerit. 111. a. eius libellus aureus Compendium Bibliorum. ibid. b.
Petrus Becanus ex ordine Præmonſtratenſi ab hæreticis ſuſpenſus in Hollandia. 676.b.
Petrus Caniſius Soc. Ieſu Andream Vega laudat. 113.a.
Petrus Comes Grauienſis frater S. Ludouici Epiſcopi. 316. b.
Petrus Deça Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 479.b. 516.a.
Petrus de Dreſda primus inuenit hæreſin de communione ſub vtraque ſpecie laicis. 398. a.
Petrus Eremita auctor legendi roſarij. 552. a. ſed refellitur hæc opinio. ibid. b.
Petrus filius Ioannis Aiuſe Chapelier claudus meritis S. Bonauenturæ ſanatur. 255.
Petrus Fabri meritis S. Bonauenturæ amiſſa recuperat. 258.
Petrus de Fulgineo peregrinationem reuerenter faciens à dæmonibus arripitur. 76. a. & liberatur tacto ſepulchro S. Franciſci. ibidem.
F. Petrus à Gandauo laicus in Indiam mittitur, eius epiſtola de meſſe Indiana. 103. b. pueros in Mexico erudit. 104. a. eius induſtria. 106.a eius laus. ibid. b.
F. Petrus Goſſeal Louanienſis in Peru apud omnes in veneratione. 108.a.
Petrus Gondius Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480.a.
Petrus Gonſalius ſacerdos è lumbis laborans meritis S. Didaci ſanitatem recipit. 457. a.
Petrus hæreticus Aliſinus captus abiurata hæreſi mirabiliter è carcere, S. Franciſci interceſſione liberatur. 72. a.
Petrus Infans Portugalliæ Regis frater Marocci Chriſtianos fouet. 166.a. V. Martyrum reliquias aſſeruat & in Luſitaniam transfert. 168. a.b. eorum virtutes expertus. 186.a.
Petrus Martinez cæcus viſum recuperat per S. Didacum. 455. b.
de S. Petro Martyre Franciſcano hiſtoria. 165.
Petrus Medicus quadriennio cæcus oculorum vſum, poſtquam oculos cæreos B. Ludouico Epiſcopo vouiſſet, recuperat. 318.a.
Petrus Morget pene contritus meritis Sancti Bonauenturæ ſanitati redditur. 258.
Petrus Nannius Alcmarienſis. 651. a.
Petrus Opmerus Martyrum Gorcomienſium res conſcripſit. 678. eius laus & encomia. 666. eius ſcripta recenſentur. ibidem. ſcripſit inter cetera perſecutiones hæreticorum in ſacerdotes & Monachos. ibidem.
Petrus Payne Anglus hæreſin VViclefi in Bohemia propagauit. 397. a.
Petrus Ramirez herniosus meritis S. Didaci conualeſcit. 454 b.
Petrus Rodulphius Epiſcopus Senogallienſis. 157.b. ordinis totius nomine D. Bonauenturam in Sanctos referri petit. 265. a.
F. Petrus à Saxonia Caſus conſcientiæ concinnauit. 112.a.
Petrus à Tarantaſia Epiſcopus Oſtienſis & Card. S. Bonauenturam pro funere laudauit. 241. b. 273.b. Pontifex deinde factus. ibidem.
Petrus Tarraconenſis Rex Siciliæ regnum inuadit, cæſis omnibus Francis in Sicilia, quòd illi Conſtantia Manfredi filia vxor eſſet. 326.a.
Pharetra liber S. Bonauenturæ laudatur. 227. b.
Phaſianus à S. Franciſco non recedit. 43.a.
Phiala repletur ſanguine è laterali vulnere S. Franciſci profluente. 64.a.
Philibertus Chalonius Aurantiæ Princeps thecam argenteam S. Bernardini ſuſtulit, ſtipendio militibus ſoluendo, ſed mox gemina traiectus glande interijt. 384. b.
Philippus quidam Franciſcanus à Saracenis occiſus in Aſia. 205. b.
Philippo de Adria concionatore de rebus diuinis differente S. Clara ſpecioſum puerum cernit. 537. b.
Philippus Burgundiæ Dux monetur ab Eugenio Papa IV. per Capiſtranum, ne ſchiſmatico Papæ adhæreat. 396.a.
Philippus Diez eximius Eccleſiaſtes Ord. Seraphici. 115.a.
Philippus Rex Galliæ S. Ludouici filius. 619. b.
Philippus II. Hiſpaniarum Rex laudatur à pietate & deſiderio canonizationis S. Didaci. 461. a. b. ſcripſit ad Pium IV. Pont. litteras pro eadem. ibid. b. 507. b. item miſit oratori ſuo litteras quibus eum incitauit, Pontifici vt hoc opus commendaret. ibid. conſtituit procuratorem Ambroſium Morales, qui litteras ad epiſcopos mittit. 462. b. idem ipſum petit à Pio V. & Gregorio XIII. ſed fruſtrà. 463. a. 495. a. 508. a. bellum geſſit contra Eliſabetham Angliæ reginam. 466.a. 481. b.
Philippus Laicetti meritis S. Bonauenturæ à quartana liberatur. 255.
Philippus de Lenoncourt Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 516. b.
item Philippus Spinula Card. ibid. a.
Philippus Princeps Tarentinus frater S. Ludouici Epiſcopi. 316. b.
Pictura quædam Rogeri VVeldeni Bruxellæ in curia ciuitatis, memorabile iuſtitiæ exemplum repræſentans. 617. a.
Pieckiæ familiæ nobilitas in Hollandia. 672. a.
Pileum Cardinalitium S. Bonauenturæ ad ſe miſſum palo appendit lauans ſcutellas. 293.
Piſcis quare addatur imagini S. Antonij Paduani. 204.a.
Pius II. S. Catharinam Senenſem inter Diuos retulit. 243. a. 471. b.

Pius

Pius IV. cauſam canonizationis S. Didaci committit Cardinalibus aliquot. 462. a. moritur re infecta. ibid. b. 508. a.
Pius V. voluit S. Bonauenturam in ſcholis Minorum prælegi. 244. a. S. Thomam eccleſiæ Doctorem pronuntiat. 245. b. corpus S. Franciſci deſiderat videre, ſed fruſtra. 158. a.
Pius V. cauſam canonizationis S. Didaci etiam delegat, ſed morte præuentus rem conficere non potuit. 463. a. 508. a.
Plutarchi elogium. 139. b.
Pluuia B. Ioannis ab Aluerna, & S. Bernardini Senenſis auditorium non tetigit. 114. b.
pluuia & grando auditores S. Antonij Paduani dum in agro concionaretur, non attingunt. 194. b.
podagricus Ioannes quidam voto S. Ludouico perſoluto ſanatur. item alius. 316. b.
pœnitentiæ typus crux. 83. b.
pœnitentia iuxta Dei voluntatem moderanda. 207. a.
Pœnitentium ordo à S. Franciſco inſtitutus. 116. b. quis ſit. 591. a. primo inſtitutus ſine votis, ſed Leo X. ei regulam præſcripſit. ibidem.
poliorcetis quid. 594. a.
Polonorum virtus ad Albam contra Turcas. 407. a.
S. polycarpi elogium. 136. b.
pompeius Arigonius regis Catholici aduocatus orationem habet de vita & miraculis S. Didaci. 470. b. 488.
pontifex perſonam Domini repræſentat. 538. b. eſt eius vicarius. 539. a.
pontifices ſummi qui S. Bonauenturam celebrarunt. 219. a.
pontificum Rom. de S. Franciſco teſtimonia. 8. a. eorum epiſtolæ Decretales. 138. a.
pontis caput locus paduæ. 199. a.
F. Pontius Carbonellus S. Ludouici præceptor. 232. a.
pontius Durandus filium mortuum meritis S. Ludouici Epiſcopi viuum vidit. 315. b.
Pontus Heuterus ſuſpendio addictus, ſed quod peritus eſſet linguarum, viuere permiſſus eſt. 678. a. b.
poretus Imberti filius mortuus per merita Ludouici Epiſcopi reſuſcitatus. 316. a.
porta Camolliæ quæ fuerit Senis. 344. a.
portiunculæ locus à S. Franciſco inſtauratus. 23. a. quid in eo illi contigerit. primum ibi generale celebrat capitulum. 29. a. dictus S. Maria de Angelis, vnde vtrumque ei nomen inditum. 86. b. hunc B. Franciſcus non poſſedit, ſed vſum tantum eius ſeruauit, ideoque quotannis Abbati S. Benedicti caniſtrum piſciculis plenum offerebat. 87. a. Huic loco indulgentiam plenariam obtulit Honorius III. papa poſtulatione S. Franciſci. ibidem.
poritani ſocij S. Auguſtini conuerſio apud Breuiros. 661. b.
de prædeſtinatione B. Ægidius S. Franciſci ſocius quid ſenſerit. 98. a.
Prædicandi efficacia in S. Franciſco. 53. a.
prædicatio an præſtet orationi. 53. a.
Prædicatores laudis auidos non honorandos cenſet S. Franciſcus. 40. b.
Prælector dicitur in ordine Franciſcano, cuiuſlibet facultatis profeſſor. 205. b.
præſagium de ſanctitate illuſtri S. Claræ. 527. a.
Pragenſes Huſſiticum dogma amplectuntur. 400. b.
praxedes puella fracto crure & ex pedibus laborans à S. Franciſco ſanitati reſtituitur. 76. b.
primitiæ Deo offerendæ cordis & oris. 118. b. exemplo veterum Chriſtianorum. 119. a. qui mentem confirmabant aduerſus omnes turbelas. ibid.
priſcillianiſtæ in natali Domini ieiunant. 129. b.
Prodigia prænuntiantia tumultus Belgicos. 677. b.
prophetia S. Franciſci. 49. b. & ſeqq.
propria voluntas infernum facit. 122. a.
proſper Sanctacrucius Cardinalis intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 515. b.
prouincia S. Bonauenturæ quæ dicta. 243. b.
prudentia viuendi norma. 313. a.
pruteni quando fidem receperint. 223. b.
pſalteria B. Virginis quæ ſint. 553. a. compoſuit eadem S. Bonauentura. ibidem.
ptolemæus Gallus Comenſis Cardinalis intereſt canonizationi S. Didaci. 479. b. 515. a.
puella mortua reuiuiſcit meritis S. Ludouici Epiſcopi & baptizatur. ibidem.
puer quidam Ioannes tibiarum vſum poſt votum S. Ludouico factum recuperat. 316. a. item alius nomine Iacobus item filius Gulielmi Raimundi, & filia Anſelmæ Maſſilienſis. ibidem. b.
Puer in puteum lapſus à S. Franciſco eripitur vitæ periculo. 68. a. alius in furno combuſtus meritis S. Didaci reuiuiſcit. 451. a. alius caſu mortuus à Franciſco ad vitam reuocatur. 66. b. item iuuenis alius. 67. a.
pueri vox prodigioſa in aere tortorem ab ictu in innoxium tentato cohibuit. 399. b.
pueri in Mexico plurimi dæmonijs immolantur. 106. a. in fide à Minoritis erudiuntur, qui deinde alijs fidem annuntiant. 104. b. 105. a. 106. a.

Q.

Quinque Martyres à S. Franciſco ad Occidentales Mahumetanos deſtinantur. 165. a. in Aragoniam perueniunt. ibidem. b. deinde Colimbriam veniunt. ibidem. Reginæ Orachæ futura prædicunt. ibidem. glorioſi à morte apparuerunt. 166. a. veſtes mutant propter viarum diſcrimina. ibidem. Chriſtum conſtanter Saracenis annuntiant. ibidem. è carcere regem Mahumetanum ad fidem adhortantur. ibidem. blanditijs à fidei

prædicatione non ceſſant. ibidem. conſtantes ſunt in ſupplicijs. ibidem. b. Maroccum ablegantur cum alijs Chriſtianis. ibidem. liberè Chriſtum prædicant. ibidem. Marocco expulſi ſecundò redeunt. ibidem. in carcerem coniiciuntur. ibidem. viginti dies in carcere ſine cibo à Deo ſuſtentantur. ibidem. iterum demiſſi Maroccum redeunt. ibidem. Exercitui aquæ penuria laboranti oratione aquam impetrant. 167. a. varijs affecti contumelijs. ibidem. flagellantur, ſuper teſtas rotantur. ibidem, lux ad eos delapſa cælitus. ibidem. forte exemplum conſtantiæ in vno illorum. ibidem. ſpernunt pecunias & mulieres. ibidem. b. Capita illis ſecantur per medium frontis. ibidem. quo anno mortui. ibidem. eorum reliquiarum honori barbari inuident. 168. a. miracula in eorum corporibus. ibidem. venduntur eorum reliquiæ Chriſtianis. ibidem. impurus quidam ab eorum reliquiis arcetur. ibidem. reliquiæ in theca argentea reponuntur. ibidem. eorum interceſſione factum vt Chriſtiani Marocco in Luſitaniam redierint. ibidem. miracula in tranſportatione eorum reliquiarum facta. ibidem. b. Sepeliuntur Coninbricæ. ibidem. liquorem ſanguineum exſudant morbidis ſalutarem. ibidem. Saraceni ob eorum indignam necem puniuntur. ibidem. & ſeqq. Diploma Sixti IV. de annua eorum ſolemnitate celebranda. ibidem. commentarius ad vitæ illorum hiſtoriam. 171. quo anno occiſi. ibidem. b.

Quito vrbis encomium. 107. b. ibi Franciſcanorum cœnobium. ibidem.

R.

Radij tres S. Franciſci. 5. a.
F. Raho Minorita. 66. b.
Raimunda conculcata, fracto collo defuncta meritis S. Ludouici ad vitam redit. 315. a.
Raimundæ Maſſilienſis filiola caſu mortua ad vitam redijt interceſſione S. Ludouici Epiſcopi. 316. a.
Raimundus frater S. Ludouici Epiſcopi. 326. b.
Raimundus Oliuerius Clericus à mente alienus reſtituitur menti meritis S. Ludouici Epiſcopi. 318. b.
item Raimundi Textoris. ibidem.
Raimundi Vitalis filia mortua ad vitam redit meritis S. Ludouici. 315. b.
F. Raymundinus vitam ſcripſit S. Antonij Paduani. 201. a.
Ranaldo Cardinali commiſſa inquiſitio in vitam & miracula S. Staniſlai martyris, qui canonizationem impedire conabatur. 463. a.
Reatinum Epiſcopatum recuſat B. Ioannes Capiſtranus. 396. b.
Recollectio Matutina & veſpertina. 118. a. auium exemplo demonſtratur. ibidem. & mercatorum. ibid. b.
Reges Franciæ curant ſtrumoſos. 620. a. & Reges Angliæ contractos. ibidem. b.
Reges XII. ordinis Minorum. 101. a.
Reginaldus ſacerdos in Pictauia. 77. a.
Regna duodecim in Hiſpania. 433. a.
Regni Siculi potentia. 330. b.
Regni infelicitas. 328. a.
Regnum Dei ante omnia quærendum. 359. b.
Regnum ſplendida ſeruitus. 306. b. reſpectu cæli nihil eſt. ibidem.
Regulam S. Franciſcus ſcribit. 25. b. approbatur ab Innocentio tertio. 26. b. Secunda ab Honorio tertio. 30. a. maior ab Innocentio, ſed breuior ab Honorio. 117. Dei ſpiritu ſuggerente ſcripta. ibidem.
F. Reinerus à Lintris Minorida à Geuzijs Ruremundæ interemtus iuxta altare Dominicum. 692. a.
Religiorum inſtituta à Summis Pontificibus debent approbari. 11. a.
Religioſis cauendæ mulieres. 31. b.
Reliquiarum ſanctarum vis. 207. b. reliquiæ à piis deſiderantur. ibidem.
Reliquias honorat S. Franciſcus. 35. b. item Deus. ibidem.
Reliquias S. Bonauenturæ hæretici in Rhodanum proiiciunt. 143. b. ſuperſunt tamen aliquæ. 144. a.
Reliquias ſacras veneratur S. Ludouicus. 612. a.
Rex Verſuum à S. Franciſco conuertitur. 29. a. vocatur Pacificus. ibidem. videt Thau ſignum in fronte S. Franciſci. ibidem.
Rhenus bicornis eſt. 679. a.
Richardus à Media Villa quæ ſcripſerit. 110. a. familiaris S. Ludouico Epiſcopo. 305. a.
Richardus Ridani meritis S. Bonauenturæ amiſſa recuperat. 258.
Rigor S. Franciſci. 30. b.
Ritellia mater S. Bonauenturæ. 222. a.
Ritus accendendi cæreum in honorem Deiparæ. 536. a.
Ritus in canonizatione Sanctorum fieri ſolitus & cærimoniæ. 472. 473. & ſeqq.
Ritus quo virgines monaſterium ingredientes veſtibus pretioſis ornantur. 528. b.
Robertus Bellarminus S. R. E. Card. legendus. 134. b.
Robertus Dux Calabriæ frater S. Ludouici Epiſc. 326. b.
Robertus Claromontenſis Dux, filius S. Ludouici Regis. 619. b.
F. Robertus Franciſcanus cæcus annis plurimis à S. Franciſco oculorum lumen recuperat. 74. a.
Robertus Rex Siciliæ intereſt tranſlationi corporis fratris ſui S. Ludouici. 321. b.
Robertus Siciliæ Rex in veſte Franciſcana ſepultus. 158. a.
Rodulphus quidam è ſumma turre decidens interceſſione S. Franciſci non læditur. 68. a.
Rodulphus Agricola in veſte Franciſcana ſepeliri voluit. 158. b.
Rogata mulier ſanguinis fluxu laborans à S. Franciſco curatur. 76. b. item eius

filius.

filius. ibid.
Rogerius Siciliæ Rex Guelfonem Bauariæ Ducem in Cæſarem concitauit, cui ſuo & Pontificis nomine auxilia miſit. 91.a.
Rogerus Clericus de ſtigmatibus S. Franciſci dubitans à S. Franciſco in manu ſauciatur. 65. b.
Roma orbis domina religione diuina. 95.a.
Rom. Eccleſia. *Vide* Eccleſia.
Romana Eccleſia inter Patriarchales Eccleſias prima eſt. 5.a.
S. Romulus Etruriæ Apoſtolus & Martyr. 221. b.
Roſarij B. Virginis initium. 552. a. quis eius auctor. ibidem. D. Virgo eius vſum D. Dominico reuelauit. ibidem. b. eius frequentatio Deo grata & ſalutaris oranti. 553. a. cur dicatur roſarium. ibid. initium roſarij B. Virginis Coloniæ. ibid. b. orandi coronam duplex ritus. 554.a. recitantibus roſarium Minoribus, & Clariſſis, & Annunciatis quæ conceſſæ ſint indulgentiæ. ibid.a.b.
Ruardi Tapperi Enchuſiani laus & præconiũ. 666.a.
Ruſcia Græcorum ſectatur ſchiſma. 402. b.
Rutgerus Boetzelarius occiſus à Gulielmo Burano. 672.a.

S.

SAbaudiæ Dux S. Bonauenturam in Diuos referri poſtulat. 242.b. 260.
Sacerdotes Angelis & ſanctis honorabiliores. 84. b. à S. Franciſco honorantur. 21. a.
Sacerdoti quatenus liceat bello intereſſe. 419. a.
Sacerdotij dignitas. 309. a.
Sæculi vanitas. 160.a.
Sæculum noſtrum martyrio fertile. 693. b.
Salomea Ducis Cracouienſis filia nupta Colomanno, marito à Tartaris occiſo fit Clariſſa. 598.b.
de S. Samuele Martyre Franciſcano hiſtoria. 176.
Sancti magis animo colendi quàm cultu exteriore. 585. b. ſecundùm gratiam ſcripſerunt & dixerunt, quæ ſupra artem. 143.a. 116. publicum honorem deferre Pontifici Rom. glorioſum. 261.
Sanctorum corpora vrbibus loco muri ſunt. 208. a.
Sanctia Maſſilienſis vſum membrorum recuperat S. Ludouico voto facto. 316.a.
Sanctia regina V. Martyres induit veſtibus ſecularibus. 166. a.
Sanctitas in Sanctis ſpectanda, non miracula. 260.
Sanctus Locus Amſtelodami. 667. b.
in Sanguine natat S. Bernardini corpus. 369. b.
Sanguis è vulneribus S. Franciſci iugiter manauit. 6. a.
Sapientiæ Dei æternæ templum Byzantij. 406. a.
Saraceni S. Franciſcum capiunt. 46. a. grauiter puniuntur, quòd V. Martyres Franciſcanos interfecerint. 168. b. in monaſterium S. Claræ irrumpunt, ſed oratione illius repulſi quamprimum ſe in fugam conijciunt. 533. a. eorum templa Chriſtianis intrare licitum, cauſa fidei Chriſtianæ conteſtandæ. 171. b. *Vide* Turca.
Saraceni cuiuſdam erga Minoritas pietas. 28. b.
Sarthianum villa. 39. a.
Sbigneus Cardinalis in Poloniam B. Ioannem Capiſtranum vocat. 406.b.
Scientia & innocentia beatum faciunt. 132. a.
Schiſma diuturnum in Eccleſia fuit tempore ſancti Bernardini. 354. a.
Schiſmatici Rutheni. 402.b.
Scholaſtici ſcriptores Theologiæ ſtudioſo legendi. 135. a. ſed cum delectu. ibidem.
Scholaſtica Theologia. 130. a.
Scipio Gonzaga Card. intereſt canonizationi. S. Didaci. 480. a. 516. b.
item Scipio Lancelottus Card. 479.b. 516 a.
Scortum à ſe reiicit S. Franciſcus iacens in igne. 127.b.
Scriptorum vitia communia. 387.
Scripturarum profunda penetrat S. Franciſcus. 49.b.
Sedes S. Franciſci viſa in cælo fulgens. 35. a.
Sena vrbs vnde nomen habeat. 381. a. cur dicta Vrbs Virginis. ibid. S. Bernardini patria. ibidem.
Seneca Philoſophus pietatis ſtudioſo legendus. 139.b. de illo Lipſij elogium. 40 a. vitia minuit, virtutes auget. ibid.
Senenſem Epiſcopatum repudiat S. Bernardinus. 358. b.
Senenſes petunt S. Bonauenturam Diuis aſcribi. 242.b. 260. 265. a. item S. Bernardinum. 373. a.
Senſus cuſtodiendi. 31. b.
Sententia aurea S. Franciſci de humilitate. 33. b.
Septa vrbs quæ & varia eius nomina. 175.
VII. Martyres Franciſcani Septæ occiſi à Saracenis. 176. impetrant ab Elia miniſtro Generali facultatem abeundi ad Saracenos. ibidem. a. peccata confeſſi ſacra ſe muniunt Euchariſtia. ibidem. pedes lauant inuicem exemplo Chriſti. ibidem. Chriſtum prædicantes capiuntur. ibidem. b. variè tentati in fide perſeuerant. ibidem. ad mortem alacriter properant. 177. a. nudi ad ſupplicium ducuntur. ibidem. b. corpora eorum ludibrio fuere barbaris. ibidem. à quibus multa magnaque miracula. ibidem. anniuerſaria celebritate celebrandi. ibidem. quo anno mortui ſint. 178. b. quo die. ibidem. eorum corpora in Hiſpaniam tranſlata. 177.
Sepulcris Sanctorum ineſt gratia. 330. a.
Seraph ad S. Franciſcum venit. 57.a.
Sermo S. Franciſci penetrans cor. 24. a. 54. b. ſignis confirmatur. 55. a.
Sextius Philoſophus conſcientiam examinabat. 110.b.
Sibylla Erythræa de SS. Franciſco & Dominico locuta. 9. b.
Siculi regni potentia. 330. b.
Sigillum ordinis Franciſcani quod. 293. b.
Sigiſmundus Imp. S. Bernardinum peramanter habuit. 364. a. eum Romam

ſecum aſſumit. ibid. eius diligentia in Eccleſiæ ſchiſmate tollendo. 398. a. bellum aduerſus Huſſitas ſuſcipit. 399. b.
Signifer Chriſti S. Franciſcus. 59.a.
Silentium indictum beſtijs in nomine SS. 143. a.
Silentium indiſcretum damnatur. 52.a.
Silentium Euangelicum. 32.a.
Silueſtri ſacerdotis viſum. 24. b. fuit is primus in ordine Franciſcano ſacerdos. 98.b.
Simeon Stylites in columna ſtetit. 158. a.
Sixti Pontifices Hiſpaniæ ſemper vtiles. 464. b.
Sixtus IV. illuſtre Eccleſię ſidus. 247. fuit Frãciſcanus: vbi natus, qua ſtirpe. 101. a. à matre præuiſus ordinis veſte indui, mater eum vouit ordini Franciſcano; quibus præceptoribus vſus, eius conciones celeberrimæ in Italia, reliqua illius geſta ante Pontificatum, eligitur in Pontificem, eius opera in Pontificatu, vrbis Romæ inſtaurator, ibidem. Bibliothecæ Vaticanæ auctor. ibid. b. Ferdinando Regi Catholici nomen dedit. 464. b. S. Bonauenturam in Sanctos retulit. ibid. qua cæremonia id fecerit. 241.b.243.a.
Sixtus V. ex ordine Minorum, eius elogia & geſta. 101. b. Opera S. Ambroſij caſtigatiora edidit. ibid. Typographiæ Vaticanæ inſtaurator. ibid. quo anno mortuus & vbi ſepultus. 102. a. illi diuinitus S. Didaci canonizatio reſeruata. 463. a. 464. b. 465. a. & ratio quæ eum mouerit. 465. b. delegauit iudices ad recognitionem cauſæ. 469. a. probauit canonizationem & luculentam orationem in vltimo conſiſtorio habuit in rei approbationem. 471. a. b. eius litteræ decretales quibus S. Didacus Sanctorum numero adſcribitur. 497. a. b. breue eiuſdem de feſto eius annuatim celebrando. 518. eius ſtudium in canonizatione S. Didaci. 424. eius laudes. 244. b. Romæ S. Bonauenturæ Theologiam voluit edoceri. ibid. eum inter præcipuos Eccleſiæ Doctores refert. 245. b. quos in hoc actu ritus adhibuerit. ibid. collegium in Vrbe eius nomine inſtituit. 276. a. eius encomium. 283.
Smaragdus Rauẽnas exarchus Balneoregium exornare voluit, at nihil profecit. 222. a.
Sodalitium Flagellantium inſtitutum à S. Antonio Paduano. 206.a.
Sodalitas Confalonis inſtituta à S. Bonauentura Romæ. 233. b.
Sodalitates B. Virginis erexit primus S. Dominicus. 553.b.
Soldanus Ægypti à Minoridis baptizatur. 127. b.
Soldanum S. Franciſcus ad fidem Chriſtianam hortatur. 46.b. offert ei munera Soldanus. 47.a. quæ ſpreuit. ibidem.
Solitariæ vitæ laus. 84. a. immerito contemnitur. ibidem.
Sophia inimica pietati S. Eliſabethæ nurus ſuæ. 586. b.
Sophia filia S. Eliſabeth nupta Duci Brabantiæ. 593. a.
Spiritus Sanctus in S. Bonauentuta loquutus eſt. 234. b.
Spiritum Sanctum Greci à Patre & Filio procedere confitentur in Concilio Lugdunenſi. 240.b.
Stadingenſes hæretici quando ſuperati ſint. 223.b.
Staniſlaus Hoſius legendus. 134. b.
Stella apparuit in capite S. Bernardini concionantis de B. Virgine. 395. b. item Ioannis Capiſtrani. 396. a.
Stephanera Michaelis meritis S. Bonauenturæ viſum recuperat. 256.
Stephanus Benucius Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 480. a. 517. a.
Stephanus Bruliferus Franciſcanus Doctor Theologus. 110.b. laudator doctrinæ S. Bonauenturæ. 241. a.
Stephanus Card. Nardinus præeſt inquiſitioni de miraculis S. Bonaueuturæ. 242. b. 261.
Stephanus Gennet meritis S. Bonauenturæ à febri liberatur. 255.
Stephani Regis Hungariæ pietas. 597. quot proles habuerit. 326. b.
Sterilitas inter Saracenos olim ob necem SS. V. Martyrum. 169. a.
Stigmata S. Franciſci poſt mortem multis viſa. 58.a. 61.b. 62. a. eorum forma. 62. a. etiam alijs Sanctis impreſſa, ſed non talia qualia S. Franciſco 153.b. quando S. Franciſco impreſſa. 56. b. eorum virtus & efficacia. 63. b. miracula. 58. a. 153. a.
Straminis, cui S. Martinus indormiuit, efficacia. 129. b.
Strumas Franciæ reges curant. 620 a.
Studendum ſapientiæ, non ſcientiæ. 211.
Studia S. Frãciſcus permiſit ſuis, modo orationem non impediant. 49.b.
Submerſus, à S. Franciſco vitæ redditur. 67. a.
Sulthanus Ægypti parat ſe bello cum Ludouico Rege, ſed pacem ſimulat. 608. a. *Vide* Soldanus.
Surdi duo meritis ſancti Ludouici auditum recuperant. 317.b.
Surdus & mutus ex voto S. Franciſco nuncupato auditum recepit & loquelam. 75. b.
Sus quæ agniculum deuorauerat, S. Franciſci maledictione poſt triduum expirat. 42. a.
Synodi duæ Hiſpalenſes. 434. a.
in Syriam martyrij obeundi ergo S. Frãciſcus transfretat. 45. b. 46.a.

T.

TAbula ſcripta Dei digito S. Franciſcus. 57.b.
Tabularum luſoriarum artifex ſuaſu S. Bernardini nomen Ieſu efformare cœpit, eique fuit quæſtuoſum. 357. a.
Tartari legatos ad S. Ludouicum mittunt. 607. b. iis Minores fidem annuntiant. 102. b.
Tempeſtatem ſedat S. Franciſcus. 70.b.
Tempeſtatibus obnoxius mons Aluernæ, poſtquam S. Franciſcus in eo ſtigmata accepit, fæcundus fuit. 58.a.
Temporis maxima habenda ratio eſt. 128. a. cuius hodie nullum pretium. ibidem.b. qui habet temporis rationem, multa leget. 140.a. in tempore ſtudendum. ibidem b.
Tempus breue, vſu ampliſſimum fieri poteſt. 329. a.
Tempus illuminationis S. Scripturarum quod fuerit. 5. a.

Tertullianus Chriſtianos crucis ſigno vſos ſcribit, & quidem ad ſingulas actiones. 83 a.
Tertulliani elogium. 136. b.
Teutonici Magiſtri Praga fugientes, Lipſienſem fundant Academiam. 397. a.
Thaboritæ cur dicti Huſſitæ. 399.b.
Thau ſignum vulneris cuiuſdam à ſe ſanati cicatrici imprimit S. Franciſcus. 79.b.
Thecæ argenteæ incluſum corpus B. Bernardini, ſed illa direpta. 284. b. mox alia ſubſtituta. ibidem.
Theodoricus Bommerus arcis Gorcomienſis propugnator acerrimus in crucem agitur ab hæreticis præter pacta. 673.b.
Theodoricus Emſenus Martyr Franciſcanus, Brielæ ſuſpenſus ab hæreticis. 676. a.
Theodoricus Heſius Archipresbyter Leodienſis Hadriano VI. à ſecretis. 672.b. eius elogium è Paulo Iouio. ibidem.
Theodorici Monaſterienſis libellus Speculum Chriſtiani hominis. 662.a. eius ſanctitas. 667. a.
Theodoricus Moguntinus vtroque crure debilis meritis S. Eliſabeth vtriuſque vſum recepit. 591. a.
Theodoricus Traiectenſis meritis S. Eliſabethæ ſanatur à manu arida. 589.a.
Theodorus Laſcaris iunior Imp. veſtem monaſticam in vitæ fine aſſumpſit. 158.b.
Theologi illuſtres ordinis Franciſcani conuentus Louanienſis. 662. a.
Theologia in S. Franciſco ſublimis. 50. a.
Theologia duplex. 130. a. & quæ inter vtramque differentia. ibidem. Scholaſtica aduerſus hæreſes munit. 245. a. eius laus & vtilitas. 275. a. in quo ſita. ibid.
Theologiæ ſcopus ſeipſum facere ſaluum. 132. b. & alios. 133. b.
Theologiæ Doctores ordinis Seraphici recenſentur. 109. b. XC. in Magiſtrum Sententiarum ſcripſere & deinde etiam plures. ibid. noui antiquis non doctiores, ſed elegantiores. 110.b.
Theologiam S. Bonauenturæ Sixtus V. edoceri Romæ præcepit. 244.b.
Theologici ſtudij ratio. 130.b. ipſum vtile & neceſſarium. ibid. vitam puram requirit. 131. b.
Theologus quos auctores lecturus ſit. 133. 134. 135. & ſeqq. 138. puræ ſit vitæ. 131. b. & in precibus aſſiduus. 132. a.
Theutonicus auus Ezelini tyranni. 207. a.
S. Thomas Aquinas Alexandrum Alenſem Pariſijs audiuit. 228.b. magnus amicus S. Bonauenturæ. 15.a. 229.a. 230. a. videt illũ in ecſtaſi. 230. b. ad Conc. Lugdunenſe morte præuentus non peruenit. 239. b. eius lectio commendatur. 135. dictum illius de S. Bonauentura. 15.a.
Thomas à Beringen Minorida à Geuziis in opido Thenenſi puteo immergitur. 693.b.
Thomas Gualterutius Sixti V. Secretarius. 245.b.
Thomas ſacerdos ſubmerſus propemodum, à S. Franciſco iuuatur. 68. a.
S. Thomæ prouincia. 13. b.
Thucydidem Demoſthenes ſæpe deſcripſit. 227. b.
Tielmannus Clericus Geldorpius moderator Collegij Pontificij Louanij. 672. b.
Tiſo vir nobilis in S. Antonium Paduanum benignus. 197. a.
Titus Imp. diem ſe dolet amiſiſſe. 128. b.
Tobiæ conſobrinæ mors viſa S. Bernardino concionanti. 343. a. eiuſdem pietas. ibid. ſiniſtrè quid de S. Bernardino ſuſpicata. 344. a. ſed poſtea re cognita eius ſtudium probauit. ibidem. b.
Toletana Concilia XXIV. 433. a.
Tollus pater S. Bernardini. 341. a. quando mortuus. ibidem. b.
Trabe oppreſſus ſanitati reſtituitur meritis S. Franciſci. 69. item alius grauiter vulneratus. ibid. item morti proximus adoleſcens. 70. a. alius quoque intoxicatus. ibidem.
Transfigurationis feſtum qua de cauſa à Calliſto III. inſtitutum. 412. a.
Tranſlatio corporis S. Ludouici Epiſcopi. 330. a. item S. Bernardini. 373. b.
SS. Trinitas notata in benedictione ſacerdotis veteris Teſtamenti. 141.b.
Turcæ Alba, quam inuaſerant expelluntur. 411. a. in fugam coniiciuntur. ibidem. b.
Turcarum clades. 610. a. impij ſunt in crucem & Chriſtum. ibid. b. cogunt Chriſtianos abiurare fidem & Chriſtum. ibidem.
Turcarum clades apud Sendelorum. 408. b. & apud Albam. 410. a. b. 419. a. eorum rabies & ſæuities in vrbe Conſtantinopoli capta. 406. a. *Vide* Saraceni.
Turiſmundus Rex Hiſp. regis Gothorum audaciam fregit. 464.b.
Typographiam Vaticanam inſtituit Sixtus V. 101.b. 218.a. in qua opera S. Bonauenturæ imprimis excuſa. ibid.

V.

VAlentinus de Spello epilepticus meritis S. Claræ ſanatur. 542. a.
Vanitas ſæculi. 160.a.
Vaſcus Gama occidentalem Indiam patefacit. 13.a.
Vaticanæ Bibliothecæ author Sixtus IV. 101. b.
Vaticanæ Typographiæ inſtaurator Sixtus V. 101. b. 218. a.
Vaticinia B. Ioannis Capiſtrani. 412. a.
Vbera arida per S. Franciſcum lac accipiunt. 78.b.
Vbertinus Minorum ordinẽ ingreſſus amens & paralyticus factus, à S. Franciſco curatur. 79. a.
Vendere omnia ſuos Religionem intrantes volebat S. Franciſcus. 37. b.
Venefici S. Ludouico necem moliuntur. 608. b.
Venetiarum Dux D. Bonauenturam Diuis petit aſcribi. 242. b. 260. 265. a.
Venetiis imago S. Franciſci picta priuſquam naſceretur. 6. a.
Veniæ facilitas incentiuum delinquẽdi. 36.b.
Verba turpia non fert S. Bernardinus. 342. b.
Verba S. Franciſci tentationem propulſant. 52. a.
Vercellenſis Abbas in S. Antonium Paduanum propenſus. 198.a.
Veritatis argumentum ab antiquitate. 138.a.
Veronenſium tyrannus Ezelinus. 196.a.
in Veſperis Siculis Franci omnes in Sicilia

iugulati. 316.a.
Veſpertina recollectio. 118.a.
Veſtem certam ordini Seraphico præſcripſit S. Bonauentura. 232.b.
Veſtes ſacerdotales quales eſſe debeāt. 313.a.
Veſtis S. Franciſci qualis initio. 85. a.
Viaticum S. Franciſci in naui non conſumitur. 45.b.
Victoriæ Ioannis Huniadis. 408.b.410.a. b. 411. a. b.
B. Vincentij de S. Bernardino vaticinium. 333. b.
Vincentius Gonſaga Card. intereſt canonizationi S. Didaci. 516.a.
item Vincentius Laurus Card. 479.b. 516.a.
Vineæ & arbores à S. Franciſco indemnes ſeruantur. 78.a.
Vinum effuſum meritis S. Antonij de Padua in vas refunditur. 194.a.
in Vinum aquam S. Franciſcus cōuertit. 33.a.
Virgo quædam XXI. diebus perſtat immobilis. 158.a.
Virginitas S. Elzearij demonſtrata à fulgido lapide. 643.a.
Virginitatem S. Clara Deo vouet. 527. b.
D. Virgo ſuper caput S. Bernardini viſa in modum ſtellæ. 364.a. *Vide* Deipara, Maria.
Virtus numquam in obſcuro manet. 529. b.
Virtutis vera nobilitas. 633.
Virtutum auriga diſcretio. 32.a.
Viſio Silueſtro Sacerdoti oſtenſa. 24.b. item alia S. Franciſco. 25.b. item Innocentij tertij. ibid. de ſede S. Franciſci. 35.b. de micis panum. 29.b.
Viſitatio Domini abſcondenda. 48. a.
Vita ſancti Franciſci quàm efficaciter ſcripta. 15. a. quomodo ab auctore digeſta. 17.
Vita breuis ſat longa ad bene viuendū. 314.b.
Vitæ monaſticæ laus. 84. a.
F. Vitalis V. Martyrum Franciſcanorum præfectus. 165. a. morbo corripitur. ibid.b.
Vitalis Auerſanus Aſſiſium vaſtat, ſed paulo poſt in punitionem interemtus eſt. 533. b.
Vitellotio Vitellio Card. delegat Pius IV. cauſam canonizationis S. Didaci. 462. a. 481. b.
Vladiſlaus Poloniæ Rex Lituanos ad fidem conuertit. 402. a.
Vladiſlaus VVitoldus opera fratrum Minorum conuertitur ad fidem. 103. a.
Vlyſſibonæ varia nomina. 104.a. laus. 185.a.
Vlyſſiponenſis Archiepiſcopatus à quo & quando inſtitutus. 433.a.
Vngaria quando ordinem Seraphicum acceperit. 232. b.
Volcmarus Monachus manum contritam habens meritis S. Eliſabeth ſanatur. 589.b.
Voluntas propria infernum facit. 122.a.
Vota monaſtica per tres pauperculas denotata S. Franciſco. 38.a.
Vota ſoluenda ſunt. 307.a.
Vrbinatem Epiſcopatum repudiat S. Bernardinus. 358.b.
VValdenſium hæreticorum dogmata. 88.a.
VVillehaldus Danus Franciſcanus ab hæreticis è Dania profligatus Gorcomium venit. 672.b. ab hæreticis cum ſociis Brielæ ſuſpenditur. 676.a.
VVilhelmus de Namantico Albigenſis hæreticus quinque euenturas prædicit plagas. 89. b.
Vulnus S. Franciſci in latere dextro. 57. b. à multis viſum. 15.b.

X.

XEnodochium S. Franciſci. 594.a. in quo pauperes octingentos aluit Eliſabeth. ibidem.
Xerxes Imp. Conſtantinopol. Franciſcanus fuit. 102.a.

Z.

ZIricſæa patria Iaſobis Pratenſis & Leuini Lemnij obſidetur ab Hiſpanis. 677. b.

FINIS.

Errata maioris momenti.

pag.	*col.*	*lin.*	*erratum*	*corrige*
3		*vlt.*	mitto	præmitto
48	1	*in marg.*	Saraceni	Saracenis
80.	1.	32.	ſingifer	ſignifer
110.	2.	32.	dicentes	diſcentes
132.	2.	*in marg.*	facro	facere
156.	1.	*in marg.*	indero	videre
171.	1.	24.	Cæſarij	Cæſario
202.	2.	16.	Iornado	Iornando
ibid.	2.	19.	Padiuanorum	Paduanorum
218.	1.	*in marg.*	Bibliotheca	Typographia
305.	1.	*antepen.*	Vilia	Villa
480.	1.	23.	Cardinalis Didaci	Cardinalis Diaconi
666.		*3. à fine.*	ucem	lucem.

Cetera Lector induſtria ſua corriget, & noſtris admiſsis veniam dabit.

ANTVERPIÆ

Typis HENRICI ÆRTSII,

ANNO M. DC. XIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google